
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE.

TOMI TERTII PARS POSTERIOR.

LACVS
LARIVS

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

MARI LIGVSTICO ET ALPIBVS VICINAE.

TOMI TERTII PARS POSTERIOR.

LVGD. BATAV.
APVD
PETRVM VAN DER AA
MDCCIV.

J. Goeree In. P. Sluyter fe.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE;

quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

LIGVRVM ET INSVBRVM,

Seu

GENVENSIVM ET MEDIOLANENSIVM,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Collectus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

TOMI TERTII PARS POSTERIOR.





LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER AA, Bibliop.

MDCCIV.

OTHONIS MORENAE,

ET

ACERBI OTHONIS F.

RERVM LAVDENSIVM,

TEMPORE

FEDERICI AENOBARBI CAESARIS,

HISTORIA.

Cum Notis, & Emendationibus

FELICIS OSII,

Artis Oratoriæ Interp. in Gymnasio Patavino.

AD AMPLISSIMOS VRBIS DECVRIONES.

VIRIS AMPLISS. ET ILLVSTRISSIMIS,

LAVDENSIS VRBIS
DECVRIONIBVS
NICOLAVS CRASSVS, J. V. C.

S. D.



PLENDIDISSIMAE atque nobilissimæ istius Romanorum Coloniæ res gestas, dum Fridericus Ænobarbus Imp. Insubriam vexavit, ac pene evertit, Morena Otho, & Acerbus filius, vestri Cives, æternis literarum monumentis memoriæ commendarunt. Has multis post annis Sigismundus Boldonus publici juris fecit, & Felix Osius emendationibus ac notis illustrare cœperat, quod immatura morte præreptus perficere nequivit. Apud me vero non modo erant historiæ typis excusæ, sed etiam quicquid Osius ad eas perscripserat, pergratum munus Dominici Molini, non magis in Veneta, quam in Literaria Repub. Senatoris, dum vixit, amplissimi. Cum Franciscus Puteus, qui inter primos Fori nostri patronos cunctorum oculos & admirationem in se convertit, quique non vulgarem familiæ suæ laudem arbitratur ab ista perantiqua & eximia civitate originem ducere, & in vestrorum civium albo relatum esse, petiit à me, pro ea, quæ inter nos vetus & arctissima intercedit, necessitudine, ut hæc omnia vobis, qui tantæ Urbi præsides estis, offerrem. Quibus enim res vestræ, nisi vobis, consecrari debuerant? qui non solum in Cœli felicitate, fluminis, qui propter urbem fluit, irrigatione, agri optimi, maximi fertilitate, sed etiam in civili, atque adeo bellica virtute nemini concedere, fascesque submittere videmini: magnosque olim heroas ex historiis vestris petitos cum iis, qui inter vivos numerantur, non sine ingenti fructu & gloria componere valetis. Ecquis Joannem Franciscum Medicæum, doctrina & vitæ innocentia præclarum, cuilibet ex antiquis sacris viris undique parem non judicabit? Ecquis aut heroica virtute Marchionibus Corradæ, & Vistarino, aut eruditione & doctrina Maffeo Micolio, & Jo. Baptistæ Codatio J. C. aut omni virtutum genere & celebri nomine Petro Petracino, Regio Senatori amplissimo, qui Mediolani modo non sine ingenti gloria vitam degit, audebit quemlibet ex omni antiquitate præponere? Quod cum omni ævo civitati vestræ domesticum & familiare fuerit, haud sane injuria factum est, ut civitas tantis laudibus exaggerata non hoc, aut illo genere laudis, ut aliæ solent, commendetur, sed cunctis ad eam celebrandam ipso nomine admonitis, LAVS ab omnibus audiat, & merito audiat: Ejus vero non dicam res gestæ, sed ne nomen quidem sine laude vel ab hoste pronuntiari possit. Accipite igitur rerum vestrarum historiam, & Francisci Putei politissimi J. C. debitum erga vos obsequium æqui bonique ducite, meque ipsum, qui Putei vestri, immo vero nostri, causa cuncta velle & debere profiteor, inter Laudensis nominis studiosissimos, pro vestra benignitate, censete.

LAV-

LAVDENSES DECVRIONES,
Viri Amplissimi & Illustrissimi,
QVI MODO REIPVBLICAE PRAESVNT.

DD. *Eques Bartholomæus Muzanus,*
Marchio Lancillottus Conradus,
Petrus Franciscus Villanus J. C.
Joannes Vignatus Capitaneus,
Julius Fissiraga J. C. Collegiatus,
Jo. Baptista Codatius J. C. Collegiatus, Consultor S. Officii,
Tiberius Azzatus J. C. Collegiatus, Civitatis Laudæ Mediolani Orator,
Altigerius Codecasa,
Antonius de Menis J. C. Colleg.
Jo. Paulus Barnus J. C. Collegiatus, Consultor S. Officii,
Franciscus Fissiraga J. C. Colleg.
Franciscus Maria Cademustus,
Jo. Matthæus Summaripa,
Jacobus Fissiraga Capitaneus,
Eques Alexander à Lauda, Commendatarius,
Hyacinthus Vignatus J. C. Colleg.
Joannes Leccamus,
Bartholomæus Baratterius,
Georgius Maldottus,
Comes Franciscus Mozanica,
Bassianus Museffus,
Ludovicus Cademustus,
Jo. Jacobus Populus,
Hieremias Summaripa J. C. Colleg.
Antonius Barnus J. C. Colleg.
Antonius Bononus,
Jo. Petrus Muzanus,
Franciscus Villanus,
Joannes Petrus Veggius,
Marius Corrada,
Julius Bononus,
Mapheus Micollus J. C. Collegiatus, Consultor S. Officii,
Marchio Ludovicus Vistarinus, Tribunus Militum,
Petrus Paulus Cernusculus, Capit.
Jo. Paulus Pelatus Carpanus Pheud.
Comes Bassianus Vistarinus,
Ferrantes Gavatius Ottolinus J. C. Collegiatus,
Vincentius Boldonus J. C. Colleg.
Paulus Æmilius Tradatus,
Ludovicus Berinzaghus, Doct. Physicus Collegiatus,
Camillus Ponterolus,
Jo. Stephanus Seghitius,
Celsus Modegnanus,
Paulus Camillus Cernusculus, Eques Aureatus, Comes Palatinus, J. C. Colleg. Consultor S. Officii,
Petrus Martir Boldonus, Urbanæ Militiæ Præfectus,
Franciscus Mainerius,
Marius Marescalcus,
Aloisius Vistarinus,
Ludovicus Micollus,
Bassianus Baggius Capitaneus,
Jo. Baptista Bignamus,
Horatius Modegnanus Capitaneus,
Julius Cæs. Inzagus Doct. Phys. Coll.
Franc. Maria Bonellus J. C. Causid.
Christophorus Benvenutus,
Paulus Camillus à Canibus de Bisnate Pheud.
Joseph Ponterolus,
Hyacinthus Sablus,
Marchio Carolus Octavianus Cag.
Bartholomæus Gandinus,
Ludovicus Gavatius J. C.

LAVDIS VRBS

Certa semper litteris & armis sedes.

De laude hinc Mavors certant, hinc docta Minerva,
Hic chalybe, hæc oleæ fronde revincta comas:
Sed quis erit tanto dignus certamine campus?
Quis judex inter Numina tanta decens?
Te campum unanimes statuunt, Urbs inclyta LAVDIS,
Et LAVS tu judex diceris ipsa Deis.
Nec mora, disparibus longe concurritur armis;
Virtute ac contra statur utrinque pari.
Par igitur paribus sit laus, (sic arbitra censet
LAVS ipsa) & certent semper honore pari.
Conveniunt ambo, mansura & fœdera jungunt,
Et certos ponunt LAVDIS in Urbe lares.

De Laudis Urbe.

QVIS te, quis dignis, Urbs Laudis, laudibus æquet?
Omnia sunt meritis ora minora tuis.
Tollere qui Laudem contendit laudibus ipsam,
Addere aquas vasto nititur Oceano.
Egregia qui laude cupit te extollere, nomen
Egregium tantum proferat ille tuum.

M. ANT. ROMITVS, J. C.

VRBS. LAVDIS.

VIRTVTIS. DOMVS. ET. DIGNITATIS.

DOMICILIVM. GLORIAE.

LVX. TERRARVM. ORBIS.

RERVM. GESTARVM. MONVMENTIS.

IMMORTALITATI. CONSECRATA.

VT.

NON. ARMIS. NON. TOGAE. NON. LINGVAE.


AT. LAVREA.

LAVDI.

Vivite fælices qui LAVDIS degitis urbe,
Laus donec terras, & moderetur honos.

S. C. J. V. D.

INDEX
VOCUM ET FORMULARUM
Ævi ſemi-Latini,
Quo MORENAE, Pater & Filius, ſcripſere.



OTHO.

[1] OTHONIS MORENAE, [2] ET ACERBI OTHONIS F.

RERUM LAUDENSIUM,

TEMPORE [3] FEDERICI [4] AENOBARBI CAESARIS,

HISTORIA.



QVICVNQVE res à [5] sanctissimo Domino nostro Imperatore Federico, [6] religiosissimo ac [7] prudentissimo, seu [8] dulcissimo viro, divina favente misericordia in Lombardia prospere gestas [9] sapienter audire desideras; quascunque etiam civitates, & quæ loca sua potentia ceperit atque destruxerit; [10] quascunque etiam civitates, [11] & quæ loca destructa sua [12] pietate ac [13] benignitate ad Imperii totius honorem in suo statu [14] relevaverit, ac pleniter in suo honore [15] reformaverit; [16] quæ etiam, & quanta bella, & quo tempore in Italia peregerit; quomodo etiam hostes Imperii suæ ditioni [17] subjugaverit; quosque amicos, & maxime Laudenses, sublevaverit, ipsosque [18] multimodis honoribus atque divitiis repleverit; quantas etiam calamitates & [19] tormenta Laudensibus à Mediolanensibus [20] fere per quinquaginta annos illata ipsi Laudenses sustinuerint; [21] hunc libellum à me Othone [22] Judice, qui dicor Morena, ac [23] Misso Domini [24] tertii [25] Lotharii [26] Imperatoris, & [27] secundi [28] Corradi [29] Regis, scriptum perlege; in quo supradicta omnia, & alia multa [30] compendiose ac [31] veraciter, prout melius ab aliis discere potui, ac [32] meis propriis oculis vidi, scripta reperies.

Itaque à primo initio pietatis ac benignitatis, quam sanctissimus Dominus Imperator Federicus [33] circa primum exhibuit, incipiens; causam & occasionem, [34] quia prædictus Imperator in amorem Laudensium, ac [35] odium Mediolanensium primum exarserit, [36] oblivioni tradere non putavi. Accidit namque, quod non post multum tempus, quo sanctissimus Federicus [37] in Regno fuit electus, ipse Rex [38] maximum colloquium cum suis Princibus apud Constantiam se [39] habere ac tenere disposuit. Evenerat etenim eo tempore, quod duo Laudenses [40] Cives, [41] Albernardus Alamanus videlicet, & Homobonus [42] Magister nomine, rogatu Constantiensis Episcopi [43] Evumanus nomine apud Constantiam civitatem in Alemaniam jerant; & in veritate dico non propterea quod ipsi jam dictum colloquium ibi tunc fieri debere scirent, non quod ipsi [44] in toto illo anno se prædictum Regem visuros existimarent, Constantiam [45] ambulaverunt, sicut ipsemet Albernardus mihi retulit, [46] sed divino quasi spiritu eos illuc tunc ducente, ut apertius [47] ex post facto apparuit pro quodam [48] servitio Constantiensi Episcopo [49] fiendo Constantiam perrexerant.

Qualiter Laudenses impetraverunt literas contra Mediolanenses.

CVM autem ipsi Laudenses ipsum Regem, aliosque Principes Constantiam venturos, ibique colloquium habituros præsenserunt, visum fuit eis, bonum esse, si colloquio interessent, & Regem sanctissimum viderent, quem nondum vi-
B derant, & quæ in ipso colloquio [50] dicta, aut facta cognoscerent, Civibus de [51] Laude notificarent. Itaque Rege, [52] aliisque Principibus [53] Constantia exsistentibus, maximum inceptum colloquium, in quo [54] multi [55] tam pauperes, [56] quam divites de injuriis eis illatis Regi [57] conquerebantur. Rex vero [58] justitiam [59] faciebat [60] plenarie. Quæ [61] prædicti Laudenses, qui ibi [62] aderant, considerantes, placuit eisdem, [63] de mercato, quod Mediolanenses Laudensibus abstulerunt, ante ipsum Regem querimoniam proponere; statimque in quandam Ecclesiam introeuntes, duasque inde [64] maximas cruces ad humeros levantes, coram ipso Rege, cæterisque Principibus redierunt, & [65] pe-
C dibus ipsius Regis cum ipsis crucibus prostrati sunt maxime lugentes, & hoc fuit in quadam die Mercurii [66] capitis jejunii, quæ fuit anno ab Incarnatione Domini MCLIII. Principes vero ante Regem cruces portari cernentes, [67] quod videre ausi non fuerant, valde mirati sunt. Tandem autem [68] Rex ait illis, ut [69] sursum levarent, [70] & ob quam causam cruces ante ipsum [71] detulerunt, sibi narrarent. Ipsis vero sursum erectis, & coram ipso Rege plorantibus, tandem jussu Regis, Albernardus, qui Theutonicam linguam optime didicerat, voce prorumpens sic ait: *Domine Rex sanctissime, nos pauperes Cives de Laude Deo & vobis universæ Curiæ conquerimur de Mediolanensibus, qui nos ac omnes Ci-*
D *ves [72] Laudæ, qui vestri eramus, olim de ipsa civitate Laudensi injuste [73] expulerunt, ac majores nostros tam masculos, quam fœminas [74] expoliaverunt, multos etiam ex ipsis interficientes, ipsam civitatem nostram penitus [75] destruxerunt, ac cives Laudenses ne amplius in ipsa civitate, vel ejus suburbiis habitarent, jurare compulerunt. Postea vero multis ex ipsis Laudensibus [76] per universas terras euntibus, reliqui ibi remanentes extra Burgos ipsius civitatis circa ipsam civitatem in sex Burgis habitare cœperunt, & mercatum, quod intra civitatem ex [77] unoquoque die Martis habere consueverant, in quodam ipsorum Burgorum, [78] qui vocatur Burgus Placentinus, & qui major est omnibus aliis Burgis, similiter in unoquoque Die Martis fieri constituerunt: ad*
E *quod ipsi Mediolanenses, atque Papienses, Placentini quoque, atque Cremenses, ac Cremonenses, & [79] Pergamenses in omni hebdomada venientes in Laudensibus domibus hospitabantur, unde ipsi Laudenses multum inde [80] proficientes, ditabantur. Cum autem, [81] carissime Domine, Mediolanenses perspexerunt, ipsos Laudenses in [82] rebus ac personis valde multiplicare, maxime [83] condoluerunt, atque quorundam [84] Sapientum Mediolani convocato Consilio ad diminutionem Laudensium, ut in rebus ac personis decrescerent, jam dictum mercatum de Burgo Placentino, in quo primitus fieri solitum fuerat, abstulerunt, & in quodam campo aperto, ubi nullus habitabat, ipsum fieri decreverunt, ac ipsos Laudenses ibi mercatum deinceps facere coegerunt; ob quam cau-*
F *sam, Rex sanctissime, ego, & complures homines de Laude ad inopiam deducti sumus. Quapropter [85] deprecor vos [86] carissime Rex, ac universos Principes vestros hic adstantes, quatenus rogent vos carissime, ut per literas vestras, ac nuntium vestrum Mediolanensibus præcipiatis,*

A *quod prædictum mercatum Laudensibus restituant, ac in eum locum,* [87] *quo fieri consueverat, adhuc eis facere permittant.* [88] Quod namque omnes Principes annuentes unanimiter Regi persuaserunt, ut sicut Albernardus dixerat, ita perficeret. Rex itaque, qui [89] pius fuerat & misericors, [90] statim Cancellarium suum vocavit, ac literas, quæ sic dicerent sicut Albernardus dixerat, eum statim facere præcepit, & cuidam suo [91] Legato Sicherius nomine jussit, quatenus literas susciperet, Mediolanumque deferret, ac [92] viva voce Mediolanensibus ex parte ipsius præciperet, ut [93] sicut eis literæ nuntiaverint, [94] ita peragant omni modo. Quo sic peracto prædicti Laudenses à Curia discedentes, B Laudamque redeuntes, ac [95] convocato Consulum Consilio aliorumque Sapientum de Laude, qui [96] credentiam Consulum pararent, omnia, quæ [97] ad Regem fecerant, per ordinem [98] eis patefecerunt. Cum autem [99] Laudenses Consules aliique de Laude Sapientes hoc [100] audierint, quamvis non firmiter crederent, tamen [101] valde ipsos omnes increparunt, ac multas injurias & turpia verba ipsis dixerunt, ipsos etiam [102] de terra se dejecturos, si verum esset, minati fuerant; insuper etiam illis firmiter præceperunt, [103] ne cuiquam unquam illud amplius dicerent, [104] nisi statim mori desiderarent.

C *Qualiter Imperator misit Legatum cum eis literis Mediolanum.*

POST paucos vero dies prædictus Sicherius Regis Legatus cum literis ipsius sigillatis, sed tamen apertis, Laudam magno cum gaudio venit, & omnes Consules, aliosque de Laude Sapientes, qui de Credentia fuerant, ad se [105] insimul venire præcepit; quibus congregatis propter quod venerat, aperit, literasque Friderici Regis publice ostendit, atque Mediolanum eas deferre debere ait. Laudenses autem ipsas literas videntes, & quod prius per verba prædictorum Albernardi & Homoboni non crediderant [106] oculata fide videntes, & per literas Regis firmiter credentes, quasi [107] semivivi omnes effecti, valde dolentes, [108] quidve D dicerent, vel facerent nescientes, [109] per nimium obstupuerunt, ac [110] unus versus alium prospiciens [111] per quoddam tempus [112] quasi muti obstupescentes omnes præ nimia tristitia effecti sunt, [113] præque maximo Mediolanensium [114] timore nihil loquentes [115] steterunt. Tandem unus ex Consulibus surgens [116] quasi lugendo, & [117] voce mutata versus Sicherium sic ait: *Domine Sicher*, [118] *de istis rebus, nos omnes miramur, quia ipsum Deum* [119] *in veritate testamur, Albernardum, nec ejus* [120] *socium in Alemaniam nostro consilio, nec etiam scientia unquam venisse, nec has literas, quas nobis* [121] *ostendisti, à Domino nostro Rege unquam impetrasse in veritate scias; unde multum admiramur, quod duo tam stultissimi vi-* E *ri tam magnam & periculosam rem, quæ non solum ad amissionem rerum omnium nostrarum pertinet, verum etiam ad destructionem & interitum omnium personarum nostrarum spectat, sine nostro consilio* [122] *perpetrare ausi fuerunt*, [123] *Dicentes insuper ei*, [124] *quod si res hæc fieri deberet, non tamen* [125] *aperto adhuc tempore facta foret, quia postquam hoc Mediolanenses pro certo cognoverint, Rege* [126] *prænimium à nobis adhuc distante, nec aliquod auxilium nobis tunc præbere valente, statim nos omnes, quos capere* [127] *poterunt, interficient, reliquos vero, qui manus ipsorum* [128] *effugerint*, [129] *de terra ejicient, ac omnia ipsorum bona sine dubio* [130] *eis auferent; quapropter ipsum* [131] *Sicherium valde rogant, quatenus* F *Mediolanum* [132] *non proficisceretur, nec literas illas, quas secum attulerat, illuc deferret;* [133] *nisi ipsos omnes mori desideraret; sed omni modo* [134] *deprecantur eum, ut ipse ad Regem rediret, gratesque multas de hoc, quod* [135] *erga eos fecerat*, [136] *ab eorum parte referret;* [137] *timoremque, quem in Mediolanensibus habebant, Regi* [138] *notificaret, & literas ipsas, quas à Curia reportaverat, ipsis Laudensibus* [139] *dimitteret: dicentes ei, ut si aliquod tempus venerit, quod ad ipsas literas Mediolanensibus* [140] *dandas aptum* [141] *fore ipsis videatur, Rege videlicet veniente in Lombardiam, & ad ipsos Laudenses appropinquante*, [142] *satis ipsi illas literas Mediolanensibus tunc sine aliquo timore ostenderent.*

[143] Quæ verba ut ipse Sicherius talia à Laudensibus proferri audivit, ac eorum voluntatem, ne Mediolanum appropinquaret, cognovit, [144] quia multum eis servivisse, ac maxima dona à Laudensibus reportare putabat, & eos magis offendisse præsensit, quamvis inde multum dolens, tamen ait illis, se [145] pro centum [146] Marchis non dimissurum, quin Mediolanum pergeret, Legationemque Domini sui adimpleret. Quod si aliter faceret, [147] se ad ipsum amplius redire nullatenus fore ausum dixit, quo dicto, quamvis inde valde mœstus [148] foret, tamen ab eis discessit, Mediolanumque perrexit; & [149] ad Consules veniens ipsas literas eis [150] repræsentavit: Consules vero palam, & in communi cœtu literis ipsis perlectis, valde ira & furore commoti, ipso Sicherio, aliisque videntibus [151] ipsas literas pariter cum ipso sigillo in terram projecerunt, & pedibus suis fregerunt, atque conculcaverunt; insuper etiam super ipsum Sicherium omnibus unanimiter [152] irruentibus, ipse fugiendo se abscondens, vix evasit, nocteque proxima veniente extra Mediolanum exiens Laudam venit, & omnia quæ [153] ei acciderant, per ordinem Laudensibus narravit. [154] Ideoque ad Regem reversus est. Laudenses vero hoc audito tam maximo timore perterriti sunt, quod aliqui eorum de Laude ad habitandum [155] alibi processerunt, alii autem in die ibi morantes, & in nocte circumquaque jacentes quasi latrones vagabantur, alii namque in die fugientes quasi fures in nocte veniebant, & die veniente recedebant. Hoc vero tormentum & passionem miserabilem Laudenses usque in adventum jam dicti Federici Regis substinuerunt. Mediolanensibus itaque de interficiendis Laudensibus, ac omnibus bonis ipsorum auferendis, valde machinantibus, & multa consilia ineuntibus, [156] tandem Dominus sua divina providentia atque misericordia eos utpote miseros semper liberavit. [157] Sicherius autem cum ad Curiam venit, Regis pedibus se prosternens, omnia, quæ & qualiter sibi contigerant, per ordinem Regi, omnibusque adstantibus exposuit, rogavitque ipsum, ac universos Curiæ Principes, quatenus eum & se ipsos de hac injuria vindicarent. Hoc autem Rege, & universis Principibus audientibus, maxima ira & dolore commoti sunt, [158] altiusque in corda eorum hæc verba adscenderunt, quam quisquam iratus unquam faceret, [159] & sicut scintilla ignis, totam domum accenderunt; statimque se in Lombardiam cum exercitu magno venturos esse [160] decreverunt.

[161] Interea Laudenses quandam clavem ex bono & pretiosissimo auro factam per [162] Marchionem [163] Guilermum de [164] Monte Ferrato, qui eos adjuvare promiserat, [165] clam Regi direxerunt; mandantes ei, quod seipsos & civitatem Laudensem [166] sibi commendaret, [167] & in sua protectione, utpote sui semper esse, & manere vellent. Ipse vero Rex cum magno gaudio suscipiens Laudenses, & eorum civitatem, quamvis destructam, in sua custodia & protectione suscepit. [168] Mediolanenses autem, & ipsi unam [169] copam auri, & denariis plenam ipsi Regi portaverunt, [170] quatenus tam gratiam & bonam voluntatem recuperarent, [171] quamvis hoc minime facere [172] potuerunt. [173] Cremonenses quoque, ac Papienses, & ipsi [174] sua munera Regi afferentes, & privatim [175] Mediolanenses [176] inculpantes, ac pro ipsis Laudensibus sæpe Regem deprecantes [177] ipsum infensum esse Mediolanensibus reddebant; Rex itaque suos Legatos per Alemaniam, Saxoniam [178] Pro-

vin-

vinciam Durbandiam Tusciam, & per universum Rom. Imperium misit, [179] jubens Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, ac universis aliis dictarum provinciarum Principibus; quatenus ipsi cum suis equitibus, quam honorifice possent, usque ad [180] festivitatem sancti Michaelis proxime venientis, [181] & unum annum cum ipso in Lombardia in [182] Roncalia essent, [183] qui locus est inter [184] Placentiam & [185] Cremonam. Quæ res (Deo annuente) sicut jussit, ita bene peracta est.

[186] Venit itaque D. Fredericus in [187] Lombardiam [188] anno MCLIV. ab Incarnatione Domini [189] mense Novembris [190] indictione prima, hospitatusque est in die Mercurii, [191] qui fuit secundo die ante Kalend. Decembris, [192] in quo fuit vigilia sancti Andreæ Apostoli [193] apud sanctum Vitum de Castillione in [194] Lodesana, & ipso die venerunt Theutonici [195] de prædictis Albergariis, & [196] expugnaverunt Burgum Placentinum de Laude, in quo omnes alii Burgi insimul convenerant; sed ipsi Laudenses tunc [197] viriliter se defendunt; [198] sequenti vero die Jovis, in quo tunc fuit festivitas prædicti sancti Andreæ, ivit prædictus Rex cum omni exercitu suo [199] in Roncaliam, & hospitatus est ibi, mansitque illic per [200] sex dies, [201] residente etiam tunc in honore [202] Apostolicatus [203] Domino Eugenio Papa Tertio. Mediolanenses vero Regi obviam euntes, & secum [204] fraudolenter inientes fœdus, [205] quatuor millia Marchas argenti ei dare [206] spoponderant, ac [207] in Roncaliam [208] cum ipso fuerunt. Interea Rex [209] in Roncaliam exsistens, misit quendam suum [210] Capellanum Laudem, [211] qui fidelitatem ab omnibus ipsis Laudensibus exigeret; [212] Laudenses etenim alii cum suis uxoribus & filiis cum ipsorum [213] mobilia, timore Alemanorum, ad [214] Pizighitonum [215] fugierunt, alii autem ad Mediolanum, plerique etiam ad Cremonam & Placentiam, [216] sed ipsi fere omnes Laudenses cum suis personis idcirco redierunt, quia prædictus Rex suam propriam [217] tensam in ipso proprio Burgo Placentino posuerat. [218] Postremo cum prædictus Regis Capellanus Laudem venisset, & fidelitatem ab ipsis Laudensibus petiisset, responderunt ei Laudenses, dixeruntque, se non esse ausos hoc sine Consilio & [219] parabola Mediolanensium, in quorum potestate & virtute erant, peragere. Dato igitur eis termino venerunt Laudenses ad Consules Mediolani, & eis qualiter Rex legatum [220] ad eos Laudem miserat, qui ab eis fidelitatem exigebat, per ordinem narraverunt, & dixerunt, se omnes ipsi Legato respondisse ipsam fidelitatem sine voluntate, & consilio ipsorum Mediolanensium nullo modo se facere velle. Ipsi vero Mediolanenses maximo consilio valde diu inter eos agitato, tandem Laudensibus respondentes, parabolam eis dederunt, quod ipsi de [221] eorum bona voluntate fidelitatem Regi facerent, [222] referentes insuper & eis gratias de tali responsione, quam Regis Legato fecerant. Laudenses itaque Laudem reversi sunt, & nuntiantes aliis, quæ à Mediolanensibus audierant, omnes [223] læto animo fidelitatem Regi [224] fecerunt.

Postremo in Roncalia [225] expleto [226] parlamento petiit Rex [227] à Mediolanensibus, quatenus ipsi per optima & meliora loca eum usque ad [228] Pontem [229] Ticini ducerent, ipsi vero sic se facere velle respondentes, [230] duxerunt ipsum & ejus exercitum [231] per loca [232] vasta, & quæ deserta fuerant [233] propter bellum, quod inceptum fuerat inter Mediolanum & [234] Papiam præterito proximo mense Augusti; in quo mense Mediolanenses cum Comensibus, & Laudensibus, & Cremonensibus [235] super Papiam equitaverant, & tam magnum exercitum super eam duxerant, quod nec ipsi, nec ulla alia persona, vel Lombardiæ civitates recordentur unquam amplius talem insimul habuisse, nec collegisse, [236] & hoc fuit in die Mercurii, [237] quæ fuit decimo mensis Augusti in festivitate sancti Tiburtii Martyris, scilicet primo die [238] post festum S. Laurentii: qui castrametati sunt [239] ad Lardiragum super flumen [240] Olonæ [241] ex illa parte fluminis versus Papiam. Altera vero die Jovis factum est tunc prælium ad [242] Lavernagolam inter Mediolanum & Papiam, in quo prælio multi homines mortui, alii vulnerati, alii etiam capti ab utraque parte fuerunt; dirempto itaque prælio, quod à mane usque ad vesperas [243] tenuit Mediolanenses, ad castra remeaverunt.

Ipso vero die Jovis cum omnes fere Mediolanenses jam cœnassent, quoddam divinum [244] miraculum super Mediolanenses & eorum exercitum evenit. Accidit namque, quod cum quidam ex Mediolanensibus, qui in prælio vulneratus fuerat, à sociis [245] ipsius Mediolanum duci vellet, ipsi socii ejus [246] tentorium eorum, quod in capite [247] Albergariæ versus Papiam fixum fuerat, [248] defixerunt, & in terram dejecerunt. Hoc autem videntes omnes alii equites, & pedites, & quid [249] in veritate ageretur ignorantes, putantesque, Papienses omnes exercitum Mediolanensem invasisse, & illos timore Papiensium tentorium eorum defixisse, [250] sic omnes maximo timore perterriti in fugam versi sunt, nihil fere portantes nisi sola arma, multi etiam sine armis, [251] atque Mediolanum fugientes abierunt, reliquerunt itaque fere omnia plaustra tentoriis, loricis, pane, vino, aliisque rebus, quæ secum portaverant, onusta, per viam autem omnes simul euntes, dum flumen Olonæ transire festinarent, ac invicem se præpedirent, plaustrorum magna multitudo in ipso flumine corruebat. Bubulci vero ibi morari non audentes cum solis bobus, plaustris relictis fugiebant, pauci vero ex Mediolanensibus in Campo per totam noctem steterunt, & maximam prædam, quæ à recedentibus [252] dimissa fuerat, recuperaverunt, sed tamen ipsi ante diem fugientes plusquam decem millia marcharum argenti valentia in Campo reliquerunt. At revertamur ad historiam.

Cum autem Mediolanenses per loca ([253] ut diximus) deserta ipsum Regis exercitum duxissent, in ipso die castrametati sunt prope [254] Landrianum: in illa vero nocte equi ipsorum nihil fere ad comedendum habuerunt: alia vero die duxerunt eum prope castrum, quod dicitur [255] Roxate, ibique tentoria [256] affixerunt: [257] morantes vero ibi per duos dies, fere omnia [258] victualia sibi, eorumque equis [259] necessaria defuerunt, nec ad comedendum ad sufficientiam [210] unquam invenire potuerunt. Viso autem hoc à Rege scilicet, quod [211] Mediolanenses eum deceperant, & [212] fraudolenter eum per loca deserta duxerant, [263] tunc Rex Mediolanensibus ait, jussitque, quod ipsi extra prædictum Castrum de Roxate [264] exire facerent omnes Mediolanenses, [265] qui causa custodiendi illud intus erant: quoniam ipse & sui equites, cum aliter [266] miseram [267] famem evadere non possent, omnia, quæ intra dictum Castrum erant ad comedendum apta, auferre volebant; Mediolanenses autem hæc audientes, & inde valde contristantes se, nec Regis præceptum infringere audentes, statim omnibus illis, qui in ipso Castro erant, ut exirent, jusserunt, & omnia, quæ intus erant, Regi & ejus exercitui dimiserunt, quod audientes hi, qui intus erant, quamvis Sol ad occasum jam ivisset, & [268] quam sero esset, & etiam fortiter tunc plueret, omnes de terra illa, tam masculi, quam fæminæ, & tam magni, quam parvi cum maximo dolore & luctu foras exeuntes, omnia, quæ intus erant, [269] lacrymabiliter dimiserunt.

Ma-

Mane autem facto, Theutonici in ipsum Castrum prosilientes, omnia, quæ intus [270] reperierunt, cito abstulerunt, posteaque totum [271] Castrum comburentes, penitus dissipaverunt. Mediolanenses vero [272] quamvis tunc Regi palam ostendere non auderent, tamen maximo dolore & ira perciti, [273] æquo animo se ferre publice demonstraverunt. [274] Rex itaque inde discedens venit ad Castrum, quod [275] Abiate [276] Grassum dicitur, [277] ibique ipso die resedit. Alio vero die [278] equitavit cum omni exercitu suo [279] ultra pontem Ticini. [280] Cumque omnis ejus exercitus pontem pertransisset, statim ipsum [281] pontem destrui fecit, & ibi ultra omnes hospitati sunt. Deinde Rex ad Castrum, quod [282] Viandrate dicitur, pergens, ibi etiam castrametatus est. Mediolanenses vero ad ipsum Regem pergentes, & pecuniam, [283] quam sibi dare promiserant in Roncalia, offerentes ei dare voluerunt. [284] Rex autem quia observasset, & [285] quia eos [286] subdolos, & [287] malitiosos, ac deceptores, & [288] parum fidei esse cognovisset, nec cum tam [289] perfidis & [290] nequissimis hominibus aliquid agere se velle referens, pecuniam ipsorum [291] omnimodo refutavit; ac eos de Curia sua statim exire præcepit, dicens etiam insuper eis, ipsos deinceps nullam fiduciam in se habere, nec tenere, [292] nec ullum fœdus, seu pactum cum ipsis Mediolanensibus amplius se facturum, nisi de Laudensibus, [293] atque Cremonensibus se omnes [294] absque timore sibi submitterent. Mediolanenses vero cum hoc [295] facere noluissent, tristissimi statim abierunt, Mediolanumque reversi, omnia, quæ egerunt, & audierunt, narraverunt. Mediolanenses itaque his auditis nolentes quidem, quod Laudenses, [296] vel Cremonenses de ipsorum jugo, vel potestate exirent, valde [297] condoluerunt. Rex autem [298] post quatuor dies [299] una cum Papiensibus & Novariensibus [300] duo [301] nobilissima [302] Castra Mediolanensium, [303] quæ ultra Ticinum habebant, [304] unum quorum [305] Galiate, alterum vero [306] Trecate, cepit, [307] eaque penitus [308] destruxit.

Quo cognito Mediolanenses [309] per mortuis se reputantes, deinde omnia quæcumque potuerunt mala de Rege, utpote Hoste, dicere conati sunt. Rex vero [310] inde discedens cum [311] Marchione Guilermo de Monte Ferrato ad [312] Asten [313] perrexit. Astenses vero civitatem suam [314] deserentes ad quandam eorum [315] Rocham, quæ vocatur [316] Novim [317] quodam monte super ipsam civitatem non multum longe positam, cum omni ipsorum [318] mobilia [319] fugiere. Rex itaque ipsam civitatem [320] capiens [321] tradidit eam [322] prædicto Marchioni, pro quo ipsos Astenses [323] in bannum posuerat, civitatemque ipsam propterea ceperat, [324] quia pro eo [325] justitiam eidem Marchioni facere [326] renuerat. Ipse vero Marchio [327] partem muri ac quamplurimas turres ipsius civitatis destruens, [328] fœdus cum Astensibus fecit.

Propterea [329] Papienses, qui cum Terdonensibus tunc [330] guerram [331] habebant, ad prædictum Regem venientes graviter de Terdonensibus [332] conquesti fuerunt, dicentes; ipsos maximas injurias eis intulisse, & [333] Castrum eorum invasisse, petieruntque ab eo, ut faceret eos [334] justitiam sibi facere. [335] Rex autem, ut hæc audivit, Terdonenses ad justitiam Papiensibus plene faciendam per suos Legatos convocavit, admonens eos, quatenus se de hujusmodi negotio sub ipso & Curia sua ponerent. Terdonenses vero tum quia Regem [336] amicum esse sciebant, & ideo eum in hoc suspectum habebant, tum quia forte de justitia diffidebant, tum etiam, quod magis verum est, quia in virtute & potentia Mediolanensium, qui eos [337] acriter adjuvabant, [338] plurimum confidebant, tali judici [339] colla supponere repudiaverunt. Rex vero [340] semel & pluries in jus vocatos ipsos Terdonenses, & semper venire recusantes, publice bannivit, [341] & minans postmodum eis, quod nisi resipiscerent, super eos equitaret, & ipsos, & civitatem caperet, ac penitus destrueret. Sed Terdonenses multa ineuntes consilia tandem hortatu, & consilio, maximoque Mediolanensium impulsu [342] verba ipsius Regis vilipendentes, ac [343] ad eorum perniciem & interitum [344] suam proximam fortunam, ut [345] ex post facto apparuit, properare cupientes, Regi parere [346] aliquatenus noluerunt. Rex igitur super ipsos [347] cum exercitu suo se iturum [348] proposuit; bellumque super eis se facturum indixit. At Mediolanenses hoc audientes se præparaverunt, & multos [349] equites [350] Terdonæ obviam Regi miserunt. [351] Rex itaque Federicus una cum Duce [352] Henrico de Saxonia, qui in Lombardiam cum ipso Rege fere non cum minori copia equitum, quam ipse Rex venerat, nec non etiam cum [353] Papiensibus versus Terdonam veniens, castrametatus est [354] circa ipsam civitatem in anno ab Incarnatione Domini MCLV. [355] primo die Quadragesimæ, qui fuit tunc [356] XIII. mensis Februarii, indictione tertia, [357] obseditque eam cum [358] Machinis & Precheriis [359] usque in diem ... sequentis mensis Aprilis, ipso vero die [360] Ugone Vicecomite, [361] aliisque quampluribus Mediolanensibus, & Terdonensibus, Machinis, & [362] Precheriis, & aliis armis interfectis, vivis etiam maxima [363] aquæ penuria [364] constrictis, Terdonenses & Mediolanenses, [365] qui ibi aderant, & intra solam [366] civitatem se omnes reduxerant, quia Dux Henricus cum suis Saxonibus jamdudum [367] Burgum ipsius civitatis [368] ceperat, & illum comburendo penitus destruxerat, se amplius [369] Regis manus evadere non posse cernentes, [370] Regi omnes se penitus tradiderunt, [371] eo videlicet pacto, quod ipsi omnes, tam masculi, quam fæminæ extra civitatem cum omnibus rebus, quas ipsi portare possent, exirent, alias vero res, quas inde portare non possent, ipsi Regi, ejusque exercitui penitus dimitterent. Cumque omnes [372] foras exissent cum rebus illis, quas portare potuerunt, exercitus Regis, ac [373] Ducis, & Papiensium intra civitatem pergens, totamque eam [374] exspolians, ac postea [375] comburens eam penitus [376] usque ad fundamentum [377] dissipavit.

[378] His itaque peractis Rex Terdonam deserens, [379] Papiensesque ibi, ut ipsam civitatem bene dissiparent, relinquens, [380] Romam cum suo exercitu perrexit, Papienses vero muros civitatis, turres ac domos omnes destruentes post ipsum Regem ibi per octo dies steterunt, & deinde Papiam cum magno gaudio reversi sunt. Mediolanenses igitur, qui in auxilium Terdonæ, antequam capta fuisset, [381] ambulaverant, cum ipsam civitatem intrare non possent, apud Castrum, quod [382] Sarzanum dicitur, quod distat à civitate per duo milliaria, morati sunt. Cum autem Papienses à Terdona recessissent, statim illi Mediolanenses, qui [383] apud Sarzanum à Terdona fuerant, [384] in destructam civitatem Terdonæ [385] intraverant, [386] Mediolanumque, quid egerunt, miserunt. Mediolanenses hæc audientes, & ob id valde dolentes, [387] quia jam invitis Papiensibus se tenere posse diffidebant; miserunt illis, qui erant Terdonæ, quatenus eam desererent, Mediolanumque redirent, qui hoc agere recusaverunt. Papienses itaque cum cognovissent [388] Mediolanenses intrasse Terdonam, [389] ac eis illam velle reædificare, [390] Terdonam revertentes, ipsos tamen invadere [391] non sunt ausi, [392] deinde nihil proficientes reversi sunt. Cum autem Mediolanenses, qui erant Mediolani, audissent, Papienses cum eorum exercitu ivisse Terdonam, nec fuisse ausos invadere Mediolanenses, qui in Terdona pauci erant; tunc corda omnium Mediolanensium ad Terdonam eorum proprio [393] dispendio

dio [394] restituendam mirabiliter exarserunt. Quare A eligentes omnes equites, & pedites portarum [395] Ticinensis, atque [396] Vercellensis, statim illos miserunt Terdonam, qui muros civitatis suis propriis expensis reædificare confestim cœperunt, ac ibi per tres hebdomadas permanserunt.

Postea vero aliarum duarum portarum [397] Romanæ, & [398] Arentiæ omnes equites, & pedites iverunt Terdonam, & primum in quodam die [399] Mercurii, in quo fuit [400] festum Sancti ...... [401] & quæ fuit XIV. ante Calendas Junii, apud Terdonam in [402] brolio Episcopi extra civitatem fere omnes castrametati sunt. Sequenti vero die Jovis omnes pedites dictarum quatuor portarum, & equi- B tes ipsarum iverunt ad Salam, ut eam caperent; sed rustici & pauci etiam equites, qui in ipso loco erant, ita viriliter se defenderunt, quod villam ipsius loci capere non potuerunt; multis tamen utrinque vulneratis, Terdonam redierunt. Alio vero die Veneris omnes equites, & pedites portæ Ticinensis, & Portæ Vercellinæ, Mediolanum redierunt; aliarum [403] duarum portarum equitibus, & peditibus Terdonæ remanentibus cum magno gaudio; quamvis postea hoc [404] versum sit eis in gemitum & dolorem. [405] Sequenti ita proximo [406] die Mercurii, [407] in quo fuit festum sancti Urbani [408] Papæ, Papienses cum magno exercitu Terdonam iverunt; [409] & Mediolanenses robu- C sto & alacri animo extra [410] fossatum Burgi ipsius civitatis exeuntes usque ad Ecclesiam sancti Martini, & etiam ultra, [411] foris obviam eis in campo exierunt; ibique in manus Papiensium inciderunt; sed in primis omnes ex utraque parte sibi obviam excurrentes, ita acriter se invaserunt, quod ultra centum milites inter utramque partem ex equis eorum dejecti fuerunt, tandem omnibus ab utraque parte dimicantibus, cum Mediolanenses tantis viribus resistere non possent, in fine terga verterunt; & usque in civitatem Terdonæ fugientes fere omnia tentoria, omnemque eorum mobiliam, totumque etiam mercatum, quod in Castris habebant, amiserunt: D quoniam ipsi fere omnes mecum quoque ipso in brolio Episcopi, & alibi extra civitatem, hospitati fuerunt; maximamque copiam equitum & peditum Mediolanensium Papienses ceperunt, multosque etiam ibi in Campo interfecerunt: altero vero die Jovis Papienses, qui primo die per tria milliaria longe à civitate Terdonæ hospitati fuerant, prope ipsam civitatem hospitium mutaverunt; ac postea in ipso die tam maximum ab omni parte civitatis prælium cum Mediolanensibus fecerunt juxta ipsam civitatem, quod ipsi ultra Mediolanensium voluntatem in loco, ubi Turris Blanca dicitur, deinde in civitatem cum duobus vexillis intraverunt, quapropter multi ex Mediolanensibus perterriti tunc fuerunt taliter, quod bello ab eis derelicto, cum E omnibus armis in Ecclesiam majorem confugerunt; sed alii Mediolanenses acriter tunc pugnantes, & maxime cum lapidibus se defendentes, extra civitatem maxima vi eos repulerunt; Papienses vero iterum viriliter pugnantes omnes Mediolanenses tunc debellassent, ac maxima curtesta eos cepissent, nisi Dominus sua pietate & clementi misericordia quandam pluviam eis tribuisset adeo magnam, quæ sic terram madefecit, quod Papienses ultra [412] super fossatum civitatis [413] inhærere non valuerunt. Itaque Papienses circa civitatem commorantes usque ad proximam diem Sabbati, Terdonam obsederunt: ipso vero die Sabbati à Terdona recedentes, cum magno gaudio Papiam sunt reversi: sed in eo quidem die tam magna panis & vini inopia, F cæterarumque rerum comedendarum, fuit in Terdona, [414] quod aqua etiam fere tota penitus in ipsa civitate tunc defecerit; quod vix ad comedendum aliquid in ea [415] inveniri potuisset; [416] ita quod si quatuor solummodo dies adhuc ibi Papienses stetissent, sicut egomet, qui tunc in ipsa civitate Terdonæ cum Mediolanensibus eram obsessus, [417] vidi, & cognovi, sine prælio, sine periculo Papienses potuissent capere omnes Mediolanenses ibi tunc existentes: sed quia hoc tunc fieri non erat à Deo dispositum, ideo nullatenus est impletum. Mediolanenses itaque Terdonæ morantes [418] totum murum ipsius civitatis eorum propriis facultatibus reædificaverunt, & ipsam civitatem, ubi oportebat, fossato aliisque rebus necessariis optime munierunt.

Sequenti igitur festo Sanctorum Gervasii, & Protasii, quod fuit XIX. sequentis mensis Junii, [419] ceperunt Mediolanenses [420] Staranos [421] de Pavia, qui [422] Serexanum deprædati fuerant, pluresque ipsius loci domos [423] exarserant, & multos ex ipsis interfecerunt. Ab eo autem die cum fere per totam [424] guerram omnia prospere Papiensibus accidissent, mutata est adversus eos fortuna, ita quod fere semper postea, donec D. Federicus Imperator in Lombardiam rediit, omnia bene & prospere Mediolanensibus evenere. Post paucos vero dies [425] factum est prælium ad Pozzolum inter Mediolanenses, qui erant in custodia Terdonæ, & Papienses, qui jam ad dictum locum causa custodiendi eum iverant. Ibique in eo prælio multi ex Mediolanensibus & Papiensibus ab utraque parte capti [426] in carcerem reducti sunt. Sed tamen plurimi ex Papiensibus tunc sunt capti.

Interea Rex Federicus cum à Terdona discessisset, tunc eo [427] Romam pergente multa Castra, multique Principes [428] Lombardiæ, [429] Tusciæ, Romaniæ se ei [430] subdidere. Qui Rex cum Romam pervenisset, ibi à D. [431] P. P. [432] Adriano [433] honorifice susceptus est, & [434] apud sancti Petri Basilicam [435] coronatus Romanorum [436] Dei favente misericordia [437] Imperator est effectus: qui ibi postea permanens [438] à Senatoribus Romæ, aliisque ipsius civitatis [439] majoribus [440] suum jus, & rationem, seu usum [441] plane, & humiliter exigebat, [442] mali aliquid eis facere non intendens: [443] Romani vero [444] omnino se ea facere recusantes, [445] & colla, jugo quasi abjecto, temere adversus eum erigentes, non solum in civitate, sed ultra [446] Tyberim se nolle, vel non debere ei hoc facere prætenderunt: sed maxima [447] superbia commoti, ex hac parte Tyberis [448] per pontem, qui est supra ipsum flumen in [449] Insula, cum armis ad bellum faciendum [450] parati, ipsi [451] obviam Imperatori venerunt. Imperator vero [452] cum exercitu suo, ut eos omnes tam equites, quam pedites sic armatos contra se venire [453] prospexit, omnes suos protinus [454] armari præcepit; [455] qui cum arma [456] festinanter accepissent, in bellum omnes [457] alacriter prosilientes se [458] cum ipsis Romanis [459] commiscuerunt. Imperatore itaque cum Teutonicis aliisque omnibus, qui in ejus exercitu erant, [460] dimicantibus acriter cum Romanis, [461] multi ab utraque parte [462] interfecti, multique vulnerati, plerique etiam ex equis sunt dejecti. [463] Tandem Romani vim Imperatoris, ejusque exercitus [464] sustinere non valentes [465] terga verterunt. Imperator vero cum suo exercitu eos [466] acriter persequens, [467] & multos viros in ipsa fuga capiens, multosque interficiens, usque in Tyberim eos [468] fugare non cessavit. [469] Romani vero cum ad Tyberis fluvium pervenissent, eorum [470] multa millia cum armis, alii vero sine armis in ipsum flumen se [471] præcipitavere: quorum plurimi [472] in ipso flumine perierunt; eorum vero, qui in ripa fluminis remanserunt, multi [473] capti fuerunt, alii vero per dictum pontem ultra Tyberim in [474] Insulam fugientes, [475] in Romam se recollegerunt. [476] Postera vero die Imperator cum Romanis [477] fœdus iniens, [478] Roma discessit; qui procedens [479] usque ad Anconam, [480] multas civitates, multosque Principes, suæ ditioni & potentiæ subjugavit: [481] in Apulia etiam, & Romania per totam æstatem, & etiam per hyemis partem versatus, tandem [482] in Alemaniam reverti [483] proposuit.

Itaque cum ipse Imperator in Alemaniam rediret, [484] Spoletum veniens, ibi [485] non multum longe à civitate ipsa hospitatus est: qui quamvis [486] Spoletanis [487] nullum adhuc damnum intulisset, illi tamen [488] tanquam stulti, Imperatore cum suis ad prandium sedente, Spoleto, ut mihi relatum fuit, [489] exierunt armati. [490] Imperator vero hoc audiens, [491] valde turbatus, [492] suis præcepit, quatenus incontinenti arma susciperent, & cum eis [493] viriliter pugnarent: ipse [494] Imperator vero cum exercitu suo sic robuste pugnavit, quod ipsorum Spoletanorum multos cepit, multosque [495] campi [496] victor exiens in prælio [497] interfecit; denique ipsos intra civitatem fugientes sic persecutus est, quod [498] una cum eis civitatem ipsam intrans, [499] eam cum hominibus cepit: [500] quam exercitus ejus spolians totam combussit. Cives vero ipsius civitatis, qui capti fuerant, ligatos ad tentoria deduxit. Sed Imperator tanquam [501] pius & misericors cum ipsis postea [502] fœdus inivit, & multa pecunia ab eis præstita, captos abire, [503] civitatemque intrare permisit.

Post hæc vero Imperator inde discedens, ac [504] iter suum faciens, dum Veronam [505] appropinquasset, indeque [506] humiliter [507] pertransire vellet; Veronenses, qui [508] eorum [509] mala fortuna [510] cum Mediolanensibus jam convenerant, & pecuniam ab ipsis, ut Imperatori obstarent, acceperant; extra civitatem venientes [511] armati in viam, per quam transiturus erat exercitus Imperatoris, obviam ei se ponentes, [512] ne inde transiret, [513] prohibere voluerunt. Imperator autem, & [514] omnis ejus exercitus [515] ira commoti arma robuste ceperunt, & super Veronenses acriter irruentes, fortiter cum eis pugnaverunt: qui [516] Imperatoris viribus [517] nequientes resistere, [518] in fugam turpiter sunt conversi. Imperator vero ipsos acriter persequens, ex eis [519] cepit fere mille: quorum ducentis [520] nasum cum labiis amputavit, & [521] totidem, & plures in arboribus suspendit; [522] cæteros vero captos in tentoria ducens catenis firmiter alligavit: cæteri vero Veronenses, qui in civitate remanserant, maximo timore perterriti, mox cum Imperatore [523] fœdus inierunt, & ei [524] magnam pecuniam tribuentes, [525] captivos de carcere liberaverunt; [526] quo pacto Imperator inde discedens in Alemaniam [527] est profectus.

Interea dum Mediolanenses [528] maximam guerram facerent cum Papiensibus, ipsorum Mediolanensium equites & pedites [529] pro commune [530] ultra Ticinum ad devastandam [531] Lumellinam perrexerunt: quibus [532] venerunt obviam Papienses; tunc vero [533] volentibus Mediolanensibus, Papienses super eos irruerunt, maximumque cum ipsis prælium commiserunt; in quo prælio utriusque partis multi equites fuerunt interfecti, multique capti, & retenti: denique Papienses, qui multo pauciores Mediolanensibus erant, bellum tam grave sustinere non valentes, usque ad Castrum [534] Viglevani [535] fugerunt, semper tamen, prout melius poterant, se defendendo: ubi se colligentes viriliter Mediolanensibus obstiterunt; & Mediolanenses ad ipsum Castrum venientes, & illud [536] obsidentes, manserunt [537] per tres dies circa illud: tandem, quia Papienses ibi victualium maximam patiebantur inopiam, [538] fœdus cum Mediolanensibus cojerunt, [539] inique tamen postea in ipso fœdere sunt versati. Hoc autem contigit anno Domini [540] MCLVII. de mense [541] Junii Indictione quinta.

Mediolanenses igitur, quia [542] tunc temporis eis cuncta prospera accidebant, super opprimendos Laudenses [543] nimium ..... [544] videntes illos multiplicari quotidie [545] in personis, & in rebus pariter: [546] Inter enim cætera mala, quæ ipsi Mediolanenses Laudensibus intulerunt, hoc terribile, & iniquum, atque in [547] sæculo inauditum [548] induxerunt [549] noviter super eos .... [550] præceperunt enim

A publice in ipsorum concione, quod nullus hominum Laudensium terram suam propriam, & quam pater, [551] seu avus ejus dimiserat, & per LX. annos, & etiam ultra, quiete [552] possiderat, deinceps sine consilio & [553] licentia Consulum Mediolani aliquatenus [554] venderet, nec aliquo alio modo in alium transferre præsumeret: contra quod præceptum si quis faceret, tam emptor, quam venditor [555] in bannum publicum poneretur; & insuper etiam, venditore pretio carente, emptor rem ipsam amitteret; & quod deterius erat, pretium & res vendita in fiscum Mediolanensium pervenirent. [556] Hoc autem audientes ipsi Laudenses, quamvis B de re tam gravi valde dolerent, putantes tamen se magis [557] servitiis posse vincere Mediolanenses, nihilominus postea eis plurimum servierunt. Aliud quoque nimis detestabile statuerunt super ipsos Laudenses, videlicet, quod quicunque inveniret aliquem Laudensem, qui extra Laudem ad habitandum exiret, vel aliquid de rebus suis alio deferret, ipsum capere, & omnia ejus bona auferre posset; & insuper Laudensis, qui deferebat, & omnes ejus res in publico banno essent: propter quam occasionem ipsi Mediolanenses bona plus tercentas auri libras valentia ipsis Laudensibus abstulerunt.

In sequenti vero mense Novembris anni prædicti C indictione sexta Mediolanenses Consules Laudem venerunt, & [558] fodrum ipsis Laudensibus petierunt; minantes eis, quod nisi darent, ipsos [559] in publicum bannum ponerent, & [560] insuper accusantes [561] de terra ejicerent, sine spe aliqua redeundi. Laudenses autem eorum bannum, & minas valde timentes, ac eorum adventum, ac [562] malam voluntatem scientes, adeo perterriti sunt, quod statim plures eorum de Laude recedentes per [563] diversas terras postea sunt vagati. Qui autem ibi remanserunt, quamvis dolentes nimium, quia veteres & nobiles Lombardiæ cives se existimabant; eis ipsum fodrum denegare Mediolanensium timore non sunt ausi: quod si qui forte dare re- D cusarent, eorum domos intrantes, ipsos exspoliabant, auferentes inde omnem [564] mobiliam, quam poterant, & vinum ipsorum per terram effundentes, eos de terra penitus ejiciebant. His itaque sic peractis, Mediolani Consules iterum anno MCLVIII. mense Januarii Laudam venientes dixerunt ipsis Laudensibus; quatenus omnes eorum à quindecim annis supra usque ad centum [565] absque ullo timore [566] jurarent stare sub ipsis, & eorum præcepta omnia observare: Laudenses vero inde maximo timore perterriti, cognoscentes, illos occasiones adversum [567] eos quærere, quibus ab eorum amicitia possent sine ignominia recedere, eosque de terra sua ejicere, ac ipsos bonis suis exspo- E liare, quasi [568] exanimes sunt effecti. Tandem dixerunt eis, se super hoc velle habere consilium cum Sapientibus de Laude, & eis cum ipsorum consilio respondere. [569] Cumque Laudenses super hoc consilium habuissent, Consulibus [570] Mediolanensibus [571] respondere, se velle jurare, stare præceptis eorum, & quæcunque [572] sibi præciperent, observare: [573] salva tantummodo fidelitate Domini Federici Imperatoris, quam ei jamdudum [574] fecerunt, ipsorum Mediolanensium [575] parabola & consensu. [576] Mediolanenses autem prædictum sacramentum cum illa conditione, scilicet, salva Imperatoris fidelitate, recipere nullatenus voluerunt; sed graviter eis minantes dixerunt; quod nisi ipsum sacramentum absque ullo tenore face- F rent, eos in bannum publice ponerent, ac eos de terra ejicerent, & omnia sua bona eis auferrent. His autem dictis Mediolanum sunt reversi. Consules itaque [577] Laudenses accipientes [578] dictum Lanfrancum Laudensem Episcopum, & alterum Dominum Lanfrancum Ecclesiæ Majoris Præpositum,

A situm, & [579] alios omnes Præpositos, & Abbates, & Presbyteros de Laude, [580] una pluribus sexaginta [581] Sapientibus de Laude, nec non & [582] Dominum Abbatem [583] Claravallensem, & Dominum Abbatem [584] de Cereto, & Dominum Albertum de [585] Pontia Priorem, cum D. tunc temporis de Climea, venere Mediolanum cum eis. Quibus omnibus exsistentibus in Palatio Domini [586] Uberti de Pirovano Mediolanensis [587] Archiepiscopi, prædicti Laudenses, tam Clerici, quam laici [588] se pedibus dicti Archiepiscopi, & omnium Consulum Mediolani, ac quamplurimorum aliorum Mediolanensium civium tam majorum, quam minorum flendo amarissime prostraverunt; deprecantes eos omnes suppliciter, quatenus ipsos non B cogerent perjurare; dicentes, & promittentes, se animo paratos esse stare, & obedire omnibus eorum præceptis; dum tamen perjurium non committant; & recordantes eis, quomodo, sicut bene sciebant, ipsi Laudenses Imperatori fidelitatem juraverant, [589] requisita prius ab eis de hoc licentia, & concessa. Dicebant, quod si ipsi [590] prædictum juramentum facerent, & Imperatoris fidelitatem, quam prius juraverant, non anteponerent; ipsi dejerarent, & postea [591] interfecti, & omnia bona sua perdere mererentur. Archiepiscopus itaque, & Episcopus Laudensis una cum prædicto Abbate de Claravalle, & Priore de Pontia, & Domino C de Climea omnes unanimiter rogaverunt, & admonuerunt prædictos Mediolanenses, quatenus ab infestatione Laudensium cessarent, & quod eis volebant facere, libenter acciperent, quia sibi sufficiens videbatur. Sed neque preces, vel lacrymæ aliquid profuerunt. Quare prædicti Laudenses cognoscentes, quod sic apud ipsos Mediolanenses nihil proficerent, Laudam cum magno dolore [492] reversi sunt.

[593] Interim duo Cardinales Romanæ Sedis Legati, [594] videlicet D. Arditio de [595] Rinoltella, & D. [596] Otho de Brixia Laudem venerunt: ad quorum pedes prostrati Laudenses eos valde [597] deprecati sunt, quatenus Mediolanenses rogarent, ne ipsos cogerent ad prædictum perjurium faciendum; D recitantes eis ea, quæ ipsi Mediolanenses ab eis requirebant, & quæ eis facere volebant, & causam, quare prædictum sacramentum eo modo, quo petebant, facere recusabant. Cardinales autem misericordia moti, audientes ea, quæ sibi Laudenses de Mediolanensibus retulerunt, & [598] per nimis gravia reputantes ea, quæ Mediolanenses à Laudensibus sibi fieri requirebant, specialiter perjurium suum indecens, & iniquum, promiserunt eis; quod quam cito Mediolani, quo tendebant, essent, statim pro eis ipsos Mediolanenses precarentur, quantum possent; qui si eorum precibus obtemperare nollent, ex parte omnipotentis Dei, & D. P. P. ipsis præciperent, quod E ipsos Laudenses aliquatenus non compellerent ad hujusmodi perjurium faciendum, sed pacifice reciperent illud sacramentum à Laudensibus eo modo, quo facere valebant; quia hoc eis non satis solum esse, sed superfluum videbatur; cum Laudenses Mediolanensibus non aliter quam per violentiam subpositi dignoscantur. Post hæc cum Cardinales Mediolanum pervenissent, ipsos Mediolanenses deprecati fuerunt, quatenus Laudenses prædictum perjurium facere non compellerentur; cum hoc non possent facere absque Dei offensa gravi, & ipsorum tam personarum, quam rerum omnium periculo vehementi; sed potius ab eis pacifice reciperent, quod eisdem de jure facere poterant, & volebant. Mediolanenses vero nec Cardinalium pre-F ces exaudire volentes, illud se nolle Laudensibus facere responderunt. Quare ipsi Cardinales eisdem Mediolanensibus ex parte Dei, & Apostolicæ Sedis publice præceperunt, ne Laudensibus ex tam prava & iniqua occasione bona sua auferrent, nec quicquam mali eis inferre deberent: & his dictis à Mediolano tamen post multum temporis recesserunt. [599] Mediolanenses vero, donec Cardinales prope Laudam, vel Mediolanum fuere, præcepta ipsorum, quæ sibi de Laudensibus fecerunt, optime servaverunt. Cum autem Cardinales inde longe recessissent, Mediolanenses statim [600] in sequenti proximo die Martis [601] sancto, in quo etiam pravi homines à malis operibus solent desistere, omnes [602] Laudenses posuerunt in bannum, nisi ab ipso die Martis sancti usque ad proximum diem Jovis post Pascha juravissent omnes [603] simpliciter, nulla conditione interposita, suis præceptis omnibus obedire. Laudenses vero hoc audito, cum illud juramentum non vellent aliquatenus facere, quid dicerent, quidve agerent, penitus ignorabant. Sciebant enim, quod nisi illud facerent, Mediolanenses eos de terra [604] expellerent, & eorum bona omnia raperent festinanter. Denique cum undique sibi adessent tristitiæ, nec in hoc scirent, quomodo se haberent, ad [605] Deum mœstorum verum Consilium recurrerunt. Quare ipsum omnipotentem Deum magis, quam Mediolanenses timentes, ac eum omnibus suis personis ac rebus præponentes, noluerunt aliquatenus facere illud nefandissimum sacramentum. [606] Proximo itaque die Mercurii post Pascha Mediolanenses, non exspectato [607] prædicto die Jovis, [608] in quo erat terminus banni, cum plaustris, bobus, atque sacculis Laudem venerunt; & violenter Laudensium domos ipsis præsentibus, & videntibus, ac contradicere non audentibus, sed magis [609] dolore morientibus, intrantes, [610] equis [611] bladum, atque vinum, omnemque aliam eorum mobiliam [612] abstulere, absque aliqua ratione. Insuper etiam graviter eis minati sunt, summa adjuratione firmantes; quod si ipsi ibi morarentur, immo non cito ab eorum conspectu recederent, eos omnes tam masculos, quam fœminas, & etiam parvulos adhuc in cunabulis jacentes, absque dubio interficerent. Laudenses vero hæc audientes, & scientes ipsorum corda adversus se graviter indurata, timentes carcerem, & quod deterius est, mortem, quam minabantur, proposuerunt sibi animas & corpora magis, quam divitias conservare.

[613] In sequenti die Jovis proximo, [614] qui fuit MCLVIII. ab Incarnatione Domini, cum Sol [615] jam ad occasum esset, [616] omnes Laudenses masculi, & fœminæ, tam magni, quam parvi, relictis eorum domibus, & omnibus aliis suis rebus, januas suarum domorum claudentes, solis canibus ac gattis ibi relictis, ad [617] Pizighitonis Castrum, quod est inter [618] Abduam & [619] Serium, per totam noctem unanimiter fugerunt. Sed qui tunc vidissent mulieres [620] parvulorum suorum alium in collo, alium in brachiis suis deferentes; aliosque ad [621] gaydes vestium suarum se tenentes, cæterosque post eas ire lugentes; ipsas etiam sæpissime cum ipsis infantulis in fossata cadentes; [622] grandesque capitaneos, ac eorum uxores, qui non habentes equos [623] peditabant, prout melius poterant, multique ex ipsis in fossata cadebant cum uxoribus suis, vociferantes, quia nox erat, & etiam pluebat, haud quisquam tam lætus esse posset, quin pietate motus mœstus inde non esset, & [624] lacrymas non fuisset, [625] compassione ductus. Cum ergo ad Pizighitonem venissent, non habentes ibi domos, nec alia receptacula, in quibus recipi possent, quia locus ille parvus erat ad multitudinem recipiendam; tres familiæ, aut quatuor in una parvula domo ibi [626] insimul hospitabantur; atque ibi ita [627] districte habitabant, quod fere [628] unus super alium jacebant. Ex hoc itaque tali [629] districto, & [630] ex molitione terræ, quam mutaverant, quoniam æstas tunc erat, tum etiam ex ciborum mutatione, & maxime propter aquam, quam ipsi fere omnes bibebant quotidie, cum non aquam,

ſed bonum [631] vinum ſoliti fuiſſent bibere; maxima ipſorum multitudo tam fœminarum, quam maſculorum, & ſpecialiter [632] parvulorum, ſic moriebantur, quod fere in tota die non poterant ſepeliri; ſicque factum eſt, quod terra non inveniretur apud Eccleſiam ipſius loci, ad ſepeliendum tot cadavera mortuorum; immo ex hac parte Abduæ apud ſanctum Petrum de Pirolo ſepeliendi mortui ferebantur. Multi autem hoc videntes, quia ibi manere non poterant, Cremonam proceſſerunt; ubi eorum quamplures [633] infirmati cum magno dolore [634] de hoc ſæculo migraverunt. Mediolanenſes itaque in ipſo die Jovis, quo Laudenſes à Laude, ut dictum eſt, receſſerunt, Laudam venerunt; & primo omnia ſuburbia [635] ſpoliantes in ipſa nocte, & in ſequentibus duobus diebus totam [636] ſuccenderunt; poſtea ipſas domos [637] diripuerunt, [638] vites quoque, & arbores Laudenſium inciderunt, hominesque Laudenſes, qui adhuc ibi remanſerant, capientes, eos in carcerem deduxerunt. Præterea [639] in hac eadem æſtate Mediolanenſes iterum Laudam redeuntes [640] totam eorum ſegetam in Laude, & [641] per totam etiam fere [642] Lodeſanam ad ſuam voluntatem collegerunt. Deinde turres de [643] Monteſſelo, & turrem de [644] Caſtelliono, turremque [645] de Sancto Vito, & turrem de Camairago diripuerunt. Venientibus poſtremo ipſis Mediolanenſibus in campos ſupra coſtam de Cavacurta, obviam eis iverunt cum vexillis, & aliis inſignibus levatis uſque ad campos de Salvaterra Laudenſes, qui ad Pizighitonem [646] fugerunt una cum ipſis de Pizighitone, & cum forte triginta equitibus Cremonenſibus. Mediolanenſibus igitur, & Laudenſibus in aperto Campo morantibus, & bene ſe ad invicem proſpicientibus, nullo nemore, [647] nulliſque vitibus, nullo etiam foſſato, aut [648] coſia, [649] nullis arboribus inter utramque partem exſiſtentibus, quamvis Laudenſes multo pauciores eſſent, Mediolanenſes tamen eos invadere tunc aliquatenus non ſunt auſi; ſed cum magno timore ad eorum Caſtra, quæ erant ad [650] Caſtillionum, rediere, deinde Mediolanum reverſi ſunt.

Hac eadem æſtate, quæ fuit in MCLVIII. [651] in menſe Julii [652] venit Dominus Federicus Imperator [653] una cum Rege Bohemiæ, maxima multitudine [654] Archiepiſcoporum, [655] Epiſcoporum, [656] Ducum, [657] Marchionum, & Comitum, aliorumque Principum plurium [658] cum maximo & innumerabili exercitu in Lombardiam: qui cum [659] veniſſet, & appropinquaſſet [660] Brixiæ, & [661] nullum detrimentum Brixienſibus facere decreviſſet, nec feciſſet; [662] niſi forte quod ipſorum ſcutiferi † conſuevit, nec levius aliud eſſe poteſt, Brixienſes [663] pecunia magis, quam amore Mediolanenſium ...... ſuper [664] ſcutiferas Regis Bohemiæ, qui prius, quam Imperator, venerat, irruentes, equos ipſorum abſtulerunt, pluresque interfecerunt; alii vulnerati, pluribus ſemivivis relictis, fugerunt. Quod cum audiſſet [665] Rex Bohemiæ, valde ira commotus eſt; ac deinde cœpit ipſe, & omnis ejus exercitus, qui magnus nimis erat, totum Epiſcopatum Brixiæ quantum poterat [666] devaſtare. [667] Interea Imperator cum maximo ejus exercitu ibi in Brixienſi Epiſcopatu cum ipſo Rege Bohemiæ hoſpitatus eſt; qui ibi per [668] quindecim dies morantes [669] multas Villas, multaque Caſtra, innumeraque Brixienſium loca [670] diſſipaverunt atque igne cremaverunt; infinita etiam Brixienſibus uſque prope ipſam civitatem abſtulerunt: tunc vero Brixienſes [671] maximo timore perterriti, ac etiam ne caperentur, aut penitus diſſiparentur valde dubitantes, ſtatim cum Imperatore [672] pactum inientes, quod tunc optavit Imperator fecerunt.

Inde itaque Imperator diſcedens, Mediolanumque ſe velle ire diſponens; cum ad pontem, qui di- A citur de Caſſiano, qui ſuper Abduæ flumen poſitus erat, perveniſſet, indeque per eum pertranſire vellet, quamplures Mediolanenſes una cum multis villanis ex alia parte ipſius fluminis ſuper ripam fuerunt Imperatori obviam, ei per ipſum pontem tranſitum prohibentes. Imperator autem, & omnis ejus exercitus hoc proſpiciens, ac neſciens, qua parte poſſet tunc dictum flumen tranſire, valde condoluit. Bohemienſes vero una cum Theutonicorum parte deorſum à ponte juxta ipſum deambulantes, tamdiu perrexerunt, quouſque venerunt ad quendam locum, ubi aqua ita eis videbatur parva, quod ſatis inde ipſum flumen tranſire per ipſam aquam putaverunt. Cum autem illuc B perveniſſent, ubi aqua eis tam parva videbatur, ſtatim in eam, ac ſi nulla ibi tunc eſſet aqua, ſe projecerunt; unde multi eorum cum equis & aliis armis in ipſa aqua perierunt, alii vero ex alia fluminis parte foras exeuntes verſus Mediolanum ire cœperunt cum vexillis levatis. Mediolanenſes igitur, ut eos ultra flumen tranſire, & convenire à longe proſpexerunt, ſtatim terga vertentes ire cœperunt verſus Mediolanum, ponte turpiter derelicto. Imperator vero, ac Bohemiæ Rex, omniſque eorum exercitus dum per pontem tranſirent, & jam maxima pars exercitus eſſet ultra pontem ipſum, totuſque adhuc pons ab una parte uſque ad alteram hominibus & equis onuſtus C eſſet; valde tunc fracta quadam parte pontis, omnes, qui ſuper ipſum pontem erant milites ſcutiferi, atque equi, intra ipſum flumen Abduæ ceciderunt; quorum ibi multis periclitantibus, alii, prout melius potuerunt, foras exeuntes una cum Imperatore, ac Rege Bohemiæ, & his, qui pontem jam tranſierant, Mediolanenſes ſunt acriter perſecuti. Deinde multos ex villanis, qui cum Mediolanenſibus fuerant, nec non & plurimos ipſorum Mediolanenſium occiderunt, & Alcherium de Vicomercato, Ardivi Vicecomitem, Robo Caſtrum, & Monacum de Abonis, & Trincherium Baſabelletam, alioſque quamplurimos Mediolanenſes capientes, omnes alios fugaverunt. Mediolanenſes itaque, quia Imperatori tranſitum Abduæ D ſe leviter prohibere poſſe putabant, poſteaque Imperatorem & ejus exercitum Abduam tali virtute pertranſiſſe cognoverunt, & ſuos ſic eſſe interfectos, captos, atque fugatos audierunt, valde timuerunt. Sed Imperator cum omni ſuo exercitu ad Caſtrum Trecii ambulavit; atque illud graviter expugnans devicit ipſum, & cepit; ſuoſque Theutonicos milites in ipſo Caſtro cuſtodiendo poſuit; deinde Imperator die Jovis, quæ tunc fuit pridie Calendas Auguſti ad Lambrum in prato de Caſtiraglia veniens, ibi caſtrametatus eſt. Tenuerunt autem Caſtra ejus ſpiſſa ab utraque parte Lambri à Caſtringa uſque ad Salevanum.

E Laudenſes itaque cum civibus illuc ante Imperatorem venientes, pedibuſque ſuis ſe projicientes, rationem de Mediolanenſibus, qui eos de propriis laribus expulerant, omniaque ipſorum bona abſtulerant, ab ipſo Imperatore quæſierunt; petierunt inſuper etiam ab eo, ut amore Dei, & honore totius ſui Imperii locum eis tribueret, in quo poſſent ipſi Laudenſes ad ejus totius Imperii honorem & ſervitium permanere. Qui hoc totum ſe libenter velle facere promittens, interrogavit eos, in quo loco morari, aut quem locum ſibi dari vellent. Laudenſes vero ſibi dari velle Montem Ghezonem reſponderunt. Imperator autem ſic reſpondens ait, in craſtina die poſt prandium illuc F cum Principibus meis veniam, locumque vobiſcum videbo; & ſi vobis aptus mihi eſſe videbitur, ipſum libentiſſime vobis tribuam. Laudenſes hoc audientes, cum magno gaudio ad eorum hoſpitia reverſi ſunt, ſperantes ab eo adhuc poſſe majora ſervitia impetrare.

Po-

† *Locus corruptus.*

Postera vero die, quæ fuit Dominica, & tertia dies Augusti in festo sancti Gaudentii, & in inventione sancti Stephani Protomartyris, & quæ fuit anno MCLVIII. adscendit Dominus Federicus Imperator equum suum una cum pluribus ex Principibus suis, insimul etiam & cum Laudensibus militibus & peditibus; omnesque in montem Ghezonem perrexerunt. Cum vero super ipsum montem essent, & cum undique conspicerent, quoddam divinum miraculum tunc accidit ibi: nam tunc cum Imperator montem ipsum adscendisset, & in Cælo aeris, magna serenitas appareret, subito in uno oculi momento fortiter pluere cœpit, quod pro omine bono est acceptum ab omnibus. Pluvia vero recedente, Imperator cum quodam vexillo Consules Laudenses, qui tunc præerant, videlicet Kosmum Morenam, & Archembaldum de Summaripa, & Loterium de Abonis, aliosque eorum socios de terra, in qua nunc ædificata est civitas nova, ipsa Laudenses ad proprium investivit. Fueruntque termini ipsius civitatis sic constituti, videlicet, Acosta quæ dicitur nunc A. Vincentii ab Abdua usque ibi, ubi incœptum est fossatum parte imperiali supra paludem, & ab ipsa palude sicut vadit dictum fossatum usque in aliam paludem, quæ est versus Sylvam Græcam supra costam ipsius Paludis, & etiam sicut vadit fossatum à Costa Palatii Imperatoris usque ad flumen Abduæ versus mane. Hoc itaque sic peracto Imperator & Laudenses cum magno gaudio ad castra sua remeaverunt.

Sequenti autem die Martis cum Imperator jam castra sua posuisset ultra flumen Vitabiæ ab ipso flumine usque ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ dicitur de Ugino per totos campos ab utraque parte viæ, quæ vadit Mediolanum, iverunt Theutonici invadere civitatem Mediolani fere usque ad Cassinam Tomadi. Mediolanenses vero foris exierunt, præliumque cum eis commiserunt; in quo plures ab utraque parte capti, pluresque interfecti fuerunt.

Postea sequenti die Mercurii, quæ fuit anno MCLVIII. indictione sexta, & quæ fuit tunc sexta die Mensis Augusti, equitavit Dominus Federicus Imperator una cum Rege Bohemiæ, & Cremonensibus, atque Papiensibus, nec non & Laudensibus, aliorumque Principum maxima multitudine, ac super Mediolanum castrametatus fuit. Itaque ipso die Mercurii ipsemet Dominus Imperator apud Ecclesiam, quæ dicitur Omnes Sancti, quæ est Ecclesia templi, & exstat ipsa Ecclesia in capite Brolii juxta ipsum Brolium; Rex vero Bohemiæ intra Monasterium sancti Dionysii hospitatus est: cæteri autem Principes ab ipso sancto Dionysio usque ad Pusterlam sanctæ Euphemiæ juxta Mediolanum hospitati sunt. Tunc autem Mediolanenses armaverunt turrem, quæ dicebatur Arcus Romanus, quæ valde erat magna, & ad videndum mira, & quæ ædificata erat in capite Burgi Portæ Romanæ; super quam ipsi Mediolanenses adscenderunt, & eam fere per octo dies ab exercitu Imperatoris defenderunt. Theutonici vero eam tota die expugnantes cum malleis & securibus sub aream ipsius turris maxima vi intraverunt, & eam firmiter dissipabant. Hi vero, qui super ipsam turrim erant, videntes eam funditus destrui, nec amplius se defendere valentes, valde etiam timentes, ne in terram cum ipsa turri ..... nec eis Mediolanenses darent, nec dare auderent aliquod subsidium, Imperatori se continuo tradidere. Deinde Imperator Mediolanenses de ipsa turri descendere, suosque adscendere jussit, scalasque ad ipsam turrim fecit apponi; posteaque super eam fabricari fecit quandam optimam Petreriam, quæ intra portam, quæ prope Ecclesiam sancti Nazarii fabricata erat, lapides maximos jactabat. Ipsi equidem Mediolanenses duas petrerias alias intra ipsam portam habentes, quandoque super ipsam turrim, quandoque etiam satis ultra projiciebant. Interea quodam die Mediolanenses per Pusterlam per medium sanctum Dionysium foras prosilientes, Bohemienses acriter invaserunt: qui cum aliis Theutonicis, & Papiensibus, & qui ex ea parte similiter erant hospitati, contra Mediolanenses armati viriliter exeuntes, sic eos expugnaverunt, quod Ghirardum Vicecomitem, & Azonem de Mandello, duos nobilissimos Mediolani Capitaneos, aliosque etiam complures ex illis interfecerunt; plurimosque vivos captivos in castra deduxerunt. Reliquos vero usque ad portam, per quam exierant, virtute magna fugaverunt. Postea alio die quodam Mediolanenses per Pusterlam, quæ dicitur Porta Tonsa, ad præliandum exierunt; quibus Theutonici una cum Cremonensibus & Laudensibus obviam iverunt: maximo igitur prælio incœpto, multisque ab utraque parte interfectis, pluribusque etiam captis, tandem Mediolanenses, resistere non valentes, terga verterunt; super quos Theutonici, & Cremonenses, atque Laudenses acriter irruentes, magnamque multitudinem ipsorum capientes, magno robore usque intra dictam Pusterlam de Porta Tonsa omnes reliquos fugaverunt. Plerique etiam ex ipsis etiam ultra fossatum intus per ipsam portam pugnando maxima vi intravere; sed ibi stare non valentes foras redierunt. Mediolanenses itaque tunc fugientes cum præ multitudine fugientium per ipsam portam redire non possent, ipsorum plurimi in fossatum ab utraque parte pontis, uno super alium cadente, præcipitaverunt; quorum plures in aquam ipsius fossati usque ad colla repentes ab his, qui supra ipsum fossatum erant, adjuvabantur, & intro trahebantur. Alio quodam die Mediolanenses exierunt armati per portam, quæ erat per medium arcum Romanum: quo cognito Theutonici cum Laudensibus statim obviam eis fuere, maximumque prælium cum eis inierunt; in quo quidem prælio multi Laudenses, videlicet Joannes Tudesis, & Petrasius de Pusterla, & alii quamplures usque ad mortem vulnerati fuere; etiam qui dicebatur Bononus Laudensis in ipso prælio vulneratus, paulo post obiit. Postea quodam alio die Dominus Imperator cum maxima parte exercitus circa Mediolanum pergens omnes segetes, quas invenit, devastavit, vites & arbores succidit, domos combussit, molendina destruxit. Mediolanenses itaque hoc totum videntes, exire ultra fossatum non sunt ausi. Milites vero Imperatoris, ejusque Principum, & eorum scutiferi per Comitatum Mediolani, seu per Martesanam & Seprium euntes, omnia castra, omnesque Villas, & Burgos exspoliaverunt, & postea comburentes penitus destruxerunt. Unde fere totam terram Mediolanensium ita ceperunt ac devastaverunt, quod pauca loca Mediolanenses habebant, quæ omnia vel destructa, vel devastata non forent. Mediolanenses itaque videntes, totam eorum terram destrui, scientes etiam, se non posse defendere, timentesque insuper, ne Imperator ab obsidione discederet, donec ipsos caperet; cum ipso Imperatore pepigerunt, ac se in ejus manibus ponentes, ei de suis præceptis observandis plures ducentis obsidibus tradiderunt: post hæc itaque ab obsidione discedens, ibique de suis relinquens, qui fidelitatem à Mediolanensibus exigerent & reciperent, Modœtiam perrexit, ibique militibus de Martesana & Seprio convenientibus, & pactum cum ipso inientibus, omnibusque sibi fidelitatem facientibus, eos in sua tuitione suscepit.

Interea Dominus Federicus in Roncalia colloquium in sancto Martino proximo veniente maximum se constituit habiturum, præcepitque omnibus

bus fere Italiæ Principibus, atque civitatum Consulibus, ut ipsi colloquio interessent: ad quod etiam quatuor principales legis doctores, videlicet DD. Bulgarum, atque Martinum Grosiam, Jacobum, atque Ugonem de Porta Ravegnana Bononiæ magistros interesse fecit: istorum autem quatuor doctorum, & quamplurimorum aliorum fuit Magister Dominus Guarnerius doctor antiquus, ad quem, cum in extremis laboraret, accesserunt sui Scolares dicentes, Domine, quem vultis post mortem vestram doctorum nobis constituere, quibus ipse respondit per hæc duo carmina:

Bulgarus es areum, Martinus copia legum,
Mens legum est Vgo, Jacobus id quod ego.

Et sic dictus Jacobus fuit doctor. Post ista cum Dominus Imperator semel equitaret super quodam suo Palafreno in medio DD. Bulgari & Martini, exquisivit ab eis, utrum de jure esset Dominus Mundi; & dictus Dominus Bulgarus respondit, quod non erat Dominus quantum ad proprietatem; Dominus vero Martinus dixit, quod erat Dominus, & tunc Imperator, cum descendisset de Palafreno, super quo sedebat, fecit eum præsentari dicto Martino; Bulgarus autem hoc audiens dixit hæc elegantia verba; *Amisi equum, quia dixi æquum, quod non fuit æquum.* Omnes prædicti convenerant ad colloquium nono Calend. Decembris ultra Padum prope Ecclesiam sancti Petri de Conturbia MCLVIII. indictione septima. Cum autem Dominus Imperator, universique Principes, ac civitatum Consules ibi insimul convenissent; in primis vocavit Imperator omnes prædictos Bononienses Magistros, jussitque eis, quod ipsi judicarent sibi in veritate omnia jura regalia, quæ ratione Imperii in Lombardia ad ipsum spectarent, & sua esse deberent: qui respondentes Imperatori dixerunt, se hoc nolle facere sine consilio aliorum Judicum universarum Lombardiæ civitatum ibi tunc exsistentium. Imperator itaque duos uniuscujusque civitatis Lombardiæ Judices elegit, jussitque eis, quod ipsi omnes cum prædictis quatuor Bononiæ Magistris ad Consilium irent, omniaque jura regalia, quæcunque essent, diligenter investigarent; & cum à consilio recederent sub nomine fidelitatis, quam sibi juraverant, & ea omnia recto tramite, prout melius possent, publice demonstrarent: ipsi autem Judices cum XXVIII. exceptis Bononiæ magistris, statim, ut Imperator jusserat, ad Consilium euntes, de omnibus regalibus juribus inter se diligentius contulerunt. Qui postmodum ad Imperatorem redeuntes, coram omnibus Principibus, omnibusque civitatum Lombardiæ Consulibus narraverunt in scriptis omnia jura, quæ in jure regali noverant pertinere. Hoc autem sic peracto, D. Ubertus Mediolanensis Archiepiscopus, una cum Consulibus Mediolani, omnesque alii præsentes Lombardiæ Episcopi, Comites, Marchiones, Duces, cæterique Italiæ Principes, ac omnium Lombardiæ civitatum Consules ibi adstantes, publice in colloquio ipso surgentes, in manu ipsius Imperatoris, omnia, quæ prædicti Judices jura regalia esse dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipsis omnibus fecerunt; statimque Imperatore eis omnibus sub nomine fidelitatis firmiter præcipiente, ne ipsi amplius de ipsis rebus intromitterent, omnes, unusquisque tamen per se, amplius se de ipsis rebus non intromissuros unanimiter spoponderunt. Insuper etiam veram & perpetuam pacem ibi omnes inter se, & cum omnibus aliis personis deinceps se firmiter tenere juraverunt, & promiserunt ponere signum Aquilæ super Campanile Ecclesiæ majoris in signum fidelitatis; ac etiam quod Mediolanenses liberarent centum nonaginta Papienses, quos habebant carceratos. Ultra hoc Mediolanenses privavere se de multis rationibus & dignitatibus, obtentis à diversis Pontificibus & Imperatoribus; ac etiam præcepit eis Imperator, ut servarent pacem perpetuam suis vicinis. Tamen hoc Mediolanenses atque Cremonenses paucioribus septem mensibus servaverunt: immo ante hoc spatium Laudenses, cum nullum adhuc illis malum intulissent, invadentes, pacem ipsam violavere. Deinde Mediolanenses, atque Cremonenses, Papienses quoque, ac Placentini de stando, & per omnia attendendo ipsius Imperatoris præcepto, ei tunc multos obsides tradiderunt: ibique Imperator multas leges, quas fecerat, in scriptis redigi fecit, multaque etiam præcepta hortatu suorum Principum custodiri præcepit. His itaque peractis, cum Imperator omnia se bene peregisse, & Imperium suum, sicut se debebat, in pace quieta obtinere putaret, quamvis in contrarium sibi paulo post contigerit, de Roncalia tandem discessit.

Sequenti vero Januarii mense, qui fuit MCLVIIII. indictione septima, præcepit Dominus Imperator Placentinis; quod ipsi omnes turres, quas in eorum civitate habebant à viginti brachiis supra, destruerent; atque omnia fossata, quæ pro se defendendo ab eo fecerant, penitus devastarent; & deinceps, quamvis eum nimis graviter offendissent, in sua bona voluntate & quieta pace, remissis omnibus offensis, viverent & manerent. Placentini autem hoc audientes quamvis mœstissimi, tamen fossata explanare, & turres destruere cœperunt; sed fraudolenta tenti occasione, ut ad id pervenirent, quod ex post facto apparuit, non perfecerunt. Eodem mense Januarii Dominus Imperator Legatos suos mittit Cremam, qui ex parte sua Cremensibus præciperent; quod muros & fossata Castri Cremæ ab eo die usque ad sanctam Mariam, quæ dicitur Cerealis, destruerent. Ipsi vero Cremenses hoc audientes, & in magnum dedecus accipientes, super ipsos Legatos fortiter irruerunt, & eos interficere volebant; sed ipsi fugientes & se abscondentes, vix evadere potuerunt. Quod cum evenisset, valde tristes ad Imperatorem redierunt, renuntiantes ea, quæ sibi Cremenses fecerant. Imperator vero, ut hoc audivit, quamvis mœstus inde foret, in pace tamen substinuit. Ipso etiam tempore cum Imperator Papiæ primum, deinde Placentiæ, atque Cremonæ, atque etiam Laudæ suos Potestates de civibus ipsarummet civitatum constituisset, Rainaldum Cancellarium suum, & Othonem Falgigranum misit Mediolanum; jussitque eis, quatenus ibi de civibus Mediolani, sicut in prædictis aliis civitatibus jam fecerat, suos Potestates crearent: omnes enim Lombardiæ civitates tunc temporis regebantur à Consulibus, sumptis de civibus ipsarum civitatum. Mediolanenses itaque eos videntes, & quid agere vellent cognoscentes, maximo rumore statim inter eos habito, super eos irruerunt, & quosdam equos eis abstulerunt, ipsosque interficere minati sunt. Sed januis Palatii, super quod erant, clausis, vix evaserunt; sequenti vero nocte Falgigranus privatim exiens de ipsa civitate, fugiit: Cancellarius vero quamvis usque ad diem stetisset, tamen & ipse nihil proficere valens, de Mediolano recessit ...... Imperatorem rediissent, & ei, quid eis acciderat, retulissent; Imperator quasi vilipenderet, & pro nihilo hoc haberet, tacuit.

Mediolanenses itaque nequitiam suam compescere non valentes, in primo die Sabbati, quæ fuit post Pascha Resurrectionis Domini anno MCLVIIII. cum Dominus Imperator nullum malum fecisset Mediolanensibus, postquam pacem fecerant cum eis, ad Castrum Trecii perrexerunt; ibique illud obsidentes, ligneumque Castellum atque Petrerios ibidem levantes, & graviter ipsum expugnantes, plures homines interfecerunt; in sequenti vero die ipsum Castrum ceperunt, & illud totum exspoliantes, maximamque pecuniam, quam in

in eo Imperator cumulaverat, auferentes, totum Castellum, ipsiusque murum destruentes, omnes Theutonicos, quos in ipso Castro Imperator pro ipso custodiendo posuerat, qui plures ducentis erant, & una cum Rotogeriis aliisque villanis, qui in ipso Castrô morabantur, captos & ligatos turpiter deduxerunt, & reversi Mediolanum omnes in carcerem posuerunt.

Imperator itaque hoc audiens, quamvis de pace sibi facta, ac de suo Castro diruto, suisque hominibus captis, & in carcerem absque ulla ratione ab his, qui fidelitatem ei juraverant, positis, valde condoleret; tamen nec propter hoc super eos insurgere adhuc, nec aliquid malum eis inferre curavit. Interea Imperator Laudam veniens, cum Castrum Trecii jam captum esse audivit, Bononiam reversus est.

In sequenti vero Paschate Pentecostes, quod fuit tunc vigesimo septimo Maji indictione septima, equites Mediolani primo Laudam post pacem factam invaserunt; sed Domino nostro Jesu Christo anxietatem Laudensium misericorditer praecavente, & ipsis in tam praeclara, jucundaque festivitate malum injuste & sine ulla ratione fieri non ignorante, Laudenses sunt de manibus Mediolanensium liberati. Nam tunc Laudensium equites foras audacter prosilientes, & cum Mediolanensibus acriter pugnantes, ac ipsos in campo, Dei magis quam eorum virtute, maximo robore devincentes, quatuordecim de ipsis Mediolanensibus vivos ceperunt; duos vero ex eis, scilicet Arnaldum Cagatosicum equitem nobilem & fortissimum, & quendam alium interfecerunt; reliquos autem plures quinque millibus viriliter fugaverunt, & de equis plures quindecim habentes, domum cum magno gaudio sunt reversi. Qui statim ad Imperatorem Legatum direxere, qui ei omnia, quae eis acciderant, per ordinem enarravit. Imperator vero, & tota ejus Curia audientes, & quae libenter audire cupiebant, ipsos Laudenses magnos & mirabiles equites esse dicentes, ipsa verba alacriter receperunt, ipsosque Laudenses valde commendaverunt. Post haec vero D. Imperator non multum moratus Laudam venit, ipsosque Laudenses in concione publica valde ac valde laudavit, ac eis magnas gratias de eo, quod ipsi tam male Mediolanenses tractaverunt, retulit. Laudenses vero omnes Mediolanenses, quos ceperunt, equites, ipsi Imperatori repraesentaverunt. Imperator vero ipsos omnes Papiam in carcerem deduxit.

Postea autem die Jovis, qui fuit undecimo sequentis proximi mensis Junii, & in quo fuit festum sancti Barnabae Apostoli, Mediolanenses civitatem Laudae fraudulenter ac sub dolo capere se putantes, fecerunt Cremenses ab alia parte Abduae, quae est versus Cremam ad pontem, qui tunc levabatur, sed nondum erat completus, invadere prius Laudenses; ut ipsi Mediolanenses, Laudensibus omnibus propter timorem pontis illuc concurrentibus, ab alia parte, quae est versus Mediolanum, venientes, antequam Laudenses, qui ultra Abduam cum Cremensibus pugnarent, illi parti, in qua Mediolanenses essent, occurrere possent, leviter civitatem intrarent. Quae res licet nefaria esset, tamen de invasione sicut tractaverant, ita ad finem perduxerunt. Laudenses vero se ab utraque parte viriliter defendentes, filium Vasalli de Porta Cumana in loco, qui vocabatur in Sylva Graeca, quia ipse ex illa parte prosilierat, interfecerunt. Ex Cremensibus autem multos vulneraverunt. Ipsi autem Cremenses multos ex Laudensibus, qui fortiter pontes defendebant, sauciaverunt. Sed cum à mane usque ad meridiem acriter ab utraque parte pugnatum esset, Mediolanenses atque Cremenses, se ex hoc, quod optabant, nihi proficere posse videntes, & civitatem, quam leviter se posse capere putabant, in aliquo laedere se non posse cernentes à praelio discesserunt, & moesti quam nimis ac graviter dolentes domos eorum sunt reversi.

Postea autem die Jovis, quae fuit septimo die sequentis proximi mensis Julii, iverunt Cremonenses ad obsidionem circa Castrum Cremae, absque Imperatore. Post octo autem dies Imperator cum omni exercitu suo ad ipsam Cremam obsidendam perrexit. Interea die Lunae, in quo fuit festivitas sanctae Margaritae, & fuit undecima die ejusdem mensis Julii, venit Imperator à Castro Cremae ad civitatem Laudae, cum Sol jam esset ad occasum, cum pluribus trecentis suis militibus Theutonicis: qui cum illuc pervenissent, per totam sequentem noctem cum ipsis his militibus & Laudensibus equitibus versus Landrianum equitavit. Mandavit autem tunc ipse Imperator Papiensibus, quatenus centum de suis militibus Mediolanum, quam propinquius possent, acriter invaderent, alii vero Papienses omnes equites in abscondito loco se ponerent. Illis vero, qui Mediolanum debebant invadere, jussit; ut cum jam ipsi reverterentur, & Mediolanenses fortiter persequerentur, quod ipsi redirent per illam viam, in qua ipse Imperator cum Theutonicis suis una cum Laudensibus atque Papiensibus esset absconditus. Papienses itaque centum milites, ut Imperator eis mandaverat, viriliter Mediolanum per unum fere milliare prope invadentes, quamplures homines etiam interficientes maximam praedam levavere. Mediolanenses vero, ut haec audierunt, statim equos adscendere, ac tam graviter persecuti sunt Papienses, quod ipsi per illam viam, per quam redire debebant, & in qua Imperator cum suis erat absconditus, reverti non potuerunt. Mediolanenses igitur Papienses persequentes, multos ex eis ceperunt, pluresque etiam vulneraverunt. At Imperator cum suis exspectans redire Papienses, vidensque illos per illam viam non redire, quam eis indicaverat, putansque etiam, eis illud accidisse, quod acciderat; statim Papiensibus, qui cum eo erant, praecepit, ut ipsi per unam viam, quae Mediolanum ibat, pergerent. Ipse vero cum suis & etiam Laudensibus per aliam viam, quae similiter versus Mediolanum tendebat, perrexit. Papienses itaque cum Mediolanum irent velociter, in Mediolanenses incidere, qui super ipsis Papienses fortiter irruentes, & cum eis pugnantes, multos ex eis ceperunt, reliquos vero fugaverunt. Interea Imperator, cum ipsi Mediolanenses valde laeti à praelio jam redirent, eis obviam robuste veniens, ac in Theutonica lingua fortiter vociferans, statimque super eos irruens, mirabiliter invasit. Mediolanenses igitur Theutonicam linguam nescientes in nullo se defendere, sed statim terga vertere coeperunt. Imperator itaque ejusque Theutonici cum Laudensibus ipsos Mediolanenses acriter persequentes, plures tercentis militibus Mediolani de melioribus ceperunt, equos etiam quadringentos habuerunt; cepit namque Dominus Imperator tunc Codemalum de Pusterla, Guidonem, & Henricum germanos de Landriano, Passaguadum de Setara, Abbaticum de Mediolano, Marcellinum Ugonem, Crustam, & Manfredum Bandum, Arderium Nasellum, Nigrum Grassum, & Paganum Borrum, & alios plures ducentis quinquaginta, quos omnes per civitatem Laudae egomet captos & vinctos in carcerem vidi detrudi. Postea vero cum per aliquot dies Laudae permansissent in carcere, ipsos omnes à Laude Papiam transduci fecit, ibique eos iterum in carceribus poni praecepit.

His itaque sic peractis, Imperator ad obsidionem Cremae rediit. Erat autem ibi ad illam obsidionem quaedam magna societas solummodo paupe-

perum & egenorum tunc inſimul congregata; qui deriſione *filii Arnaldi* appellabantur; & qui quotidie die ac nocte Cremenſes, omneſque qui intra caſtrum Cremæ erant, ſic infeſtabant, quod nullus intra ipſum Caſtrum prope murum Caſtri ſe movere poterat, quem ipſi cum romphis & lapidibus non ſauciarent. Idcirco ipſi magis, quam alii, multum timoraverunt ipſos Cremenſes: interficiebant enim quotidie multos eorum, quia tum parum aliquem vulnerare non poterant, quin interiret, prout ipſimet Cremenſes poſt ipſam Cremam captam ſæpe mihi, multiſque aliis retulerunt. Interea Cremonenſes quoddam Caſtellum, ex optimis lignis fabricatum, tam miræ magnitudinis conſtruxerunt, quod citra mare unquam par nec ſimile viſum fuit. Tres manganos etiam ita magnos ibi fecerunt, quod nunquam ab aliquo tales viſi ſunt. Inſuper etiam & alios multos manganos, quamvis non tam magnos, multaſque petrerias, duoſque etiam magnos mirabiles gattos ibi circa Caſtrum Cremæ fabricaverunt. Imperator quoque, & Dux Conradus frater ipſius Federici, Dux quoque Federicus filius Regis Conradi, Comes etiam Otho, qui & Falcigranus dicitur, Comes quoque Rubertus de Baſſavilla, multique alii Duces, & Principes, innumerabiles manganos, petreriaſque, & gattos ibi circumquaque fecerunt. Imperator vero à Porta Serii ultra ipſum Serium, & fere uſque ad Portam de Rivolta cum ſuis caſtrametatus eſt; Cremonenſes autem ante ipſam Portam de Rivolta hoſpitati fuerunt. Supradictus vero Dux Conradus frater Imperatoris cum ſuo exercitu, Comeſque Otho Falcigranus, aliique etiam cum eo Principes ante Portam de Ombriano, & Portam de Plavengo cum aliis Ducibus caſtrametatus fuit.

In diebus vero illis Domina Imperatrix uxor Imperatoris, quæ Beatrix vocabatur, cum ſuo exercitu, & una cum Duce Henrico de Saxonia, qui maximum exercitum ſecum duxerat, ad eandem obſidionem Cremæ in die Lunæ, quæ fuit XII. Calend. Auguſti, venerat; deinde ſequenti die, quæ fuit feſtum ſanctæ Praxedis, ipſa Domina Imperatrix relicto ibi ad obſidionem prædicto Duce Henrico de Saxonia, ejuſque exercitu, primo Laudam venit; cui omnes Laudenſes tam equites, quam pedites, tam maſculi, quam fœminæ parvulique obviam euntes, eam cum magno gaudio, maximaque lætitia receperunt. Prædictus vero Dux Henricus ad obſidionem remanens, ante Portam de Plavengo cum toto exercitu ſua caſtra firmavit. Papienſes autem intra Portam de Plavengo, & Portam Serii ſe cum ſuis tentoriis poſuerunt. Imperatrix itaque cum per plures dies Laudæ ſtetiſſet, deinde recedens, Pergamum perrexit. Poſt hæc Dux Guelphus de Bavaria cum ſuo exercitu ad dictam obſidionem Cremæ venit. Imperator vero locum, in quo prius ante Portam Serii hoſpitatus fuerat, ipſi Duci Guelpho penitus dereliquit, & ex hac parte Serii veniens, inter Portam de Rivolta, & Portam de Umbriano per medium Caſtelli, quod Cremonenſes ædificaverant, ſua caſtra compoſuit. Tunc vero Cremonenſes ſic undique obſeſſi erant, quod nullus extra caſtrum ultra ſagittam unam ire, nec aliquis extraneus niſi per medios hoſtes tranſire poterat. Ipſi tamen Cremenſes cum Mediolanenſibus, qui intus erant, ſæpe foras ad prælium exeuntes maximum certamen quandoque cum Theutonicis, quandoque cum Cremonenſibus & Papienſibus, qui ibi tunc erant, committebant. Inter cætera autem certamina, quæ ibi fecerunt, unum quidem maximum, eiſque pernitioſum, cum Theutonicis commiſerunt. Quadam enim die ſummo mane antequam homines exercitus de lectis ſurgerent, Cremenſes cum Mediolanenſibus, qui intus erant, cum igne accenſo

A foras per Portam de Umbriano armati proſilierunt, & ad manganum Imperatoris, qui ante hoſpitium Ducis Conradi fratris Imperatoris, & Othonis, qui Falcigranus dicitur, erat, ut eum comburerent, iverunt. Hi vero, qui ipſum cuſtodiebant, ut eos cum accenſo igne venire viderunt, obviam eis, ut ipſum manganum ab igne defenderent, valde vociferantes exierunt: qui quamvis non poſſent reſiſtere, quin ipſi Cremenſes mangano ignem ſupponerent, ſecum tamen prælium commiſerunt. Dux igitur Conradus Imperatoris germanus, & Comes Otho, Comeſque Robertus de Baſſavilla, aliique Duces, & Comites, atque Principes, qui erant in illa parte Cremæ, una cum ſuis equiti-
B bus hoc audientes, & citiſſime armati, foras de ſuis Caſtris exeuntes, ſuper eos irruerunt viriliter, & ex ipſis quatuor ceperunt. Quorum quatuor captivorum ſtatim uni abſciderunt caput, alteri vero utroſque pedes à corpore penitus projecerunt, tertio autem utrumque brachium truncaverunt, quartum vero multis plagis impoſitis interfecerunt. Relictis omnibus his in campo mortuis, ex aliis plures ceperunt, alioſque omnes tam graviter inſecuti ſunt, quod eorum plurimi per Portam, per quam exierant, redire non valentes, in foſſatum ipſius Cremæ, quamvis in eo maxima eſſet aqua, ſe præ nimio mortis timore projecerunt; qui quamvis gladiorum mortem vitaverint, tamen in aqua
C fere omnes perierunt; alii vero Theutonici ad prædictum manganum currentes, ita viriliter ipſum ab igne defenderunt, quod niſi tres, vel quatuor crates, quæ ante ipſum manganum erant poſitæ, ex ipſo mangano combuſtæ ſunt, & cætera omnia ipſius mangani ligna. . . . . permanſerunt. Cremenſes vero per foſſatum ipſius Caſtri cum maniculis & rampinis euntes, ſuos, qui in foſſato necati erant, quos invenire poterant lugendo, & maxime ſe contriſtando, foras extraxerunt. Poſt hæc vero Imperator gattum maximum, cujus par, nec ſimilis unquam viſus fuit, uſque ſupra foſſatum ipſius Caſtri una cum alio minori gatto duci fecit, foſſatumque ipſius Caſtri de terra repleri præcepit. Sed
D cum nimis grave foſſatum ex ſola terra impleri videretur, venit ipſemet Imperator; petiitque à Laudenſibus in concione publica, quatenus ipſi Laudenſes pro ejus amore vegetes, ſi quas vacuas haberent, quas ſibi ſine ipſorum incommodo dare poſſent, ei tribuerent; ipſaſque etiam Cremam deferri facerent. Laudenſes vero læti, omnes magno gaudio, ſe multas ei daturos, ſtatim ſpoponderunt. Alio namque die ipſi Laudenſes plures ducentis vegetis Imperatori Cremam miſerunt: qui eas omnes de terra impleri præcepit, poſteaque in foſſatum Caſtri plenas fecit projici; & ſuper ipſas plura duobus millibus plauſtris terræ & lignorum, quæ Laudenſes conduxerant, jactari
E præcepit; & ita viam prædicto gatto deſtinavit facere, per quam ipſe gattus uſque ad murum ipſius Caſtri deſtruendum facile duci poſſet. Gattum igitur via ſic ſibi præparata Theutonici per medium foſſatum ducere cœperunt. Præterea Imperator Caſtellum maximum, quod Cremonenſes conſtruxerant, verſus murum Caſtri Cremæ duci per eam partem, per quam gatto foſſatum implendo viam fecerat, præcepit. Cum autem Theutonici & Cremonenſes ipſum Caſtellum firmiter ducerent, & ad foſſatum jam appropinquaſſent; Cremenſes una cum Mediolanenſibus, qui intus erant, cum quinque magnis manganis, quos intra dictum Caſtrum conſtruxerant, cum pluribus etiam pe-
F treriis ſuper ipſum Caſtellum, ut illud omnino frangerent, maximos lapides, & miræ magnitudinis projicere cœperunt. Imperator itaque hoc videns, timens etiam, ne frangeretur Caſtellum, juſſit Cremenſes atque Mediolanenſes obſides, eoſque etiam, quos ex ipſis in bello ceperat, ad ipſum Caſtel-

castellum duci, & super eum, ac etiam ex latere ipsius castelli eos poni præcepit. Putabat enim Imperator, ut postquam ipsi, qui intus ipsum castrum erant, & lapides foras projiciebant, eorum filios, & parentes, germanos, & consobrinos super ipsum castellum positos esse cernerent, nec in ipso castello leviter ferire possent, quin ipsos, qui super ipsum castellum erant, percuterent, & sic in ipsos lapides trahere cessarent. Quibus obsidibus in ipso castello positis, tunc jussit Imperator, ipsum castellum in antea duci. Cremenses vero, & Mediolanenses, ut obsides super ipsum castellum prospexerunt; cum jam dictis quinque manganis, & cum petreriis pluribus super ipsum castellum à tribus partibus lapides prægrandis, miræque magnitudinis acriter projicere cœperunt, ac super ipsum castellum fortiter diu noctuque trahere non cessaverunt; donec ex his, qui super dictum castellum erant, novem de melioribus & majoribus Mediolani & Cremæ interfecerunt. Illi de Mediolano, qui tunc interfecti fuerunt, sunt hi, Codemalus de Pusterla, Henricus de Landriano, & alii duo; de Cremensibus vero fuerunt, presbyter de Calusio, Tinctus de Bonate, Hymnus de Galioso, & alii duo: Alberto autem Rubeo de Crema crura fregerunt, Joanni vero Garensio brachium ruperunt. Cum autem nequitiam tam magnam Imperator cognosceret, videretque illos nec patribus, nec filiis, nec parentibus, nec amicis parcere; nolens illos, qui adhuc super castellum vivi remanserant, interfici dimittere; quia Cremenses lapides maximos die noctuque super ipsum castellum projiciebant, ut jam ipsum in quadam parte paululum colliserant; jussit ipsos obsides, qui vivi erant, de castello deponi; & ipsum, ut melius fortiusque, quam erat, aptaretur, & cooperiretur, retroduci; quod ut Imperator jussit, ita factum est. Super ipsum castellum erant adhuc vivi Niger Grassus, Squarzaparte de Bisnate, Ugo Crusta, & plures alii de Mediolanensibus; de Cremensibus vero remanserunt Joannes Garesius, Ardericus Blancus, Albertus Ruffus, Sozzo Berunoli, & alii multi, quorum nomina ignoramus. Sed postquam Mediolanenses, qui erant in Crema, atque Cremenses patres, & filios, parentes, & amicos suos, quos super castellum lapidibus interfecerunt, mortuos conspexerunt, valde dolentes, & maxima ira commoti, statim Theutonicos, atque Cremonenses, & Laudenses, quos captos habebant, de carcere super fermialias & machinas ipsius castri deduxerunt, atque irruentes plures ad dedecus Imperatoris, ipso vidente, interfecerunt: inter quos fuere Albrigonus Locabassa de Laude, & Balertus Matagius de Cremona. Imperator autem magis cupiebat, ut Cremenses sponte se sibi sanos traderent, quam eos capere violenter: sciebat enim ipsorum plurimos perituros, si eos insuperaret, & castrum ipsum vinceret expugnando; & ideo duos eorum, quos in campo ceperat, fecit prope portam de Serio in Curiam adduci. Qui cum essent adducti, conquestus est coram omnibus Principibus ibi adstantibus de illis duobus, dicens, se velle Curiam consulere, si ipsi, tum quia in banno positi sunt, tum quia contra eum pugnantes perjuri fuerant effecti, mori deberent, an non: itaque tota Curia hoc audiente, consilium maximum super hoc ab eis est habitum: tandem à consilio ipsi Principes redeuntes, judicaverunt, eos jure supradicto mori debere; quod cum audivissent Cremenses, minati sunt suspendere suos, quos habebant. Imperator vero hoc audiens, & non putans, eos tam dementes esse, quod licet verbis hoc facere minarentur, facto adimplerent; ex hoc solo, quod suos suspendere minati fuere, utrumque illorum, qui de sua parte erant, suspendi præcepit. Cremenses igitur, ut videre suos suspensos, statim Imperatore cernente ad ipsius dedecus & injuriam ambos illos, quos illuc adduxerant, suspenderunt. Imperator autem ira commotus incontinenti jussit obsides atque alios, quos captos habebat, adduci; quibus deductis, alias multas furcas, supra quas suspenderentur, levari præcepit. Episcopi vero, & Abbates, aliique religiosi viri ad Imperatorem venientes eum valde precati sunt, ne ipse, qui fons misericordiæ esse debebat, ad malitiam & malignitatem eorum, qui destructionem suam procurabant, attenderet. Imperator autem eos audiens, nec ex toto eis credere volens, nec omne eorum consilium atque preces refutare disponens, novem ex ipsis, videntibus Cremensibus atque Mediolanensibus, qui ibi erant, suspendi fecit, reliquos autem omnes propter Deum & religiosos viros vitæ donavit.

Postea Imperator castellum suum, ut bene retroductum fuit, statim bene aptari, firmiterque ex duplicibus fastivis viminum cooperiri fecit; ex simplicibus enim in primis erat coopertum; deinde optimis feltris, coriisque, pannis etiam insuper laneis illud armari præcepit. Cum vero coopertum aptatumque mirabiliter fuit, præcepit idem Imperator ipsum castellum in antea duci. Cum ergo duceretur, Cremenses super ipsum maximos lapides die ac nocte trahere non cessabant; sed nihilominus Cremonenses ac Theutonici cognoscentes, tunc castellum ipsum bene firmiterque aptatum, in antea usque ad medietatem fossati ipsius castri per viam illam, quam gattus jam fecerat, virtute magna ipsum deduxerunt: gattus quippe jam viam per medium fossatum faciens jam antea prope murum ipsius castri præcesserat. Erat autem in ipso gatto quædam trabes ferrata, quam *Barbizellum* appellabant; quam trahentes hi, qui intra ipsum gattum erant, foras plus viginti brachiis projicientes, in murum ipsius castri mirabiliter feriebant, ac tandem ea tantum ferierant, quod de ipso muro plus viginti brachiis in terram projecerant. Cremenses vero cognoscentes, se non posse defendere murum castri, quin destrueretur, travacham magnam, ex lignis & terra insimul compositam, ibi intus in ea parte, in qua ipsum murum destrui videbant, juxta eum construxere. Fecerunt etiam quendam cuniculum sub terra, qui subtus pedem ipsius muri usque foras in fossatum per medium gattum pergebat; per quem ipsi foras exeuntes ignem prædicto gatto, ut eum comburerent, supponebat; sed his, qui super castellum ligneum de feris erant, super eorum capita magnos lapides trahentibus, & his, qui in gatto erant, viriliter se defendentibus, ipsi Cremenses non potuerunt in aliquo nec cum igne, nec cum aliqua alia re nocere ipsi gatto; immo Theutonici & Lombardi, qui intus sub ipso castello, & hi similiter, qui erant in ipso gatto, foras exeuntes, sic cum ipsis fortiter pugnabant, quod vix poterant ipsi Cremenses defendere, quin eorum adversarii intra ipsum castrum foris per medium ipsum cuniculum intrarent. Quæ res ita Cremenses timoravit, quod ipsum cuniculum cito de foris clauserunt. Interea Imperator castellum in antea prope ipsum gattum duci fecit, multosque petrerios in eo composuit, per quos ballistariis suis foras trahentibus, fere nullus ex Cremonensibus ibi ad serimalios, seu machinas ipsius castri appropiare poterat, quem ballistarii, qui in ipso castello erant, non interficerent, vel ad mortem non sauciarent; nec etiam ibi intra castrum ultra murum ipsius castri per terram planam ad ipsum murum aliquis appropinquare poterat, quem hi, qui supra castellum stabant, lapidibus, vel pilotis non vulnerarent. Erat enim ipsum castellum plus septuaginta brachiis altum, & plus triginta latum & longum; unde in ipso castro Cremæ fere nullus se movere poterat,

quem hi, qui supra dictum castellum erant, videre non possent; per totum etiam castrum Cremæ lapides atque pilotas projicere leviter poterant. Quæ res ipsos Cremenses nimis pavidos reddebat.

Interea quadam die, in qua fuit Pascha Epiphaniæ, venere Cremenses supra quandam machinam, quam fecerant supra travacham, quam ipsi ex lignis & terra intus juxta murum castri composuerant; & adduxerant carrarias multas plenas lignis siccis, sulphure, lardo, oleo, axungia, & pice liquida madefactis; quas cum haberent super ipsam machinam, ignem accenderunt in eis cum manticis, quos ibi habebant; & postea ipsas bene accensas super quendam pontem ligneum, quem super ipsam machinam ita fabricaverant; quod foras de ipsa machina plus decem brachiis jactabant, versus ipsum gattum, ut eum comburerent, mittere intendebant. Quare ipsas carrarias sic undique accensas, & maximam flammam jactantes, unam post aliam juxta gattum Imperatoris projectabant. Imperator itaque, qui tunc sub ipso gatto erat, & alii, qui tunc erant cum eo, projicientes aquam & terram super ipsum ignem, & ab hora tertia usque ad vesperas ipsum ignem semper exstinguentes, ita se viriliter defendere, quod, gatto manente illæso, nullum malum inde habuere. Interea autem Dux Conradus frater Imperatoris, Comes Robertus de Bassavilla, Comes Otho, qui Falcigranus, aliique multi Principes à Castello Imperatoris usque ad Portam de Umbriana multos gattos & crates fecerunt; ex quibus fossatum multis partibus implebant terra & lignis. Theutonicos tamen, sub ipsis cratibus cum arcubus & balestris occulte morantes, Cremenses intus juxta murum ipsius castri sive de subtus euntes, sive super Serimalias, & machinas, ipsis ignorantibus, mirabiliter sauciabant. Interea quidam Magister valde ingeniosus super omnes Magistros, qui tunc erant in Crema, qui Marchisius vocabatur, & qui fere omnes manganos, & petrerias, Serimalios, seu machinas, cæteraque defensionis Cremæ instrumenta suo mirabili ingenio composuerat, Imperatorem, & partem ejus, magis quam partem Mediolanensium & Cremensium, & de parte Imperatoris esse potius quam ipsorum, quibus serviebat, cupiens, tum Imperatoris & Cremonensium amore, tum Mediolanensium & Cremensium, qui ipsum invitum retinebant, odio, tum etiam per pecuniam sibi promissam, cum Imperatore & Cremonensibus pepigit, & quadam nocte Crema exiens, desuper murum ipsius castri, & per medium aquæ, quæ erat in fossato ipsius castri, transiens, ad Imperatorem confugit. Imperator vero eum cum magno gaudio suscipiens statim optime induit ipsum, bonumque dextrarium duodecim libris denariorum veterum comparatum illi donavit. Ipse vero Marchisius quando de Crema exivit, statim quandam suam machinam mirabilem ex lignis fabricavit, super quam quendam pontem plus quadraginta brachiis longum, & plus sex latum constituit, quem extra dictam machinam plus viginti brachiis, nemine sibi contradicere valente, poterat ejicere. Cum vero ipse Marchisius suam machinam, suumque pontem optimis cratibus cooperuisset, tunc fecit eam in antea perduci, usque dum fere fuit juxta castellum Imperatoris. Gattus enim jam prope murum ipsius castri processerat, fossatum ab ea parte usque ad alteram lignis & terra impleverat, & viam planam atque latam fecerat, per quam castellum Imperatoris, & machina Marchisii procedere debebat. Castellum eundo post gattum sic eum persecutum fuerat, quod ipse gattus nec antea ambulare poterat, nec redire, castello prædicto sibi obstante; quod Imperator considerans, tum quia machinas Cremensium sibi intus contra gattum factas comburere noluit,

A tum etiam quia prædictum castellum in antea ducere non poterat, nisi gattum combureret, in ipso gatto ignem apponi præcepit. Qui gattus totus exarsit, machinis Cremensium ab ipsis defensis, & illæsis conservatis. Quo gatto sic combusto, præcepit Imperator, castellum eo loco duci, in quo gattus erat; quo illuc ducto, prædictus Marchisius fecit, suam machinam duci ad latus ipsius castelli; deinde Imperator publicum prælium super Cremenses faciendum certa die indixit. Cumque ea die Imperator Principes suos, sicut voluit, ad bellum ordinasset, fecit Ducem Conradum fratrem suum, & qui Comes Palatinus erat de Rheno, cum suis militibus adscendere super prædictum

B castellum, aliosque Principes Theutonicos & Lombardos super machinam Marchisii fecit adscendere. Jussit eis, ut quacunque hora pons machinæ super murum castri Cremæ jactatus esset, quod ipsi omnes Principes & equites per pontes extemplo currentes viriliter robusteque hostes invaderent, & cum ipsis fortiter pugnarent. Qui si hoc totum bene peregissent, ut eos instruxerat Imperator, castrum tunc captum fuisse dicebatur. Bello itaque sic ordinato, & pontibus supra murum castri projectis, præfatus frater Imperatoris cum suis militibus per pontem castelli usque supra murum castri pergens, Cremenses viriliter invasit. Sed alii Principes & equites per pontem, quem

C Marchisius super murum castri jactaverat, ita viriliter, sicut debuerunt, non concurrerunt. Cremenses autem, qui subtus suas machinas stabant intus juxta murum, prædicto Duci, ejusque militibus occurrentes se optime defenderunt. Quidam vero vexillifer ipsius Ducis, nobilissimus atque fortissimus miles, de muro castri se in terram projiciens in medio Cremensium, putans, omnes alios se sequentes similiter facturos, magnum prælium cum ipsis Cremensibus super eum irruentibus fecit, ac ab eis, prout solus erat, diu mirabiliter se defendit. Sed hic licet fortissimus esset, tantæ multitudini non valens resistere, aliquibus Cremensibus ab eo vulneratis, tandem ab eis captus,

D & terram projectus est, & multis ei plagis impositis interiit: alios etiam tres ipsius Ducis milites cum rampinis ferreis de ponte in terram trahentes ipsi Cremenses vivos retinuerunt. Pars vero Cremensium cum manganis lapides non modicos super pontem jactando sic eum in quadam parte fregerant, quod alii Theutonici, qui post Ducem currere debuerant, ipsum postea sequi non sunt ausi. Sed Cremenses ut pontem ruptum præsenserunt, nec alios Theutonicos viderunt sequi Ducem, qui cum paucis præcesserat, super ipsum Ducem ejusque milites fortiter irruentes, sic eos lapidibus, & ensibus, atque lanceis eo maxime cum conatibus urgebant, quod ipse Dux aliquan-

E tulum sauciatus cum parte suorum equitum rediit in castellum; pars vero per pontem usque ad castellum redire non valens, de ipso ponte extra castri murum in fossatum se projecit; cæteri quoque, qui pontem Marchisii intraverant, Cremensibus eis robuste resistentibus, nihil proficientes, intra machinam, de qua exiverant, se recuperarunt.

Licet autem Imperator, ejusque Principes, quod statuerunt, plenarie non perpetraverint, assidue tamen diu noctuque Cremenses cum ballistis & arcubus oppugnabant; & tam boni ballistarii quotidie in castello Imperatoris latitabant, quod fere nullus Cremensis poterat contra castellum super machinas se opponere, quin ab ipsis ballistariis in-

F terficeretur, nihil proficiente lorica. Ipsemet Imperator optime sciens sagittare, prout extimo, multos de Cremensibus interfecit. Quocirca Cremenses maxime perterriti, & intolerabilibus vigiliis, quas faciebant, assidue fatigati, & ex magna parte sauciati, ac iram & dolorem Ducis Conradi, qui

suos

suos milites amiserat, metuentes plurimum; videntes etiam, quod multi, qui ab initio Castrum Cremæ defenderant, clam de ipso exierant, Imperatori & aliis Principibus se tradentes, ac assidue magna ipsorum copia clam exire properabat; paventes etiam, ne per vim caperentur; quod si eis accideret, sciebant, ipsorum magnam partem, & à Theutonicis, & maxime à Cremonensibus, quos per longum tempus offenderant, gladio fore perituram; consilium inierunt cum Imperatore fœdus iniendi, ac de manibus ipsius, qualitercunque possent, se eripiendi. Quod Imperator per Legatos ipsorum audiens, quoniam pius & misericors erat, Legatis respondit, dicens, *Ut si Mediolanenses & Brixienses omnes, qui intra Castrum erant, absque omnibus armis, quæ habebant in Castro, egredi vellent, & Cremenses omnes masculi & fœminæ cum tanto solummodo vellent exire, quantum una vice extra Castrum portare possent, quod ipse eos omnes sic immunes exire permitteret, ac ipsis talem vitam, qua privari digni erant, concederet. Quod nisi facerent, nullum aliud pactum, nullumque fœdus, nullamque treguam se ipsis aliis in toto tempore vitæ suæ facturum promisit.* Legati vero verbum Imperatoris sic firmum audientes, intra Castrum statim reversi, sic per ordinem, ut ab Imperatore audierunt, Mediolanensibus, & Cremensibus atque Brixiensibus simul convocatis recitaverunt. Consules vero Cremæ & Mediolanenses cum Sapientibus Mediolani, qui aderant ibi, & Cremensis, ac Brixiensis consilium inientes, & omnia, quæ à Legatis audiverant, inter se conferentes; scientes etiam Imperatorem esse tam constantis animi, quod fere omnia, quæ incœpit, donec ad finem perduxit, nunquam desinit; sicut in destructione Terdonæ, & Mediolani obsessione, & in multis aliis cognoverunt; firmaverunt, pacem potius sic esse faciendam, seseque omnes cum Castro Imperatori tradendos, & ipsos vivos exire de castro, quam ipsum castrum per aliud tempus defendere. Postremo vero in bello captos esse debere, & ulterius tam ambiguam subire fortunam vitæ, quod & capita, & omnem suam suppellectilem, ipsum quoque Castrum amitterent, si per vim caperentur. Consilio itaque ab omnibus sic firmato, statim Legatos direxerunt ad Imperatorem, per quos omnia, quæ Imperator eis mandaverat, se omnino velle facere nuntiaverunt. Imperator vero quod optaverat audiens, ac Deo omnipotenti cum magno gaudio gratias referens, statim per suos Legatos ad Cremenses missos fœdere inito, cum Cremensibus pacem, & Mediolanensibus, atque Brixiensibus, sicut eis ante mandaverat, stabilivit. Hoc autem factum fuit in anno MCLX. ab Incarnatione Domini, die Martis, sexto Calend. Februarii, octavo die post festum Beati Bassiani Confessoris, Laudensis Episcopi. Sequenti vero die Mercurii Cremenses masculi & fœminæ, atque Mediolanenses, & Brixienses Imperatori se tradiderunt; qui exeuntes de Castro, quia totam suam suppellectilem amittebant, nisi quantum una vice poterant deferre, ingenti dolore fremebant; quia vita vero eis confirmata & conservata fuerat, in parte gaudebant. Donavit autem Imperator Laudensibus ultra tercentas loricas, & multas gamberias, quas de prædictis suis hostibus habuerat. Nec esse prætermittendum opinor, quod Imperator Christianissimus omni ferocitate & severitate deposita, hostilique odio abjecto, ipsos Cremenses per quendam locum angustum, unde egrediebantur, adjuvans exire, † suis propriis manibus quendam ipsorum languidum cum aliis militibus exportavit. Quæ tantæ benignitatis, tantæque Imperialis mansuetudinis actio omnibus hominibus maximum præstare debet exemplum. Theutonici vero, & Lombardi Castrum introeuntes prout quisque sortiti erant, unus solus tamen unam viciniam occupabat, & de rebus, quæ erant in illis domibus, quas occuparant, nulli alii permittebant accipere. Quod alii, & maxime scutiferi, qui postremo intraverant castrum, considerantes, nec aliquid de rebus ab aliis occupatis accipere audentes, dolore simul, & invidia concitati, in quamplurimis Castri partibus ignem apposuerunt, & totum Castrum subito combusserunt cum his rebus tam victualibus, quam aliis, quæ in eo erant, cum adhuc plenum esset, nec exspoliatum. Postea vero omnibus fere domibus Castri destructis à Cremonensibus, & partim à Laudensibus, & fossato complanato, murum Castri totum in terram prostraverunt. Insuper etiam Cremonenses avidi nimis dissipationis Cremæ etiam quasdam Ecclesias ipsius Castri destruxerunt. Imperator autem per quinque dies ibi moram faciens postea discessit, & Laudam cum omni exercitu suo reversus est. Cremonenses vero, & Theutonici in Castello Imperatoris, & in omnibus manganis, & petreriis, seu gattis, & machinis, quamvis per longum tempus fabricata essent, & in eis ultra duo millia marcharum argenti esset erogatum, ignem apponentes, omnia velociter combusserunt. In sequenti autem die Mercurii, in quo fuit festum sancti Blasii, & quæ fuit tertio die Mensis Februarii, Cremonenses omnes sunt reversi Cremonam, Imperator cum omni exercitu Papiam perrexit.

In illo tempore erat magna discordia inter Papam Victorem, qui prius vocabatur Octavianus, & Raynaldum Cancellarium, qui in electione sua vocatus fuerat Alexander, qui similiter ad Papatus honorem levatus erat; ob quam dissensionem Imperator olim mandaverat suos Legatos, scilicet Comitem Palatinum, & Comitem Guidonem de Blandiate †, & quendam alium ad præfatos electos; rogans eos, quod vellent usque ad proximum Caput Jejunii Papiam venire, suas rationes allegaturi coram Archiepiscopis, & Abbatibus, aliisque viris religiosis, & coram ipso Imperatore Romanæ Ecclesiæ advocato; ut ibi per Dei virtutem tam detestabilis dissensio sopiretur. Mandavit etiam ipse D. Imperator Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus de Alemania, de Burgundia, de Lombardia, de Tuscia, de Apulia, & de Romania, & de aliis partibus Imperii, Patriarchæ etiam Aquilejensi; ut in prædicto Capite Jejunii deberent esse Papiæ, audituri rationes utriusque prædictorum electorum; ut ipsis auditis, quis justus, & esse deberet Apostolicus judicarent. Octavianus vero Legatos Imperatoris audiens, eos magno gaudio suscepit, atque prædictæ dissensionis desiderans audire sententiam sanctorum virorum, promisit Legatis, ad proximum terminum se venturum. Raynaldus autem eisdem Legatis renuntiavit, se minime venturum ad talem conflictum; dicens, se à nemine debere judicari, cum ipse potius omnes alios deberet judicare; & sic respondit, ac si esset in concordia & sine aliqua dissensione ad Apostolicatus honorem sublimatus. Octavianus itaque ad terminum statutum veniens, & alii prædicti similiter, pro quibus miserat Imperator, Papiæ omnes congregati sunt, secundum quod ordinaverat D. Imperator.

Cum igitur Orthodoxorum Papiæ congregatorum universitas in nomine Domini sedisset, causa Sedis Apostolicæ per aliquos dies, remoto omni sæculari negotio, judicioque ipsa quæstione legitime & Canonice agitata, & diligenter inspecta; sufficienter in conspectu Concilii per testes idoneos est probatum, Dominum Papam Victorem, & nullum alium in Basilica Beati Petri à saniori parte Cardinalium ad petitionem Populi Romani, cum

† De hac phrasi vide Not. 202.

† Legendum *Blandrate.*

consensu & voluntate Cleri immantatum; & quod præsente & non contradicente Raynaldo quondam Cancellario, in Cathedra Beati Petri fuit collocatus; & quod ibi, & à Cardinalibus, & Clero Romano, *Te Deum laudamus*, gloriose est decantatum; & quod ipse ad Palatium cum blandis & aliis insignibus papalibus est deductus. Probatum est etiam, quod eo tempore, quo electio Romæ celebrabatur, erant in urbe tantummodo XXI. Cardinales. Cardinalis autem Sancti Petri ad Vincula erat Anagniæ infirmus, qui consensum & voluntatem suam aperuit Domino Cardinali sancti Martini, & Domino Guidoni Comensi. Ex quibus omnibus Cardinalibus, cum Dominus Victor, tunc Octavianus, & Raynaldus segregati fuissent, remanserunt tantum XX. electores; quorum novem sanioris consilii, & nulla conjuratione fœdati, prima vox erat in electione D. Victoris: & una cum capitulo D. Petri petitione populi, consensu, & desiderio Cleri, annuente ordine Senatorum, & Nobilibus Romanis Dominum Victorem elegerunt; & electus, & secundum consuetudinem interrogatus per scribam, *Si placeret*, tribus vicibus clara voce respondit, *Placet*. Probatum est etiam, quod Raynaldus duodecim dies post Domini Victoris promotionem ab urbe egressus apud Cisternam prope terram Siculi in loco non celebri est primo immantatus. Probatum etiam fuit, quod in secundo die post promotionem D. Victoris Raynaldus interrogatus à Rectoribus D. Romani cleri, & à clericis de suo Cardinalatu, si Domino Victori esset obediendum, expresse confessus est, se nunquam fuisse immantatum, & expresse dixit: *Ite, & obedite ei, quem immantatum esse videtis*. Super his capitulis fuerant testes, & sub stola Sacrosanctis tactis Euangeliis juraverunt D. Petrus Christianus Decanus Basilicæ Beati Petri, cujus plenum testimonium ibi receptum est. Juraverunt etiam honestissimi Rectores, & Prælati Clerici Romani, quia omnia viderunt, & tractaverunt, & fuerunt ultra inter Archiepiscopos & alios Clericos. Præterea Petrus Illustris urbis Præfectus, & alii quam plures Romani nobiles in conspectu Concilii super omnes similiter testimonium perhibuerunt, & jurare voluerunt; sed quia prædictorum testimonium visum fuit Concilio esse sufficiens, à sacramento sunt excusati. Deinde venerabiles Episcopi Hermannus Verdensis, Daniel Pragensis de Bohemia, & Otho Comes Palatinus, quos D. Imperator de consilio viginti duorum Episcoporum, & multorum aliorum Religiosorum tunc præsentium Romam destinaverat, ut primates ante Concilii præsentiam evocarent, testimonium perhibuerunt, quod Raynaldum Cancellarium, & ejus partem trinis edictis per temporum intervalla, & solemniter ad præsentiam Ecclesiæ tunc Papiæ congregandæ vocaverunt; & quod ipse Raynaldus, & sui Cardinales una voce & manifeste dixerunt, judicium, vel examen Ecclesiæ se nolle aliunde recipere. His igitur, & aliis quampluribus rationibus auditis, quas longum esset enarrare, communicato Concilio prædicti Patriarchæ, & novem Archiepiscoporum, & triginta octo Episcoporum, & multitudinis magnæ Abbatum, qui omnes aderant Concilio, D. Victorem laudaverunt, & electionem Raynaldi cassaverunt; post quos omnes Christianissimus Imperator electionem D. Victoris comprobavit; & post eum omnes ejus Principes, videlicet Dux Henricus de Saxonia, Dux Bertaldus de Arvigia, Dux Federicus de Rotemburgo, Comes Palatinus de Rheno frater Imperatoris, Comes Palatinus de Saxonia, Comes Palatinus de Bavaria, & alii quamplures Marchiones & Comites, tam Lombardi, quam Theutonici, electionem Domini Victoris firmaverunt.

His itaque sic peractis, dedit licentiam dulcissimus* Imperator Duci Henrico de Saxonia, & Duci Bertaldo, ac etiam omnibus fere Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Prælatis, qui secum erant in exercitu, cum suis militibus ad suam patriam remeandi. Quibus recedentibus, remansit Imperator Papiæ cum Federico Regis quondam Corradi filio, & cum Corrado Comite Palatino de Rheno fratre suo, & cum Othone Palatino Comite, & cum aliis quibusdam Principibus. Postea vero Imperator cum Domina Beatrice conjuge sua, & Principibus suis, ac exercitu, qui sibi remanserat, ultra Padum in partibus Gamodii, & Marenghi, atque Terdonæ perrexit; & in illis partibus in Quadragesima remansit. Mediolanenses autem destructionem Laudensis civitatis summe desiderantes, die Martis sancti prædictæ Quadragesimæ tam milites, quam pedites cum multis vexillis, & plaustris Laudam venerunt, & summo diluculo ipsos aggressi fuerunt. Pars vero peditum Laudensium per portam egrediens, cum Mediolanensibus prælium incœpit; qui per longum tempus bellantes, ex Mediolanensibus plures interficientes, & multos saucíantes, maximo impetu in eos unanimiter irruerunt; hi vero ipsos Laudenses paucissimos ad comparationem hostium, tanto robori resistere non valentes, usque in fossatum civitatis acriter impulerunt, & ex ipsis quinque ceperunt, tres vero interfecerunt; reliqui vero Laudenses intra civitatem se receperunt. Sed Mediolanenses suos interfectos & vulneratos recolligentes, quamvis etiam nimis dolerent, quod civitatem, quam sine gravi labore putabant capere, illæsam relinquebant, & de suis multos vulneratos, & multos interfectos reportabant, Mediolanum tandem reversi sunt. Laudenses vero suos Legatos ad Imperatorem direxerunt; qui omnia, quæ eis acciderant, eidem Imperatori per ordinem narraverunt. Imperator vero congratulatus, quod Laudenses quam pauci in tanta multitudine hostium sic se viriliter defenderant, & cum ipsis in campo prælium fecerant, statim post paucos dies Laudam cum suis militibus est profectus. Quo cum pervenisset, ipsis Laudensibus multas gratias in concione retulit de hoc, quod ita viriliter pugnaverunt cum hostibus Imperii. Eos tamen admonuit, atque iis præcepit, ne ulterius contra Mediolanenses in campo extra civitatem ad pugnandum se opponerent, sed civitatem solummodo defenderent, non agros; dicens, se metuere, ne nimia Laudensium audacia, & præsumptio perducat eos ad civitatis amissionem. Deinde cum Laudensibus equitibus atque peditibus est profectus ad pontem, quem Mediolanenses ad Pontirolum reædificarunt suis maximis sumptibus; Castrumque Pontiroli cepit, & ipsum concremans dissipavit; ipsumque pontem de Pontirolo destruxit, & in Abduam projici fecit, atque ad civitatem Laudæ rediit.

Post paucos vero dies idem Imperator, qui multos poterat pati labores, cum Laudensibus equitibus, atque peditibus, & cum parte equitum Cremonensium, qui ex mandato Imperatoris Laudam venerant, & cum quadam petreria Laudensium ad diripiendum Pontirolum reversus est; ubi quædam Ecclesia bene armata & munita hominibus remanserat; quam partim bello, partim ipsius petreriæ pavore capiens, homines, qui ibi aderant, cepit; & ipsos bonis suis spoliatos Laudam duci præcepit. Post hæc Faram venit, & Castrum ipsum post diu factum prælium cepit. Qui cum homines de Fara captos, & magnam prædam bonorum, quæ in dicto Castro erant, Laudam conduceret, multitudinem magnam equitum Mediolani ex alia parte Abduæ super ripam conspexit:

* De hoc titulo vide *Notam* 8.

qui

qui milites illuc venerant, ut ipsum Imperatorem offenderent, si possent; putantes, eum cum solis Laudensibus Pontirolum venisse, sicut alia vice fecerat. Et tunc Mediolanenses ad quendam Abduæ guadum nimis altum venere, fingentes se velle transire, & Imperatorem invadere; ut milites, qui cum Imperatore erant, allicerent ad flumen transeundum; ut in aqua, quæ nimis erat ibi discurrens & alta, periclitarentur. Imperator vero omnium suorum militum peritissimus præcepit, ne aliquis curreret ad Mediolanenses, neve aquam transiret. Quidam tamen bellorum nimis avidi versus Mediolanenses per medium vadum currere volentes, in aquam se projecerunt; ex quibus evaserunt aliqui, & multi in ipsa aqua perierunt, inter quos fuit Henricus Saccus de Lauda, & Obsertus Vetulus de Cremona, & quidam alii.

Post paucos vero dies D. Imperator cum Cremonensibus, & Papiensibus, aliisque civitatibus Lombardiæ, ad Comitatum Mediolanensem devastandum perrexit, & ibi multa devastavit; qui postmodum per Novariensem Episcopatum Papiam rediens Italiæ militibus, qui secum iverant, domum redeundi licentiam concessit. Post hæc vero quamplurimi milites Mediolanenses quodam die Jovis, quæ fuit nona dies mensis Junii indictione octava, & in qua fuit festum sanctorum Primi & Feliciani, Laudam venerunt, & per unum & dimidium milliare se occulte posuerunt; mittentes etiam intra Villam Corneliam, quæ parum distat à civitate Laudæ, plures XL. militibus ad civitatem Laudæ invadendam. Quo peracto, Laudenses equites audito clamore persecuti sunt Mediolanenses sic fortiter, quod antequam ad socios redire valuissent, ultra viginti ex eis cum equis & armis capti sunt. Mediolanenses autem cognoscentes, socios fugientes acriter urgeri, unanimiter Laudensibus occurrerunt, & cum eis magnum prælium incœperunt. Sed Laudenses utpote multo pauciores non valentes resistere, in fugam sunt reversi, & usque prope civitatem partim se defendendo repulsi sunt. Quocirca Mediolanenses multos ex ipsis, qui capti ducebantur, recuperaverunt; ac etiam de Laudensibus ceperunt decem & octo milites; inter quos fuit unus filius Lanfranchi de Trissino, Bernardus de Bagnolo, Arberius Lomellinus, Ottobellus Cagamustus, Otho Mezaperentus, & quidam alii quatuordecim. Plures autem de Mediolano in carcerem sunt ducti; inter quos fuit Codeguerra Vicecomes, & Manatus de Palatio, Brunus de Concoretio, & filius Burri de Burris, & Joannes Salerius, Ambrosius Paliarius, Joanes Feroldus, Ugo Camarus, Otho Bella Busca, Obizzo Paganus, & quidam alii. Mediolanenses autem non multum longe à civitate cum militibus, & peditibus, ac sagittariis aliquantulum fortiter dimicantes, quia viderunt, se non posse superare Laudenses, cum pluribus ex suis vulneratis, & cum illis Laudensibus, quos ceperant, valde mœsti recesserunt, Mediolanum revertentes. Quo dolore ipsi Mediolanenses commoti, cum se vindicare, nec etiam Laudenses per vim habere potuissent, saltem dolose illos capere cupientes, statim alia sequenti die Veneris miserunt non multos milites, qui Laudenses invaderent, & alia parte Corneliani, usque ad portam Cremonensem; quibus militibus præceperunt Mediolanenses, ut cum Laudenses eos persequerentur, versus Invenicum fugerent in Lodesanam*; fingentes, se non posse redire versus Mediolanum; ut Laudensibus longe à civitate remotis, ex improviso exercitus Mediolanensium ipsos extra civitatem comprehenderet. Quibus, ut statuerant, civitatem aggredientibus, cum Laudenses eos acriter prosequerentur, hi, qui supra Castellum erant, versus Mediolanum à parte fossati, quod dicitur *de pane perdito*, præcaventes, viderant plurima vexilla equitum venire festinanter. Orto autem clamore maximo, cum Laudenses non multum adhuc à civitate distarent, & suorum clamorem audirent, & pulvinum maximum conspicerent, subito revoluti ab eis ad civitatem, antequam Mediolanenses possent ibi esse, reversi sunt usque ad portam Cremonensem; ibique cum peditibus, & arcatoribus, & ballistariis Mediolanenses exspectaverunt. Mediolanenses vero cum robore magno ac fremitu venientes, & per campum ante civitatem currentes, non fuere ausi Laudenses aggredi circa propugnacula commorantes; nec etiam Laudenses ipsos invadere in campo sunt ausi; sicque Mediolanenses à mane usque ad horam tertiam prospicientes, quod ipsos Laudenses non possent in campo ad pugnam perducere; tum quia hoc non potuerunt facere, cum magno furore ab eis posito igne in quodam plaustro stipulæ, quod erat in campo relictum, Mediolanum reversi sunt.

Postea die Lunæ, in quo fuit festum Sanctorum Mariæ & filiastri, & fuit XIV. Calend. Augusti anno MCLX. indictione octava, venerunt Mediolanenses tam milites, quam pedites cum arcatoribus, & ballistariis, & cum caraxolo suo, atque petreriis, & gattis ad civitatem Laudæ obsidendam, à costa, quæ est supra paludem Portæ Imperialis, usque ad mediam Portam Cremensem tentoria ponentes, nec multum longe à civitate summo mane castrametati sunt. Deinde multi ex eis tam equites, quam pedites, sine equis & sagittariis prope fossatum venerunt, causa bellandi. Pars quorum ivit ad Portam Imperialem, & pars ad Portam Papiensem, pars etiam ad Cremonensem. Ex contrario Laudensibus obviam illis occurrentibus, aliquandiu præliati sunt, & multis ab utraque parte vulneratis, & duobus de Mediolanensibus captis ad Portam Papiensem, dirempto prælio ad prandendum utrique recesserunt. Cumque Mediolanenses comedissent, omnibus ad concionem per sonitum tubarum convocatis, atque collectis prope caroxolum ipsorum, præceperunt Consules Mediolani omnibus hominibus de Porta Vercellina, & Porta Ticinensi, ut ex illa parte Pusterlæ sancti Vincentii Laudenses acriter expugnarent; illis vero de Porta Orientali & de Porta Romana præceperunt, quod* invaderent ad Pusterlam de Sylva Græca; & illis de Porta Cumana & de Porta Nova præceperunt, ut ante Portam Imperialem, Papiensem, atque Cremonensem se ponerent, & gattum, & petrerias illuc adducerent; & ignem cum petreriis in civitatem traherent; & sic omnibus constitutis, à concione discedentes, cum ingenti clamore ad accipienda arma concurrerunt. Qui postquam fuere bene armati, omnes per illa loca, quibus fuerat eis præceptum, cum vexillis & magno sonitu sunt profecti. Quod Laudenses considerantes, & per portas, & pusterlas, & alia loca, prout melius visum est, se armatos dividentes, & se obviam Mediolanensibus opponentes, magnum prælium inter se commiscuere. Ipsi namque Laudenses, qui ad pusterlam sancti Vincentii concurrerant, cum lanceis, & ensibus, atque lapidibus se viriliter defendentes, statim duos de Mediolanensibus interfecerunt; quorum unum dum quidam alius ad se trahere conaretur, ripa Abduæ, supra quam stabat, deficiente, in ipsum Abduam corruit, ibique necatus est; multi etiam ex illis sunt ad mortem vulnerati. Sed & Laudensium multis vulneratis, nemo tamen tunc interfectus fuit. Illi autem, qui ad prædictas portas iverant, magnum prælium à Laudensibus receperunt; à quibus multi ex eis cum sagittis & petreriis, quæ erant intra civitatem, morti sunt traditi. Sed illi

* Vide *Notas* 194. & 642.

* *Pro ut*, & alibi passim.

Mediolanenses, qui ad portam Papiensem duxerant gattos & petrerias, fere usque ad fossatum recepti, projicientes ignem cum ipsis petreriis, & pilotas seu sagittas igne accensas intra civitatem, Laudensibus se robuste defendentibus, opitulante Deo nihil eis nocere valuerunt. Illi quoque, qui ad pusterlam de Sylva Græca, quæ *de Seravalle* dicitur, adeo robuste Laudenses, quos ibi invenerunt, expugnaverunt; quod ipsi intra portam ipsius pusterlæ vi maxima impulsi vix* potuerunt ipsam portam claudere. Qua clausa, Mediolanenses foris supra fossatum juxta collinum euntes, in quibusdam partibus ipsum collinum exstirpaverunt; ita etiam, quod aliqui ipsorum in Serravalle intraverunt, Laudensibus resistere non valentibus. Quod Laudenses considerantes, maximo timore perterriti, plurimi eorum usque ad alium fossatum fugerant, alii vero potius mori volentes, quam civitatem sic amittere, Mediolanensibus acriter occurrendo, illos, qui intraverant, summa vi ejecerunt; duobus de his occisis, & duobus aliis foras exire properantibus, & in Abduam currentibus, ibi mortuis: alii vero omnes præ timore nimio de fossato transeuntes, vix de fossato exire valuerant. Ibi fuit interfectus Thebaldus Bardonus à Mediolanensibus, & multi alii Laudenses fuerunt ibi vulnerati; Levachesia quoque Gambarus Mediolanensis ictu petræ fuit occisus. Quidam vero alii de Mediolanensibus per mediam paludem de Sylva Græca intrantes, & fossatum transgredientes, supra costam civitatis adscenderunt ex ea parte, ubi est Domus Henrichi, quæ dicitur Sertozani filii Riccardi. Ibi fuerunt eis obviam pauci, inter quos fuit Ligabos, qui dicitur Scampigna; qui cum magno lapide sic unum de eis percussit, quod ipsum semivivum usque in fundum fossati in aquam projecit; quem vix tunc de fossato extraxerunt socii. Sed cum maximum prælium per magnam partem diei Mediolanenses cum Laudensibus commisissent, videntes, se parum posse Laudensibus nocere, tum propter fossata maxima, tum propter paludes, quibus civitas erat circumdata, tum etiam propter multitudinem Laudensium bene armatorum, & se fortiter defendentium; à prælio recesserunt ad sua tentoria revertentes. Laudenses vero Cremonam, atque Papiam, quam primum suos nuntios miserunt; qui illis nuntiarent, atque Imperatori, qui tunc erat Papiæ, quæ fuerant acta; & intimarent, etiamque ab eis auxilium postularent. Sero autem facto venerunt Placentini in auxilium Mediolanensium, per medium portæ Cremonæ fere usque ad paludem Castra ponentes. Laudenses autem per totam noctem civitatem undique cum multis armis custodiri fecerunt. Interea unus de Placentinis ad portam Papiensem ea nocte veniens, multa injuriosa verba Laudensibus, qui portam custodiebant, inferre non cessabat: ex quo Laudenses dolore commoti, & tamen quasi verba illius vilipenderent, ostendentes, tandem privatim per fossatum, & per aliquam tumbam egredientes, & post terga ipsius Placentini ex improviso irruentes, ipsum fugere nequeuntem multis plagis interfecerunt.

Altera vero die, quæ fuit Martis, ipsi Mediolanenses & Placentini ad prælium bene armati venientes, summo mane viderunt Cremonensium partem ex alia parte Abduæ venire in succursum Laudensium. Quapropter Laudenses læti valde, contra Mediolanenses & Placentinos clamare cœperunt, ut ad prælium venirent. Sed ipsi perterriti statim signo dato tentoria cœperunt deponere; omnesque pedites cum plaustris, & carazolo*, supra quod maximum vexillum album cum Cruce rubea deferebatur, abire cœperunt: deinde Placentini primo recesserunt, timentes plurimum, ne Imperator cum Papiensibus eos inveniret. Postremum omnes equites Mediolanenses se simul congregantes, post pedites suos & plaustra abierunt. Qui cum octo diebus ad obsessionem civitatis Laudæ stare disposuissent; nec unum etiam diem & dimidium timore Cremonensium, & etiam Imperatoris, stare fuerunt ausi; qui se maxime præparabant ad succursum ipsorum. Sed ne frustra Laudam venirent, laboremque paterentur, legatos miserunt Papiam, qui omnia qualiter acta fuerunt eis indicarent.

Postea vero die Mercurii, quæ fuit tertia dies mensis Augusti, & in qua fuit festum sancti Gaudentii, & inventio sancti Stephani Protomartyris, fuit incœptus murus civitatis Laudæ à Tinta Mussa de Gava de Cremona in angulo civitatis supra paludem de Sylva Græca prope portam Cremonensem; & D. Albericus Laudensis Episcopus, qui fuit de progenie procerum de Merlino, primum lapidem in fossatum ipsius muri sua manu projecit. Octavo autem die prædicti mensis in festo sancti Ciriaci Martyris iverunt Laudenses equites & pedites cum duabus eorum petreriis, & cum parte Cremonensium equitum, qui aderant tunc Laudæ, ad pontem, quem Mediolanenses reædificaverant ad Cropellam super flumen Abduæ, ut ipsum pontem destruerent; quem maxima vi captum partim combusserunt, partim in aqua projiciendo totum dissipaverunt; capientes aliquos de his, qui pontem custodiebant, cæteris fugiendo evadentibus.

Sequenti vero die Martis, in quo fuit festum sanctorum Firmi, & Rustici, & vigilia Beati Laurentii, factum est prælium inter Imperatorem & Mediolanenses apud Castrum Carcani; quo etiam Brixienses equites in succursum Mediolanensium venerant in ultima hebdomada prædicti mensis; & Castellum magnum, & manganos construxerunt ad Castrum ipsum Carcani capiendum, quod erat de parte Imperatoris. Quapropter Imperator sanctissimus* cum suis fidelissimis amicis ivit ad auxilium illorum de Carcano, cum paucis equitibus Papiensibus, & cum equitibus, & peditibus Novariæ, atque Vercellarum, & Cremensibus, & parte illorum de Seprio, & de Martesana, & cum Marchione de Monferrato, & Comite de Blandrate, & cum paucissimis Theutonicis, inter quos fuit Dux Bertaldus de Zarugo, qui cum paucis suis militibus venerat ad Imperatorem de terra Theutonica cujusdam sui negocii causa, & Dux Bohemiæ, & Comes Conradus de Balamixe, & quidam alii. At vero Mediolanenses & Brixienses ita circumdederat Imperator, quod victus eis ferri nullatenus poterat. Quapropter Mediolanenses multum perterriti, qui Mediolanum reverti non poterant, nec ibi stando victum habere valebant; quid facere deberent ignorantes; tandem tamen, ut sæpe solet accidere, necessitas consilium reperit, & fortunam pugnæ potius tentare proposuerunt, quam ibi morantes fame perire. Unde ipsi Mediolanenses in ipso die Martis prædicto prælium cum Imperatore cœperunt. Imperator vero cum suis Theutonicis & aliquibus aliis robuste contra Mediolanenses irruens, fere usque ad carazolum ipsorum, ubi erat multitudo peditum Mediolanensium, eos impulit; & magnam ipsorum peditum copiam, maxime de Porta Romana, & Porta Orientali, quæ vulgariter dicitur Porta *Rienza*, interfecit; & boves ipsius carozoli occidit; ipsumque carozolum incidit, & Crucem deauratam, quæ super perticam carozoli erat, atque vexillum ibi positum abstulit; & multos ex ipsis tam equites, quam pedites ad tentoria duxit. Ex alia vero parte prælii, ubi major pars equitum Mediolanensium & Brixiensium erant contra Novarienses,

* Præcedenti col. lit. B. scribitur *caraxolum*, & seq. col. lit. F. *carozolum*, aliis *carrociolum*, & *carrocium*.

* De hoc præconio consule *Notam* 4.

ses, & Cumenses, & alios multos, qui erant ex eo capite prælii, unanimiter irruentes cohortes Brixienses, & Mediolanenses, maximam de eis stragem fecerunt, & maxime de Novariensibus, multos ex ipsis capientes, & multos interficientes, ut plures duobus millibus fugaverint. Interea orta magna pluvia redierunt ad castra. Paulo vero post Mediolanenses & Brixienses armis reassumptis ad prælium currunt. E contrario Imperator videns se cum paucis Theutonicis & non multis aliis relictum, decrevit potius bello fore cedendum, quam pugnando superari: sicque versus Cumas † cum illis, quos adhuc secum habebat, profectus est; multa tentoria, multosque, quos ceperat in bello, ibi relinquens. Mediolanenses vero, & Brixienses castris Imperatoris exspoliatis, & multis de suis, qui capti fuerant, recuperatis, desertoque eis campo, cum ingenti gaudio, ut in talibus fieri solet, cum magno clamore ad castra redierunt; suorum cadavera colligunt, & multa plaustra ex eis onerata Mediolanum mittunt. In illo autem prælio Mediolanensibus orta est lætitia magna, atque magna tristitia, puto tamen gaudium tunc superasse dolorem.

Interea Cremonenses equites & pedites erant Laudæ parati ad occursum Imperatoris, sicut eis ab ipso literis mandatum erat. Qui hæc, quæ gesta erant apud Carcanum ignorantes, timentes etiam tam ipsi, quam Laudenses, utrum secure & sine obstaculo Mediolanensium ad Imperatorem possent accedere, & avidi nimis honoris, & victoriæ Imperii, multum dolebant, si Imperator sine eis cum Mediolanensibus bellum inciperet. Quocirca maxime desiderabant ad Imperatorem quam citissime proficisci; in hac tamen ambiguitate de communi consilio decernunt, ut ducenti equites de Cremonensibus; & octoginta de Laudensibus in Imperatoris auxilium pergant; aliis omnibus tam peditibus, quam equitibus Laudæ remanentibus. Die igitur Mercurii, in quo fuit festum Beati Laurentii, omnes prædicti equites circa vesperas iter arripiunt; copiam victualium * Imperatori maxime necessariorum, sicut per literas Laudenses acceperant, secum ducentes; quod quidem in maximum eorum detrimentum redundavit: propter enim asinos pane onustos, & pigriter incedentes, tantum in itinere moram fecerunt, quod ipsa die & in nocte proxima tota ambulantes non potuerunt ire nisi ad Marlianum: in quo loco quidam miles Mediolani videns eos ire ad Imperatorem, & peracti belli conscius, per aliam viam subito ad exercitum Mediolanensem currendo equitavit, & eis aperuit, qualiter Cremonenses & Laudenses belli peracti nescii ad Imperatorem pergerent. Quo audito, Mediolanenses dato signo statim ad eos equitant; ipsosque inter locum Canturii, & Castrum, quod dicitur *de Baradello*, inveniunt quasi circa horam tertiam die Jovis super quandam aquam & paludem, ubi dicitur *ad aquam nigram*: ubi clamore magno super eis irruentes ex improviso cum aliquibus Cremonensibus & Laudensibus subito revertentibus bellum incœptum est; & aliquibus utrinque mortuis, aliis vero captis, Cremonenses & Laudenses non valentes resistere in fugam sunt prorupti: quorum aliqui fortuito per quandam viam fugientes bene evaserunt; alii vero, magna pars, per medium aquæ paludis, quam parvam extimabant, transeuntes, præ magnitudine luti, quod erat in aqua, vix transire poterant, equis & armis in luto relictis. Ibi fuerunt capti de Laudensibus decem equites, & quatuordecim de Cremonensibus; ducentis equis ibi amissis. Imperator vero, qui tunc erat in Baradello, subito quæ gerebantur cogno-

† Apud Othonem Frisingensem & alios *Cuma* singulari numero dicitur; ubique male pro *Comum*, hodie *Como*.
* Vide *Not.* 258.

A scens, confestim in succursum Laudensium & Cremonensium veniens, quatuor cepit de Mediolanensibus, qui paludem transierant, reliquis in fugam conversis. Quidam Laudensis, qui dicitur Carnevalis de Erzago, inter frondes cum equo suo præ timore latitans, quendam probum militem, qui dicitur Bugerius de Sancto Seprio de Mediolano, cepit, & in terra eum suffocavit; ut à suis, qui erant intra frondes, multum quærentes, si quos possent capere, non posset habere auxilium clamando. Laudenses itaque, & Cremonenses, qui evaserant, cum Imperatore Cumas iverunt, Mediolanensibus ad sua castra redeuntibus. Ibique prædicti Cremonenses & Laudenses accepta ab Imperatore licentia, die Veneris dis-
B cedentes à Cumis per Novariensem Episcopatum Papiam venerunt, Laudamque reversi sunt. Tertia decima autem die Calend. Septembris, qui fuit dies Veneris; qui obsidebantur in castro Carcani, ex improviso castrum egredientes, & ignem supponentes in castello ligneo, quod ibi Mediolanenses construxerant, Carcani capiendi causa, totum combusserunt, Mediolanensibus, qui illud custodiebant, defendere nequeuntibus. Quo dolore Mediolanenses commoti, & ipsum castrum nequaquam posse capere cernentes, timentes etiam, ne Imperator reassumptis viribus cum Papiensibus, Cremonensibus, atque Laudensibus, aliisque Lom-
C bardiæ civitatibus, ibi eos comprehenderet, vel ad civitatem Mediolani devastandam ipsis absentibus pergeret, sequenti die Sabbati Carcanum deserentes Mediolanum revertuntur.

Sequenti vero die Mercurii, in quo fuit festum sancti Bartholomæi Apostoli, ivit Imperator cum maximo exercitu Cremonensium, Papiensium, Laudensium, Marchionum, & Comitum, & cum Papiæ navigio, & cum petreriis duabus Laudensium ad pontem Placentinorum, quem ex navibus per mediam Placentiam construxerant, destruendum; & in die Jovis summo diluculo cœpit pontem expugnare: quem Placentinis ab initio defendentibus, duæ petreriæ subito exiguntur. Qua-
D propter Placentini pontem sic integrum se non posse defendere considerantes, ipso toto destructo ad suam ripam naves omnes integras conduxerunt. Ipso quoque die maximum detrimentum accidit Mediolanensibus, & maxime illis de Porta Romana, scilicet quod bene tertia pars Mediolani totius combusta est; nec fuit aliqua Porta in toto Mediolano, quæ ex aliquo latere non combureretur, & magna aura tunc ventilante, multæ domus optimæ, in quibus valde confidebant, combustæ sunt; & idcirco ad inopiam & summam necessitatem pervenerunt, amissis in igne omnibus victualibus tam hominum quam jumentorum, & vestibus.

E In sequenti die Veneris reversus est Imperator Papiam; ubi fecit ipse Imperator eo tempore jurare Episcopos Novariensem, Vercellensem, & Astensem, & Marchionem Guilermum de Monte Ferrato, & Marchiones de Albusco, & Marchionem de Langusto, & Marchionem Obizonem Malaspinam, & Comitem de Blandrate, & Comites de Cavaliate, aliosque multos Lombardiæ Prælatos & Principes, ad dandum sibi milites, & arcatores, atque ballistarios; qui secum Papiæ habitarent à festo sanctæ Mariæ de Septembri usque ad Pascha Resurrectionis.

Post hæc autem Imperator cum Cremonensibus, Papiensibus, parteque Laudensium, & cum
F Papiæ navigio, & cum duabus petreriis iterum ivit ad pontem Placentinorum capiendum, & destruendum in die Mercurii, quæ fuit die XIII. Calendis Novembris indictione octava. Quod Placentini præsentientes, ipsum pontem destruxerunt, reducentes omnes naves usque ad ripam Padi, quæ est

est versus Placentiam. Sed Laudenses ibi in quodam mexano, quæ insula dicitur, prælium cum Placentinis incipientes, unum ex ipsis interfecerunt.

Eodem die captus est Bagna Gatta, qui in itinere Papiæ latitabat die ac nocte in nemoribus cum multis aliis suis sociis, ad capiendum Theutonicos, & omnes qui erant de parte Imperatoris: & qui audacissimus deprædator erat, & multos ceperat, & etiam interfecerat de his, qui fuerant amici Imperatoris; & qui magis timebatur, quam aliquis alius Mediolanensis. Cumque Laudam duceretur, quidam Papiensis pedem sibi tunc truncavit. Imperator vero considerans, se tunc Placentinos non posse multum lædere, Cremonam est profectus.

In die vero Veneris, quæ fuit quarta Calendis Novembris, Mediolanenses, qui pontem custodiebant de Ponterolo, qui tunc levabatur, cum Comite Henrico de Crema, aliisque militibus Cremensibus à Dovaria versus Laudam venientes, fere usque ad portum publicum velociter concurrere; maxima ipsorum parte in Villa Dovariæ relicta, ut ibi latitarent, & Laudenses caperent. Laudenses autem, ut clamorem audierunt, cum magno fremitu ultra pontem Abduæ subito armati equitantes, & acriter Mediolanenses insequentes, antequam Dovariam redire possent eos ceperunt; & cum de Laudensibus non essent ibi congregati plures viginti, qui alios præcesserunt, inter Mediolanenses ferientes, aliquos ex eis prostraverunt ab equis, & Albertum de Enxago; reliquis Mediolanensibus in fugam conversis, quia nolebant resistere, donec ad suos latitantes confugissent. Interea latitantes, adspicientes quia Laudenses jam appropinquaverant, repente prosiliere super Laudenses; qui adhuc ibi pauci cum essent, resistere non confidentes, terga subito vertunt. Ubi de Laudensibus quatuor sunt capti, videlicet Arialdus Arziago, qui fuit Mediolanensis, sed post captionem Cremæ civis Laudæ fuerat effectus, & Bernardus de Bagnolo, qui de alia captione jam fuerat redemptus, & Otho Denarius, atque Manfredus Morena filius meus. Quibus captis Mediolanenses & Cremenses reverti cœperunt. Interea Laudenses tam hi, qui præcesserant, quam qui sequebantur, * insimul collecti, usque prope Castrum Ripaltæ post Mediolanenses equitaverunt: quos Mediolanenses conspicientes revoluti ab eis steterunt; Laudensibus quoque stantibus, & eos à longe prospicientibus, & utraque acie alteram formidante, neutra fuit alteram invadere ausa. Laudenses denique cum per aliquod tempus sic dubii stetissent, videntes, quod nihil possent lædere Mediolanenses, tum quia plures illis erant, tum etiam quia Castrum Ripaltæ erat eis ad tutelam, cum jam nox esset, domum revertuntur. In tota autem illa hyeme stetit Imperator Papiæ cum militibus, quos Episcopi & alii Principes Lombardiæ sibi tribuerant, & cum paucis Theutonicis.

Dominica autem prima Quadragesimæ, quæ fuit anno MCLXI. Mensis Martii autem duodecimo die, indictione nona, & in qua tunc fuit festum sancti Gregorii, venerat militia Placentinorum in Lodesanam in quodam nemore, quod dicitur in Butegnano, & prope Meregnanum se occultaverunt, ut Laudenses caperent, si quos invenirent. Ex contrario vero Laudenses præcedenti nocte equitaverant versus easdem partes, ut Placentinos offenderent, si quos invenissent in Lodesana: & cum ipsi quoque in prædicto nemore se deberent occultare, in primo diei octo viderunt Placentinos in nemore latitantes. Tunc videntes Laudenses inermes ad hoc utpote hujus latitationis ignaros, velociter bene armati super eos currunt; qui improvidi hujus rei, & sine dextreriis, & absque armis venientes, non valentes Placentinorum multi-

* Vid. *Nota* 105.

A tudini resistere, in fugam convertuntur, & ex eis multi capiuntur. Inter quos fuit Ugerius de Villa, Oldratus Mondalianus, Petrucius de Pusterla, Gualterius de Riccho, Oliverius, Jacobus & Zerbus de Abonis, Castellus de Enzago, Maldotus de Vignate, Otho Medius parens, Vivianus de Vaveri, Albertus Barbonus, Anselmus de Corello, Mussus Garbanus, Zamvillus de Guasco, & de servitoribus communis Laudæ fuerunt capti Gratianus Ponitannes, qui dicitur *de la Turre*, Guffredus Aramtus, & quamplures alii; Albertus vero de Sexto fuit ibi occisus: ex Placentinis autem duo capti sunt, Ubertus dela Porta, & unus alius, & quinque ipsorum equi.

B Deinde sequenti die Veneris, quæ fuit die XVII. prædicti mensis Martii, proficiscuntur Mediolanenses, obsidere castrum de Castillione, quod est in Comitatu Sepriensi cum * manganis, & petreriis, & gattis: ipsumque graviter expugnare cœperunt. Ex converso hi, qui erant in castro, se pro posse muniunt, suos ædificantes manganos, & cum optimis ballistis sæpe sagittantes, ac Mediolanenses multoties ex improviso aggredientes, multos sauciant; pluresque occidunt, & quosdam capiunt. Postremum autem non valentes........ usque ad murum castri gattum reducentes, adeo coarctant eos, quod ipsi non poterant accedere ad aquam, quæ erat extra castrum, nec intra castrum quic-

C quam aquæ habebant. Quocirca ipsi oppidani ad maximam necessitatem aqua deficiente deducti sunt. Gattum tamen Mediolanensium summa vi incendunt, multosque ex his, qui erant intus, capiunt, & alios detruncant. Legatos deinde ad Imperatorem nocte mittunt, qui ea, quæ geruntur ad castrum, sibi denuntient, ab eo auxilium subitum implorando. Imperator igitur ut hæc audivit, Laudam venit die Martis sancto, & ibi maximum colligens exercitum ex Parmensibus, & illis de Regio, Cremonensibus quoque, ac Pergamensibus, & his de Vercellis, & de Novaria, & de Papia, & Ducibus etiam, & Marchionibus, atque Comitibus, aliisque Principibus, ad castri auxilium ire disposuit. Quod Mediolanenses intelligentes, quia putabant,

D quod Imperator parvum exercitum congregasset, factum Imperatoris parvipendere cœperunt, palam in concione dicentes, se ab obsidione castri non discessuros propter Imperatorem, nec ejus exercitum, quem posset de Lombardis colligere, donec ipsum castrum caperent. Die vero Veneris sancto cum dicto exercitu, qui supra Lambrum castrametatus fuerat, inclytus Imperator, & cum Comite de Barollona, qui ad ipsum venerat cum sexaginta militibus, ad præfati castri tendit auxilium. Cum autem Mediolanenses pro certo cognovissent, scientes Imperatorem esse tam robusti animi, quod nullatenus dimitteret, quin prælii fortunam cum ipsis

E experiretur, metu maximo compulsi reversi sunt Mediolanum die Sabbati, relictis apud castrum manganis, & petreriis, atque gattis, aliisque eorum machinis igne combustis. In die autem Paschæ majoris Cremonensibus, aliisque militibus, multis, qui cum Imperatore iverant, Laudam reversis, in sero magna pars Portæ Imperialis usque ad ipsam Portam combusta est per Scutiferum cujusdam militis Cremonensis, qui non sapienter in quadam domo portabat ignem. Eodem mense Martii fuit inceptum Palatium Christianissimi Friderici Imperatoris Laudæ prope monasterium sancti Joannis supra costam fluminis Abduæ. Post hæc vero die Martis, quæ fuit quarta die sequentis mensis A-

F prilis, in festo sancti Ambrosii, Placentini equites, qui venerant usque ad sanctam Mariam, quæ dicitur *in strata* prope fossatum album, causa deprædandi; ex Laudensibus eis occurrentibus ceperunt Trincafolium de Pusterla, qui tunc esset Po-

* De his machinis consule *Notam* 358.

te-

testas Laudensis, & Ugonem de Pusterla, & Joannem de Overgnate, & tres alios. Laudenses vero quendam nobilem militem de Placentia, qui vocabatur Jacobus Vicedominus, interfecerunt.

Interim gens Theutonica maxime fremens, quod Imperator adeo cum paucis Theutonicis relictus erat in Lombardia, quod plenarie non valebat expugnare Mediolanum, ad ejus auxilium obnixe se præparavit. Inter quos fuit Lantgravius cognatus Imperatoris, & Conradus Comes Palatinus de Rheno frater Imperatoris, atque Federicus frater Regis Conradi, qui fuit patruus Imperatoris, Dux de Rotemburgo, qui duxerat secum ultra sexcentum milites bene armatos. Raynaldus quoque Cancellarius, & tunc electus Archiepiscopus Coloniæ, duxit secum ultra quingentos milites. Filius quoque Regis Bohemiæ una cum Duce Bohemiæ patruo suo ultra tercentos equites secum duxit. Alii etiam multi Episcopi, Marchiones, Comites, & alii nobiles in Lombardiam ad Imperatoris auxilium venerunt.

Imperator itaque in die Lunæ, quæ fuit tertio Calendis sequentis mensis Junii in festo sancti Maximi, cum dictis Principibus, & maxima quantitate Lombardorum supra Mediolanum tendit, ad eorum segetes devastandas; & devastaverunt ipsas segetes usque ad sanctum Caremolum, & ad Ecclesiam omnium Sanctorum, quæ est in capite Brolii, & Ecclesiam sancti Barnabæ, & monasterium sancti Dionysii; fixeruntque castra ea die à Cassina Guazinæ de Aliate usque Morsengiam; ibique per biduum stantes, omnes segetes ac partem Mediolani devastaverunt. In sequenti vero die Mercurii castrametantes ad sanctum Dionysium hospitati sunt; & tunc Mediolanenses ab alia parte armati exeuntes, magnum prælium cum Papiensibus, aliisque Lombardis incœperunt; & captus est quidam nobilis Mediolanensis, qui vocabatur Adam de Palatio; quem statim Imperator videntibus Mediolanensibus fecit suspendi .... utrinque captis, & aliis vulneratis, quibusdam mortuis prælium est diruptum.

Item sequenti die Jovis Mediolanenses usque ad castra pergunt; quibus Papiensibus, aliisque Lombardis acriter obstantibus, post magnam inter eos pugnam, tandem ipsi Mediolanenses utpote pauciores usque ad fossatum violenter expulsi sunt; ex eis aliqui capiuntur, alii morti donantur, parsque magna vulneratur, alii vero in fossatum currentes necantur, cæteris inter propugnacula receptis. Ex parte dictorum quoque Papiensium, aliorumque Lombardorum, qui fuerunt ad prælium, alii capti, plerique vulnerati, alii etiam mortui sunt. Theutonici vero timentes præceptum Imperatoris, qui præceperat, ne quis prælium cum Mediolanensibus inciperet, ad prælium non accesserunt. Imperator vero inde discedens ad Portam Vercellinam cum exercitu suo consedit. At Mediolanenses, denuo belli fortunam tentantes, cum exercitu Imperatoris prælium incipiunt. Multi ibi utriusque partis sauciantur, gladiis res geritur, maxima vi certatur, alii confodiuntur. Postremo inde Mediolanenses, qui civitatem exiverant, non valentes resistere tantæ multitudini, intra Portam repelluntur; alii in vallum præcipitantur, ut solet in angustis locis fieri, dum omnes properant invicem sibi nocere.

Deinde Imperator circa Mediolanum usque ad Portam Ticinensem proficiscens, totas segetes devastavit; vites & arbores succidit; & circa Mediolanum fere per decem dies se revolvens, omnia, quæ circa Mediolanum erant, devastavit. Denique à civitate recedens blada, vites, & arbores, ac loca per decem, ac etiam per quindecim milliaria à civitate distantia dissipando, cum omni suo exercitu Comazum & Cornelianum, quod dicitur Bertarii, revertitur; ibique pene toto exercitu Theutonicorum relicto, Cremonensibus, & Papiensibus, aliisque Lombardis licentiam domum redeundi concessit; & cum paucis suis Principibus Laudam venit ad Concilium * à D. III. Victore Papa, die Sabbati, quæ fuit vigesima septima mensis Junii.

Sequenti vero die, in quo fuit festum sanctorum Gervasii & Protasii, incœptum est sacrum Concilium, quod à principio Papiæ, deinde Cremonæ fieri dispositum fuerat. Postremum tamen ad honorem Laudensium ex voluntate Imperatoris Laudæ est celebratum. In quo Dominus Imperator cum suis Principibus, & Dux Bohemiæ, & D. Pellegrinus Aquilegiensis Patriarcha, & D. Guido electus Ravennæ Archiepiscopus, & D. Raynaldus electus Archiepiscopus Travariensis, & D. Viavensis Archiepiscopus, & multi Episcopi, & magna copia Priorum, Abbatum, Præpositorum, aliorumque Clericorum, qui venerunt ad Synodum, seu Concilium, unanimiter confirmationem approbaverunt, quæ in præterito anno Papiæ jam facta fuerat de ipso D. Papa Victore. Fuerunt autem in ipso Concilio recitatæ literæ excusatoriæ Regis Daciæ, Regis Norvegiæ, Regis Ungariæ, & Regis Bohemiæ, & sex Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum, multorumque Abbatum tam Claræ Vallensis, quam aliarum Congregationum, atque Præpositorum; in quibus omnibus literis continebatur, ipsos Reges cum universis eorum Provinciis, & prædictos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Præpositos velle se tenere præfatum D. Victorem pro Papa, & Domino, & se velle ratum habere hoc totum, quod D. Victor statuit in ipso Concilio cum aliis ibi præsentibus.

In ipso etiam Concilio fuerunt examinati Dominus Ubertus de Pirovano Archiepiscopus Mediolanensis una cum Consulibus Mediolani, & Episcopus Placentinus, & Episcopus Brixiensis; & Placentiæ, & Brixiæ, Consules, omnesque ipsorum Consiliarii, ac etiam omnes illi, qui interfecerunt Moguntinum Archiepiscopum, & qui in ejus morte consenserunt, & Episcopus Bononiensis & ..... depositi fuerunt irrecuperabiliter. Episcopus vero Paduanus, & Episcopus ...... usque ad Calendas Augusti termino eis dato ab officio suspenduntur: & hæc acta sunt in die Jovis, cum Concilium usque ad ipsam diem perdurasset, in qua die fuit tunc festum sancti Jacobi Alphei.

Finito denique Concilio, D. Vercellensis Episcopus una cum multis aliis Episcopis Papiam tendere volentes, à Potestatibus Laudæ postulant secum Laudenses milites, ut securius incedere valeant. Quibus ad Episcoporum placitum à Potestatibus missis, cum jam per decem milliaria equitassent versus Papiam, apparuerunt eis viginti quatuor milites Mediolanenses; post quos currere cœperunt; Mediolanenses vero putantes, quod Laudenses, qui non erant nisi viginti duo, satis plures essent, terga subito vertunt ad nemora fugientes; & Laudensibus eos cum magno clamore persequentibus, de equis se dejecerunt, ut in nemore se occultent; & ab oculis Laudensium, qui adhuc longe distabant, penitus disparuere. Laudenses vero ad nemus pervenientes de equis descendunt, & Mediolanenses interficiendos quærunt. Postremo novem de equis ipsorum invenerunt, & quatuor Mediolanenses captos in carcerem Laudam ducunt, videlicet Flamenghum de Hermenulphis, & Suardum de Corezo, & Othonem de Faroldis de Mulinaxo, &c.

In sequenti vero die, in quo fuit festum sanctorum Prosperi, & Severæ Virginis, cepit D. Imperatoris

* Videtur aliquid desiderari.

perator Rocham *, quæ dicitur de Cornu, cum pluribus centum hominibus, qui erant intus inter rusticos; quos, tota Rocha exarsa & dissipata, fecit in carcerem detrudi. Sequenti etiam mense Julii cepit Comes Gazolinus Theutonicus, & quem Imperator proposuerat illis de Seprio & de Martesana, castrum de Blandrone, & omnibus dimissis, quos intus invenit, totum ipsum castrum combussit, & omnino destruxit.

Postea quoque die Lunæ, quæ fuit septimo die sequentis mensis Augusti, ceperunt Placentini quatuordecim milites Laudenses, videlicet Margotum, & Gruelam de Abonis, & Guilielmum de Fissiraga, & Vergondium filium Oldrati Morenæ, & decem alios. Ipso eodem die cum Imperator inclytus cum suo dumtaxat Theutonicorum exercitu & Bohemensium prope locum, qui dicitur Cerrum, hospitatus esset, Mediolanenses ad Lantgravium, & Ducem Bohemiæ, & ad Palatinum Comitem fratrem Imperatoris, Legatum mittunt, denunciantes, Mediolani Consules velle cum ipsis Principibus colloquium habere: & sic utrinque fide data invicem, Consules Mediolanenses nihil molesti timentes, dum ad præfatum colloquium veniunt, milites Cancellarii, colloquii statuti & fidei datæ ignari, Consulibus occurrentes, prope monasterium de Bagnolo eos ceperunt. Milites autem Mediolani, putantes Consules suos esse perditos, post milites Cancellarii pro suis Consulibus recuperandis velociter currunt, præliumque inter eos incœptum est. Quibus sic dimicantibus, Lantgravius, & Dux Bohemiæ, atque Comes Palatinus de Rheno audientes, Consules esse captos, quibus fidem tribuerant, non modice indignati, Cancellarium hujus rei ignarum, qui adhuc erat in castris, proponunt interficere. Quod Cancellarius audiens, ad Imperatorem subito proficiscitur, & quomodo se inscio Consules Mediolani à suis militibus capti fuerant asseverat. Imperator prædictis Principibus ..... ne quid molesti contra Cancellarium præsumant. Postmodum ipse Imperator cum suis, & Ducis Federici de Rotemburgo, aliorumque Principum militibus ad prælium currit. Dux vero Bohemiæ & Lantgravius propter iram & indignationem ipsum Imperatorem secuti non sunt. Cum prope prælium venisset Imperator, præcepit Duci de Rotemburgo, ut à montis parte via per ipsos cum suis curreret, & quibusdam aliis Principibus ab alio latere. Similiter per campos cum vexillis currerent, hostes ex duabus partibus alacriter & intrepidi aggressuri; ipse vero per viam, in qua bellum fiebat, fortissimum prope locum, ubi dicitur ad Cassinam Grazive de Aliate, cum suis hostes invadere disposuit. Quibus omnibus sic secutis, ut statuerat, Mediolanenses ex transverso ab utroque latere videntes properare Theutonicos, & non posse ipsis resistere cognoscentes, quia maxima pars equitum Mediolani detinebatur, versus civitatem fugiunt. Imperator autem cum aliis ipsos acriter insequitur usque ad Portam fossati, & ex ipsis triginta milites, & CCLVI. pedites cepit. Quos omnes postea Laudæ in carcerem detrusit. Plures vero milites & pedites cum gladio in fossato præcipitando interfecit; & super Portam fossati, dum acriter Imperator inter hostes præliaretur, equus ejus ibi confoditur, & ipse aliquantulum vulneratur. Tandem Mediolanenses intra Portam se recipiunt, & ipsorum quamplures in Ecclesiam sancti Laurentii confugiunt, non audentes ad Portam accedere; & ipsa Ecclesia tum quia fere non erat, † tum etiam quia non poterant expugnari, nisi per ostium Ecclesiæ, viriliter se defendentes, illæsi permanserunt. Imperator igitur cum suis ad castra cum gaudio ingenti revertitur.

* De hoc loco vide *Notam* 315. † Deest hic nescio quid.

Sequenti vero die Mercurii prope sanctum Donatum castrametatus est, segetes Mediolanensium quotidie devastans; deinde proximo die Sabbati prælio commisso inter Theutonicos & Mediolanenses ante Portam Mediolani, tres milites Mediolani interfecti sunt, scilicet Cacciaguerra de Sorocina, & filius Guarnerii Grassi, & quidam alius.

Sequenti vero die Lunæ Imperator in brolio non multum longe à fossato Mediolani à Porta Ticinensi usque ad Portam Rentiam castra collocari præcepit; deinde omni die Mediolanensium segetes depopulans, civitatem circum ibat; & si quos de Mediolanensibus, qui pro lignis accipiendis exibant, capiebant illi de exercitu Imperatoris, manum cuique ipsorum detruncari præcipiebat; ut tam divites, quam pauperes timerent, nec civitatem egrederentur. Et sic quasi omnes Mediolanenses segetes, & vineas, atque arbores devastans, fere omnem vivendi spem abstulit eis, & postea Papiam reversus est.

Peritissimus autem Imperator, considerans, se plenarie inhibere non posse Mediolanensibus, quin à Placentia & Brixia mercatum victualium haberent, si Papiæ moraretur; statuit hyemare Laudæ cum Beatrice Serenissima conjuge sua, & cum filio Ducis Guelphi, & cum Friderico de Rotemburgo consobrino suo, & cum Comite Rodulpho de Lando, & cum Episcopo Parvi lengi, & cum aliis paucis Principibus. Nam Lantgravio, qui conduxerat secum quingentos milites, & fere omnibus militibus Cancellarii, qui fuerant similiter plures quam quingenti, & militibus Ducis Bohemiæ licentiam domum redeundi concesserat. Conradum vero Palatinum Comitem de Rheno fratrem suum, & Guilermum de Monteferrato, atque Guidonem Comitem de Blandrate, Castrum de Mombrione munire, ipsumque custodire cum ipsorum militibus præcepit. Circa Ecclesiam de Ripalta magna propugnacula fossatorum, aliarumque machinarum ad defensionem utilium fecit fieri; relictis ibi quibusdam suis militibus, qui ea die noctuque custodirent. Comitem vero Marcoaldum de Gambarana posuit cum aliquibus militibus in castro de sancto Gervasio, quod est prope Tricium; ut sic undique viis quasi occlusis non auderent Mediolanenses mercatum ducere à Brixia, vel à Placentia; nec Brixienses, vel Placentini, amicissimi Mediolanensium, & hostes Imperii, quicquam victualium auderent ipsis Mediolanensibus deferre.

Proximo vero mensis Decembris, dum Imperator esset Cremonæ, venit Imperatrix à Papia Laudam; & infra proximos tres dies venerunt ultra quingenti milites Mediolani, ut Laudenses invaderent. Quorum parte plurima latitante in nemore, quod dicitur sancti Joannis, quasi centum de ipsis usque ad Lavanderium de Pulegnano, quod est multum longe à civitate Laudæ, currentes, magnam prædam levaverunt. Laudenses autem, & Dux de Rotemburgo cum militibus suis, & cum militibus, qui cum felicissima Augusta venerant, aliique milites Theutonici, qui tunc erant Laudæ, velociter egredientes, eos ita persecuti sunt, quod fere totam prædam recuperaverunt; aliquibus de Mediolanensibus captis; & eos fugaverunt usque dum viderunt Mediolanenses, qui latitaverant, in auxilium suorum currere. Deinde Mediolanenses, fugientibus Theutonicis atque Laudensibus, fere totam prædam recuperaverunt; pluresque de Theutonicis ac Laudensibus capientes, unum bellicosissimum militem Imperatoris occiderunt; prope vero Ecclesiam sancti Martini de Cassatis utraque acies inter se diu dimicavit; sed neutra parte super alteram plenarie currere audente, utpote se invicem timentibus, prælium tandem diremptum est.

Im-

Imperator vero Laudæ hyemans, nocte dieque, tam Laudenses, quam Theutonicos strata custodire fecit, per quæ à Brixia & Placentia consueverant victualia Mediolanensibus afferri. Et si qui mercatum aliquod Mediolanum deferre inveniebantur, dexteram manum amputabant eis; sicque protriti & perterriti sunt Mediolanenses, Brixienses, & Placentini; tum quia strata, per quæ ire assueverant, à Papiensibus, & ab his, qui morabantur apud * Munbrionem, & à Laudensibus, & equitibus Imperatoris Laudæ habitantibus, & à Mercoaldo assidue custodiebantur; tum etiam quia manus amputabantur his, qui mercatum inveniebantur deferre; Mediolanumque ad se invicem proficisci non audebant; & ad tantam inopiam victualium devenerunt Mediolanenses, quod in sextario salis dabantur duodecim denarii Mediolanenses, in sextario vero frumenti dabantur duo solidi ad sextarium Mediolanensem. Quocirca Mediolanenses, considerantes, se non habere tantum, quod usque ad novas segetes vitam perducere possent, scientes etiam, Imperatorem esse tam constantis animi, quod usque ad longa tempora non cessaret ipsos opprimere, donec Mediolanum haberet in sua potestate, consilium inter se habuerunt, utilius esse, cum Imperatore ad ipsius placitum pacem componere, sibique de offensis satisfacere, & ab eo misericordiam implorare quam ulterius in tantis angustiis & necessitatibus consistere. Itaque ad Imperatorem incitant, per quos denuntiant, se pro honore ipsius velle murum civitatis, & fossatum à sex partibus destruere, & per eum potestatem recipere. Imperator autem habito consilio suorum Principum, & Cremonensium, Papiensium, Novariensium, Comensium, Laudensium, & aliarum civitatum, & Principum Lombardiæ; legatis respondit, se nolle Mediolanenses aliquatenus recipere, nisi sub eo se ponerent omnifariam sine aliquo tenore, & absque ulla conditione futuri, quicquid eis præciperet. Legati vero Mediolanum reversi, quæ ab Imperatore audierunt, Sapientibus Mediolani aperiunt. Qui diu inter se revolventes, & dentium stridore frementes, quid faciendum sit, titubabant; subversionem civitatis metuentes, si sic Imperatoris jugo penitus se submittant; pavences etiam, si se taliter Imperatori submittere denegaverint, ne post magna detrimenta iterum velint, nolint, se ipsi supponi cogantur; & dum eorum animi sic ab invicem luctantur, postremo quasi omnes in hanc declinant sententiam, se velle potius voluntati Imperatoris parere, & clementiæ ipsius exspectare fortunam, quam ulterius in † guerra permanere. Remittunt igitur ad Imperatorem Legatos, qui Mediolanensium voluntatem sibi aperiant.

Interea die Mercurii, quæ fuit primo die Kalendas Martii anno Dominicæ Incarnationis MCLXII. indictione decima, hora noctis vento plurimum ventilante, ortus est ignis Laudæ in Valle Sella, qui combussit quasi medietatem Valle Sellæ, & Ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ, & Ecclesiam Monialium sancti Joannis cum aliquibus domibus.

Sequenti vero die Jovis in Calendis Martii venerunt Consules Mediolani, scilicet Otho Vicecomes, Amixo de Porta Romana, Anselmus de Mandello, Gutifredus Maynerius, Ardericus Cassimassa, Anselmus Orto, Aliprandus Judex, Ardericus de Bonate, & octo alii milites Mediolani ante Dominum & Serenissimum Imperatorem in Palatio ipsius, quod est Laudæ, cum spathis nudis in manibus; reddentes se Imperatori nomine, & vice totius civitatis eorum, & juraverunt o-

* Paulo ante *Mombrionem* vocat.
† Vide *Notam* 33.

A mnes, prout placuit Imperatori, quod parerent omnibus præceptis ejus, quod facerent similiter jurare omnes cives Mediolani. Dominica vero proxima sequenti venerunt trecenti milites Mediolani ad ipsum Imperatorem in præfato Palatio; inter quos fuerunt triginta sex vexilliferi, qui vexilla in manibus Imperatoris tradiderunt, osculantes illi pedem; ibique fuit Quintelinus Magister Mediolanensis ingeniosissimus, & in quo maximam spem habuerant Mediolanenses, & claves Mediolani Imperatori tradidit in signum totius civitatis. Omnes vero tam vexilliferi, quam alii juraverunt, quod ulterius bona fide sine fraude observabunt B omnia mandata, quæ fecerit eis Dominus Imperator, vel ejus certus Missus *, tam de personis suis, quam de civitate. Itaque præcepit Imperator Consulibus Mediolani, quod ipsi adhuc facerent venire omnes illos, qui fuerant Consules Mediolani à tribus annis retro, & etiam partem peditum Mediolanensium. Igitur in proximo die Martis venerunt quasi mille pedites cum carozolo suo, & vexillo maximo super carozolum, & cum nonaginta quatuor aliis vexillis, quæ omnia in duas tubas, quas habebant, Imperatori tradiderunt, in signum totius Reipublicæ Mediolani. Omnesque suprascripto modo juraverunt. Prima vero die Mercurii abstraxit benignus Imperator Mediolanenses de C banno; & præcepit Mediolani militibus, quod adhuc facerent centum quatuordecim milites, ut haberet ex eis quadringentos obsides, inter hos centum quatuordecim, & alios, qui venerant jam in die Dominica, & qui erant ducentum octoginta sex. Omnibus autem peditibus tribuit licentiam redeundi domum; præcepitque eis, ut tantum de fossato & muro Mediolani demolirentur per unamquamque portam Mediolani, quod cum exercitu suo possit largiter civitatem introire. Elegit quoque Imperator sex Lombardos, & sex Theutonicos, qui Mediolanum irent, & universos Mediolanenses præfato modo jurare facerent. Et ego Acerbus Morena, filius Othonis Morenæ, qui dein- D ceps hanc Historiam dictavi, qui tunc eram Potestas Laudæ, fui unus de prædictis duodecim, & usque ad Sabbatum proximum fecimus jurare quasi omnes Mediolanenses, quos invenimus. Ego quidem, & Fridericus de Asia, Camerarius Imperatoris, fecimus jurare habitantes in Porta Nova; Comes Conradus de Balamite †, & Girardus Carnazano fecerunt fieri sacramenta per Portam Romanam; Guido de sancto Nazario Papiensis, & Ugo Theutonicus per Portam Cumanam; Monachus Otteriti de Cremona, & quidam Theutonicus per Portam Ticinensem. In primo autem die Dominico venerunt centum quatuordecim milites de Mediolano ad inclytum Imperatorem, sicut E ipse præceperat, & etiam viginti sex plures, qui præfato modo juraverunt coram Imperatore.

Sequenti autem die Martis recessit clementissimus Imperator Fridericus de Lauda, & ivit Papiam, una cum benignissima conjuge sua Beatrice, & cum omni quasi suppellectili sua, & cum Duce Bohemiæ, & cum Friderico Duce de Rotemburgo, qui fuit filius Regis Conradi patrui Imperatoris, & cum Marchione Friderico de Saxonia, & cum duobus fratribus ipsius Marchionis, & cum Comite Oldrico de Lanziburgo, & cum Comite Rodulpho de Lando, & cum Raynaldo Cancellario, qui electus erat Archiepiscopus Coloniæ, & etiam cum multis aliis tam Episcopis, quam Marchionibus, & Comitibus Theutonicis, qui o- F mnes erant Laudæ cum Imperatore, & cum omnibus fere militibus, quos Laudæ habebat; duxitque secum omnes prædictos Mediolanenses, quos pro obsidibus retinuerat.

* Id est, Legatus, vide *Notam* 23.
† Supra col. 988. lit. D. *Balamixe*.

Sequenti deinde die Lunæ præcepit Imperator Consulibus Mediolani, ut usque ad octo dies facerent omnes personas, tam masculos, quam fœminas, exire civitatem Mediolani. Quod equidem, licet luctuose, plenarie adimpleverunt Mediolanenses, euntes Papiam, Laudam, Bergomum, atque Cumas, & per alias civitates, & loca Lombardiæ: maxima pars tamen ipsorum stetit circa civitatem circa fossatum, Imperatoris misericordiam exspectantes, atque putantes, quod Imperator civitatem intrare subito eis concederet, & in ipsa solito more habitare. Verum ipse Imperator die Lunæ, quæ fuit sexta die ante Calendas Aprilis, Mediolanum venit cum Principibus suis, & cum Cremonensibus, Papiensibus, Novariensibus, Comensibus, & Laudensibus, & cum illis de Seprio, & Martesana. Qui illuc cum pervenisset, præcepit Laudensibus, ut Portam Orientalem, quæ vulgo *Rentia* dicitur, totam destruerent; Cremonensibus vero Portam Romanam demoliendam commisit, Papiensibus Portam Ticinensem, Novariensibus Portam Vercellinam, Cumanis Portam Cumanam, illis vero de Seprio, & Martesana Portam Novam. Qui omnes ad destructionem sic conati sunt, quod usque ad proximam diem olivarum tantum de muro civitatis consternaverunt, quod ab initio à nemine credebatur in duobus posse mensibus dissipari. Et vere, ut opinio est, quinquagesima pars Mediolani non remansit destruenda, remansit tamen totus murus civitatem circumdans. Qui adeo bonis & magnis lapidibus confectus fuerat, & quasi centum turribus decoratus; quod, ut existimo, nunquam tam bonus fuit visus in Italia, nec deinceps videbitur, præter fortem murum Romanum. Remansit etiam campanile majoris Ecclesiæ miræ pulchritudinis, & magnæ latitudinis, atque mirandæ altitudinis, quale nunquam dicitur fuisse in Italia; quod post paucos dies Imperator in terra deponi fecit, quod tunc super majorem Ecclesiam ruens magnam ipsius Ecclesiæ partem dissipavit. Laudenses autem præteritorum & innumerabilium dolorum memores, quos à Mediolanensibus olim sustinuerant, non solum Portam Orientalem eis commissam ad destruendum plenarie demoliti sunt, verum etiam de Porta Romana magnam partem ad terram prostraverunt. Ipso die Dominico olivarum reversus est Imperator Papiam, & quicumque cum Imperatore Mediolani fuerat, domum reversus est.

Proximo die vero Paschæ fuerunt Papiæ fere omnes Lombardiæ Potestates, & quamplures Episcopi, & Marchiones, & Comites, aliique multi nobiles Italiæ; fuitque ea die Imperator incoronatus Papiæ ad Missam in Ecclesia majori, una cum Serenissima Augusta cum magnis solemnitatibus, maximaque lætitia, quod Imperator ipse annis retro minime fecerat. Proposuerat enim, quod ipse nunquam coronam sumeret in capite, donec Mediolanum superasset. Post missam vero Imperator dulcissimus fecit invitare ad prandium suum omnes Italiæ Episcopos, Marchiones, Comites, & civitatum Consules, qui ibi aderant; inter quos fui ego Acerbus Morena, filius prædicti Othonis, qui hunc librum composui, qui tunc eram Potestas Laudæ. Comederuntque Imperator & Imperatrix cum coronis in capite cum quibusdam Episcopis, qui erant in mensa sua à dextris, & à sinistris cum mitris in capite, & aliis ornamentis Episcopalibus; & fuit ipsum convivium in Curia Episcopi Papiensis, ubi Papienses faciunt concionem; fuit autem ibi maxima lætitia, maximumque gaudium propter fortunam, quam Deus nuper donarat Imperatori.

Sequenti proxima die Martis fuit jurata obsessio Placentiæ coram Imperatore in brolio sancti Salvatoris de Papia ab Episcopis, & Marchionibus, atque Comitibus, & proceribus Lombardiæ aliquibus, & à Potestatibus Cremonæ, Novariæ, Cumarum, Vercellarum, & Pergami, & ego juravi pro civitate Laudensi. Quo audito Brixienses, iram Imperatoris timentes quamplurimum, die Dominico post octavam Paschæ miserunt Consules suos, & plures alios milites Brixiæ ad Imperatorem; qui se Imperatori addiderunt ipsa die, vice totius civitatis cum nudis spathis in manibus suis. Imperator vero eos benigne suscepit, sub his pactis, videlicet; quod ipsi destruerent omnes turres Brixiæ, & totum murum civitatis, totumque fossatum, & quod per Imperatorem potestatem reciperent quemcunque vellet eis dare; & quod ei darent totam illam pecuniam, quam olim à Mediolanensibus receperunt, ut Imperatori resisterent, & ultra hoc sex libras Mediolanensium denariorum veterum; & insuper quod redderent Imperatori omnes arces, & omnia fortia castra, quæ sunt in Episcopatu Brixiæ, & quod jurent omnes Brixienses obedire omnibus præceptis Imperatoris, tam pro faciendo exercitum Romæ, vel in Apulia, & ubicunque præciperet Imperator, quam etiam pro omnibus aliis rebus.

Interea Placentini, postquam hæc audivere, non leviter terrefacti sunt; tum propter Mediolanenses & Brixienses, qui ipsorum sustentaculum fuerant, & Imperatoris jugo se supposuerant; tum etiam propter præfatam obsidionem, quæ super eos jurata fuerat; partim quoque quia Cremonenses, & Papienses, atque Laudenses, aliasque Lombardiæ civitates, quæ cum Imperatore erant, inimicos suos esse cognoscebant. Quare ne per fortiam ab Imperatore, aliisque Lombardis caperetur eorum civitas formidantes, exinde qualiter amorem Imperatoris, ejusque gratiam recuperare possent, tentare assidue non cessabant. Tandem vero ab Imperatore sibi multis datis indiciis, interventu Domini Corradi fratris Imperatoris quadam die Veneris duodecima mensis Maji se reddidere Consules Placentiæ cum aliquibus militibus Imperatori Clarissimo apud sanctum Salvatorem, qui est extra civitatem Ticinensem, cum spathis evaginatis in manu; & juraverunt dare Imperatori sex millia marchas argenti, & destruere omnia fossata suæ civitatis, & muros Cirules, & recipere potestatem, qualem eis dare vellet Imperator, & refutare sibi omnia jura regalia, & dare sibi omnia castra Episcopatus Placentiæ, quæcunque vellet ipse Dominus Imperator.

Quibus omnibus feliciter actis, dedit Imperator nobilissimus Brixiensibus & Pergamensibus in potestatem Marcoaldum de Gambara, Mediolanensibus vero Dominum Episcopum de Legio; Placentinis autem primo dedit Anguinalfum, deinde Arnaldum Barbavariam; Comitem Conradum de Balamite præposuit Ferrariæ; Cumensi Comitatui magistrum Paganum; & sic in multis aliis civitatibus & castris alios præposuit. Cremonensibus, & Parmensibus, atque Laudensibus, & quibusdam aliis præposuit se sub propriis de ipsis civitatibus regi Consulibus. Deinde sequenti mense Julii felicissimus Imperator cum Duce Austriæ avunculo, & cum Comite Palatino fratre ipsius Imperatoris, & cum copiosa multitudine tam Ducum, quam Comitum, Marchionum, atque Episcoporum, aliorumque militum Theutonicorum & Lombardorum, versus Bononiam, quæ nondum Imperiali jugo plenarie fuerat subdita, iter arripuit. Qui dum utranque partem Rheni castris occupassent, Bononienses terrefacti sunt; quoniam non multum fideliter servivisse Imperatori cognoscebant, & ignorantes, quid facerent, & Bononiæ ruinam timentes, si se Imperiali culmini subderent. Denique cum se tanto exercitui non posse resistere cernerent; timerentque plurimum, ne

ne sicut Mediolanum, quod fuerat flos Italiæ, si rebelles Imperatori existerent, funditus subverterentur; colla magis Imperatori submittere, quam resistere, decreverunt; & ad placitum Imperatoris jurantes de fossato, & de muro civitatis explanando, de pecunia ei tribuenda, ac de potestate per eum recipiendo, sunt ipsi Domino Imperatori subjugati. Pollebat equidem tunc Bononia in literalibus studiis præ cunctis Italiæ civitatibus, quatuor legum Columnis inter cæteros magnifice radiantibus. Subjugata est igitur plenarie ipsa civitas Bononiæ Domino Imperatori his quatuor Doctoribus tam excellentibus, scilicet Domino Martino Goria, & Bulgaro, Jacobo, atque Ugone de Porta Ravegnana. Post hæc Imperator profectus est Imolam, deinde Faventiam, civitatibus ipsis ad placitum ejus colla flectentibus. Similiter omnes civitates Lombardiæ, & totius Italiæ, & castra, & arces in illa æstate Domino Imperatori subditæ sunt, præter Guardam, quæ est prope Veronam; quam tunc tenebat procer quidam Tirisendus nomine, qui se Imperatori parere quasi dedignabatur. Contra quem Comes Marcoaldus cum Pergamensibus, & Veronensibus, atque Mantuanis veniens, & quasi per annum ipsam arcem obsidens, tandem cum ipso Tirisendo fœdere composito obtinuit ipsam arcem. Æstatis vero prædictæ mense Augusto statutum est maximum colloquium in Lombardia apud Berenzonam à Domino Papa Victore, & ab Illustrissimo Imperatore Friderico, & à Rege Franciæ, & à Raynaldo quondam Cancellario, qui & ipse Apostolicum nomen assumpserat; ut quis dignus in Apostolicatus honorem sublimandus esset, dilucide discuteretur. Fuitque ad ipsum colloquium præfatus Papa Victor, & Serenissimus Imperator cum immensa multitudine Archiepiscoporum, Abbatum, aliorumque Clericorum, & Principum, atque militum; ibique cum statutum fuisset per decem religiosos Episcopos, quorum quinque ex parte Papæ Victoris, & quinque ex parte Raynaldi præfati, ac Regis Franciæ, qui Raynaldo favebat, electi essent, ut discuteretur veritas, atque plenarie ex utraque parte indagaretur; prædictus Raynaldus ipsorum decem Episcoporum examini se subdere recusavit. Ita dirupto colloquio Dominus Papa Victor Cremonam ivit; Imperator vero cum Serenissima conjuge ejus Augusta, & aliis Principibus, ac immenso exercitu proficiscitur in Theutonicam.

Post paucos vero dies remisit Dominus Imperator in Italiam Raynaldum Archicancellarium, & electum Archiepiscopum Coloniæ; ut vice sua, quæ forent ordinanda in Italia, statueret ipse. Archicancellarius aliquantulum in Lombardia, & in Marchia, deinde Tuscia, & Romania singulas civitates perambulans, sua solertia eximia omnes civitates & Principes Marchiæ, & Tusciæ, atque Romaniæ ad Imperatoris amorem & obsequium mirabiliter provocavit, & ad honorem Domini Papæ Victoris quosdam Episcopos rebelles ei deposuit; aliis in locum eorum subrogatis. Deinde misit in Italiam Clarissimus Imperator quasi circa festum sancti Andreæ Hermannum Verdensem Episcopum de Saxonia; deditque ei potestatem, ut de omnibus causis Italiæ, tam de principalibus, quam de litibus appellationum sua vice cognosceret, easque legitimo tramite definiret. Qui & ipse partim Laudæ, partimque in aliis, tam Marchiæ, quam Lombardiæ civitatibus sapienter & moderate mandatum Imperatoris adimplevit.

Sequenti vero proxima æstate, quæ fuit MCLXVII. ab Incarnatione, cepit Rodulphus Theutonicus, quem Imperator monetæ suæ, quæ fiebat in burgo Noxeta, præfecerat, quandam maximam Turrim in ipso burgo, ad gubernandum ibi intus monetam Domini Imperatoris; & apud Maguntiam

A inceptum est maximum Palatium ad ejusdem honorem. Archiepiscopus vero electus Coloniæ fecit Castrum de monte malo, quod est in Episcopatu Laudæ, reædificari. Eodem anno redditum est Castrum Guardæ à Comite Marcoaldo Tirisendo, cujus ipsum fuerat; & qui usque nunc Imperatori restiterat, omnibus aliis civitatibus, & castris, atque arcibus Italiæ Imperatori tum suppositis; & quam arcem Guardæ prædictus Marcoaldus partim cum Brixiensibus, partim cum Pergamensibus, tum etiam cum Veronensibus, & aliis Lombardis quasi per annum obsederat.

Die vero Lunæ, quæ fuit quarta dies ante Calendas Novembris prædicti anni, reversus est de
B terra Theutonica Christianissimus Augustus in civitatem Laudæ cum Serenissima conjuge sua, & cum electo Coloniæ Archiepiscopo, & cum Hermanno Verdensi Episcopo, & Conrado electo Maguntiæ Archiepiscopo, qui frater erat Othonis Comitis Palatini, & cum ipso Comite Gabardo, & Comite Marcoaldo, & Comite Conrado de Balamite, atque cum filio Ducis Guelphi, & cum multis aliis Principibus, & Baronibus Alemaniæ.

Deinde proxima die Sabbati, quæ fuit secunda dies mensis Novembris venit Laudam Dominus Papa Victor cum suis Cardinalibus; & proximo die Lunæ fuit ductum à Laude veteri in novam civitatem Laudæ corpus beati Bassiani Confesso-
C ris, cum maximo honore, maximaque lætitia. Ipsemet enim Apostolicus, & Imperator inclytus, & Patriarcha Aquilegiensis, & Abbas Cluniacensis cum aliis quibusdam Episcopis & Archiepiscopis extra majorem Ecclesiam Laudæ corpus ipsum pretiosum suis humeris portaverunt, & ab aliis deinde tam Clericis, quam laicis ad novam Laudæ translatum est. Obtulit autem ipse clementissimus Imperator ad fabricationem Ecclesiæ triginta libras denariorum Imperialium, Serenissima vero conjux ipsius obtulit ipsi beato Bassiano libras quinque.

Deinde quadam die Sabbati XVI. prædicti mensis Novembris ivit Imperator cum Imperatrice, & universo exercitu suo Papiam, ibique per aliquot
D dies moratus est. Papiensibus autem ipsum multum rogantibus, jussit murum civitatis Terdonæ totum destrui; eo quod Mediolanenses ipsum olim construxerant ad dedecus Imperatoris, & Papiensium. Papienses vero magno repleti gaudio non solum murum civitatis, verum etiam domos universas intus ædificatas celeriter destruxerunt. Hyemavit denique clementissimus Imperator partibus illis. Die autem Mercurii, quæ fuit Calend. Aprilis anno Domini MCLXIV. indictione XII. reversus est Laudam, & proxima die Jovis Papiam profectus est. Præfata vero hyeme fuit inceptum reædificare castrum de sancto Columbano ex præcepto Imperatoris ad ejus honorem & utilitatem, magnumque
E suburbium ibi fieri præcepit. Et eisdem temporibus Veronenses, & Paduani, ac Vicentini, cæterique de illa Marchia, præter paucos Imperatoris fideles, Imperatori se opposuerunt; partim etiam, quia dicebant se à Comite Palatino, cui Imperator Guardam donaverat, & etiam ab aliis Missis Imperatoris enormiter gravatos esse. Quod ut Imperator cognovit, multum doluit, & Nuncios de Cremona, de Papia, de Novaria, de Laude, atque de Cumis Veronam misit; qui Veronenses, & illos de Marchia commonerent, ut de stultitia, quam inceperant, resipiscerent; & si quod eis molestiæ Nuntii Imperatoris intulissent, plenam inde justitiam ab Imperatore reciperent in Lauda.
F Sapientes Lombardiæ, qui Veronam sunt profecti, convocatis Sapientibus Veronæ, & Marchiæ, ibi sicut eis Imperator mandaverat, omnia retulerunt; denique post multa verba hinc inde dicta ad Imperatorem cum Nuntiis ipsius venerunt. Coram quo Papiam cum venissent, & ad invicem de con-

 cordia

cordia diu tractassent; tandem, Imperatore justitiam facere sub nulla potestate volente recesserunt.

Dominus vero Papa Victor die Lunæ primo mensis Aprilis in civitate Lucæ fati munus implevit (*pro hoc mendaci stylo dicit schismaticus auctor in gratiam schismaticorum, ut asserit Baronius Annal. tom.* 12.) cujus sanctis meritis dicitur, Deum multa fecisse ibi miracula. Deinde in locum ipsius D. Guido Cremensis substituitur à Cardinalibus tunc ibi exsistentibus, & à Domino Raynaldo Archicancellario, ac Episcopo Laudensi, & aliis quibusdam Episcopis in Apostolicæ Sedis honorem sublimatus est.

Proximo vero mense Junio profectus est Imperator cum militibus civitatum Lombardiæ, & cum paucis Theutonicis usque prope Veronam; & multa Veronensium castra & villas dissipavit; è contra Veronenses cum multo majori peditum & equitum agmine se Imperatori opposuerunt. At Imperator considerans, paucos Theutonicos secum fore, & Lombardos tepide ad ejus auxilium venisse, bellumque, si tunc committeretur, damnosum sibi futurum, pavescens, cum toto suo exercitu reversus est. Quo dolore commotus in Alemaniam causa congregandi maximum Theutonicorum exercitum ire disposuit.

Ea vero tempestate quidam Judex de Sardinia de civitate Ebonca, maxime opulentus, ad majorem dignitatem provehi desiderans, ab Imperatore cœpit implorare, ut regio solio decoraretur. Tandem Principum, ac non modicæ pecuniæ interventu, pro posse licet resisterent, ac rogarent populi, ne illum Regem constitueret, die Lunæ tertia mensis Augusti ipsum Imperator Regem Sardiniæ instituit; promittentem, & jurantem Imperatori fidelitatem. Sequenti vero mense Septembri Imperator cum Imperatrice causa colligendi exercitum, ut superius dictum est, in terram Theutonicam cum omnibus fere, qui secum erant ex Theutonicis, perrexit; suosque Missos & Procuratores per omnes fere Lombardiæ civitates, qui sua jura, suasque rationes, quas in Lombardia habere debebat, colligerent, dimisit.

Qui cum in Alemaniam profectus esset, ibique causa congregandi exercitum plurimum moraretur; prædicti sui procuratores non solùm jura & rationes Imperatoris in Lombardia exigebant, sed in septuplo plus, quam sibi de jure deberetur, à Lombardis inique & irrationabiliter extorquebant; & in tantum ipsos Lombardos omnes tam Clericos, quam laicos, magnos, & parvos opprimebant, quod se quasi mortuos reputabant; & cum tam graviter ab ipsis Imperatoris Nuntiis comprimerentur; se ab eis, licet possent, defendere non volebant, Imperatoris magis amore, quam timore; dicentes intra se mala, quæ sibi fiebant, Imperatori displicere; & cum ipse veniret, eos à tantis oneribus adjuvabit. Quare adventum suum quotidie exspectantes, mala omnia, quæ sibi ingerebantur, pacifice sustinebant.



Interea dum hæc in Lombardia agerentur, tandem Imperator cum sua nobili conjuge in anno MCLXVI mense Novembris, indictione quintadecima reversus est in Lombardiam; & Laudam veniens cum conjuge, multisque etiam suis Principibus tam Theutonicorum, quam Lombardorum, ibi maximum colloquium Lombardorum & Alemanorum habuit; & in ipso colloquio cum toto exercitu Romam ire disposuit. Tunc vero Episcopi, Marchiones, Comites, Capitanei, & alii proceres, & magnates Lombardiæ venientes ante Imperatorem, de prædictis suis Procuratoribus & Nuntiis durissime conqueruntur; & mala ab eis sibi illata Imperatori, ejusque Curiæ ordine retulerunt. Imperator vero, hoc audiens, in primis multum se dolere monstravit; sed tamen in fine querimonias Lombardorum quasi vilipendens, & pro nihilo habens, nihil inde fecit. Hoc autem videntes Lombardi, plurimum doluerunt; & quasi existimantes, quod de Imperatoris voluntate & consilio, qui de suis querelis parum curare videbatur, tantas injurias sibi fecissent Procuratores sui, timuerunt nimis, ne sibi majores fierent in posterum, deteriusque contingeret.

Finito itaque colloquio, & transacta sanctissimæ Dominicæ Nativitatis festivitate, Imperator cum conjuge sua, & cum toto exercitu suo, die Mercurii XVI. mensis Januarii in anno MCLXVII. indictione quintadecima, Romam versus profectus est; qui cum Bononiam pervenisset, à Bononiensibus obsides petiit. Bononienses vero petitioni suæ libenter obtemperantes, ei plures triginta obsides concesserunt; quos omnes Imperator Parmam misit, mandans, ibi eos omnes diligenter custodiri. A Bononia vero discedens cum apud Imolam † pervenisset, ab Imolensibus, quia eos destruere minabatur, & à Faventibus, & ab illis de Forlini, & à Forli * populo multas pecunias exegit; & ibi circumquaque usque ad Quadragesimam, & usque ad festum sancti Petri permansit; deinde ad civitatem Anconæ perrexit, & eam capere volens fortiter expugnavit; sed quia ipsa civitas fortis erat valde, & etiam bene murata, cives ipsius eam viriliter defenderunt. Sed tamen quampluribus ex eis vulneratis, multisque mortuis, & etiam captis, cum Imperatore fœdus inierunt; magnam sibi pecuniam promittentes, pro qua sibi solvenda ei quindecim obsides tradiderunt. Hoc vero fœdere inito Imperator inde recedens, versus Romam cepit iter.

Dum hæc autem Tusciæ & Romaniæ ab Imperatore agerentur, Procuratores ipsius, quos in Lombardia reliquerat, super ipsos Lombardos iniquius solito sævientes, ipsos tantis, & tam gravibus contumeliis & injuriis affligebant, quod nullo modo sic gravatos se posse vivere existimabant. Quare Mediolanenses, qui durius aliis opprimebantur, cum Cremonensibus, Pergamensibus, Brixiensibus, Mantuanis, & Ferrariensibus colloquium statuerunt; in quo cum omnes insimul congregati mala sibi à Nuntiis Imperatoris illata ad invicem retulissent, magis mori cum honore, quam miserabiliter vivere eligentes, hoc pactum ibidem cum juramento inter se firmaverunt; videlicet, unaquæque civitas alteram adjuvaret, si Imperator, aut Procuratores ejus de cætero eis, vel alicui earum, aliquam malitiam inferrent, vel eos contra rationem in aliquo molestarent; salva tamen Imperatoris omni fidelitate, quam per hoc pactum infringere nullatenus intendebant. In ipso etiam colloquio certum terminum statuerunt, in quo omnes Mediolanum pergerent, & ipsos Mediolanenses in sua civitate ponerent, & cum eis in ipsa tamdiu manerent, & eos ad fossata eorum ⟊ relevanda adjuvarent, quamdiu ipsi Mediolanenses se solos ibi manere securiter posse minime dubitarent. Quibus sic peractis, omnes ab ipso colloquio recedentes ad suas civitates cum ingenti gaudio redierunt. Appropinquante vero ipso termino, prædictæ civitates Mediolanum venientes cum vexillis & armis, ipsos Mediolanenses in civitatem Mediolani cum magna lætitia mense Aprilis introduxerunt; & eis omnia, quæ promiserant, impleverunt. Quando vero Mediolanenses putaverunt, se ibi posse manere secure, prædictas civitates, maximas gratias referentes, omnes redire domos suas concesserunt. Hæc autem omnia cum ad Imperatorem pervenissent, palam se habe-

† Forum Cornelii. * Forum Livii. ⟊ De variis significationibus hujus verbi vide *Notam* 14.

re

re pro nihilo, & quasi de hoc non curare monstravit. Tamen hæc clam graviter accipiens, doluit vehementer.

Posthac vero Cremonenses Ambasciatores Laudam miserunt; qui cum venissent Laudam, & totam insimul Laudensium credentiam * habuissent, rogaverunt eos ex parte Cremonensium, quod ipsi cum Cremonensibus & aliis civitatibus secum conjuratis fœdus inirent, salva tamen Imperatoris fidelitate; dicentes eis, quod si Imperator, vel ejus Nuntii vellent eis de cætero aliquod malum inferre, prædictæ civitates eos in omnibus adjuvarent. Laudenses vero id, quod nunquam audire volebant, nec putabant, audientes, & in magnum dedecus, magnumque dolorem accipientes tunc ipsa verba, inde simul omnes vociferati sunt, dicentes, se magis velle mori, & eorum bona omnia amittere, quam hoc tale scelus perpetrare. Et sic nullo bono verbo à Laudensibus super hoc tunc audito, nec habito, Cremonenses, qui putabant, Laudenses omnia sine dubio facere, quæcunque sibi suggererent, discesserunt. Qui cum pervenissent Cremonam, & omnia, quæ à Laudensibus audierant, per ordinem enarrassent, omnes inde valde condoluerunt †. Post paucum tempus iterum Cremonenses alios Ambasciatores Laudam miserunt; quibus hoc idem, quod primis, persuadentibus, acrius quam prius responderunt. Ambasciatores vero talia audientes, quamvis mœsti, statim domum sunt reversi. Postremo igitur Cremonenses multum inde turbati, convocatis aliis civitatibus, & secum colloquium habentibus; sicut cum Laudensibus egerant, & qualiter eis responderant, narraverunt. Qui omnes tam gravem responsionem Laudensium audientes, statim communicato consilio, statuerunt exercitum quam magnum poterant facere super ipsos Laudenses; antea tamen ex eis nobiles & sapientes Ambasciatores miserunt; qui ipsos Laudenses ex parte eorum omnium intime rogarent, quatenus pro totius Lombardiæ sustentatione & honore cum eis fœdus inirent, & pactum, & concordiam, sicut etiam per alios Ambasciatores rogati fuerant, secum firmam in perpetuum facerent; & hoc si facere renuerent, scirent, ipsas omnes civitates super eos proculdubio venturas, & totum Episcopatum Laudensium igne, præda, omnique alio damno, quo poterunt, vastaturos; & cives ipsius belli manganis & omnibus aliis ad prælium faciendum, & civitatem capiendam necessariis, prout melius poterunt, oppressuros; & si civitatem violenter caperent, sicut bene posse facere putabant, totam ipsam in primis exspoliarent, deinde eam igne accenderent, & penitus dissiparent; homines insuper, & fœminas, quas in ipsa civitate invenirent, occiderent.

Ambasciatores autem cum Laudem pervenissent, cum ipsis Laudensibus colloquium facientes, narraverunt sibi per ordinem omnia supradicta. Laudenses vero hoc audito, quamvis mœsti nimis inde forent, tamen propositum suum firmiter tenentes, his Ambasciatoribus hoc idem, quod aliis responderunt. Qui tali responsione habita, statim ad eos, à quibus missi fuerant, revertentes, eis voluntatem & responsionem Laudensium narraverunt. Qui cum hoc audissent, adversus Laudenses multum irati, incontinenti super eos exercitum facere decreverunt. Tempore vero inter eos statuto, Mediolanenses, Pergamenses, Brixienses, Mantuani, & Cremonenses maximum exercitum insimul colligentes, cum navibus coopertis, & discoopertis, atque cum plaustris, & ballistariis, & cum arcatoribus, & manganis, & aliis ad prælium faciendum necessariis, die Veneris duodecimo mensis Maji ejusdem anni, indictione decimaquinta, venerunt ad obsidendam civitatem Laudensem. Cremonenses namque per totam Sylvam Græcam cum navibus & tentoriis hospitati sunt, Mediolanenses autem cum omnibus aliis, exceptis Pergamensibus peditibus, à Curte, quæ dicitur *de Isola*, usque ad hospitale sancti Blasii, quod est situm supra costam paludis de Sylva Græca ante portam Imperialem, & portam Papiensem, & portam Cremonensem castrametati sunt. Pergamenses vero pedites ex alia parte Abduæ postea post plures dies applicuere. Sequenti itaque die Veneris maximum prælium inter Cremonenses & Laudenses ad Cantonem de Serra Valle juxta flumen Abduæ, & etiam in ipsa commissum est: in quo multi ab utraque parte vulnerati sunt. Sed tamen Laudenses fortiter pugnantes viriliter se defenderunt. Ipso etiam die Veneris prædictæ civitates fabricare cœperunt quendam pontem super ipsum flumen Abduæ prope portum publicum ex navibus insimul confixis. Sequentibus autem diebus Sabbati & Dominicæ ipsos Laudenses ex improviso cum pilotis & lapidibus, plerumque etiam cum ensibus & lanceis plurimum die, noctuque infestabant. Denique Laudenses cum tantæ multitudini se nequaquam posse resistere cernerent; viderentque, sibi imminere periculum mortis, quam eis minabantur ipsorum inimici, si eos per vim vincere contingeret, post damna plurima eis in rebus & personis illata, pactum & concordiam cum prædictis civitatibus, salva semper Imperatoris fidelitate, proximo die Lunæ sequenti fecerunt, prout ab eis ipsæ civitates requirebant. Sequenti vero die Martis omnes ab obsidione civitatis Laudæ cum magno gaudio recesserunt. Sed aliis domum sic lætanter redeuntibus, Mediolanenses & Pergamenses cum manganis & petreriis ad obsidendum Castrum Trecii; in quo Imperator dimiserat quendam suum militem Theutonicum, nomine Ruinum; & ipsum Castrum optime muro grossissimo & turre altissima muniri fecerat; multasque divitias & pecunias ibi congregaverat, valde læti perrexerunt. Ipso etiam die Martis Lambertus in Lauda Procurator & Missus Imperatoris una cum Comite *Lantelmo de Crema, ejusque filiis, & Joanne della Montagna, & Bellone Pius * impulse, qui dicitur de Curte tunc Consule Papiæ, qui omnes in occursum Laudensium tunc venerant una, & cum Medio presbytero de Summaripa, & Manfredo Morena, & Petrutio Muntio, & Arialdo Pocaledo, & Malfaxado de Lixano Laudensibus equitibus † tensa Cremonæ ‡ rituum iverunt ad civitatem Papiæ, qui tam parvo tempore cum ipso Lamberto Papiæ morati, domum reversi sunt. His itaque Laudæ sic peractis, Mediolanenses & Pergamenses, qui ad castrum Trecii obsidendum perrexerant; castello ligneo, & manganis, & petreriis quampluribus ibi ædificatis; quodam etiam ponte ligneo super flumen Abduæ, quæ fere circumquaque deambulabat post castellum fabricato; ab obsidionem castri ipsius usque ad festum sancti Laurentii tunc proxime venientis steterunt, antequam ipsum capere possent. Sed cum prædictus Ruinus, & Theutonici, atque Lombardi, qui amore Imperatoris castrum ipsum causa defendendi intraverant, pluries Imperatori misissent, quod nisi eis succurreretur, ipsum defendere nequaquam possent; & ab eo, nec ab eis amicis succursum aliquem haberent; scientes Mediolanenses & Pergamenses firmiter ordinasse, eos omnes interficere, si per fortiam ipsos caperent; tandem ipsum castrum dolentes multum hoc modo reddiderunt, videlicet; quod omnes, qui in ipso erant, relicto castro, omnibusque etiam rebus, quæ intus erant dimissis, sani & incolumes extra castrum abirent; præter jam dictum Ruinum, & omnes Theutoni-

* De hac voce pluribus *Nota* 96. † Consulenda *Nota* 297.

* Vitium in exemplari. † Fuse hac de voce *Nota* 217. ‡ Aliud vitium.

cos,

cos, & paucos Lombardos, qui illud intraverant; quibus solummodo vitam concesserunt, & eos Mediolanum in vinculis ducentes in carceribus detruserunt. His itaque extra castrum ire præmissis, Mediolanenses & Pergamenses, & alii, qui ad obsidionem ejus fuerant, ipsum intrantes, in primis totum expoliaverunt, deinde totum combusserunt. Postremo muros ipsius, & Turrem pulchriorem, quam in tota Lombardia tunc fuisset, in terram prostraverunt. Hæc autem omnia cum Imperatori fuissent relata, quamvis inde se multum dolere non monstrasset, tamen graviter nimis suscepit.

Interea dum hæc in Lombardia sic agerentur, Raynaldus Coloniæ Archiepiscopus electus, qui Imperatoris Archicancellarius fuerat, & Christianus Imperatoris tunc Cancellarius, Comes Robertus de Bassavilla, Comes Macharius, & Braymerres, qui erat miles fortissimus, & alii primates Tusciæ tunc temporis cum eorum exercitu in Romania apud Tusculanum erant: qui omnes non erant ultra mille equites. Dux vero Fridericus, Regis quondam Conradi filius, homo pulcher, multum fortis, sapiens, & ingeniosus, cum suo exercitu in illis partibus tunc manebat. Sed tamen cum prædicto Archiepiscopo apud Tusculanum non erat. Romani vero, quia Imperatori, ejusque fidelibus tunc adversabantur, audientes prædictum exercitum apud Tusculum fore, & ipsum invadere cupientes; ubique pro suis amicis & fidelibus mittunt, ut delectum habeant, exercitumque præparent, proficiscendi diem statuentes. Statuta vero die, omnes tam equites, quam pedites parati, qui fere innumerabiles erant, versus Tusculum ire cœperunt. Contra quos Coloniensis Archiepiscopus, Christianus Cancellarius, Comes Robertus, & Comes Macharius, cæterique Principes, qui cum ipsis erant, cum eorum parvo exercitu, tam Theutonicorum, quam Tuscorum, & Lombardorum, quamvis essent paucissimi respectu Romanorum, qui plus triginta millibus extimabantur, audacter & intrepide perrexerunt. Cum vero utraque pars in campo fuit, & una aliam diligenter inspexit, vexillis levatis, signoque dato, & maximo clamore hinc inde levato, acriter se invadunt, fortiterque pugnant, & ab utraque parte multi vulnerantur, multique interficiuntur. Sed quia Romani erant pro uno xx. respectu adversariorum, impetum magnum super eos fecerunt; Theutonici autem, quia paucissimi erant versus illos, propter multitudinem ipsorum vix sustinere potuerunt; sed tamen viriliter se defendentes firmiter permanserunt. Archiepiscopus autem, & Cancellarius, aliique Principes, qui secum erant, hoc videntes valde perterriti sunt; sed tamen ipsi videntes, se non posse evadere, nisi ferro iter aperiretur, ipsemet Archiepiscopus & Cancellarius vexillum in manibus afferentes acriter nimis irruerunt super ipsos Romanos. Quibus ...... equites Romanorum pedites suos in campo deserentes fugere cœperunt. Pedites vero videntes, sic se deseri, terga verterunt similiter & ipsi, super quos Theutonici graviter irruentes, atque sequentes, plures duodecim millibus interfecerunt, pluresque tribus inter equites & pedites ex ipsis ceperunt; quos omnes vinctos ducunt Viterbium, & in carcerem introducunt ibidem. His quidem sic peractis, Archiepiscopus, & Cancellarius, quam citius possunt ad Imperatorem Nuntios dirigunt, qui sibi per ordinem nuntient supradicta. Qui cum hoc audisset, Deo multas gratias agens valde gavisus est.

Tunc vero temporis Rex Siciliæ quoddam castrum Imperatoris volens capere, cum suo exercitu fortiter expugnabat. Quod Imperator audiens, assumptis solummodo equitibus, privatim die & nocte equitans in succursum prædicti velociter ire festinavit. Cum autem jam per plures dies equitasset, & prope exercitum Regis venisset, nuntiatum est eis Imperatorem appropinquare cum exercitu suo. Quod ut Rex audivit, statim castris desertis atque relictis cum suo exercitu cœpit abire. Imperator autem hoc audiens ita eum persecutus est, quod apud transitum cujusdam aquæ, plures ex ejus equitibus, qui tam cito ipsum flumen transire non potuerunt, cepit. Cumque flumen idem Imperator transire non posset, revertens prædictum castrum bene munivit; & postea castrum quoddam aliud, quod prædictus Rex Comiti Roberto de Bassavilla jam abstulerat, obsedit, & devicit, ac jam dicto Comiti Roberto alacriter restituit. Deinde lætus ad castrum remeavit. Ad locum autem, qui dicitur ..... permanens, & ibi circumquaque fere omnia oppida, villasque deprædatus est, combussit, atque dissipavit, inde etiam multam pecuniam extorsit.

Interea Dominus Guido Cremensis, qui Viterbii morans ab Imperatore, & à multis Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus, aliisque quampluribus mundi hominibus tunc pro Papa habebatur; Imperatoris adventum diu exspectans, & affectu nimio desiderans; ad eum quamvis sæpe alios misisset, novissime Legatos suos quamplures destinavit; mandans, ut quam citius posset, absque dilatione Romam veniret, hostes debellaret, & Raynaldum Cancellarium, qui tunc pro Papa in Roma, & in quibusdam aliis partibus multis tenebatur, qui tunc Romæ morabatur, de Roma expelleret, & ipsum Romæ in possessione Papatus poneret, & manteneret. Imperator vero voluntati & consilio dicti Domini Guidonis, qui dicebatur Papa Paschalis, annuens; Romamque cum magno gaudio veniens, in anno MCLXVII. die Lunæ, IX. Cal. Augusti, Indictione XV. in monte prope Romam cum suo exercitu castrametatus est. Deinde cum omnibus suis equitibus, sicut armati venerant, ad portam Romæ, quæ dicitur Porta Viridaria, quæ est ex parte sancti Petri versus montem Gaudium veniens, ibique maximum prælium committens, tandem eos superavit, & devicit, atque fugavit; totumque locum, qui Cortina sancti Petri dicitur, & etiam porticum sancti Petri cepit, & domos expoliavit, atque combussit, pluribusque etiam hominibus interfectis, multos cepit. Romani igitur intra civitatem ex illa parte Tiberis se recipientes, & multum pavidi stantes, ex hac Tiberis parte venire non sunt ausi. His autem, qui ex parte jam dicti Papæ Alexandri tunc tenebant, & ipsam Ecclesiam bene muniverant, se defendentibus viriliter; Imperator jam intrare nullo modo tunc potuit, sed per totam hebdomadam ipsam eos quotidie invadens, & prælio infestans, eos vincere nitebatur. Theutonici vero, cum se eos per fortiam capere non posse prospicerent, proximo die Sabbati infra Ecclesiam sanctæ Mariæ Virginis, quæ dicebatur *de Laborerio*, & quæ sita est supra Ecclesiam sancti Petri ante atrium ipsius Ecclesiæ apponentes ignem, totam ipsam Ecclesiam sancti Petri ..... Ipsa vero Ecclesia beatissimæ Virginis tota est combusta, & penitus dissipata. Tunc etiam liquefacta est, & combusta quædam mirabilis Imago facta in muro ipsius Ecclesiæ versus Ecclesiam sancti Petri, & auro purissimo, & splendidissimo decorata, cui similis in Italia nunquam fuerat visa, & quæ facta erat ad imaginem Domini nostri Jesu Christi; ante quam stabat quædam alia pulcherrima Imago facta ad imaginem sancti Petri, quæ similiter liquefacta est penitus, & combusta. Quod videntes illi, qui supra Ecclesiam sancti Petri stabant, non ullum succursum à Romanis posse habere cernentes, maximo timore perterriti, statim Imperatori se, & ipsam Ecclesiam red-

reddiderunt, jurantes etiam fidelitatem sibi, sicque eos Imperator abire permisit.

Sequenti igitur proximo die Dominico prædictus Papa Paschalis cum suis Cardinalibus in ipsa Ecclesia sancti Petri Missam honorifice & cum magno gaudio celebravit. Ipsoque die in capite Imperatori circulum aureum tantummodo imposuit. Sequenti vero die Martis, in quo fuit festum sancti Petri ad Vincula, prædictus D. Papa Paschalis D. Federicum Imperatorem, & Serenissimam Augustam Beatricem conjugem suam ex coronis auro purissimo & multis pretiosissimis gemmis decoratis coronavit in ipsa Ecclesia sancti Petri, Romani itaque hoc cernentes, & cum Imperatore pugnare se minime posse considerantes, nec etiam flumen Tyberis transire audentes, fœdus cum Imperatore magis, quam bellum facere decreverunt. Ambasciatores igitur ad Imperatorem dirigunt, fœdusque cum eo faciunt, Papamque Paschalem in perpetuum se pro Papa habere & tenere firmiter cum jurejurando promittunt; ac omnes, præter Fricapanes, & quamplures alios Romæ nobiles, qui maximas turres, & domos, & fortitudines habebant in Roma, nec leviter capi tam cito poterant, fidelitatem Imperatori facere disposuerunt. Hoc itaque sic peracto, Imperator suos Nuntios ad fidelitates Romanorum suscipiendas in Roma ultra Tyberim direxit: inter quos fuit Acerbus Morena Laudensis civis, & Imperialis Curiæ Dux; qui jussu Imperatoris in Roma ultra Tyberim præsens, per plures dies innumerabiles fidelitates Imperatori factas suscepit.

Hucusque pertinet Historia Acerbi Morenæ, quam, morte correptus, ulterius producere non potuit.

Interea dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima, ac miserabilis, & mortalis pestilentia super Imperatorem, ejusque totum exercitum divinitus accidit. Sequenti namque die Mercurii proxima cum maxima cæli serenitas esset, statim quasi in ictu oculi mirabiliter pluere cœpit; deinde post aquam serenitas magna & clara nimis facta est; statimque infirmitas super Imperatoris exercitum talis excrevit, quod equites, & pedites, atque scutiferi corruebant & moriebantur; ob quam rem Episcopi, Archiepiscopi, Comites, Marchiones, & Duces, aliique multi nobiles, & ignobiles, qui in ipso exercitu erant, corruebant. Obiit namque Dux Fridericus in Rotemburgo, Regis quondam Conradi filius, & Imperatoris germanus consobrinus, de quo immensus dolor fere per totum inolevit; quoniam ipse homo erat magnæ virtutis. Decessit etiam tunc Dux Guelphus Ducis Guilermi filius, & Raynaldus Archicancellarius, & Coloniæ electus Archiepiscopus, homo maximi ingenii; & cujus scientia & probitate Imperium multum fuerat sublimatum. Episcopus etiam de Lexe vita privatus est. Tunc etiam mortuus est, hujus libelli hucusque auctor, Acerbus Morena; qui cum febricitare cœpisset in Roma, domum redeundi ab Imperatore licentiam per plures vices petierat; eaque sibi concessa usque ad Senam lavagelam in quodam lectulo super duos equos facto à scutiferis suis se duci fecit, ibique plures duodecim hebdomadis infirmus jacens, postremo die Mercurii, quæ fuit XIV. ante Calendas Novembris in anno MCLXVII. Indictione prima, in festo sancti Lucæ Euangelistæ, ibi mortuus est, & apud Ecclesiam sancti Petri sitam in suburbio civitatis Senæ prope viam Romeam sepultus est.

Imperator vero videns, gentem suam strage corruere, relictis multis infirmis, Romam deseruit, & versus Tusciam ire cœpit. Deinde jam dicto Papa Paschali relicto, quam citius potuit Lombardiam intravit. Sed tamen antequam Lombardiam attingeret, plures duobus millibus ex his, qui secum fuerant, in ipso itinere gladio solummodo Dei perierunt. Hi autem, qui tunc mortem vincere potuerunt, omnes infirmati usque ad necem, tandem tonso capite vix evadere potuerunt; tamen qui evaserunt per totam hyemem omni colore perdito passi sunt. Ad locum autem Pontremolus cum appropinquasset, Pontremolenses eum nequaquam per locum suum transire permiserunt. Sciens vero Imperator, se per fortiam ipsis nolentibus inde transire non posse, cum suis, qui infirmi & pauci erant, cum hac parte castri, quod Malinium vocatur, jam transisset, versus Marinam partem tendens, per terram Marchionis Malaspinæ Obizonis, ipso Marchione eum ducente, iter arripuit; & inde die Martis XI. Septembris eadem indictione Papiam intravit. Postea vero eodem mense Septembris eadem indictione quadam die Jovis, quæ fuit decimo die ante Calendas Octobris, in festo sancti Matthæi Apostoli, in anno MCLXVIII. posuit dictus Imperator palam in concione omnes civitates Lombardiæ, quæ sibi erant contrariæ & adversus eum juraverant, in banno, projecto ibi coram omnibus * guanto, exceptis Laude & Cremona.

Sequenti autem die Martis ibidem Imperator una cum Papiensibus, Novariensibus, & Vercellensibus equitibus, & Marchione Gulielmo de Monte Ferrato, & Marchione Obizone Malaspina, & Comite de Blandrate, qui omnes cum eo tunc apud Papiam erant, super terram Mediolanensium equitavit; & totum locum de Rosate, & de Abbiate Grasso, & de Maxenta, & de Corbetta, aliaque etiam multa Mediolanensium loca prope Ticinum manentia devastavit, & maximam cum suis prædam reportavit. Hoc autem Laudenses, & Pergamenses, atque Brixienses equites, qui tunc pro custodia Laudæ erant, & Cremonenses & Parmenses, qui tunc etiam pro custodia Placentiæ erant, cognoscentes, Mediolanum in succursum eorum concurrerunt. Quod Imperator ut audivit, quam citius potuit ad Ticinensem civitatem rediit; & non descendens de equo, sed stans super eo ad sanctum Petrum Cælum Aureum, qui situs est parum contra Portam Palacensem civitatis Papiæ, parum comedens, statim cum omnibus suis jam dictis militibus, qui secum tunc erant, ultra Padum per pontem quendam, quem Papienses super ipsum flumen Padi ad locum, ubi dicitur *Portus Pioclosus*, ex navibus jam antea construxerant, super Placentinorum territorium equitans, ipsorum oppida & loca plurima devastavit, combussit, multamque etiam prædam inde extorsit. Hæc autem Cremonenses, Mediolanenses, Laudenses, Pergamenses, Brixienses, atque Parmenses audientes, statim iverunt versus Placentiam in succursum eorum. Quod ut Imperator audivit, quam cito potuit Papiam cum suo exercitu est reversus. Interim Papienses super Laudem multoties equitantes maximam inde prædam extorquent. Laudenses sibi Ambasciatores mittunt, mandantque eis, quatenus prædam, quam abstulerant, reddant, & eos amplius non offendant: dicentes etiam, ipsos Papienses secum in perpetuum fore conjunctos, nec ipsos per se unquam offendisse, nec offendere velle; sed Papienses nullum bonum verbum Ambasciatoribus responderunt. Quod cum audissent Laudenses, magno furore commoti super Papienses statim equitant, & magnam prædam sæpe extorquent. Imperator post parvum tempus ad Castrum Marbionis cum Papiensibus, ac suis militibus Theutonicis equitavit; totam villam ipsius castri de-

* Chirotheca.

prædavit, posteaque combussit. Imperator itaque in Lombardia quandoque in partibus Papiæ, quandoque Novariæ, & Vercellarum, aut Montis Ferrati, vel Astensibus fere per totam hyemem stetit. Sequenti vero mense Martii privatim, ita quod nec ipsi Lombardi, qui cum eo fuerant, nisi forte paucissimi sciverunt, per terram Comitis Uberti de Saxonia filii quondam Comitis Amodei, qui dicitur Comes de Moriena, iter arripiens in Alemaniam est profectus. Post cujus recessum supradictæ civitates, quæ insimul juraverant in primis cum Novariensibus & Vercellensibus, postea cum Cremonensibus, & illis de Belforte, & cum Seprienfibus convenerunt, & pacem omnes inter se facientes unum corpus sunt effecti.

Interea Dominus Galdinus de la Sala, Mediolanensis Civis, & Clericus; & qui quondam Cancellarius Domini Ribaldi, & Domini Uberti de Pirovano Mediolanensium Archiepiscoporum per annos multos fuerat, & in locum jam dicti Uberti ad Archiepiscopatum Mediolani fuerat sublimatus à Domino Alexandro Papa; in Lombardia ipsius Papæ tunc legatus constitutus, suos Nuntios, scilicet Abbatem sancti Ambrosii, & Abbatem sancti Vincentii de Mediolano, misit Domino Alberto de Cazano majoris Ecclesiæ Laudensis tunc Præposito, cæterisque Præpositis, Abbatibus, Presbyteris, & Clericis, & etiam Consulibus de Laude; dicendo atque monendo, quod ipse partem Papæ Paschalis & Domini Friderici Imperatoris omnino relinquerent, & parti Papæ Alexandri faverent; & ipsi Papæ de injuria sibi facta satisfacerent, atque Episcopum Catholicum eligerent; & nisi hoc facerent, ab officio & beneficio Ecclesiastico abstinerent. Dictus vero Præpositus, cæterique Clerici hoc audientes mœsti valde fuerunt; tum quia magna pars eorum mandato Imperatoris juraverant, se Papam Paschalem pro Papa in perpetuum tenere, tum etiam quia omnes fere fidelitatem juraverant Domino Alberto Merlino, tunc temporis, ut eis videbatur, Laudensi Episcopo Catholico, nec adhuc Canonice jure deposito; & ideo hoc facere timebant valde, & sibi in maximum dedecus reputabant: inter se etiam conferentes, quod si etiam dicti Papa Paschalis & Imperator victores adhuc exsisterent, ipsi in perpetuum se damnarent, & quilibet eorum dignitate & gratia privarentur. Formidabant nimis mandatis suprascripti Galdini obedire; hoc etiam recusare, quod eis mandaverat dictus Dominus Galdinus. Stupebant plures, tum propter Papam Alexandrum, & secundum Dominum Galdinum Archiepiscopum, qui quasi tum illis partibus victores exsisterent, tum propter civitates Lombardiæ fere omnes insimul conjurantes; quia sciebant, quod si de Laude expellerentur in Lombardia habitaculum, aut locum, in quo se possent reducere, non haberent. Tandem dubii angustiis hinc inde satis diu revolutis; cum nullam misericordiam à dicto Archiepiscopo invenire possent, nisi, quod eis mandaverat, adimplerent, eligentes potius vivere, quam mori, magisque etiam stare in sua patria, quam in aliena vagari, in Papam Alexandrum credere, ejusque parti favere, & Episcopum novum secundum voluntatem Archiepiscopi eligere disposuerunt. Igitur die Jovis Sancti, quæ fuit tunc quarto Calendas Aprilis, indictione prima, in anno MCLXVIII. suprascriptus Dominus Albertus Laudensis Ecclesiæ majoris Præpositus communicato insimul consilio, tam Laudensis civitatis Abbatum, Præpositorum, Presbyterorum, aliorumque Clericorum, quam etiam illorum, qui extra civitatem in Episcopatu Laudensi fuerant, ad honorem Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, atque Beati pretiosi Confessoris Bassiani, Dominum Albertum, & tunc temporis Ecclesiæ de Ripalta Præpositum, virum honestum & religiosum elegit in Laudensem Episcopum, & Pastorem. Proximo vero die Mercurii, post Pascha Laudenses, Abbates, Præpositi, Presbyteri, aliique Clerici multi, Consules etiam Laudenses, multique Judices, & Sapientes de Laude Pergamum, ubi tunc dominus electus aderat, iverunt; & ipsum in sequenti die Jovis proximo Laudem cum ineffabili gaudio conduxerunt. Qui ibi honorifice nimis ab omnibus tam Clericis, quam laicis est susceptus.

Nunc de qualitatibus tam Serenissimi Imperatoris Augusti, quam aliorum Principum aliquantisper discurram. Lectores vero obsecro, ne absonum, vel inutile reputent, quod invenient de eisdem.

De statura Imperatoris.

Imperator igitur de nobilissima prosapia ortus erat; mediocriter longus; pulchræ staturæ; recta & bene composita membra habens; alta facie, rubeo colore suffusa; capillis quasi flavis & crispis; hilari vultu, ut semper velle ridere putares; dentibus candidis; pulcherrimis manibus; ore venusto; bellicosissimus; tardus ad iram; audax & intrepidus; velox; facundus; largus, non prodigus; in consiliis cautus & providus; velocis ingenii; in sapientia multum abundans; amicis & bonis dulcis & benignus; malis vero terribilis & quasi inexorabilis; Justitiæ cultor; legum amator; Deum timens; in eleemosynis promptus; maxime fortunatus; ab omnibus fere dilectus; & in omnibus sic perfectus, quod à longævis temporibus nullus fuit Imperator, qui sibi potuerit rationabiliter comparari.

De statura Beatricis, uxoris Imperatoris.

Beatrix vero conjux ipsius Imperatoris fuit & ipsa nobili genere orta de Provincia Burgundiæ; mediocris staturæ; capillis fulgentibus auro; facie pulcherrima; dentibus candidis, bene compositis; erectam habens staturam; ore pusillo; vultu modesto; oculis claris, suavibus, & blandis; sermonibus pudica; manibus gracilis; & consorti suo plenissime subdita, eumque timens ut Dominum, & diligens omnifariam ut virum; litterata, & Dei cultrix.

De statura Conradi, fratris Imperatoris.

Conradus, frater Imperatoris, & Comes Palatinus de Rheno, erat spissus corpore, mediocris statura; capillis blondis; virtuosus multum; modestus, non multum loquens.

De statura Raynaldi Archiepiscopi.

Raynaldus electus Archiepiscopus Coloniæ, qui Canonicus primus vocabatur, sed postea fuit Italiæ Archicancellarius, erat mediocris staturæ compositus, & spissus; venustam & coloratam habens faciem; membris bene compositis; capillis quasi flavis: disertus & optime litteratus; facundus; providus; & sagacissimus; & ad sublimandum Imperatoris honorem cupidissimus; adeo quidem, ut nullum magis quam sui consilium faveret Imperatori; eratque largus, hilaris, affabilis, alti cordis maxime, patiens laboris; & cujus sagacitate & opere decus Imperii plurimum sublimatum est.

De Hermando Verdensi Episcopo.

Hermandus, Verdensis Episcopus de Sassonia, erat non multum longæ staturæ; benignus; misericors

cors & pius; ſapientia imbutus; dulcis & affabilis; hilaris corde; amator juſtitiæ; timens Deum, & mandata ejus ſervans; & in cujus providentia & conſilio maxime confidebat Imperator.

De Henrico, Duce Saſſoniæ.

Henricus, Dux Saſſoniæ, erat mediocriter magnus; bene compoſitus; viribus corporis valens; magnus facie; oculis magnis, & nigris; capillis quoque quaſi nigris; albi coloris; in divitiis & potentia pollens; genere nobiliſſimus, & filiæ quondam Lotharii Imperatoris filius.

B

De Friderico, Duce de Rotemburgo.

Fridericus, Dux de Rotemburgo, qui Regis Conradi patrui Imperatoris Friderici fuit filius, erat pro ætate fortis; juſtitiæ cupidus; bene compoſitus; graſſus & ſpiſſus, albus, pulcher, atque formoſus, hilaris, jucundus; capillis quaſi albis & nigris.

C

De Comite Othone.

Comes Otho, Marcoaldus de Grebar, erat & ipſe ſimiliter longus, & bene formatus, nigris capillis & longis, & in prædictis omnibus probitatibus erat Comiti Gabardo ſimilis.

A

De Marchione Montisferrati.

Marchio vero Guilermus de Monteferrato, qui Lombardus erat, fuit mediocris ſtaturæ, bene compoſitus & ſpiſſus, facie rotunda & ſubrufa, capillis quaſi albis, ore facundo, virtuoſus & ſapiens, hilaris atque jocundus, munificus, non prodigus.

De Comite Guidone de Blandrate.

Comes Guido de Blandrate erat parvæ ſtaturæ, groſſus in pectore, & membris, facie quaſi *ſubruga, capillis nigris, calvus aliquantulum, miles optimus, providens in bello, lingua facundus, audax vehementer, conſilio pollens, magnos labores ſuſtinens, Imperatori fideliter ſerviens, & ab eo plurimum dilectus.

De Comite Conrado de Belamite.

Comes Conradus de Belamite erat ſtaturæ non magnæ, albus, formoſa facie, capillis albis, litteratus & ſapiens, dulcis & affabilis, providus & in bello ſtrenuus, lingua Theutonica, Gallica, & Italica doctus, & in Conſilio Imperatoris maxime potens erat.

Explicit Chronicon Rerum Laudenſium per Othonem Patrem, & Acerbum filium, Morenam conſcriptum.

D E O G R A T I A S.

A D D E N D A.

In libello anteſcripto, ubi eſt hoc ſignum ✠ col. 1003. *deſint ne hæc ſubſcripta verba, vel potius in aliis codicibus ſint auctaria, neſciens, hic in calce Operis ponenda eſſe judicavi.* Pacifice ſuſtinebant.

IMPERATOR ſiquidem apud Cumas Magiſtrum Paganum reliquit, Comitatum Sepienſem Comiti Gazolino donavit; Mediolanenſibus autem Girardum præeſſe juſſit; Laudæ autem Lambertum de Vignate ſuum procuratorem eſſe conſtituit, qui etiam omnes Cremonenſes diſtringebat, apud Caſtrum Trecii Ruinum diſpoſuit; quique ſuas rationes per totam Marteſanam, & per totum Bergomenſem Epiſcopatum, & etiam uſque ad Ripaltam rivam exigerent. Placentiæ Aginulphum, quandoque Arnaldum Barbavariam . . . . præcepit. Apud Brixiam Bertoldum præeſſe juſſit, ſicque etiam per alias Lombardiæ civitates, quas enumerare longum eſſet, ſuos procuratores ordinavit, atque reliquit. Sed cum Imperator in Alemaniam profectus eſt; ibique legendi exercitus cauſa moraretur; procuratores illi, quos Imperator in Lombardia, ut ſupra diximus, reliquerat, non ſolum hujuſmodi . . . . . . Imperatoris; de quibus ſolummodo exactis nullum malum, nec ſcandalum accidiſſet, neque Lombardi mœſti inde fuiſſent, exigebant; ſed etiam plus de ſeptem, quam Imperatori jure deberetur, ab omnibus injuſte excutiebant. Ac in tantum Epiſcopos, Comites, Marchiones, civitatum etiam Conſules, Capitaneos, omneſque fere alios Lombardos, tam magnos, quam parvos opprimebant; quoniam ipſi, tum pro amore, tum etiam pro Imperatoris timore ab eis ſe defendere nolebant. Quod ipſi Lombardi ſine maximo perſonarum &

D rerum incommodo, atque opprobrio, nullo modo ſuſtinere poterant; & maxime Mediolanenſes, quibus de omnium terrarum ſuarum fructibus non niſi ſolummodo tertium de tertio relinquebant. Atque item Cremonenſes, quibus omnium terrarum ſuarum tertium, ac ſi ipſi Domini eorum fuiſſent, auferebant. Præterea per omnem focum, tam bonorum ac nobilium civium in villa ſeu potius caſtris manentium, quam villanorum, ſeu ruſticorum tot ſolidos veteres, vel Imperialis monetæ per unumquemque annum ſolvere ipſos nobiles ac ruſticos compellebant. Inſuper etiam pro

E unoquoque molendino, quod in aquis navigabilibus macinabat, à Dominis ipſorum molendinorum in aliis aquis macinantium tres ſolidos veteris monetæ accipiebant. Piſcatoribus vero tertiam partem omnium piſcium auferebant; & ſi aliquis præter eorum præceptum aliquam feram beſtiam, vel volucrem capiebat, & ipſi ſcire hoc poterant, & beſtiam & volucrem captori auferebant. Præterea omnia diſtricta, quæ Capitanei, vel aliqui alii Domini alicujus caſtri ſoliti fuerant ipſi, & eorum anteceſſores per trecentos annos à retro temporibus habere, & tenere in ipſo caſtro, aut in villa ipſius caſtri habitantes; Imperator ipſis Dominis

F omni modo abſtulerat; nec eos ipſos diſtrictu uti, nec ipſum exercitium exercere permittebant; ſed ipſi totum judicabant. Sed quid ad ultimum dicam? niſi quod inſuper etiam aliis tantis malis eos quotidie opprimebant, quæ ſi per ordinem narrari

Ttt 2 de-


* Forte *ſubruſa*.

A deberent, nimis difficile redderetur, ac in fastidium præ nimia multitudine verteretur.

Interea namque, dum Lombardi, sic, ut supra dictum est, & etiam multo magis opprimerentur; cum ipsi bene, ac large, & sine districtu alicujus in sui libertate vivere ac manere soliti fuerant, & res ipsorum secundum eorum libitum & voluntatem disponere consueverant, nec sub imperio, vel conditione alicujus retro temporibus sic districte steterant, in magnum dedecus, maximumque opprobrium, & ultra etiam quam dici, vel excogitari possit, acceperunt. Dicentes inter eos, B melius esse eis penitus mori, quam hanc talem turpitudinem, taleque dedecus eos pati, sed tamen vindictam facere, vel aliquod malum agere, vel excogitare semper differebant: nec aliquis Lombardus fuit, (quod ego unquam vidissem, vel ab aliquo audissem) qui aliquam vindictam inde sumeret. Quoniam semper Imperatoris adventum quotidie exspectabant; dicentes insimul; non credimus, hoc malum & dedecus permissu Imperatoris fieri; sed bene credimus, quod, cum Imperator venerit, sibi hoc displicebit; & omnia mala, quæ nobis ingerunt, penitus removere faciet; nec unquam sit aliquis interim, qui ante Imperatoris adventum aliquod malum alteri ingerat, sed totum pro Imperatoris amore, donec venerit, in pace sustineamus.

Interea dum hæc in Lombardia, &c.

F I N I S.





FELICIS OSII,

ARTIS ORAT. INTERP. IN GYMNASIO PATAVINO,

IN HISTORIAM
RERUM LAUDENSIUM
OTHONIS MORENAE ET ACERBI F.

EMENDATIONES, ET NOTAE.



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,

DOMINICO MOLINO,

SERENISSIMAE REIP. VENETAE SENATORI AMPLISSIMO,

ACADEMIAE PATAVINAE TRIVMVIRO, ERVDITORVM OMNIVM FAVTORI MAXIMO,

FELIX OSIVS

S. P. D.

Senator Amplissime, Sapientissime III Vir.

P*AVCIS omnino diebus, ne horis subcesivis dicam, medicas* Morenis Dvobvs *Historicis, jussu tuo, manus adhibui, & aliquot in iis alte defixa vulnera persanavi. Dixissem omnia, nî copia eorum nimia vetuisset, satis ut curandis omnibus esse vix possent Æsculapii, vel Apollines decem. Parvi, & hoc mihi satis ac super, ut omnes sciant, in ære me tuo totum esse pridem, nihilque non velle, Te duce & auspice, caussa literarum, quarum sic ubique caussam agis, ut nihil tum demum agere videaris, cum aliis rebus interesse cogeris, vel præesse. MOLINAEI dudum id est sanguinis, eo literas amore complecti, ut nihil amet ardentius. Habet enim Academia nostra suis inscriptum Fastis Juris utriusque consulti longe clarissimi, sibique longe carissimi Interpretis in Scholis suis, PETRI MOLINI nomen, quo se perpetuo jactet. Habet TE nunc eadem, unum ex TRIVMVIRIS, Præsidibus, & Moderatoribus suis, à quo sibi certo certius secunda, felicia, fausta omnia pollicetur. Eam TV præ ceteris,* Virorvm Maxime, *post graves Serenißimæ Reipublicæ tuæ curas, benigna, qua soles, fronte spectare perge; meque minimam Syderum illius facem illustra patrocinio tuo,*

Mearum grande decus, columenque rerum,

quod æternum Orbi Deus Opt. Max. sospitet ac conservet.

Patavii Antenoris, XIII. *Kal. Aprilis, Anni salutaris* CIↃ. IↃC. XXIX.

SENECA.

STVDIORVM SALVTARIVM ETIAM CITRA EFFECTVM LAVDANDA TRACTATIO EST.

FELI-

FELICIS OSII
IN HISTORIAM
RERVM LAVDENSIVM
OTHONIS MORENAE ET ACERBI F.
EMENDATIONES, ET NOTAE.

1 THONIS MORENAE] Prodit ipsemet OTHO, hujus se Historiæ parentem in ipso vestibulo Operis, ut apparet, ne curæ sit Censoribus de fœtu isto, quasi non legitimo & aberrante, reddendo natalibus suis. Addit, se, quæ vidit, vel audiit, *veraciter & compendiose* literis consignasse, quod Veritas, quæ brevem apud Euripidem sermonem amat, esse debeat Historiæ anima, pes, & caput. Hujus enim illa prima lex: *Ut nihil in ea scribatur falsi, nihil non scribatur veri, suspicio gratiæ nulla sit, nulla simultatis.* Herodotus quidem Artemisiam fortem facit, quod Historiam scribens, sese addixerit veritati. At utrum huic Otho legi, qua par erat religione, paruerit, necne, judicabit Lector. Videtur enim nimis addictus fuisse Laudensibus suis, magisque partibus Imperatoris favisse, quam Papæ. Quamobrem hoc de illo judicium Baronius tulit Tom. XII. *Annal. Ecclesiast.* ad an. CIↃ. CLIV. *Exstat & Laudense scriptum Chronicon, hoc anno inchoatum ab Auctore temporis hujus*, OTTONE MORENA, *de rebus gestis à Friderico Imp. in Italia usque ad annum Redemptoris* CIↃ. CLXVIII. *sed, quod schismaticæ esset factionis homo & addictissimus schismatico Imperatori, sæpe altero pede claudicare cognoscitur. Placentinum magis, quam Veronensem agere,* dixisset lepidissima venustate Bernatius, qui ea ipsa pupugit Xenophontem, describentem Cyrum, lib. I. *de Utilitate Historiæ legendæ.* Sentit cum Baronio doctissimus & amicissimus Gerardus Joannes Vossius lib. III. *de Historicis Latinis* cap. VII. eritque tale prorsus judicium aliorum, qui singula suis librare ponderibus & momentis volent.

2 ET ACERBI] Is enim continuator Historiæ patris, quasi accepta ab illo lampade, reliquum omne spatium decursurus, relictam ab Othone Spartam adornare studuit, ejusdem res Cæsaris persecutus, ab anno videlicet CIↃ. CLXII. usque ad CIↃ.CLXVIII. quod ipsemet expressit col. 998. his verbis, *Et ego* ACERBUS MORENA, *filius Othonis Morenæ, qui deinceps hanc Historiam dictavi, qui tunc eram Potestas Laudæ, fui unus de prædictis duodecim*, ut scias eundem à se visa pleraque posteris tradidisse; licet ne is quidem, quod cœperat, ad extremos vitæ Federici annos perducere potuerit, ut qui & ipse ante Federicum decesserit. Meminit ob id Patris simul & Filii cum honore Bernardinus Corius ad an. CIↃ. CLII. sibique ducem utrumque delegit in enarrandis rebus gestis, imperante Cæsare Federico I. Quædam etiam ex utroque Baronius attulit ad annos CIↃ. CLVII. & CIↃ. CLXIX. nec parum iisdem detulit Tristanus Chalcus, ambos inter suos, hoc est, Mediolanenses referens lib. IX. *Historiæ patriæ* pag. 189. *Cujus dicto, ut paucis agam, oppono duos* MORENAS *nostros, Patrem, Filiumque, quorum uterque, eo vocabulo* (Potestatis) *abundans longe ante pacem Constantiæ decessit.* Sentit ibi Chalcus contra Georg. Merulam, qui scripserat, Potestates Urbibus Lombardiæ datos non nisi post Constantiæ pacem, eique gemino utriusque Morenæ testimonio intercedit. Cæterum Morenas ambos inter suos retulit Chalcus, quod uterque Laude Pompeja natus, sede Mediolani posita, Galliæ Cisalpinæ Metropolim, & Italiæ florem prætulerit natali solo. Acerbum præterea laudari video à Gaudentio Merula lib. II. *de Antiq. Gal. Cisalp.* cap. II. at non sine lapsu, cum ab eo scripta prodat, quæ Pater ejus Otho de reparata Derthona literis antea consignarat. Sic enim ille, ea de Urbe diruta, ac restituta loquens tempore Federici: *Derthona, Romana Colonia, inter Insubres, & Ligures, quorum arma semper fere conjuncta fuerunt, deducta, ne alteris alteri auxilio essent. Sublatis Romanorum armis, & Senatus potestate, in Insubrum amicitiam declinavit, quam cum Rubrobarbus, ut*

B *Ticinensibus gratificaretur, vastasset, immissis novis inquilinis Mediolanenses repararunt, anno à virgineo partu* MCLV. *ut scribit Acerbus Murena:* cum absque lapsu scribere debuisset, *ut scribit Otho Murena.* Acerbus enim non nisi post annum CIↃ. CLXII. exorsam à Patre telam pertexere cœpit, ut ipsiusmet verba col. 998. citata declarant.

3 FEDERICI] Ejus nominis Primi, genere Suevi, filii nempe sororis Henrici, & Federici Unoculi, Sueviæ Ducis, fratrisque Conradi Rom. Regis, de quo & Conradi ipsius, & Procerum reliquorum ea opinio fuit, ut Conradus moriturus suo eum suffragio destinarit Imperio, filio ipso præterito, cujus tamen ætas erat habenis imperii apta, & προβούλευμα cæteri amplexi, uno omnes consensu citra controversiam Imperium ad eundem detulerint, loco ab Augusto nonagesimo primo. Urspergensis animadversio est; *Federici* nomine designari *Divitem pacis*,
C eaque de caussa studuisse primum istum nominis ejus Regem, pacem ubique valide reformare. Quo respiciens Carrio lib. IV. *Chronici: Cum accepisset*, inquit, *Imperium, ut fuit patriæ amantissimus, nihil prius habuit, quam ut domi pacem sine publico motu, & consilio potius, quam armis constitueret. Pace enim, & quiete opus esse intelligebat concussæ Germaniæ ad sananda, & solidanda vulnera, quæ priora bella Henricorum inflixerant, recentia Successorum refricarant. Nec odia cessatura esse prospiciebat, nisi controversiis moderata quadam damnorum exæquatione diremptis, & sancitâ ἀμνηστία perficeretur, ut Principum animi vera inter se, mutuaque benevolentia coalescerent.* Videtur & eodem spectasse Bossius, cum scripsit: *Imperator his auditis, ut qui se publicæ quietis assertorem existimabat, statim Mediolanensium Consulibus per legatos sub animadversionis commi-
D natione denuntiat, abstinerent à Laudensium injuria.*

Nobile sane, piumque Regni sui rudimentum Federicus posuit; sed illud, traducto in Italiam exercitu, immani immanitate fœdavit, vel ipsi Romano Pontifici obluctatus, ut ex piissimo impiissimus evaserit Ecclesiæ persecutor, & ob id diras ejus expertus, privatus Imperio fuerit, Anonymo Erphesfordiensi teste cap. XIX. *Historiæ Landgraviorum Thuringiæ*, aliisque canæ Veritatis historicæ Mystis. Extrema mitiora fuerunt, pace cum Dei Vicario inita, & expeditione in Syriam suscepta, Iconiensi inibi Sultano acie victo, Iconio capto. At tandem sive fluminis, in quod refrigerandi per æstum corporis gratia descenderat, cœcis vorticibus abreptus, sive equi ruina oppressus, sive hepatis morbo exanimatus, vivere pariter & regnare desiit anno Domini CIↃ. CLXXXIX. Imperii XXXVII. IV. Idus Junii in Seleucia Syriæ, egregia
E animi indole Imperator, quique virtute ac gloria Germanos Augustos omnes facile superasset, si Othones potius in Ecclesia tuenda, quam Henricos in oppugnanda æmulatus esset. Cadaver Federicus filius terræ redditum honorifice condidit in Tyro, quæ Arx belli Christianorum post amissam Hierosolymam fuit. Imperii successorem habuit filium primogenitum Henricum, ejus inter Augustos nominis VI. à Cælestino Pontifice coronatum, quem ipsemet ante discessum suum ex Europa, ne vel illa se absente sine rectore esset, vel mortuo se disputatio de successore novas contentiones pareret, consensu Procerum Imperio præfecerat, anno Domini CIↃ. CLXXXVI.

4 AENOBARBI] *Barbarussæ*, sive *Barbarossæ* vulgo; *Rubrobarbi* Georgio & Gaudentio Merulis; *Barbæ rubeæ*
F Bossio; *Barbæ rufæ* Benedicto Jovio, cujus nunc demum, à Doctis votis omnibus expetita, *Historia Novocomensis* prodit sub felicissimis, MOLINE DOMINE, auspiciis tuis, quoniam *Barba rutila conspicuus esset*, ut habent Dubravius lib. XII. *Hist. Boemicæ*, & Possevinus Junior in *Gonzagis*, cujus illa sunt: *Quem barbæ rubore conspicuum, Ænobarbum appellabant, scilicet à colore æris.* Habuit præterea Federicus I. cognomentum MAGNI, quod è *Magni Chronici Belgici* Collectore disco, qui ad annum CIↃ. CLIII. in Imperialibus: *Federicus*, inquit, *ejus nominis primus* Impe-

Imperator, cognomento MAGNVS, filius Friderici Ducis Alemaniæ, (*Sueviæ* melius) *fratris Conradi Regis, hujus nominis III. summo favore cunctorum Principum apud Franckenweert in Regem eligitur.*

5 SANCTISSIMO] Offenduntur hic aliqui, nec adduci possunt, ut *Sanctissimi* titulum decere concedant Romanorum Regem. Quare τὸ *Sanctissimo* pro *Sacratissimo* suppositium censent, ea re maxime, quod *Sanctissimi* titulus secundum Deum soli Romano Pontifici debeatur; *Sacratissimi* vero Romanos in Cæsares cadere idcirco possit, quod omnia, quæ illi gererent, aut attingerent, dicerentur sacra. Atqui nihil ista me religio movet. Nam & *Sanctissimi* titulus Federico I. constantissime defertur à Nostro, nec uno in loco: & aliis quoque Cæsaribus ab aliis impertitur. Adi me, si lubet, in Elogiis HENRICI VII. AVG. ad Rubricam III. lib. I. de illius gestis, auctore Albertino Mussato, Patavino Historico & Poeta, qui nunc primum opera mea nitori suo redditus erumpit è latebris, Te quoque duce & auspice, Illustriss. *MOLINE*, cujus intuitu tot antiqua sepulta literariæ monumenta in lucem è tumulis eruuntur.

Quid, quod nihil olim amplum & honorificum Romano Pontifici tribui consuerat, quod non idem (ut ante nos docuit Hieronymus Balbus, Gurcensis Episcopus, libro singulari *de Coronatione* ad Carolum V.) Cæsariani quoque deferrent Cæsareæ Majestati. Adde his *in l. Gloriosissimo C. de sum. Tri. & in C. Victor Honorius* XCVI. *Dist.* Papam sibi ipsi præferre Imperatorem; omniaque olim fana ac templa in hujus potestate fuisse ex *Auth. Ut Eccl. Rom.* Ita prorsus, ut sacratissimis delubris immunitates, privilegiaque, donare soleret, *C. Auditis de rest. spol. & C. in Synodo Dist.* Quin & ipsos Antistites sacros cum universo initiatorum ordine Cæsarum ditioni paruisse constat, ut enarrat Innocentius in cap. II. *de majo. & obed.* Quæ cum olim ita se haberent, quis mirabitur, *Sanctissimi* titulum communem tunc Romanorum Pontificibus, & eorundem Regibus exstitisse?

Sed non eo contenta titulo Majestas Imperii fuit. Quamobrem Imperatores DIVOS etiam, DEOSQVE nuncupatos lego. De Ethnicis refertæ paginæ Scriptorum omnes; de Theodosio clare Symmachus *lib.* III. *epist.* LXXXI. *Solemne est* DIVO NOSTRO THEODOSIO, & de Federico I. Guntherus *Ligurini* VI.

Hæc de responsis DIVI, *pater optime,* REGIS,
Salva pace tua tibi rescribenda putamus.

Quod esse nulli admirationi debet, cum ob Beneficentiam potius, quam ob Sanctimoniam vitæ, his illos titulis insignirent. Benefici siquidem dicebantur *Dii.* Maternus de Græcis apposite & aperte ad Constantium & Constantinum Aug. cap. VII. *Amat Græcorum levitas eos, qui sibi aliquid contulerint, vel qui consilio, aut virtute se juverint, divinis appellare nominibus: & sic ab ipsis beneficiorum gratia repensatur, ut DEOS dicant, ut DEOS esse credant, qui sibi aliquando profuerint.* De Græcis iisdem, & Romanis simul, Oratorum princeps lib. II. *de Nat. Deor. Multæ autem aliæ naturæ DEORVM, ex magnis beneficiis eorum, non sine causa à Græciæ Sapientibus, & à Majoribus nostris constitutæ, nominatæque sunt.* Hinc Arnobius *lib.* I. de Generis humani Vindice ac Servatore Christo: *Pro multis, & tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta in nos sunt, DEVS dici, appellarique deberet.* Parco pluribus, quod hanc operam ab aliis occupatam sciam, *quos æquus amavit Juppiter, atque ardens evexit ad æthera virtus.*

Nam & eo pertinent Parœmiæ multæ: nec abludit quod est à multis hactenus observatum, divina æque ac sacra dicta quæcunque Imperatorum essent. Quam ob caussam plurimis in locis, præsertim in Constitutionibus, occurrunt *Divina domus, divinus Princeps, divinus affatus, divinus sermo, divina officia, divinæ stirpis Augustus,* & alia ejus generis sexcenta, de quibus Bulengerus lib. I. *de Imp. Rom.* cap. XIV. Tornuropius in *Panegyr. Claud. in Honor.* & alii doctrina & eruditione præstantes multi.

6 RELIGIOSISSIMO] Tale sibi nomen Federicum peperisse narrant quidam ex iis, qui res ab eo gestas posteris tradiderunt, quod instituerit Collegia Regularium multa, in quibus Christianæ Doctrinæ studia colerentur, quæ in opulentioribus Cœnobiis negligi videbantur, & inter cætera Monasterium unum D. Fidei (*Fidis* aliis) in Selestadio sacrum, cujus in templi fenestris versus hujuscemodi legerentur, rei patratæ testes:

Tempore quo rediit superatis Mediolanis,
Rex nos Romanus fieri jussit Fridericus.

Alterum S. Walpurgis in Hagenau. Aliis ex rebus alii, & ex his quidem, quas statim subjicio. Radevicus *lib.* I. *cap.* XIV. *Hoc ad se adscito, de secretis suis pii se Pontificis submisit devote consiliis, Religiosi ac Christianissimi Principis officium exercens.* Et his aliis *lib.* II. *cap.* LXXVI. *Si actionem diuturnam forinsecus perquiras, antelucanos Basilicarum & Sacerdotum suorum cœtus, aut solus, aut minimo comitatu expetit, eosque tam grandi sedulitate veneratur, ut omnibus Italis erga Episcopos, & Cleros servandi honorem & reverentiam, ipse formam & exemplum tribuerit. Officiis divinis tantam præbet venerationem, ut omnem horam, qua coram ipso psallitur, competenti veneretur silentio, nec ullus interim eum audeat de quolibet sollicitare negotio.* Et horum quidem partem Guntherus suis etiam carminibus inseruit, cum cecinit *Ligurini* IX.

Nam cum, more suo, primo Rex lucis in ortu
Ad matutinos divinæ laudis honores
Strenua neglecto rapuisset membra cubili, &c.

Acerbus quoque Noster in calce Operis inter præcipuas Federici virtutes & laudes hanc recenset, *Deum timens,* ad quam alia reservamus.

7 PRVDENTISSIMO] Confirmant hunc titulum Friderico Othonis Episcopi Frisingensis illa, in fronte *Nuncupatoriæ* ad eundem: *Sic etiam Temperans in prosperis, Fortis in adversis, Justus in judiciis,* PRVDENS, & ACVTVS *in caussis esse cognosceris, ut non solum ex convictu tecum coaluisse; sed tanquam divinitus inspirata, & à Deo tibi, ob universale totius Orbis emolumentum, concessa videantur.* Et illa lib. II. *de Gestis ejusdem* cap. III. *Nec hoc etiam sine admiratione plurium, quod* VIRVM JVVENEM; *tamquam* SENIS INDVTVM ANIMO, *tanta flectere à rigoris virtute ad remissionis vitium non potuit gloria.* Accedunt his aliorum Bossii cumprimis, & Possevini Junioris calculi, quos apponam: *His auditis,* inquit Bossius, *Imperator, ut erat ingenio, natura, atque experientia rerum sagaci, cogitare cœpit de tollenda urbe funditus.* Ait in *Gonzagis* alter lib. II. *Sublato Corrado, dicendi novi Cæsaris caussa, Francufurtum Electores convenere. Et quamvis Corrado filius superesset; virtutem tamen, qua Principem valere opus est, sectati, Federicum consensu dixere, qui Sueviam Ducis titulo habebat. In eo Cæsare nihil erat, quod non Imperatoriam majestatem deceret: munificentia, opes, potentia, nobilitas, rei militaris peritia, summa in agendis rebus* PRVDENTIA. Habet idcirco Carrio lib. IV. *Chronici, Federicum plurima sapienter & utiliter ordinasse.* Nec tacuit Cæsaris hujus *Prudentiam* Mutius. Nam lib. XVIII. *Chron. Germ.* de compressa ab illo discordia loquens inter Henricum Saxoniæ Ducem, & Henricum Luipoldi Marchionis Austriæ fratrem: *Hac,* inquit, *discordia* PRVDENTER *per Imperatoris industriam sedata, Guelfo, frater Henrici Ducis Saxoniæ, palam coram Principibus conqueritur,* &c. Acerbus quoque Noster in fine Operis hæc ejusdem Cæsaris laudi & honori scripsit: *In consiliis cautus & providus: in sapientia multum abundans.* Sed omnium uberrime Guntherus *Ligurini* I.

Forma nitens, animusque sagax, manus impigra, solers
Consiliis.

Et mox:

Mente senex, ætate puer, Prudentia rerum.

Nec multo post:

Fortis ad instantes casus, prudensque futuri.

Cum quo paria facit Anonymus, æqualis eidem, & expeditionis ejusdem Asiaticæ scriptor, à Canisio editus Tom. V. *Antiqq. Lectionum.* Sic enim ille in *Prologo Operis,* ad hæc spectans: *Vir utique magnæ experientiæ, strenuitate Karolum repræsentans.* Et in ipso *Opere* pag. 52. *Imperator vero, ut vir multividæ circumspectionis, quod jamdudum intra se voverat, de peregrinandi voluntate adhuc dissimulabat.* Et pag. 55. *Imperator, qui in omnibus pridem circumspectus solerter sibi præcaverat, modo incautus, & à verbo mendacii circumventus, præfatos nuntios, cum eos benigne receptos apud se diutius & accuratius, quam cæteros, tenuisset, benignissime quendam à se dimisit, nomine Gothefridum, simul cum ipsis in legatione pacis & amicitiæ dirigens ad Soldanum.*

8 DVLCISSIMO] Recurret idem præconium infra. Tribuit ob id Federico *animi lenitatem* Mutius in *Chronico* laudato: *Occultam,* hoc est, *in medullis & visceribus insitam erga miseros pietatem.* Guntherus *Ligurini* III. *placidas aures, mite pectus, naturæ bonitatem,* idem ejus Encomiastes & Vates lib. X. cum lib. VIII. *placidum* eundem semel ac iterum appellasset:

Nec placido Regi victos parere pigebit.

Et mox:

——— *libertas maxima nobis*
Tam placido parere viro.

Magna laus, si vera: *Nihil est enim,* auctore Romano Sopho, *memorabilius, quam eum, cujus iræ nihil obstat, cujus gravi sententiæ ipsi, qui pereunt, assentiuntur; quem nemo interrogaturus est: imo si vehementius excanduit, nec deprecaturus est quidem, ipsum sibi manum injicere, & potestate sua in melius, placidiusque uti.* Talis vero Federicus Gunthero visus, apud quem diserte audit,

Tranquillus placidis, ferus indomitusque superbis.

Qualis olim Æneas Heros, cui cum Imperii monitis in mandatis à Patre datum,

Par-

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Hinc Acerbus noster in laudum illius censu: *Amicis & bonis dulcis & benignus; malis vero terribilis & quasi inexorabilis;* cui plena cera subscripsit Mutius, ut liquebit in *Benignitatis* Nota 13.

9 SAPIENTER] Aut id adverbii hic abundat; aut certe sonat *serio*, *solide*, *non fucate*.

10 QVASCVMQVE ETIAM CIVITATES] Habet manu exaratus Ambrosianæ apud Mediolanenses Bibliothecæ, non inter Italiæ modo nostræ, sed Europæ & Orbis totius miracula recensendæ, sumptibus & munificentia Magni Mediolonensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Cardinalis, & Principis, FEDERICI BORROMAEI, Codex, cujus excerpta, quæ sæpe ac sæpius laudabo, debemus humanitati Juris utriusque consulti, & S. Theol. Doct. eximii, Jo. Antonii Castillionæi, Vicarii perpetui Abbatiæ S. Vincentii in Prato, beneque de Re nostra literaria meriti, & merentis: *Quasque etiam civitates, & quæ loca destructa sua sanctissima pietate ac benignitate ad Imperii totius honorem in suo statu relevaverit, ac pleniter in suo honore reformaverit.* Qua de re, & aliis, quæ sequuntur, plane pleneque, ut audio, Galvanus à Flamma Mediolanensis, Ordinis Prædicatorum scriptor, in *Antiquitatibus patriis*, à cap. CCLVI. usque ad CCXCVI. quem adeant, quibus est ad manus.

11 ET QVAE LOCA] Retentis præcedentibus verbis, *Quascunque etiam civitates*, longe melius fuerit legere, *Et quæcunque loca.*

12 PIETATE] Occurrunt Federici PIETAS, & *Benignitas* simul col. 953. lit. D. sola vero PIETAS alibi non uno in loco. Præter Nostrum, ab hac illum virtute celebrant magni Encomiastæ tres, Guntherus, *Magni Chronici Belgici* Concinnator, & Carrio. Primi verba sunt, *Ligurini* primo:

—— *supplicibus facilis, justis* PIVS.

Secundo:

Nam quid in humanis reperitur acerbius actis,
Sævitia stimulare PIVM *& compungere* REGEM?

Octavo:

Nullus honor siquidem populi, vel gloria major,
Quam DOMINO *servire* PIO.

Ideoque lib. III. *Piorum consolator* idem Imperator dicitur ab eodem. Alterius ista pag. 183. *Ipse in Italia commoratus*, PIVS, *& Justus ab omnibus appellatus, & secundus post Carolum M. Justitia, &* PIETATE *est habitus; interim tamen sua otia piis Reip. negotiis perornans.* Et infra: *Unde ita* PIVS, *& dilectus ab omnibus est habitus, ut Duces, & Comites Wilhelmi Regis Siciliæ, Dominum suum desererent, & ad ipsum se deferrent.* Tertii, quæ describo: *Hic fuit interitus Optimi Principis, in quo Magnitudo animi & consilii, Fides, Constantia, Moderatio,* PIETAS *adeo excelluerunt, ut nulla ei Virtus, magno Viro, & Optimo Principe digna, defuisse videatur.* At amplius quid sibi voluisse videtur Asiaticæ illius expeditionis Scriptor, cum, expressurus apertius sui Principis ac Cæsaris Pietatem, uti voluit superlatiori *Piissimi* gradu. Habet ille scilicet pag. 68. PIISSIMVS *Imperator lachrymatus est præ gaudio, suorum tam desiderabili exhilaratus adventu.*

13 BENIGNITATE] *Benigni*, *Tranquilli*, *Lenis*, *Mansueti* titulis quantopere sibi placuerint Imperatores omnes, non uno ex Scriptore Græco, Latino constat. Eusebius lib. IV. *de Vita Constantini: Missæ sunt literæ à nostra Mansuetudine.* Julianus in *Diatagmate & Edicto ad Alex. Ex qua die nostræ Mansuetudinis litteras acceperit.* Maximus in *Epistola ad Valentinianum: Quæ nunc agi dicuntur in partibus Tranquillitatis tuæ.* Liberius Episcopus de Constantio: *Tranquillitate tua consentiente.* Dicitur & in Edicto Constantini Imperatoris apud Adonem, & Hincmarum, Imperator Cæsar Flavius Constantinus *Fidelis*, *mansuetus*, *beneficus*: & *Tranquillitas* Imperatoribus datur. Ad hæc Symmachus *lib.* X. *epist.* XLVI. *Tranquillitatem* Imperatoris appellat, & alibi sæpe: nec alium sibi titulum vendicant Gothorum Reges apud Cassiodorum *lib.* VI. *Form.* IX.

Delati ea re *Mitis* & *Benigni* quandoque tituli Federico I. ut aliàs *Dulcissimi*, *Placidi*, *Misericordis*, *Lenis*; ejusdemque *Benignitas* alicubi celebrata. Urspergensis Abbas in illo, pag. 285. *At ipse, sicut erat assuetus, de regia* BENIGNITATE *mulieres, & parvulos conservari censuit.* Pag. 286. *Ideoque more regio subditis factus est* MITIS. Et 289. *Quibus Imperator* MITIS *effectus, utpote Vir timens Deum, misericorditer permisit, ut de castro, & de terra cum mulieribus, & parvulis exirent.* H. Mutius lib. XVIII. *Chronici German. Tam* FACILIS, ET BENIGNVS *in subjectos, quam severus in superbos, & factiosos.* Et Acerbus noster Opere extremo: *Amicis & bonis* DVLCIS *&* BENIGNVS. Quibus sine ulla prensatione adstipulatur Anonymus, expeditionis illius Asiaticæ Scriptor, pag. 87. *Quod videns* MANSVETISSIMVS *Imperator, super his*
A *pietate motus, talia verba suis dixisse militibus memoratur.* Quin & Hostes ipsi, Soldani nempe Nuntii, apud Scriptorem eundem, hac illum insigni laude cumularunt pag. 91. *Soldanus culpam suam, &* TVAE MANSVETVDINIS LENITATEM *attendens, adhuc apud Te de venia non diffidit.*

14 RELEVAVERIT] *Elevaverit.* Ita L. prima *de fund. patrimon.* L. XI. *relevata jugera*, ea jugera sunt, quæ cum essent palustria, elevata sunt, & terrena facta, ut explicat Albericus. Nec alio sensu Symmachus & Ovidius usi relevandi verbo. Primus *lib.* IX. *epist.* CXIII. *Sed tua æquitas verecundiam meam veri facilitate relevabit.* Alter lib. IX. *Metamorphoseon:*

—— *prensamque ipsis Dea sæva capillis*
Traxit, & è terra corpus relevare volentem
B *Arcuit.*

Aliàs relevare, *liberare* est: nec desunt, quibus in laudata L. prima *de fund. patrimon. relevata jugera* ea visa sint, quæ quidem ex palustribus terrena facta fuerint, atqui non idcirco relevata dicta, quod elevata; sed quod aquis liberata sint. Inde Ovidio *mens cura relevata* lib. I. *Trist.* eleg. IV. *mens est omni cura libera, & soluta*, qualis omnino *animus molestiis relevatus* Tullio lib. I. *de Divin.* At hunc hujus verbi sensum non nisi machinis adhibitis istuc trahas. Paucis: *Relevare in statu*, apud Morenam nostrum locutio est, eadem potestate prædita, qua binæ illæ ferme sibi geminæ ac germanæ, *Reformare statum*, *Reformare in statum.* Quarum prima in Symmacho est *epist.* LXXIV. *lib.* I. & *epist.* LIII. *lib.* X. Mussatoque lib. IV. *de Gestis Henrici* VII. *Aug.* Rub. X. In Rolandino altera cognomento *Grammatico*, lib. III. *Chron.* de
C Factis in Marchia Tarvisina cap. IV.

15 REFORMAVERIT] Duplex huic quoque verbo sensus. Aut enim, reformare, *denuo constituere est*; aut *in aliam*, seu *meliorem formam redigere*, *revocare*. Prima facie se spectandum prodit id verbi apud Hermogenem *l. Vectigalia de publ.* Budæo teste; Ulpianum *in l. Juris gentium* §. *adeo autem de pact.* Symmachum à Paræo recensitum, *lib.* III. *epist.* LIII. & LXXXIII. Ptolemæum Lucensem ad an. MCLVIII. & alios fortasse plures. Altera *in l. Præcipuæ ff. de Ædil. edict. l.* 1. *ff. de appell.* Mussatoi. v. *de Gestis Henrici* VII. *Imp.* Rub. X. Benevenuto de Rambaldis in *Augustali*, ubi de eodem Henrico VII. & insigniter in illis Quintil. *lib.* XII. *cap.* VI. *Apollonio Meloni Rhodi rursus reformandum, ac velut recoquendum se dedit.* Ex his aliquis huic toti loco splendor: atqui tenebras ejus omnes longe lateque dispellit Henrici VII. Aug. sententia, contra Paduanos lata, quam nobis sartam tectam conservare vo-
D luit Mussatus *Rubr.* VII. *lib.* XIV. de illius Gestis. Quod enim habetur hoc loco, *Federicum I. civitates in suo honore pleniter reformasse*, talem à primis ejus sententiæ verbis lucem accipit, qualem aliunde haurire difficulter possit. Huc igitur illa transferam non gravate, quod esse Nostri paraphrasis queant, & ejusdem mentem apertius aperire: *Postquam Reipublicæ tuitionem Divina Influentia nobis disposuit committendam, pacatis seditionibus, quæ per Provinciam inimico pacis pullulaverant operante, disposuimus necessario partes Italicas reformare, in quibus vacante Imperio universæ Communitates, ac civitates Italiæ jura Romani Imperii occupaverant, & inter se intestinis bellis duriter fatigatæ, cupiditate habitantium excrescente, quibusdam civibus, captata occasione nefanda, ejectis, more tyrannico regebantur, & infinitis eorum civibus exsulantibus ab iisdem ac bonis propriis tyrannice ab adversariis occupatis, cogeban-
E tur per civitates exteras mendicare*, &c. En horum è verborum face meridiana jam ipsa luce clarius apparere, nil aliud sibi voluisse Nostrum, cum dixit, *Federicum civitates in honore suo pleniter reformasse*, nisi ad honorem Romani Imperii jura primum ejus, ab aliis occupata, forti & constanti pectore redemisse; sublatis deinde Tyrannis ac bellis, pacem & securitatem populis attulisse; patriis demum & avitis laribus redonasse exsules, vitam alienis in oris ægerrime traducentes; civitates uno verbo miseras ad statum & formam alteram pietate & benignitate sua mirifice traduxisse. Quemadmodum enim rebus hujuscemodi gestis Henricus VII. Augustus Italicas partes, suo in Italiam adventu, reformasse traditur; sic iisdem necesse habuit Federicus I. eas ipsas partes pleniter reformare, quum ad illas accessit, quod horum uterque Romanorum Cæsar fuerit acclamatus temporibus iis,
F quibus propter absentiam Cæsarum reliquorum, cum omnis Italia, tum ipsa præcipue Lombardia, plus debito novis rebus & libertati studens, eo temeritatis evaserat, ut ne minimam quidem obsequii speciem, quæ servitutem aliquam testaretur, Rom. Imperio præstans, egere reformatione plane plenaria videretur. Hæc Nostri mens, quam etsi potuissem brevius indicare, nolui tamen, ne brevis esse laborans obscurus forem. Etsi, quid est Interpretis, si hoc non est? Talem omnino operam lo-

locus hic omnis, obscurus alioquin & dubius, suo sibi jure quodammodo vendicabat.

16 QVAE ETIAM ET QVANTA BELLA] Variat Ambrosianæ Bibliothecæ Codex, & clare præfert, *Quæque & quanta bella.*

17 SVBJVGAVERIT] Verbum nec antiquum, nec novum. Claudianus *de* VI. *Conf. Honorii*, ℣. 248.

——— nulla est victoria major,
Quam quæ confessos animo quoque subjugat hostes.

Rolandinus *lib.* VI. *cap.* VI. *Voluit Ecelinus arcem, seu rocham Estensem, & alia collateralia castra suo dominio subjugare.* Monachus anonymus Patavinus, qui nuper à me recognitus prodiit ex Pinelli prælo, lib. I. *Chronici de rebus in Insubribus & Euganeis gestis*, ad an. CIↃ. CCXXXVII. *Cœpit Imperator tractare de pace cum Mantuanis, ut ipsis subactis facilius alios adversarios Imperii subjugaret.* Ægidius Aureæ Vallis Religiosus in Henrico II. Leodiensi Episcopo LX. cap. XLV. de hoc ipso Cæsare, quo de Noster: *Cum Federicus Romanorum Imperator Mediolanenses sibi rebelles subjugasset*, &c.

18 MVLTIMODIS] *Ingentibus, eximiis, magnis*, qua notione *Dux multimodus* Gunthero dictus *Ligurini* IX.

——— placuitque potenti,
Multimodoque Duci.

Possint & *Honores multimodi* apud Nostrum *pro multiplicibus & variis* capi, cum ea quoque vis huic voci subsit apud modo laudatum Vatem, *Ligurini* V.

Hic quoque multimodas dubia sub lite querelas
Emersisse ferunt.

Et Operis ejusdem X.

Addit equos celeres, galeas, thoracas, & enses,
Textaque multimodis operose picta figuris.

Idipsum ea vox apud Ennium sonat *Annal.* VI. *Multimodis consumitur anxia curis.* Livium *lib.* I. Belli Pun. *Oppidani ad omnia tuenda, atque obeunda multimoda arte distineri cœpti sunt, & non sufficiebant.* Et Scriptorem lepidissimum Apulejum *lib.* I. *Quæ istis evenit, quarum substantia multimoda potestatum coitione conficitur.*

Aliàs *multimodis, multum* valet, & *varie* adverbiali vi. Symmachus *lib.* III. *epist.* XXIII. *Nos hic in otio rusticamur, & multimodis autumnitate defruimur.* Plautus *Bacch.* Act. III. Sc. II. *Multimodis meditatus egomet mecum sum, & ita esse arbitror.* Ita *Persa*, Act. IV. Sc. IV. *Multimodis sapis.* Nisi quis ibi loci pro *multis modis* sejunctim legendum existimet cum Dousa.

Observo denique habere vim eandem *Omnimodis* apud expeditionis Asiaticæ Scriptorem, laudatum aliàs, in illis pag. 63. *fugam omnimodis dehortari:* Et Ægidium Aureæ Vallis in Henrico II. Leodiensi Episc. LX. *cap.* XLV. cum ejus in Episc. laudem inquit; *Dei servitiis omnimodis habilis & deditus.*

19 TORMENTA] Condonanda ea vox hoc sensu tum hic, tum col. 956. lit. C. Moreniani seculi libertati, quamvis *Dolor* etiam *torquendo illatus*, *Tormentum* dici posse commode videatur, indeque reliquus omnis tum animi, tum corporis cruciatus exprimi pari voce. Papias: *Tormenta dicta, quod torquendo mentem inveniant; pœna, aculeus, verba*, (forte *verbera*) *funis, quo contrahitur prora.*

20 FERE PER QVINQVAGINTA ANNOS] Guntheri Scholiastes ad secundum *Ligurini* librum, ex tertio *Historiæ Vicecomitum* à Georgio Merula Latinis literis exaratæ: *Laudenses sedibus propriis pulsi, hujusmodi servitutem novem & quadraginta annos servivere.* Guntherus ipse indefinite:

Ærumnasque suas, longæque tyrannidis usum
Facundo mæstoque tamen sermone gemebant.

Capugnanus exactior in *Itinerario Ital. Hac barbarica lege oppressi Laudenses lustris decem, anno uno dempto, vixerunt.* Accurate quoque ea de re Sigonius, Antecessor noster in Patavinis Scholis, lib. XII. *de Italiæ Regno* ex Mediolanensium (ut ipsemet asserit) monumentis: *Quærenti, quinam essent, quidve peterent, se Laudenses esse dixerunt, ob id ad eum profectos, ut Patriæ suæ calamitates exponerent, quas ipsa sub impotenti & superbo Mediolanensium imperio per annos amplius quadraginta perferret.*

21 HVNC LIBELLVM] Auctoris nostri *Nomen, Cognomen, Institutum, Munus* hoc uno ex loco discimus, quæ frustra esset ab aliis exspectare. Siquidem hoc ille in loco, brevi admodum verborum ambitu, se *Othonem* Nomine, Cognomine *Morenam*, Instituto *Judicem*, Munere *Missum Lotharii* III. *Imp. & Corradi* II. *Regis Romanorum* fuisse docet.

22 JVDICE] Quinam olim Judices dicerentur, Nostri, & aliorum pone sequentium Scriptorum ævo, *Notæ* aliæ nostræ aperiunt *ad Mussatum.*

23 MISSO] *Legato.* Quater olim in anno à Principe Legati per Provincias mittebantur, ut, si quid Episcopi, aut Comites negligentius egissent, per eorum admo-

A nitionem corrigerentur, & iis, quibus à Comite jus dictum non esset, illi dicerent, & alia pleraque negotia Regis sui nomine perficerent, aut ad eum referrent. Constitutiones quoque Principum, seu Capitula, ab iisdem per Provincias transmittebantur, observatore rerum hujuscemodi scientissimo Hieronymo Bignonio in *Notis ad Veterum Marculfi Monachi Formularum libros.* Et hi simpliciter dicebantur *Missi*, vel cum addito *Missi Dominici*, sive *Domini.* Horum in numero OTHO Noster fuit, & alii primarii Viri, de quibus crebra mentio in Veterum monumentis. Incertus in *Vett. Formulis* cap. VII. *Ante illustres viros magnificos illos, & illos Missos Domini, & Gloriosissimi illius Regis.* Et infra: *Ante ipsos Missos Dominicos, secundum suam legem ipsi Venerabili illi Abbati reddere, vel investire deberet.* Pipinus Major Domus in *Diplomate pro S. Dionysio: Omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Domesticis, Grafionibus, Vergariis, Centenariis, vel omnibus Missis nostris discurrentibus,*
B *seu quacunque judiciaria potestate præditis.* Carolus M. in *Capitulis* lib. III. cap. XXXIX. *De Missis nostris discurrentibus.* Lib. IV. cap. LXIX. *Ut Missi nostri, qui vel Episcopi, vel Abbates, vel Comites sunt*, &c. Aimonius *lib.* V. *cap.* I. *Ad partem fisci nostri Missi sui discurrentes dissolvere debeant.* Flodoardus lib. II. *Hist. Rhem.* cap. XVIII. *Tilpinum sequitur Vulfarius, qui ab Imperatore præfato Magno Carolo Missus Dominicus, ad recta judicia determinanda fuerat ante Episcopatum constitutus super totam Campaniam.* Et cap. XX. *Quod audiens Rex, magno repletus gaudio, jussit obviam Missos suos ire Summo Pont. & servitia præparare.* Ibidem: *Ut nullus Judex, Comes, aut Missus*, &c. Ita prorsus, ut Missi Dominici, sive Regii, dignitas esset amplissima, qualem fuisse testatur in Austrasiæ Regno Brouverus, ad illa Venantii Fortunati
C de Gelesuinta *lib.* VI. *cap.* VII.

Sæpe tamen Missis, dulcis tibi dulcis adhæsit.

Pro quibus *Missis* prave erat in vulgatis *Mitis.* Ubi loci pariter observandum, ex ejusdem Brouveri nota, *Missos* ibi *literas*, aut *legatos* esse, ut in illis ejusdem Vatis ad Artachin nomine Radegundis:

Neque monasterio Missis rogo sæpe requiras.

A Missis quippe Dominicis, sive Regiis, factum, ut deinceps Legati quique, & Nuncii cujuscunque nominis, quicunque demum aliquo mittebantur cum literis, vel mandatis, dicerentur *Missi*, & Italis quoque nostris *Messi.* Symmachus *lib.* II. *epist.* LX. *Suburbanum prædium, quod viæ Appiæ adjacet, incolebam, cum mihi literas tuas in hoc missus exhibuit.* Balderius lib. I. *Chron. Atrebatensis* cap. LXI. *Petiit hunc Hesibonem, ut Missum*
D *suum ad eum dirigat.* Alcuinus, sive Albinus, *epist.* VI. ad Carolum Magnum: *Quapropter sub festinatione direxi Missum nostrum ad præfatum Episcopum.* Sulpitius in *Epist.* ad Desiderium: *Licet libenter ac frequenter nostros Missos, pro sciscitanda incolumitate Gloriosi Domini Dagoberti Regis debeamus dirigere.* Et infra in *Epistola* Autulfi: *De cætero, quod præsens Missus vobis suggerit*, &c. Et in *Epistola* Abbonis: *Literas gratiæ vestræ tam per anteriores Missos*, &c. Paullus Warnefridus, qui vulgo Paullus Diaconus, lib. V. cap. XXVII. *de Gestis Longobardorum: Sed & Forum Popilii, Romanorum civitatem, cujus cives eidem adversa quædam intulerant, Beneventum proficiscenti, Missosque illius euntes, & redeuntes à Benevento sæpius læserant, hoc modo delevit.* Et festivissime de Solis Equis, nuntiis adventantis diurnæ lucis, Abbo lib. I. *de Obsidione Lutetiæ*, vers. CCXCI.

E *Jam Titan celeres Missos præmittere curat.*

Occurrent præter hos alibi *Missi Fiscalini, Comitum, Commonitorii, S. Petri, & alii*, de quibus in *Glossariis* suis Lindenbrogius, & Pithœus.

Inde sane *Missaticum* emanavit, quod nihil est aliud, quam *Nuncium, aut Legatio à Misso facta.* Flodoardus laudatus supra *lib.* III. *cap.* XXVI. *Ut Missaticum Regis simul cum ipsis audiat.* Et *Missaticus*, qui nuntium ipsum affert. Idem *ibidem: Atque per suum Missaticum, quid de illo Comite fieri deberet, qui in suo Comitatu injustitiam faciat exsequi procuraret.* Et *cap.* XIIX. *Quia dixerat, se Missaticum habere ex parte Reginæ, ad Canonicos mandat, ut si venerit ad eos, sicut Missus Reginæ venerabiliter suscipiatur.* Plura qui cupit, adeat *Glossaria* memorata.

24 TERTII] *Secundi* aliis, quos producam infra.

F 25 LOTHARII] Observat Krantzius lib. VI. *Saxoniæ* cap. I. Imperatorem istum, propter nominis consonantiam, à Gallicis & Italicis Scriptoribus *Lotharium* dictum, cum *Luderus* patrio, id est, Saxonico, vocabulo diceretur. Quamobrem *Luderum* illum idem Scriptor perpetuo vocat. *Lutherum* Guntherus nominat *Ligurini* VI.

Fecerat Imperii sumentem jura Lutherum.

Lutarium Benevenutus in *Augustali* vocitatum prodit. Cæterum natus is Cæsar patre Gebhardo, Comite in Supplen-

plenburg & Arnsburg, ex antiqua stirpe Comitum Querfordi ad Hercyniam, non Virtute solum, sed insigni quoque Pietate fulsit. Simul ac enim Regno potitus est, Pontifici Romano deditus, acerrimum se Ecclesiæ defensorem fore publice professus est. Affecit Cæsar idem Italiam beneficiis maximis, restituta illi, ceu postliminio, dulcissima Pace ex longis & asperrimis bellis, nec non & Justitia ac Legibus ex magna perturbatione rerum. Mores ejus cum Virtutibus hisce coloribus apud Urspergensem Scriptor anonymus adumbravit: *Erat vir ille strenuus belli ductor, præcipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei, & sanctæ Ecclesiæ, Veritatis amicus, Justitiæ socius, Injustitiæ inimicus: cujus probitas patuit in Sicilia, viguit & in Saxonia: Qui quandiu vixit, totum Romanum Imperium, quod ejus custodiæ deputatum fuerat, titubare non potuit. Hic expulso Petro Leonis, Innocentium Papam manu forti, invitis hostibus & adversariis, in sede sancta restituit: ab eo quoque restituto consecrationem imperialem accepit.* Benevenutus de iisdem: *Sapiens & industrius fuit, amicus & devotus Ecclesiæ, pollens divitiis, & victoriis magnis.* Quibus affinia sunt, quæ tradidit Robertus de Monte in *Appendice ad Chron. Sigeberti.* Pacata demum Italia Cæsar idem sanxit, ut in Lombardia Italici populi omnes uno Jure Civili Romano uterentur; & eodem auctore in Italiæ Gymnasiis, Bononiæ in primis, Jus Civile explicari cœpit. His actis, cum ex Italia in Germaniam rediret per Tridentinam vallem, morbo correptus est, cumque properare vellet, ingravescentis morbi sævitia superatus, inter Enum & Lycum amnes, in Pago ignobili, vivere desiit VIII. Id. Decembr. Anno Domini CIↃ. CXXXVIII. Imperii XIII. Sepulcri locum quod attinet, eum demum est nactus in Lotharia Cæsarea, Monasterio Saxoniæ, cui à se nomen indiderat. Vivens ante postremam Italicam expeditionem coercuit tumultuantes in vicinia Reges, Magnum nempe Danicum, & Bribislaum Obotritum, in cujus victoriæ memoriam trophæum erexit Bigeburgum arcem; dein constituit Provincias ejus Germaniæ, quæ cis Hercyniam patet. Ex uxore Rixa suscepit Lotharium F. qui citra pubertatis annos occubuit: filias Gertrudim, & Hednuigin, quarum illam tradidit Henrico Superbo Bavaro, hanc Ludovico Barbato Com. Thuringiæ, quo ex fonte nobilissima Landgraviorum Thuringiæ stirps.

26 IMPERATORIS] E Saxoniæ Duce, loco ab Augusto LXXXIX. an. salutari CIↃ. CXXVI. uti prodidit Urspergensis, ut alii CIↃ. CXXIX. Quo vero ille ordine pervenerit ad Imperii culmen, docemur à Krantzio in ante laudato *Saxoniæ* libro. Cum Principes eum Imperatorem dicerent, diu quidem reluctatum Frisingensis & Egnatius tradunt; contra Krantzius ex Benevenuto. Nauclerus cum primis sentit, additque ex Frisingensi, Henrico V. defuncto, à Principibus Regni (ne de Septemviris tantum intelligatur) apud Maguntiam quatuor Regni Optimates designatos fuisse iis in Comitiis, quibus Lotharius Cæsar renunciatus est, Lotharium ipsum, Fridericum, sive Chunradum Sueviæ Ducem, Leopoldum Marchionem Orientalem, id est, Austrium, & Carolum Com. Flandriæ.

27 SECVNDI] Hærebit ad hanc vocem quisquis non deesse legerit, qui Lotharium ejus nominis Secundum, Conradum vero ejus nominis Tertium, Romanorum Reges fuisse scribant. Horum enim in numero Gotefridus Viterbiensis *lib.* XVIII. Siffridus Presbyter *lib.* I. Trithemius in *Hirsaug.* ad ann. CIↃ. CXXVI. & CIↃ. CXXXVIII. Nauclerus *Gen.* XXIIX. & XXXIX. Krantzius *lib.* VI. *Saxoniæ*, Mutius *lib.* XVIII. *Chron. Germ.* Gualterus in *Tab. Chronogr. Status Ecclesiæ*, Seculo XII. Carrio *lib.* IV. Benedictus Jovius in *Historia Novocomensi* lib. I. pag. 33. Tursellinus in *Epit. Hist.* lib. VIII. & alii præterea multi. Verum enim vero, si hærere maluerimus Benevenuto in *Augustali*, Othoni Frisingensi in *Chronicis*, Martino Polono in *Supputationibus*, & Othoni nostro, nequaquam hærebimus. Nam his omnibus, qui Cæsarum istorum tempora propius attigere, Conradus ejus nominis Secundus est, Lotharius vero Tertius appellatur. Unus *Magni Chron. Belgici* Concinnator, sibi parum in Conrado constans, eum nunc Secundum, nunc Tertium ejus nominis vocat; alii nec Tertium, nec Secundum.

28 CORRADI] *Cunradi* melius, ni *Conradi* malis, ut infra col. 1009. qui Lothario sine liberis vita & imperio defuncto, præpositus Henrico Superbo, Noricorum Duci, lectus est Cæsar, anno CIↃ. CXXXVIII. Cæsareum genus, alterius nempe Conradi filius, Henrici IV. Imp. ex sorore nepos, Friderici Ducis Alsatiæ frater. Juvit hic Cæsar, post elatos propinquos & affines domi, labantem in Asia Rempublicam Christianam, D. Bernardi Claravallensis Abbatis impulsu, anno Domini CIↃ. CXLVI. apertoque Marte congressus cum ingentibus Turcarum copiis ad Mæandrum fluvium, tantam edidit eorum stragem, ut cruor flumen tinxerit, & ripæ longe lateque cæsorum cadaveribus oppletæ sint. Ea victoria consternatis hostibus, & in fugam versis, per itinera à latrociniis & incursionibus hostilibus liberata, tutum ad urbem Hierosolymam accessum dedit. Inde in Germaniam reversus, cum novos exercitus ad pacandam Italiam collegisset, inopina morte præventus, expeditionem, quam animo conceperat, non absolvit. Vitæ metam attigit Bambergæ XV. Kal. Mart. cum imperasset annis XV. reparatæ salutis anno CIↃ CLII. hoc etiam felix, quod eo regnante literæ, quæ à Barbaris sepultæ jacuerant, oculos aliquando tollere cœperunt. Tum primum enim in Græcia Eustathius Homeri Interpres; in Hispania Averroes, Avicenna, & Rabbi Moses; in Francia Hugo, & Ricardus à S. Victore; in Germania Otho Episcopus Frisingensis; in Italia Gratianus, Petrus Lombardus, & alii floruerunt. Intestina mortui Bambergæ condita prope Henricum Sanctum. Cadaver Laureacum delatum, quod aliqui *Eboracum* vocant, Siffridus *Spiræ*: Chronologicæ Compilationis Auctor, quem Pistorius edidit Tom. I. *Scriptorum illustrium Germanicarum rerum*, Historia Landgraviorum Thuringiæ, Mutius, & alii, in *Monasterio Loch*, in Suevia sepultum tradunt. Filios reliquit duos ex Gertrudi, filia Comitis Sultzbachii, Henricum, & Fridericum, quorum primum, quem ante expeditionem Hierosolymitanam pene puerum consortem Imperii fecerat, ante reditum amisit; alter in Italia militans cum patruele Federico Ænobarbo, peste sublatus est in obsidione Romæ, ut Acerbus indicat in illic mortuorum censu, col. 1009.

29 REGIS] Quandonam Germani Cæsares *Regis*, quando *Imperatoris* nomenclaturam assumerent, doceo pluribus *ad Mussatum*; nec omnino rem eandem dissimulo ad illa *Not.* 434. *Apud sancti Petri Basilicam coronatus, Romanorum Dei favente misericordia Imperator est effectus.* Conradus, quia bello domestico districtus Romam adire nequiit ad Imperii insignia capescenda, priusque vivendi finem fecit, quam inibi imperiali benedictione à Romano Pontifice muniretur, in ipso nempe apparatu rerum, quæ expeditioni hujuscemodi necessariæ erant, Imperatoris nomine caruit, testibus ea de re locupletissimis Roberto à Monte, Trithemio, Krantzio, Tursellino, & edito nuperrime Historico Benedicto Jovio, cujus verbis Nota nostra mirum in modum illustratur ex lib. II. *Novocomensis* ejus *Historiæ*, quæ produco: *Bello Mediolanensi à Conrado primo Imperatore gesto (licet alter Conradus hunc præcesserit, qui, quia legitime nec electus, nec confirmatus fuit, in vero numero Imperatorum non habetur, hic ideo primus appellatus est, quamquam in historiis secundus habeatur) circiter annos Domini mille triginta tres, in quo Heripandus Vicecomes, Mediolanensis Patricius, egregiæ virtutis specimen dedit, non pauci Mediolanenses capti ab ipso Imperatore in Germaniam ducti sunt.*

30 COMPENDIOSE] Nempe *Brevitas* præcipua narrationis historicæ virtus, ut ipsis quoque lippis & tonsoribus patet.

31 VERACITER] *Historia siquidem* (ut recte scripsit Plinius in *Epist.* lib. VII.) *non ostentationi, sed fidei, veritatique componitur.*

32 MEIS PROPRIIS] Vocum harum unam, vel alteram dempseris, nihil dempseris. Cæterum auctoritatem illæ Nostro conciliant, ut æquævo. Vide me ad illa *Not.* 417. *Vidi, & cognovi.*

33 CIRCA PRIMVM] Adderem, si auderem, *actum*; sed audeo nihil.

34 QVIA PRAEDICTVS] Habet Mediolanensis Ambrosianæ Bibliothecæ Codex, *Quare prædictus*: nec placet. Si mei res arbitrii foret, pro *Quia*, *Qua* legerem non invitus.

35 ODIVM MEDIOLANENSIVM] Memorantur hujus odii caussæ, nec leves, multæ. Locum inter illas principem apud Nostrum tenet col. 957. lit. E. *Deductio ipsius Federici cum exercitu Papiam versus per loca vasta.* Detulit ei quoque caussæ primas Episcopus Frisingensis lib. II. de *Cæsaris ejus Gestis* cap. XIII. quin & alias duas adjecit: Unam, *quod exercitu, non tam ob inediam in vastis locis, quam ob effusionem imbrium maximam, graviter exacerbato, cuncti, prout poterant, Principem adversus Mediolanenses concitabant.* Alteram, *quod iidem Mediolanenses, civitates, quas destruxerant, per eum reædificari pati nollent.* Bossius eam ob caussam Federicum Mediolanensibus succensuisse tradit, *quod, cum esset Laudæ secunda vice, qua in Italiam venit, legati finitimarum civitatum Regis ipsius animum inflammarint, ut civitatem eorum, inimicam pacis atque legum, latronum potius latebras, quam Civium habitaculum, è medio tolleret.* Sic enim amat ille Scriptor de Patria loqui, Federico de familia sua probe merito, ut ipsemet inibi testatur, addictus nimis.

Me-

Meminit earundem querelarum Noster col. 957. atqui post primam, non post secundam (ut Bossius) expeditionem Italicam Federici. Joannes Dubravius lib. XII. *Hist. Boemicæ*, jam accensum Ænobarbi animum in Mediolanenses, duabus hisce facibus admotis validius exarsisse refert: Una, *quod eunti per Insubriam, Dertonam, velut obicem, opposuerint, ut progressum in Italiam longiorem impedirent.* Altera, *quod tumultum in urbe excitarint, Romanosque ad arma conciverint, ne solemnia Diademati imponendo peragi sinerent.* Federicus ipse suis in literis ad Othonem Episcopum Frisingensem his ore suo de causis loquitur ad hunc modum: *Post hæc expeditionem Romam movimus, & valida manu Longobardiam intravimus. Hæc quia propter longam absentiam Imperatorum ad insolentiam declinaverat, & suis confisa viribus aliquantum rebellare cœperat, nos animo indignati omnia fere Castella eorum, furore debito & justo, non militum, sed servientium destruximus. Mediolanenses versuti & superbi verba sine fide nobis dederunt, &, ut nostra concessione super Cumas & Laudam dominium habere mererentur, multam pecuniam nobis promiserunt. Sed cum nec prece, nec pretio flectere nos possent, & cum ad terram eorum venissemus, à terra copiosa sua declinantes, tres dies in solitudines nos duxerunt, quousque tandem contra voluntatem eorum juxta Mediolanum ad milliare Teutonicum castrametati essemus. Ibi dum ab eis mercatum quæreremus, & ipsi nobis cum negarent, nobilissimum castrum eorum, Rosatum videlicet, quod quingentos milites armatos habebat, capi & incendio destrui fecimus.* Ore vero Guntheri, in allocutione ad Proceres Regni, carminibus hujuscemodi *Ligurini* VII.

Sed jam tempus adest, quo certo pectore possit
Vestra nitere fides, ad magna negocia rerum
Venimus, ingentes belli concepimus iras:
Nec mihi res agitur, nec certos sponte labores
Aggredior, belli causas, iramque coactus
Accipio, justosque movet vindicta dolores.
Cernitis in quantos se se efferat improba fastus
Urbs Ligurum, regnique minas, mandataque nostra
Ridet, & antiquis à Regibus edita jura,
Quæ cum legifero statuit reverendus Othone
Carolus, ah pudeat? nunc demum tempore nostro
Respuit, abjecitque ferox cervice superba
Imperiale jugum, manifestaque bella fatetur.

At Guntherus ipse *Ligurini* II. Mediolanenses odii in se caussam Federico præbuisse canit, *quod Cumam & Laudam à se victas gravi ditione premerent: imo secundis elati rebus validas in se Principis iras incessissent, eo dolose ducto per locos steriles & egenos.* Quæ quidem non longe abeunt à Morenæ dictis. Eadem Abbatis Urspergensis monumenta continent, quorum è fontibus Cavitellius hausit, Mediolanenses in iram & odium Federici Cæsaris incurrisse, *quod illi parce annonam sumministraverint* (fames enim & mora, ut habet proverbium vetus, bilem in nasum conciunt) & ob id etiam, *quod recusarint civitates Novocomi & Laudæ, per eos demolitas, instaurare.* Longe alia Merula *lib.* III. Ob id scilicet Federicum Mediolanensibus adversatum esse, *quod hi Alexandrum Pontificem unice venerati, partes Ecclesiæ pertinaciter tuerentur.* Sed Manium Merulæ bonorum pace, non hæc prima fuere semina odii Cæsarei in Mediolanenses. Quare vere idem subjecit statim: *Manebat adhuc odium, & antiqua simultas, & proinde infensi animi;* nec alibi reticuit finitimarum civitatum querelas, quibus Imperator motus sub specie liberandorum Sociorum Mediolanum oppressit. Aliæ fortassis apud alios odii hujus Cæsarei caussæ in Concives meos; at uni omnia nosse

Non DI, *non homines, non concessere Camœnæ.*

36 OBLIVIONI TRADERE NON PUTAVI] Aut hic, aut nusquam obviis, quod ajunt, ulnis excipiendus Ambrosianæ Bibliothecæ Codex, quippe qui castigatius & accommodatius sententiæ legit *Oblivioni tradere non potui.* Quam esse quemque linceum vel in minimis decet? Literulæ istic duæ, commutatæ perperam, totam pene Scriptoris mentem de suæ sedis fastigio deturbarant.

37 IN REGNO FUIT ELECTUS] Post Conradum II. *Patruum*, quem naturæ legibus satisfecisse diximus anno CIↃ. C. LII. *Patruum*, inquam, non, ut habet mendose Benevenutus, *Patrem.* At eodemne illo anno Federicus I. in Regem Romanorum lectus, quo vivere desitum à Conrado? Ita plane censeo cum Othone Frisingensi lib. II. *de Federici Gestis* cap. I. ex quo Mensis etiam & electionis Dies liqueto, III. nempe Non. Martii, hoc est, Feria tertia *Oculi mei.* Suffragantur Othoni unanimes Erphesfordiensis Monachus in *Addit.* ad Schafnaburgensem, Dodechinus in *Append.* ad Marianum Scotum, Robertus de Monte *ad Sigebertum*, *Compilatio Chronologica* laudata supra, *Historia Landgraviorum Thuringiæ*, Trithemius *Hirsaug. Chron.* Affligemensis apud Haræum in *Godfrido* III. Principe Brabantino, Cuspinianus, Aventinus, Genebrardus, Palmerius, Cavitellius, Canisius, Bossius, Dubravius, Carrio, Krantzius, Baronius in *Annal. Ecclesiast.* ejus anni, Ciaconius in *Eugenio* III. Gordonius in *Opere Chronologico*, Gualterus in *Tab. Chronographica Status Ecclesiæ*, Seculo XII. Benedictus Jovius lib. I. *Novocomensis Historiæ*, & qui non? Libuit tamen aliquorum quasi consertum agmen instruere, ut aliorum contra pugnantium castris opponi validius posset. Viterbiensis enim Part. XVII. *Chronici*, Federicum I. anno Dom. CIↃ. CXLVI. Cæsarem renuntiatum tradit: Ptolemæus patria Lucensis, Torcelli Episcopus, id ipsum peractum asserit triennio post: Otho à S. Blasio, in *Append.* ad lib. VII. Othonis Episcopi Frisingensis, assignat eidem electioni annum CIↃ. CLIII. quod & Nauclerus fecit, & *M. Chronici Belgici* Concinnator pag. 179. Siffridus eam in sequentem annum retulit, cui Martinus Polonus, & Horatius Tursellinus hærent. Jacobus demum Philippus Bergomas in *Suppl. Chron.* lib. XII. inaugurationem eandem confecit in annum CIↃ. CLV. Attende, *Mecœnas Optime*, sedulo, & mirare Scriptorum dissensionem miram in unius rei gestæ tempore proferendo, ne lædaris eorundem diffidiis in rebus ipsis ad libellam & trutinam revocandis.

38 MAXIMUM COLLOQUIUM] Tertius huic Colloquio locus à Sigonio datur inter ea, quæ post inaugurationem Federicus habuit, suumque dictum Scriptor eruditus & eloquens Mediolanensium monumentis in acceptum refert. Suffragatur autem Morenæ dictis una ex parte Bossius, idemque ex altera refragatur, si quidem hæc illius verba ad annum CIↃ. CLII. suis librentur ponderibus & momentis: *Constituto Imperio, cum publicum Orbis terrarum conventum in Constantiæ civitate ordinasset, copiam sui depositituris querelas Civitatibus apud se faciens, duo Laudenses Cives publico missi nomine graviter de miserabili suæ civitatis pressura, & servitute adversus Mediolanenses conquesti sunt habitu,* (adde, & locum mutilum integritati suæ restitue ex Sigonio, *fœdo, miserabilique sumpto*) *ac cum quibusdam signis, velut argumento, calamitates suas probantes.* Suffragatur enim in iis, quæ primo loco de Conventu Constantiæ indicto affert; refragatur in aliis, quibus asserit, Laudenses Cives ad eum Conventum nomine publico concessisse; non autem rogatu Constantiensis Episcopi, aut divino quasi spiritu eos illuc tunc ducente, ut habet Noster, & ex eo Corius, ne latum quidem unguem ab ejus vestigiis hîc recedens.

39 HABERE AC TENERE] Verbum primum eleganter, secundum barbare *Colloquio* nexum, ut Seculi ejus mores notos habeas in scribendo.

40 CIVES] Ita Bossius. *Consules* Guntherus vocat, cujus verba damus infra *Not. 46. Sed divino quasi spiritu.* Idemque multo ante Guntherum scripserat Frisingensis lib. II. *de Fed. Gestis* cap. XIII. Sigonius ex Mediolanensium monumentis, quæ laudat lib. XII. *de Ital. Regno*, *Humili loco atque obscura conditione homines* fuisse retulit, contra sentiente manifeste Nostro, cujus fidem hic in dubium non vocarim, cum eos notos penitus habuerit & perspectos, ut testatur statim.

41 ALBERNARDUS] *Alberardus* hic, & *Berardus* alibi Corio nuperrime laudato, cui forte fuit ad manus absolutior MS. Codex.

42 MAGISTER] Ambigo, quid hoc sit nominis, & unde ductum, Familiane, Vulgo, vel Munere; quod hujuscemodi notaretur voce, aliove ex fonte mihi adhuc clauso post adeo longa temporum *intervalla.* Floret enim adhuc non una in Urbe *Familia Magistria*, domi forisque conspicua Sago & Toga, ac sub almo potissimum Ticinensi cælo, quod, inter Viros alios multos Amplissimos, CAROLUM in primis ANTONIUM MAGISTRIUM, Regium apud Mediolanenses Senatorem, Literatorum literatissimum Mecœnatem spectat. Et *Magistri* dicuntur hodie passim Scientiarum laurea decorati, supraque cæteros in iisdem aliis tradendis siti. Quisquis demum, vel imi subsellii Orbilius, literas elementares docet, *Magister* audit apud imperitum vulgus, penes quod tamen *nec jus, nec norma loquendi*, uti legitimi quique Censores censent. Ferat igitur per me, qui volet, interpretationis vocis hujus palmam. Haud enim ego Tiresias, vel Apollo.

43 EUUMANUS] Mediolanensis Ambrosianæ Bibliothecæ Codex, quem Mediolanensem tantum *Notis* in reliquis nominabo, *Erumanus* præfert. Vitiose prorsus, non secus ac ille, ad cujus exemplar excusus Venetiis Noster. Non longos logos. *Hermannus* rectum, proprium, & incorruptum ejus est Episcopi nomen, cujus hic Morena meminit, qui, Vir nobilis de Arbona, Constantiensem tandem in sedem elatus est post Uldaricum II. loco quadragesimo, annitente contra, sed frustra, Conrado Rom. Rege, qui cum aliis quibusdam elegerat Brunnigundum anno CIↃ. CXLI. Inter cæteras Hermanni virtutes commendata *Prudentia*, nec pressa silentio *Fa-*

Facundia eſt. Fuit idem liberali facie & amore erga Sponſam ſuam Eccleſiam ſingulari, quam obiens ornamentis & ædificiis ampliſſimis auctam reliquit Othoni II. de Hanſpurg, Canonico Eccleſiæ Auguſt. & Præpoſito S. Mauritii ibidem, cum ei præfuiſſet annis XXVI. Seculorum omnium memoria & commendatione dignus. Annus obitus fuit centeſimus ſexageſimus quintus ſupra milleſimum, ſive milleſimus centeſimus ſexageſimus ſextus, ut aliis placet. Cæterum hæc & alia pluribus explicata leges in *Conſtantienſi Chronico* Jac. Manlii Brigantini, quod ſecuti ſumus. Jacobus Merck in *Epiſcopatus Conſtantienſis Hiſtoria*, quæ nuper, anno nempe ſuperiore, Conſtantiæ prodiit Germanicis typis Leonardi Straubii, in hujus, quo de ſcribimus, Epiſcopi Nomine conſentit omnino cum laudato *Chronico*: in Electionis anno plane diſſentit, ſicut & in loco, quo inter Conſtantienſes Epiſcopos relatus eſt. Sic enim ille, mihi hac in parte Latinitate donatus opera Viri Docti, loco ut iſti facerem medicinam.

EPISCOPVS 41. HERMANVS I. Anno 1139.

Hermanus Baro Arbonenſis una omnium voce electus eſt, ac paullo poſt ab Innocentio II. *Rom. Pontifice confirmatus, quamvis Conradus ad Hohenſtoſlen, Dux Sueviæ, & Roman. Rex, Brumiguedum ad Epiſcopale munus promoviſſet. Rexit autem Hermanus Epiſcopatum annis* XXXVI. Meminit & hujus Epiſcopi, ſub Hermanni nomine, Otho de S. Blaſio in *Append.* cap. VII. in hæc verba: *Suadentibus Colonienſi Archiepiſcopo, & Hermanno Conſtantienſi Epiſcopo, & quibuſdam aliis Principibus ad ulteriora*, &c. *progredi diſpoſuit.* Et cap. X. *Circa hæc tempora* (anni 1158.) *Federicus Imperator generalem Curiam cum maxima Principum frequentia apud Conſtantiam habuit, ibique coram Hermanno Epiſcopo in Choro Conſtantienſi uxorem ſuam*, &c. *repudiavit.* Ne multis? *Hermani* plane nomine ſe ſubſcripſit Conſtitutioni Federici I. de pactis inter Imperium & Eccleſiam ſervandis, anno CIↃ. CLII. quam V. C. & Eruditiſſimus Melchior Goldaſtus Haiminsfeldius, Sereniſs. Treverenſis Archiepiſcopi Conſiliarius, evulgavit Tom. III. & ultimo *Conſtitutionum Imperialium* pag. 351. Obſervanda porro in his, *Conſtantienſis Epiſcopi, Evumanus nomine*, formula loquendi vetus, juxta quam Nomina propria in recto perpetuo locabantur; ut infra in illis col. 955. lit. A. *Et cuidam legato ſuo, Sicherius nomine*, &c.

44 IN TOTO ILLO ANNO] Admittebat eo quippe Seculo præpoſitionem Tempus. Non multo poſt: *In quadam die Mercurii.* Et Opere fere toto.

45 AMBVLAVERVNT] *Iverunt*, quod animadverſione dignum cum accuſandi caſu.

46 SED DIVINO QVASI SPIRITV] Negat id apertis, quod ajunt, tibiis Guntherus, qui & Conſules eos fuiſſe ſcribit, & nomine publico miſſos ad Ænobarbum, ut ſuas apud illum querelas deponerent contra Mediolanenſes. Sentit idipſum Boſſius, quem loquentem audivimus ſupra *Not.* 38. ad illa, *Maximum colloquium.* Sat hic igitur fuerit audire Guntherum, auditum hac in parte nondum. Ait ille ſcilicet *Ligurini* II.

Inter propoſitas multaſque, graveſque querelas,
Regia Lauda ſui Cuma cum ſupplice Regis
Implorabat opem, miſſiſque fidelibus ambæ
Conſulibus, Patribuſque ſuis, crudelia facta
Deflebant querulis Ligurinæ vocibus Urbis,
Ærumnaſque ſuas, longæque tyrannidis uſum
Facundo, mœſtoque ſimul ſermone gemebant,
Conſulibus Ligurum præſentibus, atque paratis
Excuſare ſuam phaleratis vocibus Urbem.

47 EX POST FACTO] Sic col. 960. lit. A. & col. 972. lit. C. Nimirum & hæc una ex formulis ſequioris ævi, aliis quoque Scriptoribus uſitata. Albertinus Muſſatus lib. VIII. Rub. VII. *de Geſt. Henrici* VII. Cæſ. Auguſti: *Non dubium Papam emologaturum etiam ex poſt facto, ſi quid inhabilitatis in tanti conſummatione negotii fuerit.* Idem lib. IX. Rub. IV. *Quos inter & Nobiles fuere quamplures, magno ex poſt facto a victoribus redempti.* Et lib. X. Rub. II. *Nec id ex poſt facto compertum eſt.* Extulit rem eandem Monachus Anonymus Patavinus lib. I. *Chronici* ad ann. CIↃ. CCXXII. & lib. II. in calce antepenultimi Tituli, *De pace Marchiæ poſt ruinam perfidi Eccelini.* Sed hoc alio diverſo paululum verborum nexu; *ſicut poſtea patuit per effectum.* Aliorum teſtimonia, cum omnia non ſuppetant, non produco.

48 SERVITIO] Uſi & alii ſenſu non diſpari pari voce, Rolandinus in primis *lib.* I. *cap.* I. *Volebat tamen ex hoc ſervitio habere libras quinquaginta.* Et XI. ejuſdem *libri*: *Poſt multa ſervitia facta Rom. Eccleſiæ.* Nec non & *lib.* V. *cap.* II. & *lib.* VI. *cap.* XIX. Occurrit vox eadem in literis Jacobi Epiſc. Bonon. quas produxit Cherubinus Gherardaccius lib. VI. *Hiſt. Bonon.* pag. 168. ſed alia notione: *Recognoſcens dilectionem, affectionem, & ſervitia, quæ, & quas Commune*

A *Bonon. ei fecit.* Ibi ſiquidem *Servitia, officia ſunt, & obſequia quædam clientelaria*, ut in lib. *Feud.* II. Tit. LI. §. 8. Et lib. VII. *Daniæ* Alberti Krantzii cap. XXXV. *Homagiale ſervitium*, quam *Servitia*, quæ proprie officia ſervilia ſunt, ut indicat vox ipſa in illis Maximi Poetarum, *Eclog.* I.

Quid facerem? neque ſervitio me exire licebat.

Salluſtii initio *Catil. Belli*: *Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur.* Venantii Fortunati de Conda Domeſtico:

Nunc etiam placidi Sigberti Regis amore
Sunt data ſervitiis libera dona tuis.

Propertii *:

† *Si mihi ſervitium video, Dominamque paratam,*
Jam mihi libertas illa paterna vale:
Servitium ſed triſte datur, teneorque catenis,
Et nunquam miſero vincla remittit Amor.

B Rolandini laudati initio *lib.* x. *cap.* XI. *Qui in ejus ſervitium ſteterant.* Federici I. in Privilegio Bononienſibus conceſſo, anno CIↃ. CLV. III. Id. Maji apud Gherardaccium lib. III. pag. 79. *Fideles noſtros, Regni de Medicina, in juſtitia ſua ad ſervitium regni conſervare volentes.* Clementis V. Pont. Max. in literis ad Abbatem Ciſternenſem, pro cogenda Synodo Univerſali, apud Bzovium *Annal. Eccleſiaſt.* Tom. XIV. col. 146. *Cum crederetur in Domini ſervitio ſub regulari habitu fideliter militare.* Auctoris expeditionis Aſiaticæ Federici I. *Attendens, quod coacta ſervitia Dominus non acceptet.* Engelbardi Lanthaimenſis de vita S. Mechtildis Virginis, ejuſdem Federici I. cognatæ, & Abbatiſſæ in Dieſſen, *cap.* XXVII. *Singulas quaſque conſolando exhortans, & confortans manus earum in Deo, & gratias ſingulis agens pro impenſo ſervitio.* Anonymi Monachi Paduani lib. I. *Chron. Procurabat enim modis omnibus perfidus Eccelinus, Marchionem, & ejus*
C *amicos repellere ab Imperatoris ſervitio, & mandato.* Gerardi Mauriſii pag. 5. *Venerunt itaque Paduani in ſervitio D. Eccelini*: & decima: *Sibi ab invicem Marchio, & inde D. Eccelinus ſervitium & amorem promiſerunt*: ac Rhythmatoris ejus, Thadæi Notarii Vicetini pag. 32. *Debita ſervitia ſibique donavit.* Et mox: *Ac ſibi ſervitium tradidit, ut ſcivit*, ne alios proferam infinitos. Inde apud Noſtrum *ſervitiis vincere*, col. 964. lit. B. Et *in ſervitium ſe tradere* in *Capp.* Karoli & Ludovici Impp. lib. IV. Tit. XIV.

49 FIENDO] Nota neutro-paſſivum participium pro activo, quod mihi alibi non compertum.

50 DICTA, AVT FACTA] Pro *dicerentur*, *aut fierent*, liberrimi omnium omnino Seculi libertate.

51 LAVDE] Ut in col. 954. lit. C. F. 955. B. 957. B. 964. B. C. 965. A. & 977. D. & in aliis aliorum ſcriptis, & in primis in Vicariorum Cenſu, quos Henricus VII.
D Imp. Italorum Urbibus impoſuit, qui MS. tuo penes me munere, *Munificentiſſime Senator*, exſtat. Siquidem in eo, ubi Laudenſis Vicarius nominatur, clare legere eſt: *In Laude D. Jacobus de Bacheſello.* Nec mirum: *Laus* enim æque tum in uſu ac *Lauda* de una & eadem Urbe. Quam ob cauſſam col. 954. lit. D. *Laude*, & col. 964. lit. C. D. *Laudem*, & *Laudam* leges. *Laus* quoque ſimpliciter Urbs eadem Antonino dicta, & Paullo Warnefrido *de Geſt. Longobardorum* lib. VI. cap. XX. unde vulgatum *Lodi.* Plinius *lib.* III. *cap.* XVI. *Laudem* illam quidem, ſed & *Pompejam* vocat. Idipſum videre eſt in Itinerariis Tabulis, & Cippo ad viam Flaminiam erecto in Villa Julia, haud procul Roma, qui talis eſt:

DIIS MANIBVS
L. TITI. L. F. PVPINIA
MACRI. VI. VIRO
E DECVRIO
LAVDE POMPEIA.

Hæc lecta mihi hactenus, & collecta de varia Nominis hujus Urbis forma, quæ *Laus* fortaſſe *Nova* Tullio Ciceroni.

Sed varia ejus quoque Nominis origo literis conſignata. Ex Mediolanenſium *Chronicis* conſtat, id Nominis ortum à *Laudo*, Mediolanenſi civitate ob ſeditionem profligato, & in ea loca profecto, quibus Merulæ duo, Georgius, & Gaudentius, libenti calamo ſubſcripſere; ac primus quidem lib. III. *Hiſt. Vicec.* ſecundus lib. I. *Antiq. Gall. Ciſalp.* cap. VIII. Inde factum, ut urbs illa *Laudum* potius, quam *Lauda* circa annum milleſimum tre-
F centeſimum diceretur paſſim, teſte Muſſato lib. III. *de Geſtis Henrici* VII. *Cæſ.* Rub. III. Et lib. VII. Rub. III. & VIII. Blondus, & alii, quæ de *Laudo* circumferuntur, fabuloſa cenſent. Plinius enim *Boios Gallos* Urbis hujus conditores facit; etſi Polybius, Strabo, Trogus, & alii, Urbes à Gallis conditas recenſentes, hujus nullam faciant mentionem. Ut ut ſit, ſive *Laus* ſolum

* Vel potius Tibulli, *lib.* II. *eleg.* IV.
† Alii legunt *Hic.*

lum initio dicta fuerit; sive *Laus Pompeja* simul, sive *Laudum*, cognomen in eam *Pompejæ* manasse Leander asserit à Cn. Pompejo Strabone, Cn. Pompeji Magni patre, qui vel Colonos illuc deduxisse, vel Urbem restaurasse existimatur. Nam eam Romanorum Coloniam fuisse palam Onuphrius tradit. Illud certissimum, *Laudem Pompejam* inter Urbes relatam à Conrado II. Romanorum Rege, precibus Eriberti, sive Uberti, Mediolani Præsulis, ut hoc illi debeat ornamentum, perpetuo debitura.

52 ALIISQVE PRINCIPIBVS] Frisingensis Antistes lib. II. cap. XIII. *de Gestis Federici*: *Et ex Principum, ac de universis pene civitatibus Consulum, seu Majorum conventu Curiam celebrante*, &c.

53 CONSTANTIA] A manu Typographi palmare mendum. Quare tu *Constantiæ* constantissime lege. Nam aperte suadet idipsum Mediolanensis Codex, & ipsa quoque rite loquendi ratio persuadet. At *Roncaliæ* gesta memorat Frisingensis, quæ *Constantiæ* Noster. Guntherus à Frisingensis tramite non aberrat. Adisis illos. Nondum enim liquet, quam in partem eam, cum utrique sui suffragatores adsint. Habet enim Merula, *auditas à Federico populorum querelas, simul ac Italiam ingressus fuit*: affirmat è contra Bossius, *eundem Regem in Constantiæ civitate copiam sui depostituris querelas civitatibus apud se fecisse*. Componat per me, qui voluerit, hanc litem Judex. Meum nempe non est hodie, cui Latinæ Feriæ in Albano.

54 MVLTI] Guntherus *Ligurini* II.

—— undique multi
Conveniunt, properantque suas exponere causas,
Factaque multorum mœstis efferre querelis,
Impunita diu: quos longo tempore tutos
Fecerat, & scelerum cupidos absentia Regis.

Et lib. VIII.

—— ex omnibus undique multi
Urbibus & vicis aderant, queruloque ferebant
Innumeras clamore cruces.

55 TAM PAVPERES] Radevicus de rebus à Fed. Roncaliæ gestis lib. I. cap. V. *Sequentibus diebus, plena atque solemni Curia, judicio, & justitiæ à mane usque ad vesperam intentus, querimonias, & proclamationes tam divitum, quam pauperum diligenter audiebat.*

56 QVAM DIVITES] Gulielmus in primis Montisferrati Marchio, Astensis Episcopus, pene ex universis civitatibus Consules, ut ex Frisingensi liquet.

57 COQVEREBANTVR] Tale quid à Gunthero traditum lib. V.

Fundere multiplices ex omni parte querelas
Aspiceres.

58 JVSTITIAM] Celebrata non unius Scriptoris ore JVSTITIA Federici I. Guntheri maxime, qui in obsidione Mediolanensi ei Cæsari adsuisse dicitur, eo fine, quo Scipioni Seniori in Africa Ennius, Juniori ad Carthaginem Polybius. *Libro* nempe primo ab hac illum Virtute ita celebrat:

Supplicibus facilis, justis pius.

Et aliquanto post:

Nec reticere libet quædam manifesta severæ
Pignora Justitiæ, strictique exempla rigoris.

Et libro III.

Nec vixisse pie sub judice proderit æquo?

Et V.

Oppressos relevat, pœna graviore superbos
Percutit, afflictis bonus, ac metuendus iniquis.

Accinit his expeditionis illius Asiaticæ Scriptor pag. 52. Nam, ubi legere est in vulgatis, *Imperator vero, ut vir multividæ circumspectionis*, &c. habet scriptura vetus, ex animadversione Canisii, *Imperator vero, ut vir Justitividæ circumspectionis.* Et in fine Operis, ubi mors ejusdem Cæsaris deploratur: *O quam dirum, quam miserabile Christianæ Gentis infortunium, cujus peccatis exigentibus sic Juris & Fidei columna dejicitur.* Accedit *Magni Chronici Belgici* Concinnator laudatus ante: *Ipse in Italia commoratus, Pius & Justus ab omnibus appellatus, & secundus post Carolum Magnum Justitia & Pietate est habitus.* Hinc illa Frisingensis in Prologo librorum *de Rebus ab eo gestis*: *Temperans in prosperis, fortis in adversis, Justus in judiciis, Prudens & acutus in causis esse cognosceris.* Et lib. II. cap. III. de eodem: *Constantiæ suæ omnibus nobis non parvum dedit specimen, dicens, non ex odio, sed justitiæ intuitu illum à gratia sua exclusum fuisse.* Dedit & Justitiæ suæ tum maxime specimen idem Cæsar, cum *nemini passus est injuriam inferri*, eodem Frisingensi teste, cap. XI. ejusdem libri. Pertinent huc illa præterea Mutii lib. XVIII. Chron. Germanorum: *Sed cum apud Imperatorem æquum & justum esset pecunia preciosius, non potuit induci, ut adimeret istis, illis adderet.* Et illa: *Contra jus & æquum nihil voluit prudens sciensve facere, persuasus nihil injusti durabile esse posse.* Carrio *lib.* V. *Curam legum & disciplinæ in eo summam fuisse* colligit ex relictis

A ab eo legibus, & exemplis. Sigonius ore Laudensium eandem in illo Virtutem extulit, cum inquit: *Non diffidere, ubi ille cognoverit, quin pro sua in omnes Æquitate, atque Justitia ruenti amicæ Urbi opem afferat.* Parco reliquis, coronidem his imponi patiens ab Acerbo Nostro, qui paucis tale illi confecit Elogium à Legum & Justitiæ cultu, *Justitiæ cultor, Legum amator.*

59 FACIEBAT] Guntherus *Ligurini* VIII.

—— Rex omnibus aures
Commodat, & querulis judex clamoribus idem
Æquus adest.

Erat autem, *Justitiam facere*, Jus suum unicuique reddere, vel Jurisdictionem exercere. Ado in *Chron. Legatos regios, qui tunc ad Justitias faciendas cum eis versabantur, comprehendunt.* Aimonius *lib.* IV. *cap.* X. *Lotharius vero, cum secundum patris jussionem in Italia justitias faceret.* Helmodus in *Hist. Slav.* cap. LVIII. *Super hos omnes*
B *functus est Comes honore Cometiæ, fecitque justitiam populo suo.* Cæterum lib. I. *Feud.* Tit. XXI. & XXIV. §. 4. & lib. II. Tit. XXIV. nec non & in *Legibus Bajoar.* cap. XVI. Tit. II. *Justitiam facere dicitur etiam is, qui se judicio sistit*: & lib. *Feud.* II. Tit. XXVII. §. 6. *qui se Legibus vindicat*, ut ante nos alii docuerunt.

60 PLEÑARIE] Rolandinus *lib.* VI. *cap.* XVI. initio: *Mihi videtur plenarie respondere ad votum.* Literæ Nicolai III. Pont. Max. ad Bononienses datæ, ut apud Gherardaccium exstant, *libro* VIII. extremo: *Volumus igitur, quod in iis & eorum circumstantiis plenarie cogitetis.*

61 PRAEDICTI] Albernardus, & Homobonus.

62 ADERANT] Frisingensis *lib.* II. *cap.* XII. *Aderant etiam Cumanorum, seu Laudensium Consules*, &c.

63 DE MERCATO] Mercatum genere neutro ejus ævi vox, quo Morena scripsit, & alii multi. Gulielmus Episc. Parisiensis in *Addit. Prohibetur Sacerdotibus, ne mercata*
C *frequentent.* Gregorius VII. Pont. Max. in *Diplomate* ad Bononien. dato X. Kal. Aprilis anni M. LXXIII. *Confirmamus atque stabilimus Curtem, quæ nominatur Milonis, cum portu, & ripatico, & teloneo, & mercato.* Et ante: *Cum mercato S. Joan. Baptistæ, ibique tenente. Mercadum* pro *Mercato* occurrit lib. III. *Solennium Formularum* Tit. LXI. Latinius *Mercatus* legitur in *Legibus Longobardorum Regum* lib. II. Tit. XXVIII. l. II. ut in Frisingensi *lib.* II. *cap.* XIV. *Dumque à prænominatis Consulibus per arida, ubi nec stipendia inveniri, nec ex mercatu haberi possent, circumduceretur loca.* Hinc illa, *mercatum constituere* lib. III. *Longobardorum legum* Tit. XV. & in *Privileg. Ecclesiæ Brem. construendi mercatum in loco Bremum nuncupato.* Quibus affinia sunt, quæ habentur in *Chronico Laurishaim*, ad annum DCCCLXX. *Rex publicum mercatum in Villa Wezzenloch, & in Steine cum omni reditu ex thelonei lucris, & aliis utensilibus ad S. Nazarium donavit*, pro quo ad annum
D D. CCCCXLVIII. dixit, *mercationes publicas fieri concessit.*

Alias *Mercatus* annona est, & quod ad victum, sive Forum rerum venalium spectat, qua clare notione usus ea voce Noster col. 961. lit. C. cum inquit: *Omnemque eorum mobiliam, totumque etiam mercatum, quod in castris habebant, amiserunt.* Et col. 997. lit. A. *Et si qui mercatum aliquod Mediolanum deferre inveniebantur, dexteram manum amputabant eis.* Federicus etiam suis in literis ad Frisingensem vocem eandem adhibuit eo sensu: *Dum ab eis* (Mediolanensibus) *mercatum quæreremus, & ipsi nobis eum negarent, nobilissimum castrum eorum, Rosatum videlicet, capi & incendio destrui fecimus.* Sic & Scriptor expeditionis ejus in Asiam, pag. 54. *Præter hæc alia ab Imperatore legatio destinatur in Hungariam ad Regem Belam pro mercato*, (hoc est, eodem sui interprete non multo post) *ut peregrini ex promissione fructus arborum, olera hortorum, ligna ad ignem sine*
E *vastatione domorum, gramen & paleas ad usus equorum acciperent, cætera competenti foro, secundum statum Regionum, & temporis exigentiam, compararent.* Et alibi: *Lupoldus Dux Austriæ, qui apud omnes liberalitatis præconio famosus & celebris habebatur, necessitati Peregrinorum laudabiliter consuluit tum in ministratione mercati, tum de rebus propriis liberaliter largiendo.* Nec multo post: *Ut eis honestorum Virorum procuratione mercatum cum honore debito faceret exhiberi.* Ibidem: *Ubique fuga omnibus indicta, frangi molendina præceperat, & mercatum subduci.* Infra: *Singulis etiam Principum boves, oves, vinum, frumentum, & hordeum dividentes munifice, & mercatum omnibus ministrantes.* Et in aliis paginis: *Pacificum desiderabant transitum, & mercatum. Incolæ supplicantes pro pace mercatum promittunt*, hoc est, *forum rerum venalium*, ut
F habetur pag. 74. sive *copiosam fori præparationem*, uti legitur pag. 75. Unde illa apud eundem alia ejusdem notæ: *Sequi mercatum, recipere mercatum*, pag. 76. 77. *Sufficiens forum equorum, & victualium*, pag. 91. *Mercatum tam in equis, quam victualibus; mercatique promissio*, pag. 92.

At hæc de duplici hujus Vocis usu satis ac super. Rem quod attinet, qua de Laudenses apud Federicum quæstos Noster asserit, non omnes pro illo suffragium ferunt.

runt. Ait enim Episcopus Frisingensis: *Aderant etiam Cumanorum, seu Laudensium Consules, de attritionis suæ diutina miseria lachrimabiliter super Mediolanensium superbia facientes querimoniam, præsentibus duobus Consulibus ejusdem Civitatis, Oberto de Orto, & Gerardo de Nigro.* Cujus vestigia prope de more terens Guntherus *Ligurini* II.

Inter propositas multasque gravesque querelas
Regia Lauda sui Cuma cum supplice Regis
Implorabat opem, missisque fidelibus ambæ
Consulibus, Patribusque suis, crudelia facta
Deflebat querulis Ligurinæ vocibus urbis,
Ærumnasque suas, longæque tyrannidis usum
Facundo, mœstoque tamen sermone gemebant,
Consulibus Ligurum præsentibus, atque paratis
Excusare suam phaleratis vocibus urbem.

Bossius hac ipsa de re: *Duo Laudenses Cives, publico missi nomine, graviter de miserabili suæ civitatis pressura, & servitute adversus Mediolanenses conquesti sunt.* Plura Merula paucioribus: *Expostulabat Laudensis Urbis ruinam, servitutem miserandam, fœda exsilia.* Et de Legatis aliarum urbium: *Novocomensis excisa mœnia, & solo æquatas domos conquerebatur. Reliquæ item finitimæ urbes detrimenta & intoleranda tributa deplorabant.* Sed verus omnino Noster. Nam & Merula paulo ante meminerat *Mercatus*, quem Laudensibus Mediolanenses ademerant, in illis, *Prohibiti insuper, ne conciliabula, aut mercatus haberent.* Et firmari videtur idipsum posse calculo Benedicti Jovii lib. I. *Hist. Novocomensis* pag. 33. ubi loci asserit, Mediolanenses Comensibus eandem injuriam intulisse, ejusque rei misertum Ænobarbum, cum iter Romam Como faceret ad obtinendum Coronationis decus, pollicitum se illis mercatum, quem Mediolanenses sustulerant, permissurum. Ejus enim ista sunt in laudato loco: *Post Urbis subversionem Anselmus Archiepiscopus, & Populus Mediolanensis munitionem in posterum, & jura Civitatis, ne quid mali miseris deesset. Comensibus prohibent, victisque victores leges imponunt, ut convallem tantum sparsim incolant, ubi conditis vilibus tuguriis, sublatoque vicinorum commercio per mercatus interdictum habitare cœperunt.* Et paulo post: *Ad hæc pollicitus est* (Federicus I. Imper.) *Emphyteuticas concessiones; & mercatum jam frequentari cœptum, quam Mediolanenses sustulerant, se minime suppressurum.* Jus autem illud Mercatus instituendi Valpertus Italiæ Rex indulserat Luithardo, Comensi Episcopo, anno Domini D. CCCCXI. ut idem auctor est Jovius in ejusdem *Historiæ* libris.

64 MAXIMAS CRUCES] Priscum morem observa oppressis, querulis, & supplicibus usitatum, opis implorandæ gratia, quem etiam Radevicus tangit *lib. II. cap.* V. adde fuisse communem Italis universis: *Is enim*, inquit, *Italorum mos est, ut habentes querelas crucem manibus præferant.* Inde *Ligurini* Scriptor lib. VIII. de Italis, sibi jus fieri poscentibus à Federico, & auxilium implorantibus in eos, à quibus injurias accepissent:

——— Solio reverendus in alto
Consedit Judex. Ex omnibus undique multi
Urbibus atque vicis aderant, queruloque ferebant
Innumero clamore Cruces, hoc quippe querelas
More solent aperire suas.

Et Benedictus Jovius lib. I. *Hist. Novocomensis* de querulis Uxoribus Virorum duorum, Othonis, & Blanci; & Cognatis eorundem apud Jordanem à Clivio, Mediolanensis Ecclesiæ Protomystam: *Ad hunc igitur interfectorum Blanci, & Othonis uxores, neque non Cognatorum multitudo venerunt, tam immane facinus exponentes, simul eundem obsecrantes, ut illatam ulcisceretur injuriam. Mulieres conjugum suorum tunicas interulas, recenti adhuc cruore infectas, ostentabant, altera manu ligneam Crucem (qui miseris eorum temporum mos erat) deferentes.* Itum etiam obviam cum Cruce illis, à quibus misericordia sperabatur, testis est Gregorius Turonensis *lib. x. Hist. Francorum* cap. XV. exemplo Chrodieldis, *quæ multorum scelerum sibi conscia, accepta Cruce Dominica, quæ in Monasterio S. Radegundis asservabatur, cujus prius virtutem despexerat, occurrit Episcopis, ad turbas illas sedandas destinatis, ut eos sibi propitios redderet.* Illud quoque memoriæ prodidit Nicetas Choniates in *Alex. Duca*: *Capta à Latinis Constantinopoli, Græcos illis obviam processisse cum Crucibus, & Sacris imaginibus; ut moris est in Festivitatibus, quo misericordiam erga se provocarent.*

In ipsa pariter deditione Urbium cum Crucibus Victoribus occurrebant, eodem Niceta teste in *Balduino* cap. II. *Nemo erat, qui resisteret, sed ab omnibus cum Crucibus, & sacris Evangeliis suscipiebatur.* Ideo Terdonenses, à Federico arctissima obsidione pressos, cum ad illum cum Crucibus supplices accessissent, ita loquutos ferunt: ut habet Episcopus Frisingensis: *Respicite in nobis, quæ gestamus stigmata Christi, & quos ad pietatem non flectit nostræ calamitatis acerbitas, inclinet saltem character Domini.* Mediolanenses quoque, deditionem eidem Cæsari

A peracturi, prælatis ad eum Crucibus prodiere. Radevicus *lib. I. cap. XLII. Talibus pacis conditionibus utrinque receptis, Mediolanum, in gratiam reditura, hoc ordine, talique specie, fide publica accepta, cum suis ad Curiam venit. In primis Clerus omnis, & quique fuerant Ecclesiastici ordinis ministri, cum Archiepiscopo suo, prælatis crucibus, nudis pedibus, humili habitu; deinde Consules, & Majores Civitatis, item abjecta veste, pedibus nudis exertos super cervice gladios ferentes.* Quo ex fonte Guntherus *Ligurini* VIII.

——— cum Præsule Clerus,
Veste sacra nitidus, nudo pede, supplice vultu,
Vertice demisso, nostræ monimenta salutis,
Signa Crucis præfert. Post hunc in vellere pullo
Infausti Cives vestigia nuda prementes,
Judiciumque sui pariter, pœnamque reatus
Admotos nudis portantes faucibus enses,
Tacta pudore gravi perfundunt fletibus ora.

B Et ex utroque Carrio de iisdem, ad ejusdem Cæsaris genua provolutis, lib. IV. *Chronici*: *Mediolanum vi expugnatum solo æquaturus, repressit indignationem, cum se se Cives ad genua ipsius supplices projecissent, gestantes signa reatus, suspensos de cervicibus strictos gladios, & affixas pectoribus Cruces.* Nec aliunde promanarunt Urspergensis illa: *Postremo Cives ad id devenere consilii, ut se, & sua Imperatoris traderent voluntati. Gladios itaque denudatos super colla ponentes, Cruces quoque, & alia insignia præferentes, nudis plantis ad pedes Imperatoris miserabiliter se prostraverunt.*

Cæterum, quod ad Laudenses spectat, de quibus hoc loco Noster: non omnes omnino Historici eos cum Crucibus Federicum supplices adiisse narrant. Bossius enim, nulla Crucis mentione facta, ait eos *habitu* tantum, *ac cum quibusdam signis, velut argumento calamitates suas probantes,* conquestos apud illum esse.

C 65. PEDIBUS IPSIUS REGIS *prostrati sunt maxime lugentes*] Imitatio Cæsaris, qui lib. I. *Belli Gall.* de Helvetiis: *Ea re impetrata, se se omnes flentes Cæsari ad pedes projecerunt.* At quorsum in Nostro illa, *Maxime lugentes*? *Non virilis*, inquam, *ejulatio illa*, verbis ut Horatii loquar? Quin potius, ad monitum ejusdem Vatis in *Epodis* ode XVI.

Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum?

Quid enim, inquit Cicero *Tuscul.* II. *fletu muliebri viro turpius?* Occurrit hic pro Laudensibus Menelaus apud Euripidem in *Helena*, cum inquit: *Atqui ajunt, esse Viri generosi in calamitatibus lachrimas ex oculis emittere.* Sic apud Cæsarem, in modo laudato libro, Diviaticus multis cum lachrimis Cæsarem complexus, obsecrare cœpit. Et paullo post apud eundem Cæsarem hæc habentur: *Hæc cum pluribus verbis flens à Cæsare peteret.* Et in lib.

D *de Bello Civil. Flens Petreius manipulos circuit, militesque appellat.* Pari denique ratione ipsemet Cæsar apud *Suetonium* cap. XXXIII. *Pro concione fidem militum flens, ac veste à pectore discissa invocavit.*

66 CAPITIS JEJUNII] *In die Cinerum*, uti Sigonius habet, Feria nempe V. ante Dominicam primam Quadragesimæ, quam appellatione duplici designabant, una veteri, *In Capite jejunii*: vel, ut est apud D. Ambrosium, *In Capite Quadragesimæ*: Altera vulgari *Cinerum*. Prioris rationem Gregorius sic exponit: *Quadragesima summa observatione est observanda: ut jejunium in ea (præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt) nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus solvatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni. A prima ergo Dominica Quadragesimæ usque in Pascha Domini sex hebdomadæ computantur: quarum videlicet quadraginta dies, & duo sunt: ex quibus dum sex Dominici*

E *dies abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam* XXXVI. *dies remanent. Verbi gratia, si per* CCCLXV. *dies annus volvitur, deinde per triginta sex dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus. Sed ut sacer numerus* XL. *dierum adimpleatur, quem Salvator noster sacro suo jejunio consecravit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum* XL. *dierum tolluntur, id est, Quarta feria, quæ* CAPUT JEJUNII *subnotatur, & Quinta feria sequens, & Sexta feria, & Sabbathum. Nisi enim istos dies quatuor superioribus* XXXXI. *adjunxerimus,* XL. *dies in abstinentia non habemus. Jubemur autem & Omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare.* Altera vero non tam inde profecta est, quod eo die *Cineres benedicantur*, & *imponantur capiti*, quam ex veteri solemni ritu, quo hac Feria recipi consueverant Pœnitentes ad pœnitentiam publicam, quæ nisi semel in vita fieri poterat, & hoc sane ritu. Coram Epi-

F scopo, vel ejus Delegato, eo die sese prosternebant publici Pœnitentes in terram, & detonso capillo, peculiari habitu, deposito baculo, accipiebant ab uno, vel altero cilicium, & cineres capitibus inspersos, scilicet, ut iis sordibus interior res animæ sordes publice profiterentur. Dein post multas preces supra se prolatas, ejiciebantur de Ecclesia. Feria demum Quinta in Cœna Domini absolvebantur ab hujuscemodi pœnitentia, & restituebantur Ecclesiæ Sacramentis. Ea de re

re scripsere præter *Canonum* Collectores, Baronius ad Controversiam *de Pœnitentia* lib. I. cap. XVI. & ex professo Marianus Victorius Reatinus. Laudatur etiam ab Anonymo, qui Antiquitates Liturgicas evulgavit, Liber quidam Pontificalis, in quo describitur Pœnitentium Ordo, hoc initio: *In Capite Jejuniorum solemniter Pœnitentes, ex institutione Agathensis Concilii, de Ecclesia ejiciuntur.* Exstat & Ivonis Sermo, hoc titulo, *In Capite jejunii.* In *Micrologo* cap. XLIX. observare est, latius, quam apud alios, patere *Jejunii caput*, nempe toto illo spatio dierum quatuor, qui jejunantur ante Quadragesimam, cui scilicet annectuntur: nec alia mens est Frisingensis in illis lib. II. *de Federici Gestis* cap. VII. *post Caput Jejunii, proxima Quadragesimæ hebdomada*, ut vel cœco liquet. Noster sibi semper similis, ut hic, sic & col. 982. lit. C. *Caput Jejunii* angustioribus limitibus circumclusit: *Rogans eos, quod vellent usque ad proximum Caput jejunii Papiam venire.* Et mox: *Ut in prædicto Capite Jejunii deberent esse Papiæ*, &c.

67 QUOD VIDERE AUSI NON FUERANT] Locum hunc corruptum esse non præsto. Fuit tamen, cum legendum ducerem, *Quod videre usi non fuerant.* Sic enim loqui etiamnum amat stolidum & inficetum Vulgus: nec video, qui valde mirari potuerint, quod videre ausi non fuissent. At hoc etiam rimanti propius displicuit tum. Cogitemus.

68 REX AIT ILLIS] Quid præter ea, quæ Noster affert, Federicus dixerit Laudensibus, & aliis sibi provolutis ad pedes, Radevicus aperit lib. II. cap. V. *Videns autem multitudinem eorum, qui Cruces bajularent (is enim Italorum mos est, ut habentes querelas Crucem manibus præferant) misertus illorum, ait. Mirari se prudentiam Latinorum, qui cum præcipue de scientia legum glorientur, maxime legum inveniantur transgressores, quamque sint tenaces Justitiæ sectatores in tot esurientibus & sitientibus Justitiam evidenter apparere.* Item illa Sigonii, deprompta ex antiquis Mediolanensium monumentis: *Quærentes, quinam essent, quidve peterent, se Laudenses esse dixerunt, ob id ad eum profectos, ut Patriæ suæ calamitates exponerent, quas ipsa sub impotenti & superbo Mediolanensium imperio per annos amplius quadraginta perferret. Non diffidere, quin pro sua in omnes æquitate atque justitia ruenti amicæ urbi præsens auxilium afferat. Jussi cætera exsequi, omnia Laudensium, quibus à Mediolanensibus affecti fuissent, & nunc, ut cum maxime, afficerentur, detrimenta narrarunt.*

69 SURSUM LEVARENT] Vel ex his apparet liquido, quibus olim Auctoribus exerceretur stylus, ob libros melioris notæ nondum editos, vel sepultos.

70 ET OB QUAM CAUSAM, &c.] Totus hic locus expressus est ex illo Cæsaris lib. I. *Belli Gall. Animadvertit Cæsar, unos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas cæteri facerent: sed tristes capite demisso terram intueri. Ejus rei quæ caussa esset, miratus, ex ipsis quæsivit. Nihil Sequani respondere; sed in eadem tristitia taciti permansere.*

71 DETULERUNT, SIBI NARRARENT] Mediolanensis Codex, *Detulerant, sibi dicerent.*

72 LAUDAE] *Laudam* etiam, quam alii *Laudem*, veterum Scriptorum aliqui nominabant. Federicus ipse, primus ejus nominis Imperator, in literis ad Frisingensem: *Ut nostra concessione super Cumas, & Laudam dominium habere mererentur.* Otho de S. Blasio in *Append.* cap. XV. *Novamque Laudam inter Mediolanum, & Placentiam ad receptionem exercitus à fundamentis ædificavit.* Guntherus *Ligurini* II.

Hanc, aliasque duas, Cumam, Laudamque capaci
Inclusere sinu.

Urspergensis Abbas in *Chronico*: *Mediolanenses ad expugnandam urbem Laudam progressuri*, &c. Jo. Baptista Pajarinus, Vicetinus Historicus adhuc ineditus, *lib.* I. *Suprascriptus igitur Imperator* (Federicus I.) *Constantiæ existens, in anno* 1180. *has Civitates de jure Consulatus investivit, scilicet Mediolanum, Placentiam, Pergamum, Laudam*, &c. Et mox: *Istæ sunt Civitates, quas Imperator posuit in fœdere, Vercellæ, Novaria, Mediolanum, Lauda*, &c. Capugnanus in *Itinerario Ital. Iter aggressurus Mediolano, Portam, quæ Romana dicitur, egredieris, & Laudam ad meridiem perges.* Paullus Merula lib. IV. *Cosmographiæ*: *Mox in Abduæ ripa Lauda civitas se pandit*: aliique sexcenti.

73 EXPULERUNT] Consentiunt hac in parte de Laudensibus à Mediolanensibus expulsis è patria civitate, aliisque incommodis afflictatis, cum oratione Albernardi mirum in modum, quæ literarum memoriæ prodidit Georgius Merula lib. III. *Histor. Vicecomitum*: *Graviter in victos sævitum est: muri dejecti, abductus populus vicatim habitare jubetur, ne scilicet congregati mala servitutis, & injurias conferendo, aut de recuperanda patria, aut de rebus novis consilia agitarent. Prohibiti insuper, ne conciliabula, aut mercatus haberent. Sublata inter eos commercia, adempta connubia, nulla concessa concilia. Misera profecto servitus, & calamitosa conditio. Inter contrahentes id demum ratum erat, quod is annuisset, qui loco præerat. Quod si quispiam rem suam, Præside non auctore, abalienasset, is patrimonio mulctatus in exsilium agebatur. Eadem quoque pœna is affectus erat, qui noctu, aut clam præscriptos fines excessisset, aut quidquam suarum rerum extulisset. Sedibus propriis pulsi hujusmodi servitutem novem & quadraginta annos Laudenses servivere.* Facit huc etiam Capugnanus, probe parum de Italis sentiens, scribensque: *Utque cognoscas nos Italos erga nostrates immanissimos fore hostes, scias totam hanc civitatem* (Laudam) *eversam, populum à Mediolanensibus expulsum fuisse. Et, ne de cætero in unum Laudenses coirent ad ipsam restaurandam, eos in villis ab invicem disjunctos habitare jusserunt, mercaturam exercere, coemere, affinitates contrahere omnino vetitos; & ex finibus cuilibet assignatis nemini exire dabatur absque gravi mulctatione. Hac barbarica lege oppressi Laudenses lustris decem, anno uno dempto, vixerunt.*

74 EXPOLIAVERUNT] Familiare Morenæ id verbi, unde non una in pagina se spectandum dabit. Sic *Expectare* pro *spectare* in Apulejo tritum. *Expugnare* pro *pugnare* in Maurisio. *Exenium* pro *Xenium* in Mussato.

75 DESTRUXERUNT] Inde est, quod Merula libro antea laudato scripsit, *Laudensem Oratorem coram Federico expostulasse ruinam urbis.*

76 PER UNIVERSAS TERRAS EUNTIBUS] Respexit huc idem Merula cum addidit, Laudensium Legatum inter cætera *de fœdis suorum exsiliis conquestum esse.*

77 EX UNOQUOQUE DIE] Ut *in unoquoque die* legatur vetus loquendi ratio, & norma poscit, nec non & Mediolanensis Codex: imo & Morenæ filius. Nempe non multo post leges, *Similiter in unoquoque die Martis*, &c. Nec solus nominibus temporis affigit præpositionem Noster: nam & hoc alicubi facere solitus Rolandinus. Ait enim *lib.* II. *cap.* IX. *Imperator autem, litteris & nuntiis instanter rogatus ab Eccelino, in una die & una nocte equitavit cum tota sua gente de Cremona in partes Castri S. Bonifacii, Veronensis districtus*, &c.

78 QUI VOCATUR] Mediolan. Codex, *Qui vocabatur.*

79 PERGAMENSES] Quemadmodum urbem ipsam *Pergamum*, sic & *Pergamenses* ejus olim incolas appellabant. Vide me *ad Albertini Mussati Patavini Historiam Augustam.*

80 PROFICIENTES] Plane *proficere* hoc loco quæstum est facere, non progressum; aut certe progressum in quæstu, & lucro multum apponere Diva Moneta dextra, quod juverit annotasse.

81 CARISSIME] *Clarissime* Mediolan. Codex, ut & infra pro *Carissime Rex*, *Clarissime Rex.* Corius hic *Serenissime*, infra *Clementissime Rex.*

82 IN REBUS AC PERSONIS] A fori Rabulis ea verba in ipsa quoque monumenta historica devenerunt. Rolandinus *lib.* I. *cap.* XII. *In ipso quoque exercitu damna quædam in rebus & personis hinc inde facta sunt.* Lib. III. cap. XI. *Et ego jussu Potestatis tractavi, & dedi sacramentum cuilibet de præceptis Potestatis attendendis in rebus & personis.* Et cap. XIV. ejusdem libri: *Parati enim sumus in rebus & in personis quocunque & quandocunque præcipitis ire, & redire, & stare.* Item lib. V. cap. XIII. *Veronenses ipsi virum quendam nobilem, & potentem, & magnatem ex illis Ducis Austriæ occiderunt, & offenderunt in personis, & rebus quamplures de illa gente.* Accedit Rolandino Monachus Anonymus Patavinus ad an. CIↃ. CCXV. *Superveniente inundatione nimia pluviarum obsidionem dimittere sunt compulsi, ibique jacturam in rebus & personis non modicam perpessi.* Et ad ann. CIↃ. CCXXII. ubi de terræ motu magno: *Super omnes urbes Italiæ civitas Brixiensis incredibiliter conquassata, maximum damnum sustinuit in rebus, domibus, & personis.* Possent & his aliis multi succenturiari; sed optimus rebus in cunctis, ut ferunt, modus.

83 CONDOLUERUNT] Dicam de hoc verbo infra in *Not.* 297. ad illa, *Valde condoluerunt.*

84 SAPIENTUM MEDIOLANI *convocato Consilio*] De Consilio Sapientum crebra quoque mentio apud Historicos urbium reliquarum. Torellus enim, cognomine *Sarayna*, ad annum CIↃ. CCXXXIX. meminit *Sapientum, qui Veronæ Quarteriis præerant*: habetque de iisdem Pajarinus ista lib. I. *Hist. Vicetinæ*, ad annum CIↃ. CLXXV. *Quinque Consilia apud Majores nostros in hac civitate celebrata fuisse in antiquis hujus urbis Codicibus invenimus. Quorum primum erat Quadringentorum hominum per quatuor Quarteria divisorum*, &c. Et infra de Magistratibus & Ordinibus ejusdem urbis: *Potestas, Sapientes, Antiani, Gastaldiones Fratalearum, & Collegiorum, Consilium, & Commune, ac Populus.* Ea re sic apud eun-

eundem Historicum inscriptas leges literas Joannis Galeatii Mediolani Ducis, *Comitis Virtutum* dicti, Vicentinis datas IX. Julii anni CIↃ. CCC. LXXXI. *Fidelibus nostris .... Sapientibus ad utilia Communis Vicentiæ, nec non fidelissimis civibus Vicentinis.* Ravennæ pariter anno CIↃ. CC. XCVII. loco Consulum, Rectorum, & Antianorum, creatos accepimus *Sapientes*, ita scribente Hieronymo Rubeo in ejus *Urbis Historia* lib. VI. ad annum illum: *Hoc etiam tempore Polentani, quamquam vires quotidie majores Ravennæ accipientes, primi ex sententia Remp. administrare: ab Senatu tamen Ravennati magistratus accipere, quibus Consules & Rectores civitatis vocabantur. Verum Lambertus ac Ostasius fratres ea mutantes vocabula, quæ in vetustis eorum temporum Codicibus nos legimus, pro Rectoribus, & Antianis, Consulibusque novem scilicet, & quandoque sex hominibus, qui magistratum civitatis obirent, ipsi* SAPIENTES *appellarunt, quod nomen adhuc superest.* Omitto Consilium Sapientum Laudæ, quod occurrit apud Nostrum semel ac iterum col. 955. lit. A & B. Verum enim vero Patavii quoque fuisse *Collegium Sapientum Octo* anno CIↃ.CCC.XIV. è meo Mussato disco lib. IV. *de Gestis Italicorum* post Henricum VII. Aug. Rub. I. *Dum in Antianorum atrio accersitis pro singulis urbis Quarteriis civibus quinque, seu circiter conventus habitus esset, in quo Petrus idem cum aliorum* OCTO SAPIENTUM *Collegio, quod ipse concreaverat*, &c. Quin & ante multo ex Rolandino lib. III. cap. VIII. de eadem Urbe, ad annum CIↃ. CC. XXXIV. *Dumque per Lombardiam & Marchiam timeretur de adventu Imperatoris, de quo multa & varia dicebantur, consideraverunt Sapientes Paduæ*, &c. Habuit etiam Bononia Sapientes suos anno CIↃ. CCCX. ut indicant ejus urbis publica documenta, quæ Gherardaccius evulgavit, lib. XVII. *Hist. Bononiensis* pag. 561. *Congregati in Palatio Primiceriorum, ut moris est, una cum Sapientibus per eos electis, scrutinium fecerunt.* Et anno CIↃ. CC. LXXXIX. ex alio publico documento ab eodem Scriptore producto lib. IX. pag. 285. *Respondetur in Consilio dare responsum per Dominos Potestatem, & Capitaneum, & per quatuor Antianos Populi Civitatis Bononiæ, & eos Sapientes, quos super iis habere voluerunt.* At hi Sapientes nequaquam videntur Consilium effecisse. De Patriæ meæ Sapientibus testis inter alios locupletissimus Bernardinus Corius, ad annum CIↃ. CCC. XII. aliique Historiographi ejusdem urbis, quorum verbis parco, ne me

——— *Crispini scrinia lippi*
Compilare putes:

aut certe spicilegium ex hac messe reliquis invidere.

85 DEPRECOR] *Valde precor*, ut apud Conscriptos multos Linguæ Latinæ Patres penitiore sensu. Nam vulgo *Deprecor* contrariam suo simplici notionem habet, ut *Dedecet*, & *recusare* significat, seu *precibus contendere, ne quid fiat.* Primi generis exempla mihi suppeditant harum literarum Principes, & Coryphæi. Plautus *Asin.* Act. ult. Sc. ult. *Nunc si voltis huic semi deprecari, ne vapulet, remur impetrari posse.* Suetonius in *Cæsare*: *Satis constat Syllam, cum deprecantibus amicis & ornatissimis viris aliquandiu denegasset, atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamasse*, &c. Cicero in ea, quam habuit *pro Marcello*: *Nam cum M. Marcellum deprecantibus vobis Reip. conservavit, memet mihi, & item Reipublicæ, nullo deprecante, reliquos amplissimos Viros & sibi ipsis, & Patriæ reddidit.* Apulejus in *Floridis*: *Agnosco igitur difficultatem meam, nec deprecor, quin sic existimetis.* Symmachus *epist.* XXV. *lib.* V. *Ave igitur dico tibi, simulque deprecor, ut curam fratris religiosi, ut soles, exhibeas.* Addebantque interdum *impendio*, ad augendam ejusdem nominis notionem. Idem Symmachus *lib.* VII. *epist.* LVII. *Hunc, & in adjumentum sui, & amoris in te mei gratia, & familiaribus literis persecutus, impendio deprecor, ut illi favorem congruum tribuas.* Et alibi Scriptor idem eidem verbo adverbium *obnixe* nexuit, observatore Paræo.

Contrario sensu usi *Deprecandi* verbo Virgilius, Ovidius, Suetonius, Fabius. Primus XII. *Æn.*

Equidem merui, nec deprecor.

Secundus lib. I. *de Ponto*:

Sæpe precor mortem, mortem nec deprecor idem.

Tertius in *Augusto* cap. V. *Dictaturam, magni vi offerente Populo, genu nixus, nudo pectore deprecatus est.* Postremus lib. II. *Instit. Orat.* ubi *deprecari dicendi munus*, illud *recusare* est. Unus Livius uno in loco utramque vocis hujus significationem complexus est, cum inquit: *Ego, si quid scelerate in fratrem admisi, multam deprecor pœnam; si innocens sum, ne invidia conflagrem, quum crimine non possim, deprecor.* Primo nempe loco *Deprecor* est *recuso*, secundo *vehementer precor.*

86 CARISSIME REX] Mediolan. Codex, ut monebam ante, *Clarissime Rex*, Corius *Clementissime Rex.*

87 QUO FIERI CONSUERAT] *Quo* pro *Ubi* frequens A in ætatis semi-Latinæ ac barbaræ monumentis, sicut è contra *Ubi* pro *Quo* non raro legitur in iisdem. *Vita Caroli* IV. Imp. ab eo scripta: *Rogavi militiam, quæ præsens aderat, quod deberet ire nobiscum nullo sciente, ubi volebamus.* Maurisius: *Arcem autem Gardæ, ubi fugerant inimici illius, undique per terram & aquam strictissime obsidebat.* Mussatus lib. XIII. *de Gestis Henrici* VII. Cæsaris, Rub. VII. *Timore perculsi Vicenses æque obediebant Lucensibus, ubi & banniti, relegatique defluxerant.* Ptolemæus Lucensis ad annum CIↃ. CC. LXX. *Quod videntes alii, ubi potuerunt, applicuerunt, per terram.* Observatum est etiam à Cl. C. Barthio lib. XIII. *Advers.* cap. XXI. *Ubi* pro *Quo* positum in *Homelia* Valeriani Cimelenensis pag. 25. Quin & alia quæpiam ejusdem generis se ad Boëtium adnotasse, cum esset sedecenni minor. Sic *Ubinam* pro *Quonam* dixit Beka in Andrea Episcopo Trajectensi XXV. *Ubinam adducti sunt religiosi Viri Præmonstra-* B *tensis Ordinis, qui pridem transplantati fuerunt in Insula B. Mariæ Virginis? Ibi* pro *Eo* Engolismensis Monachus, sive quis alius, in *Vita Caroli M.* pag. 239. *Veneruntque ibi omnes Longobardi de cunctis civitatibus Italiæ.* Et Maurisius pag. 7. *Iverunt ibi, & apud civitatem castrametati sunt.* *Ibidem* pro *Eodem* Wipertus in *Vita Leonis Noni* cap. III. lib. II. *Ibidem adveniens, nihil Pontificalium sumptuum attulerat.* Et Auctor Mantissæ, adjectæ *Chronico* Monachi Paduani ad an. Domini CCCC. XX. *Deinde singulis annis mittebantur ex Padua ibidem Consules, usque quo civitas Venetiarum incœpit sibi eligere Ducem*, &c. *Illuc* pro *Illic* Rolandinus *lib.* VI. *cap.* VI. *Conduxit illic Eccelinus fossores illos cum suis instrumentis.* E contra *Illuc* pro *Illic* Pajarinus lib. VI. ex lectione Gherardaccii lib. XVIII. *Hist. Bonon.* pag. 583. *Ghellinam familiam antiquam in civitate fuisse comperio, quæ optimis civibus, &* C *opibus claruit. Ex Bononia sponte, propter factiones illuc vigentes, profugam, & exulem factam fuisse, anno* CIↃ. CCCXV. *legimus in nostram urbem venisse.* Dixi ex Gherardaccii lectione: nam Pajarini MSS. duo penes me pro *Illuc vigentes*, *Illic vigentes* habent. Sed *Illuc* pro *illic* Rolandinus etiam usurpavit non uno in loco. Primus est *lib.* VI. *cap.* XI. *Venerunt ad pactum cum Eccelino, & qui illuc steterant, habitis suis rebus, & armis, incolumes ab illinc recesserunt.* Alter *lib.* X. *cap.* II. *Nolens ibi facere moram, Vicentinos illuc reliquit.* *Alibi* pro *Alio* ex eadem lege erit apud Nostrum infra *Not.* 155. *Ad habitandum alibi processerunt*, nisi illic *alibi* ad *habito* referatur, ut apud Maurisium pag. 12. *Dominus autem Eccelinus pleno gaudio, dimisso regimine civitatis, vadit Baxianum, & alibi per terras suas pacifice commorando.*

D Poterit igitur ex hac Syntaxi Seculi semi-Latini, Morenæ jam excusi lectio commode retineri, cum præsertim præcedant illa, *Ac in eum locum*, quæ rectius ita se haberent, *ac in eo loco.* Leviter tamen abit Mediolanensis Codex, qui clare præfert, *ac in eum locum, in quo fieri solitum fuerat, adhuc eis facere permittant.* Quam voles, Lector, lectionem damnes, vel admittas licet.

88 QUOD NAMQUE OMNES] Vox tantum, & numerus hoc loco, *Namque.* Quare posset abesse decentius, quam adesse.

89 PIUS FUERAT ET MISERICORS] Nectuntur hæc eadem epitheta col. 963. B. *Sed Imperator, tanquam pius & misericors, cum ipsis postea fœdus inivit*, &c. Nec de more, quo Romani Cæsares olim *Pii*, *Lenes*, *Tranquilli*, *Misericordes* dicti, sed ex propria & insita Cæsaris hujus animo Pietate erga miseros & oppressos. Sic E enim Morena sensit, & studiosi quique alii partium Ænobarbi. Cæterum alii alia omnia, facta illius immania, effera, crudelia exagitantes, & sugillantes passim.

90 STATIM] Secus Guntherus, querelam hujuscemodi dilatam canit, & accommodatiori tempori reservatam:

Sed, quia per fines Ligurum loca summa petenti,
Italiæ restabat iter, differre querelam
Maluit inter eos modicum post tempus agendam
Finibus in propriis, veluti gravioris utrique
Consilii, spatiique simul majoris egentem.

Ita Guntherus *Ligurini* II. Sigonius omnino propius ad mentem Nostri: *Quibus acceptis, Federicus, haud mediocriter pro re commotus, bonum eos* (Laudensium Legatos) *habere animum jussit, nam se propediem maturum auxilium* F *allaturum. Ac continuo literis ad Consules Mediolanensium datis, ut à Laudensium, Comensiumque abstinerent injuriis imperavit.* Et adhuc propius ad eandem Bossius, in hæc verba: *Imperator his auditis, ut qui se publicæ quietis assertorem existimabat, statim Mediolanensium Consulibus per legatos sub animadversionis comminatione denuntiat, abstinerent à Laudensium injuria, neque Populum liberum premi servitute ultra pergerent.*

91 LEGATO] Apparet ex nuper allatis Bossii verbis, non

non *uni Legato* demandatam eam provinciam fuisse, quod & Sigonius prodit.

92 VIVA VOCE] A Symmacho voces istæ *lib.* III. *epist.* XXX. *Supplementa desiderii ejus à Tabellario Epistolæ suggerentur, quæ stylo prosequi supervacaneum duxi. Aptius est enim negotiis mutuo intimandis vivæ vocis indicium.* Locutus & eodem pacto Tertullianus libro *de Præscriptionibus adversus Hæreticos* cap. XX. ad imitationem Apostoli II. *ad Thessalon.* II. Quod enim ibi ab Apostolo expressum est *per sermonem*, in illis: *State fratres, ac tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam:* Tertullianus extulit per *vivam vocem*, quia sic Apostoli prædicarant Euangelium Dei. *Vivi* quoque epitheton adjectum *bello* in conditionibus, quibus Gulielmus Montisferrati Marchio Comi Capitaneus à Communi Comensi creatus est, anno CIↃ. CCLXXIX. Benedictus Jovius lib. I. *Hist. Novocomensis* initio pag. 47. *Rusconorum partem in Urbe, & toto agro Comensi ab hostibus defenderet, ac bellum vivum (sic enim scriptum est) eorum nutu gereret.*

93 SICVT EIS LITTERAE NVNTIAVERINT] Quis fuerit harum Litterarum tenor, neminem latere potest, qui Bossium legerit, nempe, *ut abstinerent à Laudensium injuria, neque Populum liberum ultra premere pergerent servitute.*

94 ITA PERAGANT OMNI MODO] Rectius Mediolanensis Codex, *Ita omnino peragerent.*

95 CONVOCATO CONSVLVM CONSILIO] Corius idiomate suo vernaculo, *Convocata la Concione de Primati; Vocata concione Primatum.*

96 CREDENTIAM CONSVLVM PARARENT] In Mediolanensi, *Credentiam Consulum jurarent.* Quid autem esset, *parare credentiam Consulum*, vel *jurare*, tum demum omnibus apparebit, cum, quid olim esset *Credentia Consulum*, habuerint exploratum. Ne moras nectam. Mediolanenses Historici nos id aperte docent, quod ea res Mediolani viguerit maxime, ubi & *S. Ambrosii Credentia celebris habebatur.* Norit itaque studiosus Lector, ex Longobardorum instituto datos quidem olim urbibus annuos Consules, qui curam Reipublicæ gererent, deque bello ac pace decernerent: sed & viros alios in iisdem urbibus exstitisse, qui nullo habito discrimine honoris, generis, aut census negotia publica capesserent, rebus civilibus interessent, rogatique sententias quandoque ferrent. Huic postremo Generi hominum *Credentiæ* nomen erat, à quo taciturnitatis & fidei monebatur: ita prorsus, ut ex hujuscemodi virorum coetu *Factio* potius exsisteret, quam Curia; etsi suis iidem Consulibus regerentur. Probe Benedictus Jovius, & diserte lib. I. *Historiæ patriæ* pag. 41. *Consilium habebatur per Duodecim sorte eductos, qui Latine* Decuriones: *tunc autem* Credentiarii *appellabantur, cum eorum Prudentiæ & Fidei publica negotia crederentur; postea* Sapientes Provisionum *nuncupati sunt.* Meminere præterea Factionis hujus, sive Collegii, Cæsares in Edictis, & Legibus pacis: & hoc ipsum nomen optimo adhuc consilio usurpat Serenissima & Felicissima Respublica Tua, quoties abeuntibus de Curia Patribus silentium indicit eorum, quæ prodere capitale sit. Nihil enim taciturnitate salubrius rebus in publicis, magnique ponderis ac momenti. Credentiæ porro Consilium Mediolani fuisse testatum aperte reliquit Merula, qui & ait in illius urbis celebri regione, Turrim ejus nominis exstitisse, quod eum in locum Tenuiores coire solerent, deliberaturi de rebus magnis; sive publicæ dignitatis gratia; sive demum, uti se, resque suas sartas tectas à Potentiorum vi & injuria valide tuerentur. Illud plane constat, cum ea in urbe ferrent aliquando gravissime Tenuiores se Potentioribus servire potius, quam parere, congregatos denuo factionem eandem novo addito cognomine renovasse, eamque *Sancti Ambrosii Credentiam* appellavisse. Locus etiam tum delectus, in quem sublato versicolori signo, veluti in Concilium Lanii, Piscatores, Fartores, Sutores, Tonsores, & id genus Sellularii Opifices cogerentur. In ædem D. Theclæ sacram multitudinem hujuscemodi à Martino Turriano coactam, ibique multa ab eodem dicta, ad sibi conciliandum Populum, abigendamque curam illam, quæ male plerosque habebat, quod *Dominus* appellaretur, oratione plenissima majestatis, qua jurejurando fidem obstrinxerit suam, quæcunque aut domi, aut foris agi oporteret, ea se ad Concilium Credentiæ relaturum, quo renuente nihil omnino negotii acturus esset, ipsamet Antiquitatum Mediolanensium vetustissima & integerrima monumenta tradunt. Quamquam idem ille viribus subinde auctis, ut omnia sui juris & arbitrii faceret, nihilque de alterius consilio gereret, sublatum Credentiæ Consilium penitus antiquavit, non ante multo, quam Otho Vicecomes, eo cum reliquis Turrianis pulso, Pontificatum urbis tenere coepit, id quod anno salutari CIↃ. CC. LXXVI. accidisse fertur. Tandem anno CIↃ. CCC. XI. eidem Credentiæ Consilio renovando causam dedit tumultus, quem ea in urbe Henrici VII. Cæsaris milites excitarunt. Tunc enim convenere protinus simul mille ducenti Mercatores, & si qui alii procul erant à studiis factionum, sustollentes signum ex nigro & albo, cujus in medio Aquila visebatur (eaque Factio Imperatoria dicta) jurejurando adacti omnes, quatenus Imperatoris partes defenderent, nec non & deferrent, si qui de Henrico obloquerentur, aut aliquid novi consilii inirent, accepto Præfecto Cæsareo Theobaldo de Barro, Episcopo Leodiensi.

Par est igitur credere, apud Laudenses talem quoque Credentiam Consulum Morenæ tempore viguisse, & hanc *parari*, hoc est, *cogi* jussisse Albernardum & Homobonum reversos è Curia Federici, ut ei Consilio, quæ sibi apud Romanorum Regem acciderant, aperirent. Nam tale quoque Consilium Comi tunc temporis, Benedicto Jovio de Patria sic scribente in *laudato lib.* pag. 36. *Atto à Lucino, & Lanfranco à Via Consulibus: de Consilio vero, quam* Credentiam *appellabant, Gualderico Saliscale, & Gaudentio à Fontanella, Reip. nomine in Cæsaris verba jurantibus, Imperii ejus anno* II. Et docente infra pag. 42. præcipuas ejus Consilii fuisse partes, dissidentium inter se Civium animos sociare. Quod si *Credentiam Consulum jurarent*, non *pararent*, in Morena legas, præeunte Mediolanensi Codice Manuscripto, hujus tibi loci sententiam reserabit optimus Mediolanensium Antiquitatum assertor & vindex Jo. Antonius Castillionæus, qui lectionem hujuscemodi præferens primæ, ita se de illo sentire, datis ad me literis, testatus est: *De Credentia Consulum, ita plane legendum arbitror, uti legebam alias, & scribebam ex Ambrosianæ Bibliothecæ Codice MS.* (qui Credentiam Consulum jurarent) *Jurare siquidem Credentiam Consulum ejus ævi mos, Tenuiorum proprius, & eorum cum primis Opificum, qui sibi victum manu & opere comparabant. His enim peculiare Tribunal fuit, quod vulgo* Credentia Consulum; *Mediolani vero* S. Ambrosii Credentia *dicebatur, ejusque Caput & Præses* Antiani Credentiæ *nomine signabatur. Eo munere potitus olim Martinus è Turriana Gente, viam inde sibi muniit ad imperium Mediolanensis urbis. Crediderim autem tale quoque Tribunal apud Laudensem populum extitisse Morenæ ævo, quod is populus tum iisdem, quibus Mediolanenses, institutis ac legibus teneretur. Quisquis igitur in hujuscemodi Tribunalis Consilium admittebatur, jurabat is Credentiam Consulum statim, hoc est, sese tacita retenturum quæcunque eo in Consilio dicta, vel acta fuissent, nec enuntiaturum uspiam in prophanum vulgus.* Hæc Castillionæus; quibus addi non incommode possint, quæ de Florentinorum *Credentia* Ubbo Emmius scripsit lib. V. *Chronologicarum Rerum: Designati item* XII. *ex his societatibus, quibus potestas non annua, sed bimestris tantum data, dictique pro Antianis Boni Homines. Senatus vero iis adjunctus civium* LXXX. *quod Consilium Credentiæ nuncupabatur: & præter eum alius quoque Senatus Virorum* CLXXX. *ex omni civium numero, distributus in partes sex, qui conjunctus cum bonis hominibus, & Credentiæ Consilio conficiebat Consilium Generale.* Mediolani porro Tribunal oppositum Credentiæ Tribunali constituebant ii, qui *Capitanei* (*Catanei* aliis) & *Valvassores* erant. Quippe Nobilibus solis Tribunalis illius aditum patuisse Scriptores Mediolanenses docent. Legatur præter hæc Sigonius lib. VII. *de Regno Italiæ*, ad annum 995. & lib. X. initio, ubi de Credentia quæpiam non protrita.

97 AD REGEM] *Ad* pro *apud* Morenæ nostro, ut Tullio *pro Cælio*, *Ad Tibrim; Pro Flacco*, *Ad speluncas;* Secunda *in Verrem*, *Ad Senatorem;* In *epistolis ad Atticum* lib. IX. *Ad me;* Plauto *Asinar.* Act. V. Sc. II. *Ad meum virum. Mostell.* Act. II. Sc. I. *Ad Portum; Capt.* Act. III. Sc. V. *Ad patrem;* Cæsari lib. III. *Belli Civ.* *Ad Anchoram;* Livio III. ab V. C. *Ad Quercum*, & aliis alibi, quos omitto.

98 EIS] Mediolanensis *Ei.* Pudet, pigetque tangere minuta ista, sed Lectorem ista quoque nosse operæ pretium, ne caliget.

99 LAVDENSES CONSVLES] Idem Codex, *Laudensium Consules.*

100 AVDIERINT] Idem, & melius, *Audierunt.*

101 VALDE IPSOS OMNES INCREPARVNT] In eodem, *Valde omnes ipsos increpaverunt.*

IPSIS DIXERVNT] Habes ex eodem hæc, & proxima sic concepta: *Illis dixerunt, ipsosque etiam de terra se dejecturos, si verum esset, minati fuerunt. Insuper & illis firmiter præceperunt, ne cui unquam id amplius dicerent, nisi statim mori desiderarent.*

102 DE TERRA DEJECTVROS] *Expulsuros ex urbe: in bannum publicum posituros*, ipsomet Othone nostro sui ipsius interprete col. 955. lit. E. *Statim nos omnes, quos capere potuerunt, interficient; reliquos vero, qui manus ipsorum effugerint, de terra ejicient.* Et col. 964. lit. C.

Ipsos

Ipsos in publicum bannum ponerent, & insuper accusantes de terra ejicient. Quibus affinia sunt, quae leguntur col. 964. lit. F. Ita *Dejicere* in Interdicto *Unde vi*, nihil est aliud, quam de quacunque possessione, sive civili, sive naturali expellere, ut Brissonius notat: nec aliud *Dejectio de civitate* in literis Nicolai III. P. M. de Reformatione pacis inter Geremenses & Lambertatios de Bononia, anno 1278. apud Gherardaccium lib. VIII. *Hist. Bonon.* pag. 239. quam *Ejectio de civitate*, ut ipsamet earum literarum verba declarant: *Super litibus, quaestionibus, & differentiis, & discordiis, quae essent, & verterentur, & esse possent inter Commune, & partem Geremensium de Bononia, & ejus districtu, quae tunc in civitate, ac districtu praedictis commorabantur, & tenebant eandem, & Universitatem ipsius partis ex una parte: Et partem Lambertatiorum, ejectorum de civitate, & districtu praedictis, & Universitatem dictae partis ex altera, occasione guerrarum, habitarum inter dictas partes, propter dejectionem factam de dicta parte Lambertatiorum de civitate, ac Comitatu Bononiensi, occasioneque damnorum, injuriarum, & maleficiorum,* &c. Itaque longe plane aliud erat *Delere de terra*, nimirum lucis hujus usura privare cum vita. Auctor expeditionis Asiaticae Federici I. Episcopi Monasteriensis ore: *Post miserandorum vero, & inexplicabilium malorum narrationem, idem Episcopus subjunxit,* &c. *quomodo Graecis injunxerant in remissionem peccatorum peregrinos occidere, & delere de terra.* Quae locutio hausta sine dubio ex illis Sacrae *Genesis* cap. VI. *Delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, à facie terrae.*

103 NE CUIQUAM *unquam illud amplius dicerent*] Tale quid in Oratione Helvetiorum apud Caesarem lib. I. *Belli Civilis: Non minus se id contendere & laborare, ne ea, quae dixissent, enuntiarentur, quam uti ea, quae vellent, impetrarent, propterea quod, si enuntiatum esset, summum in cruciatum se venturos viderent.* Inde Noster hac ipsa de re paucis interjectis: *Unde multum miramur, quod duo tam stultissimi viri tam magnam & periculosam rem, quae non solum ad amissionem rerum nostrarum pertinet, verum etiam ad destructionem & interitum omnium personarum nostrarum spectat, sine nostro consilio perpetrare ausi fuerunt.* Haec ejus silentii causa, quod indicebant Albernardo & Homobono Sapientes & Consules Laudenses.

104 NISI STATIM MORI DESIDERARENT] Ut col. 955. lit. F. *Nisi ipsos omnes mori desideraret.*

105 INSIMUL] Idem plane, quod *simul*, nec pluris pili. Modo laudatus expeditionis Asiaticae Scriptor: *Usque ad medium valles insimul devolvuntur.* Plinius Medicus à C. Barthio productus, & illustratus, lib. I. *Adversariorum* cap. XLV. *Figatum perdicis cum felle, aut certe de vulture totum insimul cum aliis speciebus facies inductorium, & uteris.* Chronologia tertia, adjecta *Chronico* Rolandini ad annum CIↃ. CCCXXV. *Mortuus insuper fuit gladio Marescalcus Teutonicorum, insimul cum quadam gentili Domina sorore D. Obizi de Carraria,* &c. Anonymus Monachus Patavinus *lib.* I. de rebus gestis in Marchia Tarvisina: *In campanea Veronensi insimul pacifice convenerunt.* Et *lib.* II. *Insimul congregati, quasi leones rugientes ad praedam, districtum Mantuae intraverunt.* Et *capite* sequenti: *Omnesque cruce signatos insimul congregavit.* Et alibi: *Cum ergo essent omnes insimul congregati,* &c. Maurisius pag. 3. *Partes insimul pugnaverunt.* Sexta: *In exitu Potestariae istius conspiraverunt insimul Comes Vido, & Conradus de Vivario.* Nona: *Ipsi duo soli fuerunt insimul ad transeundum.* Vigesima prima: *Inauditum est enim, quod à tempore Nostri Domini Jesu Christi tot fuissent insimul homines congregati,* &c. Et vigesima quarta: *In quorum succursu venerunt Mantuani, atque plures Lombardi insimul contra D. Imperatorem foederati & conspirati.* Inde Rythmator ejus Thadaeus Notarius Vicentinus pag. 33. *Civitates insimul septem juravere.* Et paulo post:

Istae ac Tervixtum dictum juramen- } tum.
Perfecerunt insimul, quamvis foret len- }

Accedit his Albertinus Mussatus lib. IV. *de Gestis Henrici* VII. Rub. IV. *Tollebatque causas regio jussu, ne Paduani, Vicentinique insimul colliderent alternis zizaniis.* Litterae Senatus Bononiensis ad Maghinardum Paganum, Potestatem Faventiae, apud Gherardaccium lib. XII. *Hist. Bonon. Ordinantes terminum ad conveniendum insimul super ipso tractatu,* &c. Documentum publicum Societatis initae inter Bononienses & Florentinos apud eundem lib. XIII. *Omnes invicem inierunt, insimul fecerunt, & contraxerunt, & firmaverunt inter se invicem, & vicissim societatem, unionem, & compagniam duraturam,* &c. Et millies apud Nostrum, quod ab *Indice Vocum & Formularum,* &c. commonstratur.

Sic *Inantea* pro *Antea* dictum observo in Concessione Guidonis, Comitis Pictavorum, cujus locum expressit Bignonius in *Notis ad Marculfi Formulas* libri I. pag. 474. *Vobis & omnibus aliis ab hinc inantea permitto, concedo,* &c. Et apud Marculfum ipsum in *Nuncupatoria* Operis:

A *Capitula praenotavi, ut facilius, quod voluerit, à quaerente inantea scripta reperiantur.* Et alibi sexcentis in locis. Nihil enim eo in Scriptore frequentius; nec in eo tantum, sed fere in omnibus ejusdem & sequentis aevi: in Synodis item, Capitulis, Annalibus, & Chronicis universis. Sic apud Nostrum *Insuperaret* pro *Superaret* occurrit col. 977. lit. E. Et apud alios alia ejusdem notae.

106 OCULATA FIDE] Federicus I. ejus nominis Imperator in Epistola ad Eberhardum, Saltzburgensem Episcopum, & Suffraganeos pro confirmatione Victoris, in Romanum Pontificem electi, ut est apud Radevicum lib. II. cap. LXXI. *Si sacro Concilio Papiae interfuissetis, omnia, quae ibidem, vel in Romana Ecclesia facta sunt, oculata fide cognoscere potuissetis.* Guntherus lib. IV. *Ligurini* extremo:

B *Quos oculata fides, simul & praesentia facti*
Instruit.

107 SEMIVIVI.] *Semimortui* aliis, sed & *Semivivos* habes in Tullio *Verrina* III. *Ibi hominem ingenuum, domi nobilem, Populi Romani socium, atque amicum, fumo excruciatum, semivivum reliquit.* Et pro *Sextio*: *Et quum erat reclamatum semivivis mercenariorum vocibus, Pop. Rom. negare dicebat.*

108 QUIDVE DICERENT, VEL FACERENT] Mediolanensis Codex, *Quidve facerent, vel dicerent.*

109 PER NIMIUM] Necte, legeque *Pernimium*, inoffenso pede, aut certe vocis ejus loco repone *Praenimium*, quod habetur infra *Not.* 126. *Rege praenimium à nobis adhuc distante,* &c.

110 UNUS VERSUS ALIUM PROSPICIENS] Notarunt & alii stuporis hanc notam. Apulejus lib. II. *Illo adspectu defixus obstupui, & mirabundus steti.* Nec alio per-

C tinent *immota lumina* Maronis, & *obtutus stupidus* Juvenci. *Lumina constantis fastus* in Propertii scriptis suam hinc originem ducunt; etsi aliud signent. Dicuntur enim ex animadversione Gebhardi lib. I. *Crepundiorum* cap. V. de Foemina fastidiente amantis preces & nomen, ex more & natura superborum, qui cum alte oculos ferant, non tamen circumferant, fixo ac prope stanti tuitu custodiunt ac continent, neque vaga & curiosa facilitate huc illuc emittunt, ut fere immobili rigore stupere videantur. Qualis nempe mens, tales & oculi, Servio teste, qui *ad Aeneidos* IV. Physicum esse ait, ut qualitatem animi ex oculorum, aut corporis stabilitate, aut mobilitate noscamus. Quamobrem *tueri luminibus constantis fastus*, nihil est aliud in Propertii scriptis, quam *vultu alto fastidire*, ἀσέργων, cui adversatur *vultu humi fixo quasi calcare*, & προσουδίζειν, quo usus Theocri-

D tus in *Pharmaceutria*. Redeo ad Morenam, ejus quippe verbis affinis plane locus Ionis apud Platonem in nominis sui *libro*. Cum enim ibi dixisset Ion, se Homeri carmina recitasse moestissime, quod moesta sint, haec addit de Auditoribus: Καθορῶ γὰρ ἑκάστοτε αὐτοὺς ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ βήματος κλαίοντάς τε, καὶ δεινὸν ἐμβλέποντας, καὶ συνθαμβοῦντας τοῖς λεγομένοις: *Video enim undique illos de loco superiore è suggestu flentes, & moeste se invicem adspicientes, & ob ea, quae simul dicta sunt, obstupentes.*

111 PER QUODDAM TEMPUS] Herodotus *lib.* I. de Astyage in stupore summo: *His perculsus aliquandiu sine voce mansit.* Philo de Jacobo, audita Josephi filii morte, & inspecta cruenta veste: *Obmutuit per longum temporis spacium*, adeo ut nec caput posset attollere subito oppressus malo.

112 QUASI MUTI OBSTUPESCENTES, &c.] In Me-

E diolanensi, *Mutefacti omnes effecti prae nimia tristitia.* Hic enim moeroris nimii effectus princeps. Modo laudatus Philo: *Haeserunt obstupefactis verba prae moerore, ac metu gravissimorum malorum, ut solent inopinati casus vocem adimere.* Ita Peleus ad nuntium defuncti Pyrrhi subito moerore corripitur, & apud Euripidem in *Andromacha*, *nullus sum*, inquit, *perii: nulla est vox.* * Herodes etiam, Pacori pater, audita filii caede, ita diriguisse fertur, ut per multos dies neminem alloqueretur, non cibum sumeret, non vocem mitteret, sic prorsus, ut Justino teste lib. XLII. cap. IV. *mutus factus videretur.* Faciunt huc illa Caesaris lib. I. *Belli Gallici* de Sequanis: *Nihil Sequani respondere, sed in eadem tristitia taciti permanere. Quum ab iis saepius quaereret,* (Caesar) *neque ullam omnino vocem exprimere posset, idem Divitiacus Aeduus respondit,* &c. Petrus quoque Victorius doctissimus senex, quippe

F qui Graecos & Latinos Scriptores omnes pervolutavit, ut in ejus laudem Manutius scripsit, simili Demosthenis de Stratone loco *adversus Midiam*, docet magnitudinem doloris saepe numero vocem eripere injuriam passis. Videatur ipse lib. I. *Var.* cap. V.

113 PRAEQUE MAXIMO] Mediolanensis, *Et maximo.*

114 TIMORE NIHIL LOQUENTES] *Vocem* enim *timor continet*, ut habet Octaviae Scriptor, cujus ad similitudi-

* Lege *Orodes.*

nem

nem accedit, quod affert Phædrus: *Vocem præcludit metus*, & inibi Rithershusius ex Gunthero:

——— *vix fauces in verba solutæ*
Vocis iter præstare valent.

Inde scite Lucilio dictum *lib.* III. *præ metu infringi linguam.* Catullo *torpere*; Terentio *hærere metu.* Philonis verba jam attuli. Adjicio Latinis verbis alia Socratis ex Antigone: *Sed metu linguam clausam habet.* Sallustius huc etiam venit lib. I. *Hist. Sic vero, quasi formidine attonitus, neque auribus, aut lingua competere.* Et Virgilius *Æneid.* III.

Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Et *lib.* IV. in re simili totidem fere verbis:

At vero Æneas adspectu obmutuit amens,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit.

115 STETERUNT] Pari fere ratione Sigonius timorem istum Populi Laudensis penna, quasi penicillo, pinxit: *Laudenses neque principio tale civium suorum factum probarant, qui injussu suo Mediolanenses apud Fridericum insimulassent, & nunc nova Mediolanensium adversus Fridericum contumacia cognita, magnum fortunæ suæ in timorem adducti, vehementius perturbati sunt.*

116 QUASI LUGENDO] Lachrimæ siquidem fluere solitæ post stuporem & mœrorem summum. Hinc apud Philonem Jacob, cum per longum temporis spatium obmutuisset propter mortem nati, *repente effusus est in lachrimas, velut è fonte erumpentes, cum amaro gemitu*, sonant ut illius Græca, Latine data.

117 VOCE MUTATA] *Flexibili, flebili, interrupta*, qualem miserationi Crassus assignat in *Oratore* Tullii. Quemadmodum enim olim ad funus & næniam à docta Musicorum natione harmonia Lydia fuit inventa, mœrori significando aptissima, qua dictus est Olympus in Pythonis funere cecinisse: sic Orator, & alius quivis, ad flectendos ad misericordiam humanos sensus, non quamlibet rationem vocis amplecti debet, sed ad instar modi Lydii compositam, & quodammodo inflexam ad lamentationem. Ea vox Othoni *mutata vox* ex decori lege, quam hac in parte scitissime tutatus est.

118 DE ISTIS REBUS] Alia plane Corius ex suo veteri Codice MS. *Delle parole, quale tu ce annuncii. De verbis, quæ affers.*

119 IN VERITATE] Habes iterum Italicismum eundem col. 955. lit. D. & 958. B.

120 SOCIUM] *Homobonum*, quem Corius *Collegam* vocat. Sed *Socium*, non *Collegam*, appellavit Noster, quod supra Homobonum eundem, Laudensem Civem, non Consulem nominarit: Collegæ vero proprie dicantur ii, qui publicum cum alio magistratum gerunt, qualis Consulatus olim. Contra Corius non Socium, sed Collegam, dixit, quod eum Consulem antea nuncuparat, *Laudensi Consule altero Albernardo*, &c.

121 OSTENDISTI] Mediolanensis Codex, *ostendistis*; & *sciatis* infra pro *scias* sibi perpetuo constans.

122 PERPETRARE] Docte. Nam malam plerumque in partem *Perpetrandi* verbum solitum adhiberi. Plautus *Trucul. Male quod mulier incœpit, nisi efficere perpetrat, id illi morbo, id illi senio est.* Livius *lib.* II. *Posteaquam juvenes perpetrata cæde pergere ad se gratulantes vidit*, &c. Et alii passim.

123 DICENTES INSUPER EI] Mediolanensis Codex, *Dicentes etiam insuper ei.* Quid si melius, *Dicens*? Haud dubito, cum unus Sicherius hic loquatur.

124 QUOD SI RES HAEC FIERI DEBERET] Idem, *Quoniam si hæc res fieri debet.*

125 APERTO ADHUC TEMPORE] Insigne mendum, à parva labe contractum, facili negotio tollo, sublata media syllaba primæ vocis, & cum Mediol. MS. lego, *Apto adhuc tempore*, ut hæc respondeant iis, quæ habentur col. 956. lit. A. *Ut si aliquod tempus venerit, quod ad ipsas literas Mediolanensibus dandas aptum fore ipsis videatur.*

126 PRAENIMIUM] Quis non libentius *Pernimium*, quam *Prænimium* probet, quod Mediolanensis scriptura præstat, & ante non multo Noster adhibuit col. 955. lit. D. quam emendatum imus?

127 POTERUNT] Habemus è Codice Mediolanensi, *Poterint.*

128 EFFUGERINT] Legimus in eodem, *Effugient.*

129 DE TERRA EJICIENT] Eodem hæc omnino sensu dicta, quo illa *Notæ* 102. *De terra dejicere.*

130 EIS AUFFERENT; QUAPROPTER] Nemo non videt, interpunctionem istam aliam hic requiri, *Eis auferent. Quapropter.*

131 SICHERIUM VALDE ROGANT] Non ferendum mendum in verbo *Rogant*, cum hæc ab uno tantummodo proferantur; *Rogavit* igitur ejus vicem pono, monente me probo Codice Mediolanensi, quem uti Cynosuram hic meam specto.

132 NON PROFICISCERETUR] Idem mihi dux Codex in hac adornanda Sparta, *Non pergeret.*

133 NISI IPSOS OMNES MORI DESIDERARET] Ut supra *Nota* 104. *Nisi statim mori desiderarent.*

134 DEPRECANTUR EUM] Rescribo monitu Codicis antea laudati, *Deprecatus est eum*, cum hæc ab uno pariter efferantur.

135 ERGA EOS FECERAT] *Is* pro *se* frequens in Nostro, & aliorum scriptis, quibus nasci non obtigit seculo meliore.

136 AB EORUM PARTE] Barbare id omnino dictum pro *sua ex parte*, *suo nomine*, ut pueri vel septennes norunt. Prudentius Junior Hispanus in *Vita Beatæ Mariæ Virginis*: *Me ex parte vestra & vir religiosissimus Leo sollicitavit.* Ad quæ Barthius in *Adversariis* lib. XLIV. cap. XIX. *Ex parte vestra* est Gallicismus, *de vostre part*, vestro nomine. Et sæpe ita Lupus Ferrariensis in *Epistolis.* Sic tamen & Latini Scriptores optimi. Cæsar lib. I. *de Bello Civili*: *Pauca apud eos loquitur, quod sibi à parte eorum gratia relata non sit pro suis in eos maximis beneficiis.*

137 TIMOREMQUE, QUEM IN MEDIOLANENSIBUS HABEBANT] Humile & istud, nec ad omnis palati gustum.

138 NOTIFICARET] Majoris hoc apud aliquos pretii, etiam cultiore ævo. Gellius *lib.* IX. *cap.* III. *Demosthenis orationes, concionesque notificant.* Ovidius lib. I. *de Ponto*, eleg. II.

Atque modum pœnæ notificare velis.

Ut ut sit, tolerabilius id omnino verbi, quam *Notare* notione eadem in Nithardo *lib.* I. de Gestis Dissensionum inter filios Lodovici Primi, qui & Pius dictus: *Quod quidem citato cursu victores Lothario notantes mandant, ut quantocius posset illis cum exercitu occurrat*: & *lib.* II. *Ad quod Lotharius more solito, pro suo, se, quidquid placeret, notare respondit.* Aut *Innotescere* in eodem *libro*: *Carolus consiliis suorum fidelium in omnibus secundum voluntatem Dei parere se innotuit.* Quæ sine dubio antique, imo nove dicta, mirandaque potius, quam imitanda candorem verborum & nominum adamanti.

139 DIMITTERET] *Relinqueret*, ut infra: *Se pro centum marchis non dimissurum.* Et col. 960. lit. C. *Alias vero res, quas inde portare non possent, ipsi Regi, ejusque exercitui, penitus dimitterent.* Et alibi sæpe: Sic *Italiam dimittere*, pro *relinquere*, dixit Cæsar lib. I. *Belli Civ. Usum* Tullius lib. XII. *Epist. ad Fam. Convivium* Suetonius in *Cæsare* cap. LXX. *Italicas regiones* Benedictus Jovius *Hist. Novocomensis* lib. I. pag. 115. Alii alia. Lactantius, *Dimitto te discedens* eodem sensu.

140 DANDAS] Nihil hic culpo; longe tamen melius, quod in Mediolanensi exstat, *Ostendendas.*

141 FORE] Tum hic, tum infra in illis col. 956. lit. B. *Se ad ipsum amplius redire nullatenus fore ausum dixit.* Et in illis col. 1003. lit. B. *At Imperator considerans paucos Theutonicos secum fore. Fore* pro *Esse* positum animadverto vitio Seculi sequioris, Scriptoribus illius quam plurimis adhærente. Nithardus *lib.* I. Operis antea laudati: *Nam super omne, quod admirabile fateor fore, Francorum, Barbarorumque ferocia ac ferrea corda domare valuit.* Et lib. II. *Promittens, si hoc faceret, fidelem se illi & subjectum fore velle.* Ac lib. III. *Nuntiatur Carolus adesse, omnibusque militibus Urbs circundata fore.* Eugippius in *Severino* cap. XXIV. *Præcipiens, uti habitationem loci illius omnes sine cunctatione relinquerent, mox enim perituros fore, si contemnerent imperata.* Chalcidius in *Timæo*: *Necesse erat, in Mundo fore genus animalium, quod ratione uteretur.* Maurisius pag. 12. *Videns nunc amicos suos in bono statu, & desiderii sui effectum fore consequutum*, &c. Et in Rhythmis, in laudem Alberici:

Ostia tu nunquam claudis te justa peten- } *ti.*
Cuilibet & tribuis, quæ sis fore congrua men- }

Et ex eo Rhythmator ejusdem Thadæus Notarius Vicentinus:

Quos credo per prælia valde fore vanos.

Mussatus lib. II. *de Gestis Henrici* VII. Rub. I. *Jam Regem detestari per fora, phana, & plateas. Jam Theotonicorum furores insoportabiles, jam status mutationem, quam gaudio esse putaverant, mœrori onerique fore.* Et lib. XI. Rub. XII. *Hi per internuntios sic iratæ plebis præsumptus non parvi pendentes, tamen plebi assentiendum non fore dijudicavere.* Viterbiensis in excidio Terdonæ:

A modo Terdonæ cuperem recitare dolorem;
Quæ Mediolani veteri subnixa furore
Consueto more vult inimica fore.

Sic Herico Altissiodorensi *lib.* II. *Profore*, *Prodesse* est, vers. CCLI.

Offendit nullos, certavit profore cunctis.

Defore pro *Deesse* Paullino ad Ausonium:

Defore me patriis tota trieteride terris
Increpitas sanctis nota pietate querelis.

Ad-

Adfore pro *Adesse* Gualtero *lib.* x.

Est tamen in fatis, & abominor adfore tempus.

Aliisque alia generis ejusdem multa, apud quos etiam *esse* pro *fore* non uno in loco leges. Sed omnium mihi nunc instar Engolismensis: *Saxones spoponderunt sese esse Christianos, & iterum subditi sunt ditioni Regis Caroli.*

142 SATIS IPSI] Explico, *Sufficienter ipsi*; aut certe una cum sequentibus sic evolvo, *Satis fore, si ipsi literas Mediolanensibus tunc sine aliquo timore ostenderent.*

143 QUAE VERBA UT IPSE SICHERIUS TALIA] *Quae talia verba* non carere labe fœdissima Solœcismi putaret Aristarchus ille, qui carmen istud Marii Æquicolæ,

Has Marius tales fundebat pectore voces,

notabat hac nota, Cælio Calcagnino teste lib. I. *Epistolicarum Quæstionum.* At ego alia prorsus omnia censeo, taliaque non minus sincera arbitror, quam Maronis illa lib. VII. Divini Operis:

Qua ne monstra pii paterentur talia Troes.

Ne quis Nostro, barbaro licet, notam illam inurat hoc loco. Tale quid etiam habes in illis *Chronologiæ* III. adjectæ *Chronico* Rolandini, ad annum CIↃ CCCXXIV.

Quos ipse debeat eos defendere, &c.

144 QUIA MULTUM EIS SERVIVISSE] Desideratur in hoc verborum contextu, *Se*, ut in illis, quæ sequuntur statim, *Et eos magis offendisse præsensit.* Cæterum *servire multum* hoc loco, nihil abest ab eo, quod Nostris in ore vulgo, *Far un gran serviggio.*

145 PRO CENTUM MARCHIS] Formula proverbialis, cui affinis illa, quæ pariter apud Nostros frequens, *Id ego pro centum aureis non patrarim*, finito numero adhibito pro infinito, Græcorum more, ut in illis Virgilii, *Centum æra, Oratores centum*, observatoribus moris hujus accuratissimis Servio, & Turnebo. Guntherus in *Historia Constantinopolitana* apud Canisium: *Centum marchas in præmium accepturam.* Fuit ob eam quoque causam Veteribus familiaris hic loquendi mos, quod Centenarii numerus facilis illis admodum videretur. Festi Correptor, ubi de Centumvirali judicio, in quo centum tamen, & quinque viri judicabant: *Licet quinque amplius, quam centum fuerint; tamen, quo facilius nominarentur, Centumviri sunt dicti.* Sic Ludi Seculares dicebantur, qui tamen non centesimo, qui Seculum absolvit, sed centesimo decimo anno celebrabantur. Horatius in Carmine seculari:

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus, referatque ludos,
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.

146 MARCHIS] Argenti, quæ tum in usu, & etiam aliquanto post. Guntherus *Ligurini* VIII. in tenore Capitum pacis, sive conventionis, ut loquitur Radevicus, inter Ligures & Federicum Imperatorem:

Appendentque novem pœnæ sub nomine fisco
Millia marcharum, puro conflata metallo.

Guntherus alter, Historiæ Constantinopolitanæ scriptor: *Indigentibus sociis largas distribuit portiones, adeo ut in duobus diebus centum viginti marchas in utiles usus liberaliter erogaret; & in tertia die septuaginta marchas argenti.* Et infra: *Argenti trecenta marcharum millia se daturum.* Ptolemæus Lucensis de Othone Imp. ad annum MCCIX. *Idem* (Otho Imp.) *in platea S. Martini inhibuit omnibus de Versilia, & de Grafagnana, qui deberent, vel deberentur Nobilibus de Porcari, quod responderent eis de aliquo jure, quod eis competeret, sub pœna* M. *marcarum argenti.* Sententia lata de Quæstionibus vertentibus inter Jacobum & Albericum fratres Carrarienses ex una parte, & Albericum Leonem ex altera, apud Anonymum MS. qui Carrariensium Stemma confecit, ad annum CIↃ CCXV. Domini: *Jacobus & Albricus fratres de Carraria promiserunt, & vadiam dederunt Domino Schinellæ, & Rogato Judicibus in pœna mille marcharum argentearum standi & manendi arbitrio dicto.* Maurisius de Eccelino III. de Romano circa annum CIↃ CCLV. *Ab ipso Episcopo pignus duo millium marcharum argenti abstulit.* Literæ Nicolai III. P. M. de Reformatione pacis inter Geremenses & Lambertatios anno CIↃ. CC LXXIIX. apud Gherardaccium lib. VIII. *Hist. Bononien.* pag. 243. *Ut igitur contra præmissa, vel horum aliquod, quæ servari volumus, venientes culpæ qualitas pœnæ mucrone præcellat, præter pœnam quinquaginta millium marcharum argenti à parte parti,* &c. Et infra pag. 246. in Documento publico de eadem re: *Sub obligatione, & hypotheca omnium, & singulorum bonorum mobilium, & immobilium, præsentium & futurorum præfati Communis, & dictæ partis, & Universitatis Geremensium, & hominum ipsius, & ad pœnam, & sub pœna quinquaginta* M. *marcharum boni & puri argenti pro dicto Communi,* &c. Annales Dominicanorum Colmariensium ad annum CIↃ CCXCI. *Abbas Morbacensis cum Monachis suis vendidit Regi Rodulpho Luceriam pro duobus millibus marcis.* Fœdus initum inter Bononienses & Florentinos anno MCCC. *Et contra ea, vel aliquid eorum non facere, nec venire*

A *sub pœna mille marcharum argenti committenda, & exigenda totiens, quotiens contrafactum, vel ventum fuerit per aliquod prædictorum Communium,* &c. Bulla aurea Caroli IV. *Habebit in manu baculum argenteum, mensuramque argenteam, quæ simul faciant duodecim marchas argenti.* Et infra: *Baculus vero, de quo præmittitur, debet esse argenteus, duodecim marchas argenti habens in pondere.*

Observat porro Spiegellius ad allatos initio versus è *Ligurino* Guntheri, majorem sua tempestate fuisse æstimationem Marchæ ea, qua valeret ante. Cum enim valor ejus ante responderet florenis 70. Rhenensibus, se vivente respondisse asserit florenis 75. idemque notavit in Bennæ Crucis mentione ad librum primum. At tum æstimatio floreni quanta? Silet Spiegellius, idemque mihi fateor ingenue non liquere. Suggerit quidem valorem ejus anno CIↃ. CCC IX. Hieronymus Rubeus lib. VI. *Hist. Ravenn.* pag. 519. & his

B sane verbis: *Habebat autem florenus Bononiensis solidos quadraginta.* Verum enim vero, quæ hæc quoque summa collata cum pecunia prisca? Hæret mihi adhuc aqua. Vocabularium vetus: *Marcha dicitur Comitatus terræ alicujus, & Marchio dicitur Princeps, vel Dominus Marchæ. Marcha etiam dicitur quoddam pondus, scilicet media libra, ut dicitur Marcha argenti.* Gaudentius Merula lib. II. *de Antiq. Gall. Cisalp.* cap. ultimo: *De cæteris, quæ more, usuque civitatibus non pertinerent, idem juris esse: dum tamen* CC. *argenti bessos (marchas vulgus appellat) bis mille annis penderentur.* At indefinite prorsus Martinius in *Philologico Lexico* de eadem: *Dicitur etiam marcha de moneta, quasi dicas limitata pecuniæ summula, quæ variat pro regionum arbitrio.* Definite magis Cujacius in *Annotat. ad Librum quintum Feud.* ubi *auri* quoque *marcam* leges, & absque adspirationis nota: *Marcas dixit Uspergensis pro libris: plus tamen est marca.*

C *Continet enim duas libras. Sed quod Latinis olim fuit libra, est hodie marca fere; quod selibra hodie libra.* Deducant ex his *Marchæ*, sive *Marcæ*, æstimationem, otio qui abundant, mihi nempe non vacat, ferias non agenti.

147 SE AD IPSUM AMPLIUS *redire nullatenus fore ausum dixit, quo dicto,* &c.] Præstat hæc omnino aliter interpungere ex scriptura Codicis Mediolanensis, *Se ad ipsum amplius redire nullatenus fore ausum dixit. Quo dicto,* &c. Secus non erit ut hæc explicent Quindecimviri fatalium librorum omnes.

148 FORET] *Esset*, ut ante non multo *Fore* pro *esse* usurpatum vidimus ab eodem, & Scriptoribus aliis quamplurimis nihilo melioris ævi.

149 AD CONSULES] Tunc enim omnes Lombardiæ urbes consulari imperio regebantur, qua de re uberius infra loco proprio.

D 150 REPRAESENTAVIT] Accessit & hic præpositio verbo à nimis liberali manu, talia permittente Seculo illo barbaro, & inficeto. Ripuariorum lex, Tit. XXXI. §. 2. *Quod si eum non repræsentaverit, tale damnum incurrat, quale,* &c. Et aliæ farinæ non diversæ leges.

151 IPSAS LITERAS *pariter cum ipso sigillo in terras projecerunt*] Itane vero, iræque tantæ in lenibus, alioqui pectoribus Mediolanensium, ut in ipsas quoque, nil tale merentes, literas sæve adeo fuerint debacchati? Apparet ex his liquido Morenæ livor in Concives meos. Quare libentius audierim Bossium, Mediolanensem quidem, sed æque ac Morenas ambos Federici Ænobarbi partibus addictum, ob ornamenta regalia ab eo Cæsare, ut ipsemet fatetur, large effuseque profecta in domum suam. Hac enim ille de re parcius, nulla mentione facta injuriarum literis illatarum: *Legati non solum maligne à Mediolanensibus auditi,*

E *sed insuper probris civitate rejecti sunt.* Et paulo post: *His Mediolanenses auditis, simul injurias legatis Imperatoris à se illatas animo repetentes, ad avertendam Imperatoris iram, ac gratiam in posterum promerendam, Legatos in Alemaniam destinant,* &c.

152 IRRUENTIBUS] Sigonius, *Literis lectis, Mediolanenses, pro concepta ex secundis rebus superbia, non solum mandata regia despexerunt, sed nuntiis etiam ejus manus intulerunt.*

153 EI] Intulit hic etiam pronomen *Is* in possessionem *Sui*, quod semel hic monitum velim, ne tundam alias hanc incudem.

154 IDEOQUE AD REGEM REVERSUS EST] Emendatius plane Mediolanensis Codex, *Indeque ad Regem reversus est.* Quæ lectio erat etiam in Corii MS.

F 155 ALIBI PROCESSERUNT] *Alibi* pro *alio* à Nostro neutiquam alienum. Sic *Ubi* supra pro *quo.* Vide me ad illa *Not.* 87. *Quo fieri consuerat.*

156 TANDEM DOMINUS, &c.] Hæc, & sequentia, usque ad illa; *Sicherius autem,* &c. abfuisse videntur à modo laudato Corii MS. aut certe ab ipsomet Corio, nescio qua de causa, prætermissa.

157 SICHERIUS AUTEM] Afferuntur etiam à Bossio querelæ istæ; sed plurium Legatorum ore: *Legati non solum maligne à Mediolanensibus auditi; sed insuper probris civitate rejecti sunt. Redeuntes Imperatorem, Laudensium*



sium criminatione in Mediolanenses sponte accensum, *delationibus suis magis inflammant*, *atque iras acuendo*, *ad id adduxerunt*, *ut Mediolano bellum indiceret.*

158 ALTIUSQUE IN CORDA EORUM *hæc verba adscenderunt*] Notior est locutionis hujuscemodi fons, quam ut à nobis debeat indicari.

159 ET SICUT SCINTILLA *ignis totam domum accenderunt*] Absolutior, Hercules, hac in parte Mediolanensis Codex, *Et sicut scintilla ignis totam domum incendit: ita hæc verba cor Regis*, *omniumque Principum accenderunt.* Quæ quidem mirum in modum consentiunt cum Bossianis illis: *Imperatorem*, *Laudensium criminatione in Mediolanenses sponte accensum*, *delationibus suis magis inflammant.* Similitudinem ipsam quod attinet deprompta illa est è Q. Curtii penu, apud quem leguntur ista *lib.* VI. de Gestis Alexandri M. *Parva sæpe scintilla contempta magnum excitavit incendium.* Usus illa præterea Rolandinus *lib.* I. *cap.* II. *Ex hac ergo scintilla offensionis flamma crevit*, *&* *ardens ignis*, *unde hodie tota Marchia subjecta guerræ*, *destructioni subjacet*, *& ruinæ.* Et Cosmus Pragensis Decanus in *Chronica Bohemorum*, Doringi ore pag. 10. *En ego*, *en ego solus mea effeci securi*, *ut vos omnes dormiatis in utramque aurem securi. Sæpe enim una*, *& minima scintilla*, *quam incaute custos domus reliquit sub tenui favilla*, *excitat ignes magnos*, *& non solum domum; sed etiam involvit & comburit ipsos domus dominos. Hanc ego scintillam præcavens*, *& prævidens vobis nocituram exstinxi*, &c.

160 DECREVERUNT] Mediolanensis Codex, *Dixerunt.* At erat in MS. Corii, *Decreverunt.*

161 INTEREA LAUDENSES, &c.] Bossius: *Tunc Laudenses*, *ad obfirmandam hanc mentem Imperatori* (adversus Mediolanenses) *auream clavem per Gulielmum*, *Montisferrati Marchionem*, *miserunt*, *civitatis pariter*, *ac corporum propriorum illi dominium deferentes.* Sigonius: *Laudenses recentis iræ Federici adversus Mediolanenses cœptæ fama erecti*, *occulte se illi tradiderunt*, *ac clavem auream per Gulielmum*, *Marchionem Montisferrati*, *miserunt*, *haud quamquam simulatæ deditionis argumento futuram.* Id ipsum & à Papiensibus Mediolanensium odio factum narrat Bossius ad annum CIↃ CLVII. *Papienses*, *cum viderent*, *se Mediolanensibus non subditorum*, *sed vilissimorum mancipiorum loco haberi*, *atque pessundari*, *clam ad Imperatorem clavem auream mittunt*, *civitatis suæ illam clavem esse dicentes: obsecrantes*, *ut maturaret*, *ac se à Mediolanensium iniquissima servitute eximeret.*

Enimvero clarissimum voluntariæ deditionis argumentum in Populis oblatio Clavium civitatis ei, cujus in manus & potestatem tendunt. Non itaque temere, sed de more Quintelinus apud Nostrum col. 998. lit. A. *Claves Mediolani Imperatori* (Federico) *tradidit in signum totius civitatis*, cum se jam illius imperio permisissent Mediolanenses omnes. Exstat ejusdem moris vestigium non obscurum apud Anastasium, ubi de Falardo Abbate, qui nomine Ecclesiæ Ravenna donatus est à Pipino: *Qui ipsas claves tam Ravennatium urbis*, *quam diversarum civitatum ipsius Ravennatium exarchatus*, *una cum supra scripta donatione*, *de eis à suo Rege emissa*, *in Confessione B. Petri ponens*, *eidem Apostolo*, *& ejus Vicario Sanctissimo Papæ*, *atque omnibus ejus successoribus Pontificibus perenniter possidendas atque disponendas tradidit.* Possevinum etiam Juniorem in *Gonzagis* lib. VII. ad an. CIↃ IↃ XXX. quo Carolus V. Imperator Mantuam ingressus est: *Et jam intra mœnia erat*, *cum oblatas portarum urbis claves*, *dominationis permissæ indicio*, *per modestiam abnuit.* Et alibi apud alios sæpe, ne paginas impleam notioribus beta, qua vesci vel fatui mortalium solent.

162 MARCHIONEM GUILERMUM] De hoc Marchione multis Acerbus col. 1014. lit. A. Et Episcopus Frisingensis lib. II. *de Gestis Federici I. Imp.* cap. XIII. hoc uno diversus à Nostro, quod illum Ænobarbum adiisse prodidit, tum, cum apud Roncalias moraretur: nec clavis ullius deferendæ gratia, sed ut de Kairensium insolentia quereretur, una cum Astensi Episcopo, pari à suis injuria lacessito. Unde Guntherus ad ejus auram de more navigans, *Ligurini* II.

Urbs erat, *antiquo quam nomine dixerat Astam*
Usus, *habens propriis in finibus oppida lata*,
Ac populosa nimis, *Cairam gens illa vocabat.*
Hæc loca Ferrati Gulielmus Marchio Montis
Debita jura sibi, *dignumque negare timorem*,
Publica Roncaliæ tractante negotia Rege,
Suppliciter conquestus erat, *fastumque superbæ*
Gentis, *& acta gemens immobilis improba vulgi*,
Contemptusque suos, *edictaque regia sæpe*
Parvipensa ferens, &c.

Bossius ea de re negry quidem: sed Marchionis hujus querelas (nec de Kairensium, sed de Mediolanensium injuriis) per legatos ejusdem expositas Federico tradit. Ut ut sit, bene audit hic apud Othonem Marchio in lauda-

A to loco: *Vir nempe nobilis*, *& magnus*, *& qui pene solus ex Italiæ Baronibus civitatum effugere potuit imperium.* Arguitur & illius Nobilitas ex eo, quod uxorem habuerit Juditham, (*Itham* alii nominant) filiam Leopoldi Austrii, sororem Conradi Cæsaris, quem Ænobarbi patruum, idem Marchio militia clarus in expeditione Hierosolymitana comitatus est: natique ex his nuptiis Bonifacius, & Jordana Constantinopolis Regina, ut Lazius docet. Tetigit ob id vere affinitatem Marchionis hujus cum Ænobarbo Cæsare Georgius Merula lib. III. *Rer. Mediolanensium*, cum scripsit: *Juvit Maxime Federicum Gulielmus*, *Marchio Montisferrati*, *tum ob recentem cum illo affinitatem: tum quia*, *salva & incolumi re Mediolanensi*, *fines regni proferre minime poterat.* Ea re scite pariter Ænobarbus, Judithæ nepos Gunthero dictus, quia scilicet filius Federici Ducis, qui modo laudatæ Judithæ uterinus fuit.

B Huic demum clarissimæ Prosapiæ finem attulit Joannes Georgius, Bonifacio nepoti suffectus. Dum enim is, juvenili ardore ductus, effrænem equum regere nititur, dejectus ex eo, casu ipso periit, nulla post se relicta virili prole. Georgii successores, qui rerum nunc hodie potiuntur, Duces Mantuani sunt, eo jure potiti ob nuptias Margaretæ, Joannis Georgii neptis, Bonifacii sororis, nuptui traditæ Federico, primo Duci Mantuæ, accedente Caroli V. diplomate, quo, eo quæ spectant, omnia continentur, sancito anno CIↃ IↃ XXXII.

163 GUILERMUM] Alii aliter. *Guilhielmum* enim appellare placuit Episcopo Frisingensi, & ex eo Spiegellio ad Guntherum. Guntherus *Ligurini* II. *Gulielmum*, ut Merula, & Cavitellius, vocat: libro vero VI. *Guilhelmum*, nil abiens à Frisingensi. Bossius *Guilielmum* nominat, *Guilhelmum* Lazius, *Magnique Chronici Belgici* Concinnator.

C MARCHIO porro de Monteferrato dictus is Gulielmus olim, non ut hodie, ei qui præest, *Montisferrati Dux*, quod Montisferrati Marchionatus sero admodum post illius obitum evectus fuerit in Ducatum, anno nempe CIↃ. IↃ LXXV à Maximiliano Cæsare, primusque salutatus Montisferrati Dux, Gulielmus III. Mantuæ Princeps. Gulielmus sane, Montisferrati Marchio, quo de Noster hoc loco, diu vixit, & ab ætate longa SENIS cognomen accepit, ut ante nos alii literis consignarunt.

164 MONTEFERRATO] Mallet Æmilius Veronensis, vulgo pro *Ferrato Feraci* dici, *quandoquidem mira sit ejus regionis ubertas*, quod & Leander censet. A *ferro* pariter, qui Montis ejus cognomentum ducunt, id factum volunt similitudine quadam, quod uti ferrum cætera metalla vi & duritie vincit, ita Mons ille finitimos ubertate, tum aliorum fructuum, eorumque nobilitate ac suavitate, tum vero vini, longo superet intervallo. Itaque sic eum nobis descripsit Merula lib. VI. *Antiq. Vicecomitum*,
D ut ejus pulcherrima specie te oblectes: *Mons est perpetuis expansis jugis totus amœnus & fructifer*, *omniumque rerum ad vitam utilium fertilis*, *& colonis admodum frequens. Incipit diurno fere itinere ab Alpibus*, *planicieque separatur*, *quæ inter hos colles & Alpes intercedit. Nihil hic incultum quidquam propter summam soli bonitatem*, *opportunitatemque. Lævam Tanarus*, *dextram Padus adluit*, *nec ullius alveum Regio egreditur. Quanto magis autem ab amnibus abscedunt*, *tanto majores*, *amœnioresque campi inter eos panduntur*, *quos haud male* Mesopotamiam *queas dicere*, *quippe quod amnibus utrinque sint conclusi.* At heu, dum nos ista scribimus, ab illis mutati quantum, Bellonæ magis, quam Pomonæ in manu; Marti magis sacri, quam Baccho, planeque ferrei, ac ferrati?

De Cœlo niveis, PAX AUREA, *labere pennis*,
Ferrea de ferri secula Monte fuga:
E *Blanda* QUIES *tecum placidis se gressibus Orbi*
Inferat, *attollant* OTIA PRESSA *caput:*
Martius abscedat terris FUROR, IRA *recedat*
Effera, *regnandi* DIRA LIBIDO *cadat:*
JURGIAQUE ET RIXAE *sileant:* DISCORDIA *demens*,
Quæ ferit, *hæc secum prælia sæva gerat.*
Qui secuit vitas, *vites putet Ensis*, *aratro*
Vertat humum Miles, *Classica nulla sonent.*
Limina Te propter Jani claudantur, *Olivæ*
Pacalis miti fronde triumphet honos.
Te duce, *si qua manent odii vestigia prisci*,
Irrita perpetuo corda timore levent.
Te duce, *disjectis incudibus Ætna quiescat*,
Fulmina nulla Jovi ferre laboret avis.
F *Omnia felici lætentur Te duce Seclo*,
Italiæ redeat, *qui fuit ante decor.*
Sic MONS FERRATI *rutilo dicetur ab auro*
Mons magis esse ferax, *ferreus esse minus.*

165 CLAM REGI DIREXERUNT] Legebatur in Corii MS. *Eam Regi direxerunt.* Sed nihil muto. Morigius lib. I. *Med. Hist.* cap. XI. idipsum narrat, adjicit etiam, Laudenses ob hujuscemodi factum à Galvagno Vicecomi-

comite valide reprehensos. Adeatur ipse, recens emendatus, & auctus ab erudito Viro Hieronymo Borserio Novocomensi.

166 SIBI COMMENDARET] Nec suam hic sedem obtinet *sibi*, sed eam, quæ *illi* jure ac merito debebatur, ut oculis utentes vident.

167 ET IN SUA PROTECTIONE] Rite parum hæc inter se nexa, *sibi commendaret*, *& in sua protectione*, *utpote sui semper esse*, *& manere vellent*: atque adeo tenebris involuta. Quare fortasse clarius eadem sic evolvas, & ex Morenæ mente: *Sibi commendaret*, *& suæ protectioni*, *utpote qui semper esse*, *& manere vellent*. Longe sane aliter concepta, descriptaque fuisse videntur in Corii MS. ad hunc nempe modum: *Interea Laudenses quandam clavem*, &c. *per Marchionem Guilielmum Regi direxerunt*, *offerentes ei se ipsos*, *& civitatem*. *Quamobrem Rex iis plurimum commendatis*, *Laudenses ipsos*, *& eorum civitatem*, *quamvis destructam*, *in sua protectione suscepit*.

168 MEDIOLANENSES AUTEM ET IPSI] MS. Mediolanensis excerpta, *Mediolanenses autem similiter & ipsi*. At quinam Mediolanenses isti, qui Federicum cum recensitis istic muneribus adiere? Avet animus eorum nomina famæ, lucique publicæ redonare, Patriæ meæ decori & ornamento. Fuere illi scilicet Viri Patriæ meæ principes duo, Consulatu clari, Jurisque prudentia, & rerum agendarum notitia perinsignes, quorum alter OBERTUS DE HORTO, GERARDUS DE NIGRIS alter, capita Scriptoribus ejus ævi præcipuis non ignota. Frisingensi cumprimis lib. II. *de Federici gestis* cap. III. *Aderant etiam Cumanorum*, *seu Laudensium Consules de attritionis suæ diutina miseria lachrimabilem super Mediolanensium superbia facientes querimoniam*, *præsentibus duobus Consulibus ejusdem civitatis*, OBERTO DE ORTO, *&* GERARDO NIGRO. Guntherus etiam notos eosdem habuit, & uti Mediolani Consules nominavit *Ligurini* II. iis in versibus, quos supra dedimus in primis Notis; nec non & ejusdem inibi Scholiastes. Bossius, Mediolanensis Historicus, amborum propriis nominibus parcit, *Legatos* appellasse contentus, ut ante mox vidimus ad illa *Not.* 161. *Interea Laudenses*, &c. At illos allatis ab Episcopo Frisingensi nominibus & cognominibus exornarunt, Joannes de Monte, nondum editus, in Consulatibus Mediolanensis urbis, post annum CIↃ. C. Paullus Morigius lib. I. *Med. Hist.* cap. LIX. Jac. Cujacius ad lib. I. *Feudorum*, Alvarotus in *Proœmium* eorumdem, Zasius, aliique permulti è Jurisconsultorum albo. Condidere siquidem hi Coss. Mediolani duo libros quattuor, quibus Jura Feudalia continentur: eamque unam ob causam Hostiensis & Ægidius Bellamera negabant, Feudalia placita habere auctoritatem legis, quod hujuscemodi Consuetudines à privatis viris, *Oberto de Horto*, & *Gerardo Capagisto*, quibus non fuerit condendæ legis auctoritas, sint collecta: ideoque sentiebant isti, Jura hæc nihilo secius operari, quam Consuetudines. Verum enimvero refellit horum sententiam luculentissimis Commentariis suis Zasius in Feudales usus, & communis opinio reliquorum. Hinc Merula lib. III. *Rer. Mediolanensium*, de prima Feudorum origine accurate loquens: *Cæterum*, *qui novissima Feudorum jura Cæsares descripsere*, *ante omnes Curiam Mediolanensem celebrant*, *ut plane significare videantur*, *hoc sive tributi*, *sive magis perpetuæ servitutis genus*, *Mediolani primum cœpisse*. *Nam*, *quoties de obæratis in Dominos*, *& rursum de jure Dominorum in obæratos certabatur*, *cognoscendæ causæ*, *& dijudicandæ litis arbitrium Consulibus*, *& Patribus Curiæ Med. Cæsares delegasse legimus*, *ut non solum sine provocatione eorum judicium foret*: *sed*, *quod hi statuissent*, *id à cæteris receptum*, *vim legis quodammodo haberet*. *Multa quoque constituta pro sententia Jurisconsultorum Mediolanensium non tantum exstant*; *sed quotidie celebrantur responsa* UBERTI HORTANI, *&* GERARDI CAGAPISTI, *quibus aut consuetudinis*, *aut morum Provinciæ*, *aut recentiorum legum prudentiores alios haud temere inveneris*. Etsi ante Merulam laudatus Zasius, in secundam legem *de Origine Juris*, ostendat Feuda à vetustis Romanorum moribus processisse; & Budæus pluribus, Annotationibus prioribus in *Pandectas*, doceat, neminem esse, qui non Feudorum consuetudinem ab illa vetere Clientum observantia in patronos, & fide Patronorum in clientes oriundam putet, vocetque Clientes, eos, quos alii *Vassallos* dicunt, & Clientelam observantiam ipsam, & obsequium, quod *homagium* ab aliis appellatur, clientaris scilicet officii sponsio & agnitio quædam. At, ne quis miretur, Gerardo de Nigris *Cagapisti*, seu *Capagisti* cognomen tributum à Merula, Hostiensi & Ægidio Bellamera, sciat is, Scriptores veteres in hujus Consulis cognomento mirum in modum variasse. Monuit enim datis ad me literis vir amicissimus & eruditissimus Jo. Antonius Castillionæus, Gerardum hunc etiam de *Campiseo* alicubi dici, indeque factum, ut eundem Gesnerus in sua *Bibliotheca* *Campesium* appellarit. Morigium necesse non est iterum laudare, quem idem *Catapisti* cognomentum tribuisse constat, nec Zasium, qui *Cacapistum* vocat. Nec habeo, quod præter hæc adjiciam de varietate tanta, nisi ex his apparere liquido *Cacapistarum*, sive *Cagapistarum* (nam hæc saniora cognomenta sunt) familiam Mediolani perantiquam & admodum nobilem exstitisse, quod & aliis ex ejus urbis veteribus monumentis liquet, & his maxime, Catalogo Canonicorum Templi Maximi, quod *Domum* vocant, Communitatis libris, & cafco Codice MS. Familiarum apud Mediolanenses illustrium una cum earundem Insignibus, qui modo laudati Castillionæi Museum ornat. Recensentur etiam inter veteres Comenses familias *Cacapisti* à Benedicto Jovio in calce lib. II. *Novocomensis Historiæ*, quæ nunc demum, à nobis recognita, cum accuratissimis Indicibus evulgatur.

169 COPAM] Legendum arbitror CUPAM. *Scyphum* dixit Bossius, rem eandem cultius elocutus: *His Mediolanenses auditis*, *simul injurias*, *legatis Imperatoris à se illatas*, *animo versantes*, *ad avertendam Imperatoris iram*, *ac gratiam in posterum promerendam*, *Legatos in Alemanniam destinant*, *qui Imperatori scyphum aureum pecunia plenum deferrent*, *solemnemque illi coronationem pollicerentur*. Sed *Cupa*, sive *Cuppa*, illo quoque tempore, & posterioribus ejusdem genii & ingenii seculis usitata. Carolus IV. Imperator in *Aurea Bulla* Tit. XXV. qui est de Officiis Electorum in solemnibus Curiis Romanorum Regum: *Post hæc Rex Bohemiæ Archipincerna venire debet*, *sedens similiter in equo*, *portans in manibus Cupam*, *sive scyphum argenteum ponderis* XII. *Marcharum*, *coopertum*, *vino & aqua permixtis impletum*: *& descendens ab equo scyphum ipsum Imperatori porriget ad bibendum*. Lupus in *Epist*. *Cuppas viatico aptas*, *forma & qualitate pretiosissimas*. Vita B. Genovefæ: *Genovefa vas*, *in quo potus delatus fuerat*, *quod Cupam nuncupamus*, *sibi petiit monstrari*. Recte vero hac in *Vita* additum, *in quo potus delatus fuerat*, ut intelligeremus, *Cupam* non tam esse *Vinarium vas amplum* à *Capio*, quod scilicet *multum capiat*, ut indicant Glossæ, quibus *Cupa*, seu *Vagna*, est Βῦττις μεγάλη ἥτινες γαυλὸν καλοῦσι, Italis *Botte*: sed etiam *Vinarium vas minus late patens*, & ad bibendum aptum, Italis iisdem *Coppa*. Ac de Cupis quidem majoribus capiendi multi, & hi in primis, Plinius, cum scripsit: *Cupis naves in mari sustineri*, *cum reficiendæ sunt*. Lucanus, cum eodem respiciens cecinit,

Namque ratem vacuæ sustentant undique Cupæ.

Imperator Valentinianus in Novella de Naviculariis, *Navem intra capacitatem quadraginta Cuparum*. Ulpianus *de Leg.* lib. III. L. Cujus, *Vasa vinaria*, *id est*, *Cupæ*, *& dolia*, *quæ in cella fixa sunt*. Cæsar lib. II. *Bel. Civilis*, *Cupas tæda ac pice refertas*. Hinc *Circulus ad Cupas* L. 8. Tit. III. lib. III. Legum Wisighot. *Si quis aliquem comprehenderit*, *ac de sylva sua cum vehiculo vadit*, *& circulos ad cupas*, *aut quæcumque ligna sine Domini jussione*, *aut permissione asportare præsumpserit*. De Cupis aliis, præter supra laudatos Scriptores, Carolum IV. Lupum, & Auctorem *Vitæ B. Genovefæ*, meminit Joannes Scotus, apud quem in *Vita S. Columbani*, *Cuppa* est *grandius vas cervisiæ*, qualia hodie quoque *Cuphas* vocant Germani, quatenus Misenorum dialecto utuntur, ex interpretatione Cl. Barthii ad illa de prædicto Sancto: *Sunt illic vicinæ Suevorum Gentes*, *cumque inter loci ejus habitatores versaretur*, *comperit illos profanum velle litare sacrificium*, *vasque magnum*, *quod vulgo* Cuppam *vocant*, *viginti plus minus capiens modios*, *cervisia plenum*, *in medio positum*, &c. Nævius etiam de his capiendus, ubi loci legere in illo est, *Qui duas cupas mero plenas exhausit*: Et *Constitutiones Siculæ* lib. III. Tit. XXXVI. Num. I. *Sive ab alio recepta materia opus fingant*, *ut anulos*, *fibulas*, *parapsides*, *cuppas aureas*, *aut argenteas*, &c. Et has fortasse minores potius, quam majores cupas à Cauponibus deduxit Romanum forum. Unde Scaliger ad Varronis IV. *de L. L.* ubi de Cupediis: *Quare cupo*, *caupo*, *cupa*, *caupa*. *Apud Ciceronem in Pisonem*. *Panis & vinum à Propola*, *& de cupa*. *Significatur*, inquit, *eum nunquam de penu*, *& promptuario vivere*; *sed de caupona*, *quod Horatius vocat numerato vivere*. *Cupam vocavit*, *quam Virgilius Copam*. *Copa Syrissa*, &c.

Cupellam etiam pro *Cupa* reperies in Gregorio Turonense cap. XXXV. *Ingressus in promptuarium Clericus*, *recuperat cupellam*, *quam pene mediam reliquerat*, *per superiorem aditum redundare in tantum*, *ut copia difluentis vini rivum per terram ad ostium usque duceret*.

Dictæ quoque Cupæ *Cavernæ* quædam ad Cuparum similitudinem propius accedentes, & in primis Græcis, ut hoc obiter indicem non protritum. *Cupæ* tandem etiam adhibitæ ad torquendos Christianæ fidei pugiles, & athletas. Inde lux Anthelmo, quem Canisius edidit, in libro de Virginitate:

En iterum Sancti, stropha stimulante Draconis,
Martyres in cupas merguntur, fomite fartas,
In quibus atra picis massa flagraverat ardens.

Ibi nempe *Cupæ fartæ fomite*, nihil aliud sunt, quam *Cupæ affatim refertæ, & completæ igne*, ad ipsos Christi Martyres exurendos. Sed nos Cupas hujuscemodi Tyrannis & Tortoribus relinquamus.

170 QVATENVS TAM GRATIAM ET BONAM VOLVNTATEM RECVPERARENT] Corrige duce Codice Mediolanensi, *Quatenus suam gratiam & bonam voluntatem recuperarent.* Quorsum enim *Tam* illud sine suo *Quam?* Consentiunt autem cum his illa Bossii, quæ produco: *Ad avertendum Imperatoris iram, ac gratiam in posterum promerendam.* Item illa Folietæ lib. I. *Genuensis Historiæ* ad annum CIƆ. CLIV. *Per ea tempora Fridericus in Italiam venit, ad quem cum cæteræ Italiæ Urbes, quæ erant veteris juris Rom. Imperii, Legatos misissent, qui in verba jurarent, gratiam præpotentis Principis captantes, ne civitas quidem* (Genuensis) *in eo officio sibi cessandum ducens, duos Oratores ad eum mittit*, &c.

171 QVAMVIS HOC MINIME FACERE POTVERVNT] Contra Bossius: *Imperator dissimulanterne, an serio, incertum, Legatos certe benigne audivit, admisitque munera.* Retentos etiam Legatos istos asserit Frisingensis *lib.* II. *cap.* XIII. *tanquam viæ duces futuros Federico Regi, aditurosuperiores Italiæ partes, & de idoneis tabernaculorum locis dispojituros.* Quod & in Gunthero leges, Frisingensis optimo Paraphraste.

172 POTVERVNT] Mediolanensis Codex, *Potuerint.*

173 CREMONENSES QVOQVE ET PAPIENSES] Habes rem eandem, totidemque fere verbis, à Bossio sic expressam: *Interim Papienses, ac Cremonenses, cum magnis advenientes muneribus, Mediolanenses multarum in se injuriarum apud Imperatorem graviter accusant.* Id quod anno pariter CIƆ. CLVII. ab iisdem factum, cum Laudæ Imperator esset. Idem Bossius ad annum illum: *Huc confluunt finitimarum civitatum Legati, Çomi, Papiæ, Laudis, Cremonæ, Novariæ, Montisferrati, injurias Mediolanensium in se accusantes. Adde, & suam sibi semper perniciem adstruentes. Mediolanenses enim* (ut idem habet Historicus) *in ultionem potissimum accusationis primæ, ejectis urbe, quicumque reperti fuerant, Cremonensibus, Papiensibusque, obequitantes infestissimo exercitu Papiensem agrum, in extremam eos servitutem redegerunt.* De Papiensibus Nostro testis est etiam Possevinus Junior in *Gonzagis: Docti Mediolanensium exemplo Papienses, muneribus, & obsequio sibi, suisque impunitatem paravere.*

174 SVA MVNERA REGI AFFERENTES] Non una permoti causa potuere Cremonenses ac Papienses adire cum muneribus Federicum, Italiæ limitibus accedentem; sed aliarum in primis urbium exemplo, ne scilicet soli illi huic officio deessent, studentibus altera ex parte Mediolanensibus, nomini eorum infensis, Regis ejusdem gratiam, quibuscunque possent nervis ac viribus, demereri. Credere par est etiam, id ab illis factum, *quod* (ut asserit Urspergensis) *Cremonenses, sicut & Papienses, Imperatoribus ortis de Suevia, quorum ex numero Federicus, perpetuo fideliter adhæsissent: quemadmodum illis, qui de Saxonia erant, Mediolanenses devotius assistebant.* Erat & in more positum apud Gentes plerasque omnes, non barbaras & agrestes, ut adventanti Regi suo, vel Principi, cum muneribus occurrerent, quod admodum familiare fuisse Persis literarum perennia monumenta tradunt.

Subit igitur hic mirari altum Othonis Episcopi Frisingensis hac de Cremonensium & Papiensium legatione silentium, quali & Guntherus usus, cum eorum neuter tacuerit, *Federici Curiam tunc temporis adiisse Januensium Legatos, leones, struthiones, psittacos cum cæteris muneribus eidem Principi præsentantes.* Adeantur Scriptores ipsi, & Otho quidem *lib.* II. *cap.* XIII. Guntherus vero *Ligurini* secundo: nec non & Folieta lib. I. *Historiæ patriæ*, à quo præterea nominantur Januensium Legati duo, qui tum Federicum adierint, Hugo scilicet Archidiaconus, & Caffarus Annalium Scriptor. Legatur ad hæc Sigonius lib. XII. *de Italiæ Regno.* Mantuanorum Legatos ad eundem Regem tres affert, & nominat Possevinus Junior in *Gonzagis*, Faustum Pollionum, Jordanum Merulam, & Flavium Cicionum, qui patriæ nomine se, suaque omnia Regis ipsius arbitrio permisere.

175 MEDIOLANENSES INCVLPANTES] Cremonenses quidem, quod ad alia incommoda sibi à Mediolanensibus illata, Lotharii quoque pro iisdem contra se lata quædam sententia accessisset, ut ex Urspergensi liquet: Papienses vero, quod Mediolanenses iidem *urbem suam, ad Imperii Romani despectum* (ut idem loquitur Urspergensis) *pariter apponerent depopulare, superbissimi omnium effecti, ac si Lombardiam, Romani Regni portionem, suo imperio paulatim subjicere satagerent.* Attigit & Dubravius lib. XII. *Hist. Bohemicæ* criminationes à Papiensibus, & Cremo-

A nensibus, quasi venenata tela, conjectas in Mediolanenses omnes ad aures Federici; sed omnino serius, quam aut Urspergensis, aut Morena Noster, nempe post secundum ejus Cæsaris accessum ad Italorum fines, tradentibus aliis, hæc evenisse initio expeditionis illius primæ; imo antequam pedem Italiæ limitibus intulisset. Inseruit adhæc Federicus ipse Orationi suæ, quam habuit ad Commilitones, Mediolanensium odium adversus vicinas urbes, & has in primis, Papiam, Cumam, & Laudam, *Ligurini* IV.

Hæc est illa nocens, quæ cunctas fortior urbes
Persequitur, nostramque premit sine fine Papiam:
Quæ Cumam, Laudamque nimis vicina perenni
Insectans odio, crudelibus urget utramque
Terrificatque minis, aliasque ferociter armis
Evertit, pressasque tenens in pulvere, victum
B *Non patitur relevare caput.*

Quam ob causam ab Urspergensi de Mediolanensibus iisdem scriptum: *Cum sint etenim superbissimi, solent occupare terminos vicinarum civitatum, & ipsas, quas possunt, suo subdere imperio.* Verum enim vero mirabitur prudens nemo, Mediolanum, potentissimam Galliæ Cisalpinæ Metropolim, ad summum inter vicinas urbes fastigium Virtute duce valide contendentem, earundem odium incurrisse, cum omnem vel justam potentiam iniquo semper animo impotentiores ferant. Addit Sigonius, exsistente in Roncaliis Federico, ibique de more vacante audiendis Italicorum querelis, à Montis Ferrati Marchione vocatos apud illum in invidiam fuisse Cairenses, & Hastenses simul: & à Papiensibus Dertonenses pariter accusatos, quod ad Mediolanenses transiissent. Qua de re Nos alibi cum Nostro supra.

176 INCVLPANTES] Mediolanensis Codex, *Incolpantes.* Utrobique barbare, exundante scilicet utrobique præpositione *In*: at non absque exemplo. Occurrit enim id C verbi cum hujusmodi præpositione in *Ripuar. Leg.* Tit. 31. §. 1. *Quod si homo ingenuus in obsequio alterius inculpatus fuerit.* Et §. 2. *Quod si eum non repræsentaverit, tale damnum incurrat, quale ille sustinere debuerat, qui in ejus obsequio est inculpatus.* Legi quoque Salicæ placuit idem verbum inserere Titulo 42. §. 7. *Si vero majori crimine servus inculpatus fuerit.* Et §. 8. *Si autem servus de qualibet criminatione inculpatus fuerit.* Sic *Incriminari*, & *Incriminatus* alicubi in eadem Lege, & alia alibi generis ejusdem multa.

177 IPSVM INFENSVM ESSE MEDIOLANENSIBVS REDDEBANT] Quid si rectius? *Ipsum infensum Mediolanensibus reddebant.* Non aliud sibi sane Bossius voluit, cum inquit, de Legatis regiis loquens: *Legati*, &c. *Imperatorem, Laudensium criminatione in Mediolanenses accensum, delationibus suis magis inflammant.*

178 PROVINCIAM DVRBANDIAM] Quid hoc monstri D *Durbandiam?* Tollo, licet haut sim Hercules, & caream clava, ejusque loco *Burgundiam* pono: locum vero Nostri sic, ut erat in Corii MS. lego, *Rex itaque suos Legatos per Alemaniam, Saxoniam, Burgundiam, Lombardiam, Tusciam, Romam, & per universum Romanum imperium misit*, &c.

179 JVBENS ARCHIEPISCOPIS] Habes haud dissimilem jussionem col. 970. lin. ult. in illis, *Præcepitque omnibus fere Italiæ Principibus*, &c.

180 FESTIVITATEM SANCTI MICHAELIS] Circa quam Trithemius ait Federicum Italiam ingressum esse, an. CIƆ. C. LIV. & ob id Sigonius lib. XII. *de Ital. Regno* Mense Octobri expeditionem suam Italicam indixisse.

181 ET VNVM ANNVM] Malo cum Corio, *Ad unum annum.*

182 RONCALIA] Qua de crebra mentio in *Feudorum* libris, & in primis primo Tit. XX. & Quarto Tit. XXXVI. E nec non & in *Longobardorum legibus* lib. III. Tit. IX. Leg. 9. rara alibi, & fere nulla.

183 QVI LOCVS EST *inter Placentiam & Cremonam*] *Super Padum non longe à Placentia* dixerat Frisingensis, ita versibus redditus à Gunthero:

Est locus, Italiæ modicum sejunctus ab urbe,
Cui, quia pulchra situ placet, inde Placentia nomen,
Planus, & Eridani placido junctissimus amni
Effundit latos spatioso limite campos.

Locutus ob id ad eundem modum de Roncaliarum Vico Cavitellius ad annum CIƆ. CLIV. *Firmatis castris in Vico Roncaliarum, propinquo Placentiæ, juxta ripam fluminis Padi. Roncaliarum*, inquam, quod utroque numero *Roncaliam*, & *Roncalias* efferrent. Frisingensis memoratus F initio in laudato loco: *Igitur Rege apud Roncalias per quinque, ut ajunt, dies sedente.* Et capite proxime consequenti: *Federicus profecturus à Roncaliis copias ducens, in territorio Mediolanensium castra posuit*: cum dixisset supra cap. XII. *Inde castra movens in campo Roncaliæ supra Padum.* Sed hæc passim obvia, nec obscura.

184 PLACENTIAM] Fuit ea primitus Colonia, insignis Romanorum clade, ad Trebiam fluvium, deductis

eo sex millibus Colonorum, ut opponerentur Gallis, ea loca tenentibus, Pædiano teste. Qui quidem Coloniam fuisse tradit ordine quinquagesimam tertiam, deductam pridie Kal. Jan. anno primo Punici belli secundi, Cornelio Scipione, patre Africani prioris, & T. Sempronio Longo Coss. Deduxerunt autem III. Viri, P. Cornelius Asina, P. Papyrius Maso, Cn. Pompejus, & Cn. Cornelius Scipio. Occupata primum à Palavicinis, post à Longobardis, cum antea libera fuisset, variis subinde casibus agitari cœpit, ab Ænobarbo, rebellionis ergo, muris quoque disjectis, & turribus afflictata ex Nostro infra, & Volaterrano libro *Geographiæ* IV. Nomen adhuc primævum obtinet, à *Placentino Trojano* conditore ductum, ut asserit Bentius Alexandrinus. Siquidem Hieronymus Albertucius Bononiensis in libro de civitatibus Italiæ à *Peucentio Gallo* instauratore *Peucentiæ* nomen ei subinde fuisse tradit: vel, ut habet Guntherus, & alii, à *Placendo*, ob amœnitatem scilicet, & pulchritudinem loci, copiamque rerum omnium admirandam.

Placentiam quidem appellant prima Rei Litterariæ lumina, Livius non uno in loco, Tacitus *libro* XV. XVI. XVIII. & alibi, Silius *lib.* VIII. Trebellius in *Aureliano*, Strabo *lib.* V. Appianus I. & II. Plutarchus in *Vita Scipionis, & Hannibalis*, Plinius, Antoninus, Polybius, Ptolomæus, & alii; *Peucentiam*, quem quidem hactenus viderim, nemo.

185 CREMONAM] Antiquum & hoc ejus nunc urbis clarissimæ nomen fuit: nec ignotum Livio, Straboni, Tacito, Plinio, Ptolomæo: atqui non omnino primum. *Trojam* enim initio dictam, & ab Hercule, Jasonis comite, in memoriam devicti ab eo Gigantis, ad Padum conditam, matrisque nomine *Climenam*, dein lapsu temporis *Cremonam* nuncupatam docent vetustissima rerum hujuscemodi monumenta. Fuit & ipsa Colonia nobilis Romanorum, deducta anno IↃ XXXVII. T. Sempronio, & P. Cornelio Coss. ingruente in Italiam Hannibale, ut ejus propugnaculum esset, Livio Patavino teste. Sequentibus annis, ab externis bellis intacta, civilibus infelix, ut inquit Tacitus, multas magnasque calamitates exhausit, Antonianis præsertim temporibus, quum victor Octavius veteranis suis agrum Cremonensem adsignavit. Unde illa Mantuani Vatis:

Mantua, væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Post ab Gothis misere vastata, totaque ab Longobardis deinceps eversa, concidit anno IↃC XXX. Mox, cum aliquandiu Regibus Italis paruisset, juris esse sui cœpit sub Imperii nomine, Urbium aliarum exemplo: nec ideo tamen perpetuo felix. Nam & ipsa vim pertulit Ænobarbi, mœnibus æquatis solo. Civili post hæc implicata bello, quod inter Guelfos & Gibellinos exarserat, splendorem amisit pristinum una cum rerum omnium pulcherrima libertate, aliis & aliis imperium ejus rapientibus, Palavicinis, Dovarianis, Cavalcabobus; parumque abfuisset ab exitio ultimo sub Henrico VII. Rom. Rege, nisi Augustæ clementia à præda, populationibus, ruinis, & incendiis desitum esset, ut aperte nos Mussatus docet lib. III. *de Cæsaris illius Gestis*, Rub. IV. Tandem in *Galeatiorum*, inde in *Sfortiadum* ditionem redacta, à Ludovico XII. Galliarum Rege occupata, ex pacis legibus Venetis cessit, à quibus possessa decennio ad Gallos rediit, quibus ex Italia profligatis Sfortiæ Mediolani Duces successerunt, iisque deficientibus ad Carolum V. & hæredes ejus, Hispaniarum Reges, devoluta, eorum nunc imperio paret.

186 VENIT ITAQVE D. FEDERICVS IN LOMBARDIAM] Addit Capreolus lib. V. *Brixiensis Historiæ*, *cum exercitu formidabili*: Nauclerus *Gen.* XXXIX. *cum exercitu validissimo*: Baronius ex Actis Adriani IV. Pont. *cum exercitu magno*. Cæterum ut evitaret ejus in ingressu Tyranni nomen, quod in transitu milites ob penuriam locis sacris damnum haud mediocre intulissent, collectitia pecunia satisfaciendum curavit, Frisingensi teste. Ea vero causa Federicum in Lombardiam traxit, *quod propter longam Imperatoris absentiam, Italia ad insolentiam declinaverat, & suis confisa viribus aliquantulum rebellare cœperat*, ut in supra laudato loco Nauclerus tradit, ad cujus ductum Possevinus Junior in *Gonzagis*: *Is, ubi suscitatos inter Germaniæ Duces tumultus composuit, & satis provisum paci credidit, Italiam in votis habuit, Longobardiam præcipue, quam novis rebus studere, & plus debito libertati insistere compererat. Imperatoris enim absentia eo temeritatis evaserat, ut ne minimam quidem obsequii speciem, quæ servitutem testaretur, præstare vellet.*

187 LOMBARDIAM] Id nominis tum primum Italiæ datum, cum Barbarorum, qui, ex Scanzia Insula venientes cum Alboino Duce, Pannonias inhabitarunt, incursionibus & imperio subesse cœpit. Ab his enim, qui (quod, ad augendum exercitum fœminis reflexissent crines ad mentum, sic, ut virilem & barbatam faciem mentirentur) *Longobardi* à longis barbis dicti fuerant, Italia quoque ipsa *Longobardia* primum, dein *Lombardia* corrupte meruit appellari. Volunt alii, Regionem eandem *Lombardiæ* nomine designatam post amissum à Longobardis Italiæ regnum. Nam, ut Æmilius scribit, & ex Merula facile potest intelligi, regnantibus Longobardis nulla fuit eis sua, peculiarisque Longobardia. Placuit autem Imperatori Carolo, & Leoni Pontifici Max. ejus nominis Tertio, nomine Longobardiæ censeri, quicquid inter Apenninum & Alpes à cætera Italia lacu Benaco, & Mincio: uti vero Longobardorum Scriptores tradunt, Atesi, Pado, Rheno Bononiensi distinguitur.

188 ANNO MCLIV.] Assignat Cavitellius eundem annum expeditioni primæ Italicæ Federici: at non eundem mensem. Ait enim, Federicum in Italiam descendisse Octobri mense; Novembri vero firmasse castra in Roncaliarum Vico. Prætulit ei porro facem Trithemius, cujus illa sunt in Hirsaugiensi Chronico, ad annum CIↃ. CLIV. *Circa festum S. Michaelis Fridericus Rex in Italiam profectus est.* Tale nempe festum Octobrem attingit. Conveniunt demum in anno cum utroque & Nostro Dodechinus, qui diserte in *Appendice* ad Marianum Scotum, *Anno* 1154. *Federicus Rex in Italiam proficiscitur.* Margo Frisingensis ad cap. XI. lib. II. quæ se habet, *Federicus Cæsar in Italiam movet anno* 1154. necnon & Baronius in *Annalibus* sacris. Nauclerus mensem nullum nominat, nec in anno cum aliis sentit. Tribuit enim huic primo Ænobarbi accessui ad Lombardiæ fines annum CIↃ. CLV. quod & Krantzius fecit. Bossius meminit anni CIↃ. CLII. Ptolomæus Lucensis in *Annalibus* millesimi centesimi quinquagesimi tertii supra millesimum. Alii alia, penitus his diversa.

189 MENSE NOVEMBRIS] Facit huc apprime veteris scripturæ pars, quæ Federicum eo mense Rovereti perhonorifice susceptum hospitio tradit ab Olderico II. Trissino, primariæ tum nobilitatis Vicetinæ viro. Exstat illa apud Paulum Benium lib. I. *de Antiquitate & Origine familiæ Trissinæ* cap. III. deprompta ex archivis Bonifacii Trissini, Majorum suorum virtutibus egregie respondentis. Ita vero ea se habet: *Thebaldus ex Anna Phaletra, Ordelaphi Phaletri Venetiarum Ducis filia; genuit Oldericum, qui secundus dictus est. Hic Federicum Imperatorem hospitavit in castello Rovereti, cujus erat Dominus, de anno millesimo* (adde *centesimo*) *quinquagesimo quarto, die tertia mensis Novembris, & ab eo multas dignitates obtinuit, pro sua descendentia, & cum eodem Imperatore in Runcaliis ivit cum multis aliis Comitibus, & Baronibus, ad præstandum juramentum fidelitatis.*

190 INDICTIONE PRIMA] Corius, *Indictione secunda.*

191 QVAE FVIT SECVNDO DIE] Mediolanensis Codex, *Quæ fuit secunda die*, vigesima nempe nona Novembris.

192 IN QVO] Idem, *In qua.*

193 APVD SANCTVM VITVM DE CASTILLIONE] Leguntur hæc etiam in eodem non eadem forma, nimirum, *Apud Vitum, & Castillionem.*

194 LODESANA] Quæ *Lausanna* Argentinensi ad ann. CIↃ. CCCXXXVI. *Nuntii Papæ per Delphinum per montana sunt usque perducti.* Et Mussato lib. I. *de Gest. Henrici* VII. Rub. VII. *Statutam inde diem transgrediendarum Alpium præfixit in Lausannam, vicinam descensui ad Lombardiæ planitiem: Lausannum* vero Conrado Vecerio in *Cæsaris ejusdem Vita*: *Ipse, universa Germania Joanni filio demandata, cum non adeo grandi comitatu iter ingressus, Alpibusque propinquans, Lausanni constitit*, &c.

195 DE PRAEDICTIS ALBERGARIIS] *Albergariæ* Morenæ sunt hoc loco, sicut & in illis col. 958. lit. B. *Quod in capite Albergariæ versus Papiam fixum fuerat*, hospitia, quæ rectius semi-Latinis Scriptoribus aliis *Alberga* dicta. Quamobrem in Mediolanensi Codice legere est, *De prædictis albergis*, Vito scilicet, & Castillione. *Albergariæ* enim proprie census, seu pactiones sunt, quæ debentur pro comestionibus, ut apparet ex Gloss. in *C. Præterea de Jure pact.* & literis Federici I. Imp. apud Gherardaccium lib. III. *Hist. Bononiensis* pag. 79. Bononiensibus datis die XIII. Maji anni 1155. reædificandi gratia Medicinæ castri: *Itaque Regni servitium, vacante ab omni districtu feudo, albergari censu, nec non ab omni exactione immunes tam integritate rerum suarum subsistant*, &c. nec cadunt in locum istum. Corius nihil minus uspiam assecutus, quam hic sui casci Codicis characteres, legit, *ad prædictos Albernardum, & socium.* Somnium, & figmentum merum.

196 EXPVGNAVERVNT BVRGVM PLACENTINVM] Corius, *Ira (caussam ignoramus) accensi, expugnaverunt Burgum Placentinum*, &c.

197 VIRILITER SE DEFENDVNT] Mediolanensis & Corii MSS. *Viriliter se defenderunt.* Rolandinus ut Noster, lib. X. cap. VI. *Vulneratus est ibi graviter Judex quidam*

dam de Padua, Dominus Bertramus, ſapiens, diſcretus, & plures alii, ſe viriliter defendentes. Et alibi paſſim.

198 SEQVENTI VERO DIE] *Novembris ultimo*, ut non immeritò ſcriptum reliquerit Friſingenſis: *Inde caſtra movens, in campo Roncaliæ ſuper Padum, non longe à Placentia menſe Novembri reſedit.* Cui Sigonius accedit: *Ineunte Octobri, Federicus Imperator in fines Bajoariæ ad Lycum amnem contendit, atque eo ex omni Germania exercitum convocavit. Cum eo inde per urbem Tridentinam in campos Veronenſes digreſſus, ad Lacum Gardæ caſtra poſuit, ac menſe Novembri ad Roncalias venit.*

199 IN RONCALIAM] De more. Habet enim Friſingenſis in laudato loco, hunc fuiſſe Imperatorum tam Francorum quam Germanorum morem, ut educto exercitu in expeditionem Italiæ, ad petendam Rom. Imperii coronam, in campo Roncaliæ conſiſterent, (unde Noſter non multo poſt, *Interea Rex in Roncaliam exiſtens*) ibique, ad lignum præaltum ſcuto ſuſpenſo, univerſorum Equitum agmen feuda habentium, ad faciendas excubias per Curiæ præconem evocarent: & eodem exemplo, qui in Imperatoris comitatu eſſent, ſinguli ſingulos Vaſſallos ſuos; ac ſequenti die, quicunque nocturnis vigiliis defuiſſe prehenderetur, domique ſuæ remanſiſſe, is mox feudo ſuo multaretur. Quod ipſum ita Guntherus retulit *Ligurini* II. poſt Roncaliam deſcriptam:

Hic quoties claram Regnator tendit ad urbem
Teutonus, Auſoniam ſumpturus rite coronam,
Ponere caſtra ſolet: ligno ſuſpenditur alte
Erecto clypeus: tunc præco regius omnes
Convocat, à Dominis feudalia jura tenentes.
Excubias Regi prima celebrare fideles
Nocte vetuſtorum debent ex more parentum:
At quicunque domi, Domino nolente, relictus
Defuerit, feudo privari Curia cenſet.

Hinc illa Lotharii Imp. libro II. *Feudorum* Tit. 52. §. I. *Dum apud Roncaliam, ſecundum antiquorum Imperatorum conſuetudinem, pro juſtitia, ac pace regni componenda conſideremus.* Et Tit. 55. *Dum ex prædeceſſorum noſtrorum more, univerſalis curiæ Roncaliæ pro tribunali ſederemus, à Principibus Italicis non modicas accepimus querelas.* Deſino cum Urſpergenſi de Federico ipſo: *Pro reparando itaque juſtitiæ vigore, omnibus Lombardis, & Italicis, Roncaliam; ubi mos Lombardorum eſt juſtitiam ſuam requirere, & ab Imperatoribus recipere, diem certam, & Curiam publicam, ad præſentiam Principum, qui tunc aderant, eis deſignavit.*

200 SEX DIES] *Quinque* tantum numerat Friſingenſis, nec Interpres Guntheri Spiegellius plures. *Paucos* Guntherus ipſe: *Ergo ubi Roncaliæ paucis reſidente diebus Cæſare*, &c. Sigonius ut Friſingenſis, & alii, *Quinque: Inde, conventu diebus quinque perfecto, exercitum in agrum Mediolanenſem movit.*

201 RESIDENTE *etiam tunc in honore Apoſtolicatus Domino Eugenio Papa Tertio*] Pauci omnino cum Noſtro Eugenium III. anno CIↃ. CLIV. quo Federicus Ænobarbus in Italiam movit, Romani Pontificatus honore fulſiſſe tradunt: quin imo plerique omnes, eum ante Tibure vitam cum morte commutaſſe narrant, cum illuc æſtivis caloribus imminentibus, animi recreandi cauſſa, ſeceſſiſſet, & in his Platina, cui Boſſius & alii nonnulli hærent, anno Domini MCLII. Pontificatus octavo, Menſibus quatuor, Diebus viginti adjectis. Baronius autem, & ex eo Ciacconius, anno Domini MCLIII. VIII. Idus Julii, cum ſediſſet annos VIII. M. IV. D. XIII. Idipſum multo ante ſenſerat, & ſcripſerat, Robertus à Monte, cujus illa ſunt in *Appendice* ad Sigebertum: *Anno* 1153. *Rex Federicus expeditionem parat in Italiam. Obiit Papa Eugenius, cui ſuccedit Anaſtaſius.* Et anno ſequenti: *Rex Federicus tranſalpinando in Italia fortiter agit, adverſantum ſibi caſtra dejicit. Obiit Papa Anaſtaſius, & Epiſcopus Albanenſis Papa fit Adrianus.* Literis quoque prodidit Friſingenſis tum vivens, lib. II. *de Vita Federici* I. cap. X. Eugenium Papam, virum juſtum, & religione inſignem, anno CIↃ. CLIII. ab hac luce tranſiſſe, Anaſtaſio homini veterano, & in conſuetudine illius Curiæ exercitato, ſede relicta, idque antequam Federicus de adeunda Italia cogitaret. Eadem Jac. Philippi in *Suppl. Chron.* Naucleri libro alias laudato, Genebrardi in *Chron.* Onuphrii in *Vitis PP.* Gordoni in *Opere Chronologico*, Gualteri in *Tabula Chronographica Status Eccleſiæ Catholicæ*, Haræi in *Principibus & Ducibus Brabantinis*, pag. 223. & aliorum complurium ſententia eſt. Dodechinus unus à Noſtro ſtare videtur, quippe qui in *Appendice* ad Marianum Scotum, *Anno*, inquit, 1154. *Federicus Rex in Italiam proficiſcitur, Eugenius Papa obiit.* Ecquis miretur lucis hujus uſuram tributam Eugenio III. anno 1154. non modo à Noſtro, ſed etiam à Dodechino, cum Martini Poloni Supputationes habeant, Eugenium, ejus nominis Tertium, renuntiatum Pontificem anno 1157. & annis ſediſſe V. vel (ut aliis in exemplaribus legere eſt) VIII. M.

A IV. D. XX. Franciſcus Petrarcha in *Vitis Rom. Pontificum* illud etiam habet, Eugenium III. vixiſſe tandiu, ut Ænobarbus ab eo Romæ fuerit coronatus, id quod alii conſtanter factum tribuunt Adriano IV. Ptolemæus Lucenſis in *Annalibus* tollere videatur poſſe Scriptorum diſſidium iſtud, ea in parte, qua ſcribit, anno MCLIII. Federicum Imperatorem in Italiam veniſſe, & eodem anno inter mortales Eugenium III. exſtitiſſe, quippe cujus aſſenſu tunc temporis Lodovicus Francorum Rex uxorem ſuam Helionoram repudiarit, accepta filia Anſus, Hiſpaniæ Regis. Mihi tamen adhuc tenebræ, quæ lucem, nubes, quæ diem tollunt, cum alii velint repudii libellum Helionoræ miſſum Adriano Pontifice, cujus ergo diſſidia inter Francorum Regem & Pontificem exorta ſubinde fuerint, cum eam ob cauſſam Regi Pontifex diras

B comminatus eſſet. Quid quod Trithemius ſub ipſam expeditionem Italicam Ænobarbi, circa feſtum S. Michaelis anni 1154. Anaſtaſium obiiſſe tradit, cui ſucceſſerit Adrianus IV. Cimmeriæ plane tenebræ locum hunc occupant, nihil ut mirer totum à Corio prætermiſſum, ſive, quod hæc omnia abeſſent à ſuo Codice MS. *reſidente etiam tunc in honore Apoſtolicatus Domino Eugenio Tertio*; ſive, quod in iis olfeciſſet mendum.

202 APOSTOLICATVS] *Pontificatus.* Unde Romani Pontifices *Apoſtolici* dicti, quod obſervo fuſius ad Muſſatum.

203 DOMINO] Magnus olim *Domini* titulus, ut apparet. Summo quippe Pontifici tum delatus, delatus & Romanorum Regi. Inde Noſter hac col. 957. lit. A. *Venit itaque Dominus Federicus in Lombardiam.* Et ante col. 954. lit. C. in Oratione Albernardi ad eundem Regem, *Do-*

C *mine Rex.* Et eadem col. lit. E. *Cum autem cariſſime Domine*, &c. Et de Rom. Pontifice Monachus Anonymus Patavinus lib. II. *Chronici*, *Sed Dominus Papa nolens in partem aliquam declinare.* Et alii multi.

204 FRAVDOLENTER INIENTES FOEDVS] Perperam id, ut alia, vitio datum Mediolanenſibus, Viris utique candidis & apertis. O factum male, nec in eo Scriptore ferendum dictum, qui litare debeat Veritati. Longe plane verior Auſonii Muſa; quam audiant Morenæ manes:

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultaque domus, facunda Virorum
Ingenia, ANTIQVI MORES.

Nivei ſcilicet, & *meliore*, ut alter ille loquitur, *metallo ducti.* Sed voluit hoc loco Noſter palpum obtrudere Fe-

D derico, qui cum præſenſiſſet, ex Italis Mediolanenſes ſolos conatibus ſuis efferis obluctari poſſe, eos tum carpendi, tum perdendi cauſſas omnes undique conquirebat. Notarunt quippe non pauci, & inter cæteros Folieta lib. I. *Genuenſis Hiſtoriæ*, trux & barbarum Cæſaris hujus ingenium, & iracundiam impotentem, quam effundere ſoleret in eos, qui ipſius auſibus ſeſe opponerent, eundemque, ut hominem Italicis urbibus, ſi qua dicto audiens non fuiſſet, aut ſuperbum jugum detrectaſſet, graviter minitantem, identidem ſugillarunt, ne prætermittamus in eo culpare, quæ culpanda ſunt, ſicuti non omiſimus, quæ digna viſa ſunt laude, laudare. Gaudentius Merula lib. III. *Antiq. Gall. Ciſalp.* cap. IX. *Raptim igitur, ut erat natura præceps & ferus, Rubrobarbus Mediolanum copiis cingit.* Et mox: *Erat Rubrobarbus, lingua, ſtudiis, moribuſque ipſis plane barbarus, hoc eſt, ignavus, perfidus, ferus, implacabilis. Hujuſce rei indicio ſunt certiſſimo contra jus Gentium vaſtatæ urbes opulentiſſimæ, Aſta, Dertho, Che-*

E *rium, Laumelum, & Spoletum.* Itaque magis amicus Cæſaris, quam veri, Noſter, non ſat habens *fraudolentiæ notam* Mediolanenſibus inuſſiſſe hoc loco, eoſdem infra col. 959. lit. B. *malitioſos & ſubdolos* appellavit, ut ad ſui Cæſaris aurem & auram iterum loqueretur, quod & Guntherus fecit ex eadem ſchola, ibi loci maxime, ubi ſcripſit, viſa fuiſſe *ſtultæ oſtentamina plebis* ea, quæ geſſerant Primores urbis contra Gerardum Nigrum, à quo, ſe inſciis, Federicus deductus fuerat per loca invia & deſerta. Et *libro* VII. ubi Mediolanenſium Legatis *coloratas loquelas & blandos perſuadendi modos appingit*, præter omnem Friſingenſis, ducis ſui, mentem. Nuſquam enim Præſul ille Mediolanenſes fœdat hac labe, licet hæc illi Federicus ipſe ſuis in literis ſuggeſſiſſet: *Mediolanenſes ver-*

F *ſuti & ſuperbi verba ſine fide nobis dederunt, & ut noſtra conceſſione ſuper Cumas & Laudam dominium habere mererentur, multam pecuniam nobis promiſerunt.* Norat ille ſcilicet, quantum inter ſe *Blandiloquentia* & *Facundia* diſtent, *Facundaque Virorum ingenia*, non *blanda*, aut *colorata* Mediolano tributa Burdegalenſis ore, ejus, inquam, vatis Elogio, qui cauſſas procul habebat omnes odii, & amoris, ea cum literis exarabat.

205 QVATVOR MILLIA MARCHAS] Legerem longe lubentius, *Quatuor millia marcharum*, quod orationis ſtructura deſiderat, & Morena noſter, à quo ſcriptum infra col.

col. 958. lit. D. *Plusquam decem millia marcharum.*

206 SPOPONDERANT] Reponerem & hic pro *Spoponderant*, *Spoponderunt*, si res mei juris esset. Sequitur enim statim, *ac in Roncaliam cum ipso fuerunt.* Rem quod attinet, sponsionis hujus meminit etiam Frisingensis, eoque fine factam asserit, *ut Federici nobilem & incorruptum hactenus animum satagerent pecunia inclinare, atque corrumpere:* sive, ut habet Federicus ipse suis in literis ad eundem, *ut concessione sua super Cumas & Laudam dominium habere mererentur*, quod hisce verbis expressit Mutius lib. XII. *Chronici Germanorum: Ubi cum copiis Italiam attigit: veniunt illi obviam Mediolanenses, petunt privilegia quædam: petuntque Cumæ & Laudæ dominium: magnam pecuniam promittunt, & caussas cur petant, addunt.* Nec aliter Possevinus Junior in *Gonzagis*, si quidem sententiam spectes: *Mediolanenses, ubi adesse præ foribus Federicum, & se in reliquorum culpam peti deprehendere præter opinionem, sanioribus accessere, & placandum ante Principem ex usu rati, legavere nobilissimos civium, obsequium & ingentem vim pecuniæ offerentes, si parceret lapsis, & demonstratione amicitiæ Lodum ac Comum sibi subjici imperaret.*

Summam pecuniæ tum promissæ unus confecit Noster. Nam Mutius *magnam*, Possevinus *ingentem*, Federicus ipse suis in literis *multam* fuisse ferunt. Guntherus Federicum expressit per *monetam multam*, *Ligurini* VII.

Qui, cum se causis graviter pœnalibus angi
Legibus Italicis, & stricto jure viderent,
Inque coloratis suffragia nulla querelis
Esse, vel in multa, quam promisere moneta, &c.

Et alibi per *mercedem multam:*

——— ——— ——— accessi eodem,
Quod quascumque prius bello subverterat urbes
Urbs eadem Ligurum, ne forte resurgere vellent,
Urgebat, victasque gravi terrore premebat:
Inque sui sceleris consensum flectere mentem
Principis invicti (quid enim non imperat auri
Gratia?) si posset, multa mercede parabat.

Steterunt autem promissis Mediolanenses, & fidem liberantes suam (ne rei perfidiæ postulentur ab invidis) Regi, apud Viandrate, castris inibi positis, commoranti, pecuniam, quam spoponderant, attulerunt. Ita Noster col. 959. lit. B. quo Lectorem voco.

207 IN RONCALIAM CUM IPSO FUERUNT] Locutio vetus, sed proba, ut observat Gellius lib. I. cap. VII. *Noct. Atticarum: in Roncaliam* fuerunt, pro *in Roncalia*, quamvis abfuisse videatur è Corii MS. Quare frustra sunt Grammatici semidocti, qui Præpositioni *In*, verbis quietis junctæ, auferendi casum tantum adscribunt; verbis vero motus Accusativum tantum. Nec pigebit eos refellere appositione complurium exemplorum. M. Tullius in *Orat. pro Quinctio: Res esse in vadimonium cœpit. De Divin. Quæ in amicitiam Populi Romani, ditionemque essent. Verrina quinta: Quo in loco Majores Syracusanum quemquam habitare vetuerunt, quod, qui illam partem urbis tenuerint, in eorum potestatem portum futurum intelligebant. Pro Lege Manilia: Cum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam & spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis. Pro Cæcinna: In possessionem vestigium facere. De Finibus: In Historiam vestigium ponere.* Plautus, Latinorum Vatum elegantissimus, *Bacchidibus, Ecquid in mentem est?* Et in *Amphitruone, Non vero mihi in mentem fuit.* Sic enim Gellius locum hunc laudat, & tuetur *cap.* VII. *lib.* I. quod & alii faciunt, qui Vatis ejusdem illud in *Epidico, in amorem hærere*, retinent, & defendunt. Petronius, *Res est in controversiam*, quod eleganter, & in modum Ciceronis dictum asserit Turnebus. Ulpianus, *Finge in possessionem precariam mulierem remansisse.*

E contra verbis motus Præpositionem eandem præmissam leges cum Latinorum casu apud Manilium *lib.* V. *Cum venit in regione:* Tullium, *Veni in senatu:* Sacrarum Oracula paginarum, *Ingrediatur putredo in ossibus meis.* Probat hæc etiam Taubmannus *ad Amph. Plauti, interrumpam in ædibus; pergam in ædibus:* nec damnat Cerdius in *Adversariis Sacris*, Luciferi Episcopi Calaritani ista ex lib. II. ad Constantium, qui *pro S. Athanasio* inscriptus est: *Et mittent eos in camino ignis ardentis*, contra Tilium, Meldensem Episcopum, qui ad eum locum interpretis personam gerens: *In camino*, inquit, *ignis, pro in caminum ignis, ut mox dicet: sed sæpissime non multum est diligens in observandis Grammaticorum regulis.* Indifferenter enim Antiqui ea cum propositione amabant loqui, & ex ea consuetudine Lucifer ibi loci dixit: *mittens eos in camino ignis*, ut infra: *nunquid fugerat te, dixisse Dominum B. Petro, Converte gladium tuum in loco suo.* Mitto reliquos, ne fastidio sim, numero propemodum infinitos.

208 CUM IPSO FUERUNT] Volunt alii, Mediolanensium Legatos discessisse statim post legationem obitam, & sponsionem pecuniæ factam, quorum in numero Possevinus Junior in *Gonzagis*, & hujuscemodi cum responso: *Servitium vos Regi vestro præstituros, & semper credidi, & sumpturus experimentum accedo, si pacem, quam bellum probabitis. Vos aliis, alios vobis nulla caussa submittere supersedeo. Sit vestrum, ac illorum par conditio, eadem libertas, imperii libidine temperanda. Dividite turbidos, quique pravis consultis vos vindictæ ac periculo obtulere. Servire Imperio juxta libertatem est. Deliquistis vos, illi modestiam retinuere; ut nec vos beneficiis decorare; nec illos injuria prosequi sit animus. An leges creditis vos Domino daturos, & non nisi sub conditione obtemperare?* Post quæ idem subjicit Possevinus: *Abscessere Legati, & quid Federicus pararet, civibus suis retulere.* De discessu paria Sigonius tradit. Siquidem hæc ab illo sunt: *Cum autem Laudensium & Comensium Consules, acerbas in se Mediolanensium injurias conquerentes, audisset, eas se judicaturum, ubi in eorum agrum venisset, ostendit, ac Consules Mediolanenses, ingentem pecuniam, sanciendi in utramque civitatem imperii gratia, pollicentes, repudiavit.* Sed credere par est Nostro, & iis, qui Federicum ab iisdem Mediolanensium Legatis ductum Ticinum versus per loca vasta & aspera tradidere.

209 IN RONCALIAM EXSISTENS] Utante paullo, *In Roncaliam cum ipso fuerunt:* appuleratque tum December mensis. Sigonius: *Conventu in Roncaliis, ingenti Principum ac civitatum concursu, mense Decembri coacto*, &c.

210 CAPELLANUM] Nata ea vox à *Cappa* S. Martini. Walafridus Strabo, Augiensis Abbas, libro *de exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum*, cap. XXXI. *Dicti sunt primitus Capellani à Cappa S. Martini, quam Reges Francorum, ob adjutorium victoriæ, in præliis solebant secum habere, quam foventes & custodientes cum cæteris Sanctorum reliquiis, Clerici Capellani cœperunt vocari.* Monachus nescio quis S. Galli: *Quendam optimum dictatorem & Scriptorem in Capellam suam assumpsit, quo nomine Francorum Reges, propter Cappam S. Martini, quam secum ob sui tuitionem, & hostium oppressionem jugiter ad bellum portabant, sancta sua appellare solebant, vel Patrocinia Sanctorum.* Honorius in *Sermone* de S. Martino: *Hujus Cappa Francorum Regibus, ad bella euntibus, pro signo anteferebatur, & per eam hostibus victis victoria potiebantur: unde & custodes illius Cappæ usque hodie* Capellani *appellantur.* Quæ cum ita se haberent, Capellanos rite à Sacerdotibus distinctos leges apud Odonem in *Stat. Synod.* cap. VI. *Ne ullus Sacerdos, aut Capellanus, exigat aliquid ante benedictionem nuptialem.*

211 QUI FIDELITATEM, *&c. exigeret*] Sigonius: *In Mediolanensibus autem continetur Annalibus, ipsum per Taurinos montes transgressum, accessisse Mediolanum, ibique extra urbem per Ubertum Archiepiscopum coronatum: inde* III. *Kal. Decembris Castillionum progressum à Laudensibus promissi obsequii jusjurandum exegisse.*

212 LAUDENSES ETENIM ALII, &c.] Mediolanensis Codex, *Laudenses etiam alii suas uxores & filios cum ipsorum mobilia*, &c. Corius, *Quare Laudenses, uxores, & filii cum ipsorum mobilia*, &c. Legerem ego, si per Criticos liceret, *Laudenses itaque alii cum suis uxoribus, & filiis, & ipsorum mobilia*, &c.

213 MOBILIA] Notatum olim hac voce, quod à nobis, populari lingua, *Mobile* nuncupatur. *Rem* id *mobilem* vocant Jurisconsultorum Patres, eoque apud illos nomine veniunt, quæ anima carent, ut vasa, vestes, & id genus alia. Nam, quæ per se moventur, ut animalia, servi, quadrupedes, pecudes, ea *res* iidem *moventes* nominant: quamquam interdum *mobilium* sibi quoque nomen vindicent animalia ipsa. Morena nove, minori numero, genere fœminino, res hujuscemodi mobiles hic, & col. 959. lit. D. & 961. lit. C. voce non Romana extulit, quas alii numero multitudinis & ignobiliori genere designarunt. Celsus in *L. Sichorus de leg.* 3. *Quæ ibi mobilia mea erunt, do, lego*, &c. Rolandinus *lib.* X. *cap.* XIV. *Demum quoque venientes Baxanum, illic unum de Burgis viriliter incenderunt; jumenta rapuerunt & boves, aliaque animalia multa; pecuniam, vestimenta, supellectilia, cunctaque mobilia, quæ violentiæ subjacent, & rapinæ.* Maurisius pag. 25. *Civitatem combuxerunt totam, omnia spolia tam Virorum, quam Fœminarum, & aurum, & argentum, omniaque mobilia sibi assumendo, & rapiendo.* Mussatus lib. IX. *de Gestis Henrici* VII. Rub. IV. *Delatis in castrum, utcunque valuere, mobilibus, Vicum totum ipsi concremavere.* Et lib. XII. *de Italicorum gestis post Henricum* VII. Rub. I. *Qui pecunias, & mobilia cujusque valoris habere crederemur.* Et paullo post: *Manet urbs omnibus angustiarum pressuris subdita, & conculcata, intra sola mœnia, ædes, & mobilia continens.* Et adjective infra: *Quodque etiam sacrilegium fuit, bona Monasteriorum Beatorum Prosdocimi, & Justinæ, ubicunque forent, mobilia & immobilia, Marsilii essent*, &c. Sed ante Mussatum & alios usum eadem voce, genere neutro substantive, Symmachum

chum noto *lib.* V. *epist.* LIV. *His ausibus color fiscalis adlinitur, veluti ob inquisitionem mobilium ex bonis, quæ meruit Eusebius divinæ domui debitorum.* Et *epist.* LVI. ejusdem *libri*: *Ob inquisitionem videlicet mobilium, quibus nihil commune est cum prædio.*

214 PIZIGHITONVM] Nobilis oppidi nomen ultra Lecium Orcum, ut vocant, & Adduam fluvium cum munitissima Arce, in qua Franciscus I. Galliæ Rex, Ticini à Caroli V. Ducibus, Lanojo & Borbonio, prælio victus, & una cum Navarræ Rege captus anno M. D. XXV. detentus est. Effertur paullo secus col. 966. lit. D. *Ad Pizighitonis castrum, quod est inter Abduam & Serium per totam noctem unanimiter fugerunt.* Corius *Piziguitonum*, Capreolus *Picigotonum*, Carolus IV. Imp. in *Vita* sua *Pitzigniconum*, Mussatus *Puteigheton*, è recentioribus Scotus in *Itinerario Italiæ*, & Merula lib. II. *Cosmographiæ* Par. II. *Piceleonem* vocant. Pro conditore ejus, atque adeo molitore laudatæ Arcis, celebratur Philippus Maria Vicecomes, Mediolani Dux.

215 FVGIERVNT] Mediolanensis Codex, *Fugerant*, quam si lectionem probas, licebit initio periodi legas, *Laudenses etenim alii*, &c. *Fugierunt* autem pro *fugerunt* imis olim temporibus usitatum. Maurisius: *Vicentini autem & Tarvisini videntes Paduanorum fugam, & ipsi fugierunt.* Nec multo post: *Pro quo facto plures Religiosi, quasi culpabiles sceleris, fugierunt.* Et ejus Rhythmator Thadæus Notarius Vicentinus:

Ex auditu penitus solo fugie- } *runt.*
Paduani, socios atque relique- }

216 SED IPSI FERE OMNES LAVDENSES] Ferri hæc possunt: at illa fortasse Corii meliora, *Sed inde fere omnes Laudenses*, &c.

217 TENSAM] *Tensa*, inquit Festus, *vehiculum, quo exuviæ Deorum ludicris Circensibus in Circum ad pulvinar vehuntur. Fuit & ex ebore, ut apud Titinnium in Barbato, & ex argento.* Gloss. *Tensa* θρόνος, *Tensæ* ἅρμα θεῶν. Sentit idipsum Jul. Cæsar Scaliger lib. I. *Poet.* cap. XXXII. *Tensa currus, quo Deorum simulacra portabantur*, ἀπὸ τοῦ θεῖν. Habet hisce similia Papias ex Isidoro, & Diomedes, insignis Grammaticus, *libro* primo. Servius etiam ad illa Virgilii, *Hic currus fuit*, per *currum* significari docet *Tensam, qua Deorum simulacra portantur.* Cicero *Verrina* ultima: *Omnes Dii, qui vehiculis Tensarum solennes cœtus ludorum initis.* Suetonius in *Octavio* cap. XLIII. *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine lectica cubans tensas deduceret.* Et *Vespasiano* cap. V. *Nunciabantur & ex urbe præsagia, Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut tensa Jovis Opt. Max. è sacrario in domum Vespasiani deduceretur.* Et *Julio* cap. LXXVI. *Sedem auream in Curia, & pro Tribunali tensam, & ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra juxta Deos, pulvinar, flaminem, Lupercos, appellationem mensis è suo nomine, & nonnullos honores ad libidinem cepit, & dedit.* Meminere pariter Tensarum Livius, Tertullianus lib. *de Spectaculis* cap. VII. & alii. Nec frustra est quod de *Tensis* loquentes, utantur *deducendi* verbo. Ita quippe ducebantur, ut deducerentur manu. Unde Arnobius: *Aut si patrimus, & matrimus ille, qui vocitatur puer, omisit per ignorantiam lorum, aut tensam, aut terram tenere non potuit.* Cicero *Verrina* III. *Quam tu viam tensarum, atque pompæ ejusmodi exegisti.* Asconius Pædianus: *Thensæ autem sunt sacra vehicula, pompa ordinum, aut hostiarum.* (alii *cum pompa Ordinum & Officiorum*) *Thensas alii à divinitate dici putant: alii, quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere, & tangunt, qui eas deducunt.* Inde Romanorum Vates ad hunc morem spectans magni Operis II. in deductione Durantæi * equi:

——— *stupea vincula collo*
Intendunt.

Et mox:

——— *funemque manu contingere tentant.*

Quid hic igitur mihi *Tensa* fuerit in Morena? Nil aliud sane, nisi *Tentorium* Ænobarbi, sic dictum à Deorum tensis, ante quas tenebantur lintea, sive lora. Æque nempe *Tentorium*, ac *Tensa* à tenendo dicta. Unde *tendere* idem est, ac *tentoria habere*, tam in illis Maximi Poetarum, *Hic sævus tendebat Achilles*, quam in his Suetonii *Galba* cap. XII. *Cohors Germanorum juxta hortos tendebat*: Et Taciti *Annal.* XIII. *Milites tendere omnes extra vallum jussit.* Accedit interpretationi nostræ Corius: quippe qui locum hunc Italice reddens pro *Tensa* substituit *Padiglione*, quæ vox sine controversia respondet *Tentorio* Latinorum, siquidem in ejus Codice MS. *Tensa* fuit, non *Tenta*, vel *Tenda*, quod esse potuit, cum voces hujuscemodi *Tentorium* prope magis attingant, quam *Tensa*. Et hi quidem *Tenta* pro *Tentorio* usi, Leo, Mauricius, & Malaxius in *Hist. Patriarch.* Κὰὶ ὑπῆγον εἰς τὸ τέντα τοῦ Σουλτάνε, *Et processit ad tentorium Sultani.* *Tenda* vero Florentinus Monachus de Expugnatione Accon:

Bacchanalis Africus mare perturbabat,
Evulsa tentoria cuncta laniabat:
Si confratres mei tunc ibi fuissent,
Et tenere dentibus me tendam vidissent,
Horum quidam reputo super me risissent.

Et nuper editus Rolandinus *lib.* X. *cap.* IV. *Scientes amodo Paduani, quod locatus est exercitus valde prope ad civitatem, exire volunt obviam inimicis, & cum tentoriis, & travachis, & tendis suis exeunt civitatem magnifice.* Exstat vos demum utraque in Suida.

218 POSTREMO] Corius, *Post hæc.*

219 PARABOLA] Sapit ea quoque vox pro nostra vernacula, *parola*, delicias inficetissimi seculi non amandas. Amarunt nihilominus, ut Noster, Maurisius pag. 18. *Post hæc, cum boves mei essent de parabola Capitanei castri.* Senatus Bononiensis in literis exaratis Communibus suis anno CIↃ. CCXCIV. ut editæ sunt à Gherardaccio lib. XVI. *Bonon. Hist.* pag. 368. *Quibus liberam licentiam, parabolam, & potestatem plenarie concedimus eundi, & redeundi, standi, & morandi per totam nostram civitatem.* Et rursus Noster col. 957. lit. E. *Tandem Laudensibus respondentes, parabolam eis dederunt.* Et col. 964. lit. E. *Salva tantummodo fidelitate D. Federici Imperatoris: quam ei jamdudum fecerunt ipsorum Mediolanensium parabola, & consensu.*

220 AD EOS] Pro *ad se* de more. Nam & infra, *Consilio valde diu inter eos* (pro *inter se*) *agitato* dixit: *Et, qui ab eis fidelitatem exigebat*, pro *qui à se fidelitatem exigebat*, statim.

221 EORVM] Mediolanenses respicit hoc pronomen. Unde *sua bona voluntate* scribere debuisset, nisi Tribunitia vitiorum linguæ potestas, tum dominans, intercessisset.

222 REFERENTES INSVPER ET EIS] Dele *Et.*

223 LAETO ANIMO] Nempe quia Mediolanensibus non invitis. Sigonius: *In Mediolanensibus continetur Annalibus, ipsum à Laudensibus promissi obsequii jusjurandum exegisse, idque Laudenses Mediolanensibus conniventibus præstitisse.*

224 FECERVNT] *Facere* hoc loco *jurare* est, aut certe *persolvere fidelitatem Regi.* Quippe supra dixerat, Ænobarbi Capellanum, Laudem missum, quo fidelitatem à Laudensibus exigeret. Et hanc illi fidelitatem promiserant Laudenses, cum ad eum miserunt clavem auream civitatis.

225 EXPLETO PARLAMENTO] Narrat Cavitellius, Federicum post hujuscemodi parlamentum, ivisse Mediolanum, ibique extra urbem, in templo D. Ambrosii, per Ubertum Pirovanum Archipræsulem, corona ferrea decoratum, quam eandem coronam reassumpserit Modœtiæ post Abduæ transitum una cum Augusta. Aliorum alia mens de loco & tempore Coronationis hujus.

226 PARLAMENTO] Ejusdem ævi verbum, cujus & *Parabola.* Ptolemæus Lucensis ad an. CIↃ. CLXXX. *Et sic juraverunt mercatores, campsores Bononienses observare, & dictum fuit hoc publico parlamento.* Chronologia III. adjecta *Chronicæ* Rolandini, ad annum CIↃ. CCCXX. *Et facto parlamento, & tractatu cum Domino Rolando de Plazola*, &c. Et ad annum proxime consequentem: *Remotus fuit ultra scriptus D. Oldericus de Gualser à Vicaria civitatis Paduæ per D. Federicum de Osterich, & Regem Rom. electum, ad parlamentum factum in suo districtu, & Curia.* Litteræ Bononiensium, ad Ravennates datæ, anno CIↃ. CCXIX. & à Gherardaccio editæ lib. XII. *Bonon. Hist.* pag. 378. *Et, si vobis videbitur convenire, Pisauri, Fani, & Senogaliæ, una debeant adesse parlamento prædicto.* Litteræ aliæ Zappetini de Ubertinis, Potestatis Fori Julii, ad Bononienses, apud eundem Historicum pag. 394. *Intendimus nihilominus ad parlamentum, & locum ordinatum die Martis proximi convenire.* Et pag. 396. in Conventione pacis inter Bononiam & Provinciam Romaniolæ: *In generali parlamento dictorum dictæ Societatis & Ligæ dictarum civitatum, & Locorum*, &c. Apud Parisienses adhuc ea vox viget, & proprie regium Concilium notat.

227 A MEDIOLANENSIBVS] *Oberto de Orto*, & *Gerardo Nigro*, Mediolanensium Consulibus, & Legatis, quos apud se detinuerat Ænobarbus, ut sibi, ad Italiam appropinquanti, viæ comites & duces forent. Sigonius: *Inde, conventu diebus quinque perfecto, exercitum in agrum Mediolanensem movit, sive, ut graviore eos mali terrore perculsos ad equitatem aliquam erga Laudenses, Comensesque adduceret: sive, ut propius eorum lites, controversiasque cognosceret: ac se à Consulibus duorum Mediolanensium, qui in conventu affuerant, Oberto Orto, & Gerardo Nigro, duci ad pontem Ticini mandavit.* Guntherus etiam scriptis editis affirmavit, Ænobarbum secum habuisse Ligures, quos *viæ gnaros, monstratoresque locorum*,

Præ-

* Lege *duratei*, id est, lignei. Vide Lucret. *lib.* I. & Euripid. *Troad.* ℣. 14.

Prævia ferre suis jussit vestigia castris.

228 PONTEM TICINI] An illum, quem hodie videmus, cuique plurimi Fluminum aliorum pontes assurgunt? Minime gentium. Livius enim auctor est, primum Ticini Pontem à Romanis exstructum, Hannibalis expugnandi gratia, prœliumque illic commissum, in quo patrem Scipio, qui postea *Africanus* cognominatus est, vulneratum cædi eripuerit; Saccus vero lib. II. *Ticinensis Hist.* cap. II. Crispino Episcopo, ejus nominis primo, Ticinensem populum lapideum Pontem alterum in Ticino fluvio ædificasse, circa annum ducentesimum à Natali Domini: & eum, qui sua cerneretur ætate, diverso cum tempore, tum etiam auctore stratum ab eo, qui ædificatus fuerat sub Episcopo Crispino I.

229 TICINI] Clarissimi amnis Insubriæ nomen, totidem omnino literis Livio, Plinio, Diacono notum. Scriptores Græci, Polybius, Strabo, Plutarchus, Ptolomæus, Stephanus Τίκινον vocant: Tabulæ Itinerariæ *Ticenum*, *Tisino* Italorum vulgus. Oritur ex monte Summano, qui nunc D. Gothardi nuncupatur: unde &, in diversum tamen, eunt Rhenus, Rhodanus, Athesis, & alii. Ex illo monte per Leopontios in Austrum, inter præcipites rupes, ad Belinzonam oppidum munitissimum fertur: inde copiosus accessione plurimorum amnium, ac torrentium in Verbanum evolvitur lacum, quem supernatat auctore Plinio, ac tandem redditus per planitiem, præcipua celeritate Padum influit, quamquam non illa, quam ex lacu trahit, abundantia, cum derivationibus & fossis in irrigua passim exhauriatur. Asserit Blondus, Ticinum ex Alpibus effluentem, prius Lacui Sebino, qui nunc Isæus, deinde Verbano illabi: sed falsum id esse clamant tum maximum Sebino, Verbanoque intercurrens intervallum, tum profluens Olius ex Sebino. Frisingensis Episcopus ita nobis amnis ejus cursum & ortum paucis adumbravit: *Is amnis, à Pyreneo surgens, & Padum, seu Eridanum, juxta Papiam, quæ exhinc Ticinum vocatur, influens, Insulam Mediolanensium ab Occidentali latere cingit.* Pluribus Guntherus, pone tamen secutus vestigia Frisingensis:

Extemplo rapidas Ticini tendit ad undas;
Hic fluvius gelida venam sortitus ab Alpe,
Haud procul à pulcra cursu breviore Papia,
Influit Eridanum: quam nomine gurgitis urbem
Nonnulli vocitare solent, mediusque locorum
Terminus à Ligurum te, parva Novaria, campis
Semovet.

Cæterum aquis adeo pellucidis est, ut quidvis etiam minimum in imo fundo clare demonstret, lymphasque suas ad decem M. P. vel aquis Padi turbidis intermixtas, perspicuas servet. Unde Claudiani Musa *Honorii Cons.* VI.

Colla levant pulcher Ticinus, & Addua velox.

Et Silii *lib.* IV.

Cœruleus Ticinus aquas, & stagna vadoso
Perspicuas servat turbari nescia fundo.

Arenis & alicubi aureis, argenteis alicubi nitet, piscium que nobilitate inclytus, nominatim Thymallo laudatissimo celebratur. Ad ejus quoque laudem facit, quod urbi proximæ nomen dederit; etsi non desint, qui Conditori ejus *Ticino*, natione *Gallo*, id in acceptum ferant. Plura hoc de amne Merula lib. II. *Antiq. Galliæ Cisalp.* cap. XV. Saccus lib. V. *Ticinensis Hist.* cap. II. Volaterranus in *Descriptione Transpadanæ regionis*, aliique nonnulli è Geographorum albo.

230 DUXERUNT IPSUM] Spatio dierum trium, uti mox indicabit Federicus ipse, nec non & Mutius, in *Nota* proxime consequenti.

231 PER LOCA VASTA, *& quæ deserta fuerant*] Ejus ipse quoque rei testis Federicus suis in literis ad Frisingensem: *Et cum ad terram eorum* (Mediolanensium) *venissemus, à terra copiosa sua declinantes, tres dies in solitudine nos duxerunt, quousque tandem, contra voluntatem eorum, juxta Mediolanum ad milliare Theutonicum, castrametatis essemus.* Et ad ejus ductum & auram Frisingensis *lib.* II. *cap.* XIV. *Federicus ergo ad superiora ulterioris Italiæ profecturus, à Roncaliis copias ducens, in territorio Mediolanensium castra posuit. Dumque à prænominatis Consulibus per arida, ubi nec stipendia inveniri, nec ex mercatu haberi possent, circumduceretur loca: indignatione motus, jussis primo, ut ad propria redirent, Consulibus, in Mediolanenses arma convertit.* Quæ quidem omnia numeris hisce suis Guntherus expressit:

Inde castra movens, Ligurum Federicus in oras
Tendit, & in mediis ponit tentoria campis.
Ast ubi signa viros præcedere regia justos,
Ductoresque viæ per dura, per arida sese
Ducere, perque locos steriles & frugis egenos,
Comperit, agnovitque dolum, tunc fervidus ira
Exarsit, jussitque suis excedere castris.
Damnatos, urbique suæ sine laude remisit.

Habes eadem in Mutii *Chronico Germanorum* lib. XVIII. una cum ratione facti, ne doli Mediolanenses insimules cum Gunthero: nempe quia cuperent, Regem, quem sibi infensum esse præsenserant, abesse ab urbe sua longissimo intervallo. Scribit enim Mutius in *Chronico* laudato: *Volentes autem* (Mediolanenses) *ab urbe sua quam longissime Imperatorem cum exercitu iter facere, per difficilia devia circumduxerunt eum, per tres continuos dies.* Dedit ob id pœnas irato Regi Rosatum oppidum, eo jubente dirutum & incensum: Mediolanensibus vero Gerardus Niger:

Quippe hic præcipuus famosi criminis auctor,
Et suasor fuerat.

Ex Gunthero, & aliis, quos produco ad illa *Not.* 273. *Æquo animo se ferre publice demonstrarunt.*

232 VASTA] Affertur vox eadem ab aliis substantive, ac fere pro cultis locis, cujusmodi sunt agri populi suburbani. Mussatus lib. VII. *de Gestis Henrici* VII. *Aug.* Rub. I. *Quorum plerique, suspectioribus urgentibus causis, ad Turrianorum loca discurrentes, quæ Vasta appellant,* &c. Jo. à Beka in *Hungero*, Episcopo decimo Trajectensi: *Contulit etiam eidem Theodorico Comiti, precibus Henniæ Reginæ forestum, Vasta, Comitatui suo contiguum, pro eo, quod vir esset valde famosus, & in cunctis gestis militaris exercitii collaudandus.*

233 PROPTER BELLUM] Sigonius: *Se à Consulibus duobus Mediolanensium, qui in conventu affuerunt, Oberto Orto, & Gerardo Nigro, duci ad pontem Ticini mandavit. Ii per loca, proximo Papiensi bello vastata, duxerunt.*

234 PAPIAM] *Paviam* vulgus, clarissimam hanc Insubrum urbem, *Papiam* eruditiores vocant, sive, quod *Piorum patria* fuerit, qui jam inde à Syro Aquileiensi tradita Christianæ Religionis instituta sectati, magno in numero ea in urbe floruerint: sive à voce *Pape*, quam conspecta agri illius ubertas, rerumque copia hospiti cuicumque exprimere videatur. Magna illa sane, & à Sacco celebrata multis, talisque prorsus, ut ea attente consideret mortalium nemo, qui non in illam, similemve vocem prorsus erumpat. Gaudentius Merula lib. II. *Antiq. Gall. Cisalp.* cap. VIII. se notasse prodidit, à quadam Longobardorum Regina deductum Papiæ nomen, sed ea de re famam tantummodo se habere, miraturque Gullam, in ejus Civitatis *Chronico*, de nominis illius origine tacuisse. *Flavia* quoque *Papia*, urbs eadem aliquando dicta, quod ante nos vidit Angelus Breventanus in Argenteo Numo Tabulæ Longobardorum Regum: & *Secunda Roma* ex veteri lapide, noto Henrico Eburoni, Oratoriæ inibi facultatis interpreti, in Academia publica, quæ parentem habuit Carolum IV. Imp. anno CIↃ. CCCLXI. petentibus id enixe Galeatio II. & Barnaba Vicecomitibus, Mediolani Principibus, vel ob id literatorum omnium calamis efferendis. Incœpit autem *Papia* dici sub Epiphanio Præsule, anno CCCCLXXII. cum à flumine proximo *Ticinum* antea diceretur, quod à Sacco lib. VII. cap. II. & Breventano lib. I. cap. V. *Ticinensis Historiæ*, pluribus annotatur.

235 SUPER PAPIAM EQUITAVERANT] Bossius: *Obequitantes infestissimo exercitu Papiensem agrum, in extremam eorum servitutem redegerunt.* Urspergensis Abbas in *Federico* ipso: *Quarum* (civitatum) *opitulationibus ausi sunt* (Mediolanenses) *scelera, partimque potiti sunt ausis. Nam Viglevanum, & alia Papiensium oppida munitissima, prædictarum urbium præsidiis, funditus destruxerunt.*

236 ET HOC FUIT IN DIE MERCURII] Agit hic Harpocratem Corius, nulla mentione facta earum rerum, quæ narrat ab his verbis Noster, usque ad illa col. 958. lit. D. *Cum autem Mediolanenses per loca,* &c. nec liquet quorsum.

237 QUAE FUIT DECIMO *mensis Augusti*] Legendum cum Mediolanensi Codice, atque adeo juxta rectos & solidos calculos veritatis, *Quæ fuit* XI. *mensis Augusti.* Siquidem in decimam ejus Mensis diem solemnia D. Laurentii Martyris incidunt: Divi vero Tiburtii in undecimam, ut ex Martyrologiis clarum, quibus ipsa quoque magistra rerum experientia liquido suffragatur.

238 POST FESTUM] Codex idem, *Post festivitatem.*

239 AD LARDIRAGUM] Idem, *Ad Lardiragam.* Sed hodie quoque *Lardiragum*, ut audio, nominatur. Locus est mille fere passibus à Landriano, flumine interlabente, distans; quinto vero lapide à Ticinensi urbe, cujus inter Castra nobilia recensetur.

240 OLONAE] Descripsit luculenter hoc flumen Saccus lib. V. *Ticinensis Historiæ* cap. II. hac verborum pompa: *Olona, ex Mediolanensibus collibus, vallibusque dilapsa, Circiatum, ac Castanetum petens, ipsis primum Mediolanensibus usui est, quibus potu exhibito, Ticinensem oram magnis circuitibus ambit, rigatque undis; tandemque Padum petit, inter vicum Spissiæ, & D. Zenonis, longe à Ticino urbe decem millia passuum. Cui quidem Olonæ publico jure præfectus est Jusdicens; qui curare amnis aquas habet, ut suo quisque tempore, ac loco, modoque, sine alterius injuria ac damno, aquarum quotam in suum traducat.*

241 EX ILLA PARTE] Speciem habet glossematis pronomen, *Illa*, quare dispungerem calamo non suspenso.

242 LAVERNAGOLAM] Locus hic mihi nunc primum cognitus ex Morenæ scriptis. Alibi se prodit nusquam.

Humilis oportet fuerit, & obscurus, ob idque nominis illius fama nullis fere literis ad posteros emanarit.

243 TENVIT] *Tenere* hoc loco sine controversia *durare* est, διαρκεῖν, παρατείνεσθαι, ut apud Cæsarem lib. IV. *Belli Gallici*, ni memoria labor, *Romæ fœdum incendium per duas noctes & diem unum tenuit.*

244 MIRACVLVM] Quidquid admirationem olim quandoque tulisset, id inter *Miracula* censebatur. Livius *lib.* II. *Adjiciunt miracula huic pugnæ.* Suetonius *Caligula* cap. II. *Peregrinatione quidem Siciliensi, irrisis multorum locorum miraculis, repente à Messina noctu profugit.* Eo sensu Noster *Miraculum* usurpat hoc loco, licet Miraculum, quod attingit, à nullo, quod noverim, alio memoretur.

245 IPSIVS] Pro *suis* pronomen *ipsius* hoc quoque loco positum, ut apparet.

246 TENTORIVM EORVM] Cum de Sociorum tentorio sermo hac in parte sit, *suum* rectius, quam *eorum tentorium* exarasset. At amat sic Noster scribere, ne mireris. Itaque mox apud eundem leges col. 958. lit. C. *Tentorium eorum defixisse*, pro *tentorium suum: Eorum equis*, pro *equis suis*, ibid. lit. D. *Eorum rocham, & castrum*, pro *rocham, & castrum suum*, col. 959. lit. D. E. *Eorum mala fortuna*, pro *sua mala fortuna*, col. 963. lit. B. *Ad eorum perniciem*, pro *ad perniciem suam*, col. 966. lit. C. & alia his affinia sequentibus fere paginis omnibus consignata, quæ locis suis suffecerit indicasse.

247 ALBERGARIAE] *Hospitii*, pari sensu, quo col. 957. lit. B. *Venerunt Teutonici à prædictis albergariis*, &c.

248 DEFIXERVNT] *Refixerunt*, quo sensu in his etiam aliis usurpatum noto, *Videntes illos timore Papiensium tentorium eorum defixisse.* *Defigere* siquidem his in locis adversatur *affigendi* verbo, quod habetur col. 958. lit. D. *Ibique tentoria affixerunt.* Quæ notio hoc in verbo notatione digna, cum apud Scriptores alios *Defigere* potius sit *alte figere*, quam, quod antea fixum alte fuerit, *refigere, suisque de sedibus emovere.* Sed fuit, cum ratio nulla hujusce discriminis haberetur. Unde Virgilius *Georg.* IV.

——— *aulasque & cerea regna refigunt*:

Id est, *valde*, sive *rursus figunt* ex Servio: cum apud alios passim *Refigere* contrarium sonet.

249 IN VERITATE] Italicismus notissimus, repetitus tertio: duas nempe paginas alias jam insedit.

250 SIC OMNES] Jure particulam *Sic* scriptura Mediolanensis Codicis non agnoscit.

251 ATQVE MEDIOLANVM FVGIENTES ABIERVNT] Ejusdem quoque scriptura Codicis purior & sanior hac in parte, *Usque Mediolanum abeuntes, fugierunt.*

252 DIMISSA] *Relicta.* Quo sensu dictum col. 955. lit. F. *Literas ipsas dimitteret: Non dimissurum, quin Mediolanum pergeret.* Et col. 958. lit. E. *Omnia, quæ intus erant, Regi, & ejus exercitui dimiserunt.* Et ibid. lit. F. *Omnia, quæ intus erant, lachrymabiliter dimiserunt.* Ita Cæsari lib. I. *Belli Civ. Dimittere Italiam, eam relinquere est*; nec aliud Tullio: *Dimittere libertatem, usum, curam, amicitiam, fabulas, custodiam capitis, exercitum, familiam, judicium, commemorationem nominis, vitam*; & alia id genus, multitudine propemodum infinita.

253 VT DIXIMVS] Scil. col. 957. lit. E.

254 LANDRIANVM] Servat adhuc id nominis Castrum istud nobile Mediolanensis agri, ad duodecimum ab urbe lapidem situm, Papiam versus. Excurrit non procul Lambrus; nec longe Lardiragum distat. Meminit ejus Sigonius lib. VIII. *de Italiæ Regno*, ad annum CIↃ. XXXVII. aliique nonnulli.

255 ROXATE] Mediolanensis Codex, *Rosate, Rosatum* alii. Federicus id ipsum *nobilissimum Castrum*, Frisingensis, *Oppidum satis populosum*, Mutius, *Castrum egregium* vocant. Etiamnum hodie audit Vicus insignis, Canonicis & Præpositura clarus, nec non & titulo Comitatus, & Capitis plebis. Qualis olim situs ejus esset, Ænobarbo Cæsare imperante, Guntherus hisce metris ostendit:

Turribus, & valido longe spectabile muro
Insida modicum distabat ab urbe Rosatum,
Municipum secura domus, tutique receptus,
Si quid ab incursu tutum satis esse valeret
Teutonico, Regnique minas contemnere posset.

In Cavitellio, qui *Rosatam* nominat, suspicio est mendi, cum alii aliter omnino scribant, & qui Barbari sunt, *Rosatem* potius, quam *Rosatam.*

256 AFFIXERVNT] Mediolanensis Codex, *Fixerunt.*

257 MORANTES VERO IBI PER DVOS DIES] Per tres enim dies continuos circumducti, ut ostensum supra.

258 VICTVALIA] Non invidenda Morenæ vox, nec aliis eadem usis, quorum longe major est numerus, quam ut omnes à me percenseri possint. Dabo tamen aliquos ad dictorum fidem. Carolus & Ludovicus Impp. in *Capitulis* lib. III. Tit. XXXIV. *Constitutum est, ut secundum antiquam consuetudinem præparatio ad hostem facienda indi-*

A *cetur, & observetur, id est, victualia de marcha ad tres menses, & arma, atque vestimenta ad dimidium annum.* Frisingensis lib. II. *de Federici Gestis* cap. XVI. *Rex primo Coiram veniens, inventis sufficienter victualibus, per aliquot dies ibi mansit.* Jornandes *de Rebus Geticis*, cap. XXVII. *Pacemque & victualia illis concedens.* Rolandinus *de factis Marchiæ Tarvisinæ* lib. V. cap. XXI. *Ne Lombardi milites possent Parmensibus ulla dare victualia, vel succursum.* Monachus Anonymus Patavinus lib. II. *Chronici*, ad annum CIↃ. CCLVI. *Cui Venetorum reverenda Communitas balistariorum, & peditum, navium, & victualium contulit auxilium opportunum.* Maurisius in Operis umbilico: *Jordanus...... qui pro victualibus mihi dedit de frumento.* Mussatus *de Gestis Italicorum post Henricum VII. Imp.* lib. XII. Rub. I. *Tartarus enim, & Ubertinus, cum siccariorum suorum, & homicidarum, & assaxinorum longis ordinibus,*
B *ex suis, & alienis agris ad se victualia contrahebant.* Joannes à Beka in *Theodorico II.* Trajectensi Episcopo XXXII. *Papiliones, & victualia cum Clenodiis diversæ suppellectilis acquisivit.* Et in *Vilbrando*, ejusdem urbis Antistite XXXV. *Hic utique miles, in cacumine montis illius, quoddam mensale diversis cibariis adimpletum adinvenit, quod sibi, suæque familiæ diurnatim larga victualia ministravit.* D. Ambrosius lib. V. *Hexaëm.* cap. XVI. *Invigilare quærendo victualia.* Gulielmus Eques in *Hodœporico* cap. IV. *Aliquoties victualia gratis præsentabant.* Et infra: *Monachi etiam dicti loci dant de victualibus, quibus ipsimet utuntur.* Fulbertus Episcopus, *epist.* XXXVIII. *Domos ejus, & terras, & fruges, & omnia victualia.* Petrus Blesensis, *ep.* LXIV. *Excusabilior esset fuga, si deessent victualia, si arma deficerent.* Bernardus, apud *Magni Chronici Belgici* Concinna-
C torem, in Brabanticis anni CIↃ. CCCXV. pag. 290. *Secunda plaga, fuit maxima caritas, non solum in pane, & frumentis; sed in omnibus victualibus, quibus homines sustentari debent.* Azo Estensis Marchio, in literis ad Bononienses datis, ut apud Gherardaccium *lib.* X. *pag.* 331. *Ut mercationes, & victualia libere possint discurrere hinc, & inde.* Et Bononienses ipsi in literis ad eundem, quas Scriptor idem edidit *lib.* XII. pag. 371. *Peditibus dentur, & vendantur per vestros opportuna victualia, & annona pro pretio competenti.* Et iterum: *Peditibus nullum faciatis, vel permittatis auferri de salmis, victualibus, & rebus eorum pedagium, vel gabellam.* Cassiodorus lib. XI. *Var.* ea in Epistola, quæ est de conservatione indultorum regalium, ad Gaudiosum Cancellarium: *Hæc post tergum campestria culta transmittit, amœnis vectationibus apta, & victualibus copiis indulgenter accommoda.*

D Et hi quidem omnes usi hac voce numero plurium substantive, ut Noster, Cassiodoro excepto, qui adjective protulit, ut apparet. Ptolemæus Lucensis unus, quod sciam, minore numero maluit usurpare. Quippe hæc istius sunt ad annum CIↃ. CCLXX. *Portaverunt victualiam de arce de Corvaria.* Et ad annum CIↃ. CCLXXXII. *Quod audiens Rex Carolus, ab obsidione recessit, & rediit in Calabriam, timens ne sua gens victualiam perderet.* *Victuaria* quoque pro *victualia* reperire est in sacra *Machabæorum* Historia lib. II. cap. III. ubi de pecuniis & ærariis in sacro Hierosolymitano Templo depositis, si quidem ea pars Historiæ omni mendo vacat: *Tunc summus Sacerdos ostendit, deposita esse hæc, & victuaria viduarum, & pupillorum; quædam vero esse Hircani Tabiæ, Viri valde eminentis.* Ita sane legit eruditissimus & amicissimus Josephus Laurentius lib. I. *Polymathiæ*, Dissertatione prima.
E Et hæc fere mea victualia sunt.

259 NECESSARIA DEFVERVNT] Mediolanensis Codex, *Necessaria eis defecerunt.* Sigonius idipsum firmat his verbis: *Eum per loca, proximo Papiensi bello vastata, duxerunt, ex quo exercitum omnium rerum necessariarum conflictari inopia contigit.*

260 VNQVAM INVENIRE POTVERVNT] Accinunt his commodum Frisingensis illa *cap.* XIV. *lib.* II. *Dumque à prænominatis Consulibus per arida, ubi nec stipendia inveniri, nec ex mercatu haberi possent, circumduceretur loca*, &c.

261 MEDIOLANENSES EVM DECEPERANT] Ita fere loqui consueverant Sectatores partium Ænobarbi. Guntherus in versibus antea laudatis:

Ast ubi signa viros præcedere regia jussos,
Ductoresque viæ per dura, per arida sese
F *Ducere, perque locos steriles & frugis egenos,*
Comperit, agnovitque dolum.

262 FRAVDOLENTER] Tundit hanc incudem Noster omnino crebrius, quam deberet.

263 TVNC REX] Adde ex Frisingensi, *indignatione motus*: ni malis, *ira fervidus*, ex Gunthero.

264 EXIRE FACERENT] Non alia Frisingensis *lib.* II. *cap.* XV. *Erat in vicino oppidum quoddam satis populosum Rosatum, ubi Mediolanenses circiter quingentorum Equitum armatorum præsidium locaverant. Jubentur ergo Equites ad civitatem redire.* Guntherus inclusit eadem hisce metris:

Hoc

Hoc (Rosatum) *tunc quingentis, & in eadem sede relictis,*
Hisque bene instructis, victuque, & fortibus armis,
Munierant Ligures (*sed quæ munimina Regni*
Auspiciis obstare queant) *depulsus ab arce*
Cogitur infidam sine sanguine miles in urbem.

Cum à se, non ante multo, procul abire jussisset Federicus idem Mediolanensium ipsorum Consules, Obertum de Orto, & Gerardum Nigrum. Scripserat enim in præcedenti capite Frisingensis: *Indignatione motus* (Federicus) *jussis primo, ut ad propria redirent, Consulibus, in Mediolanenses arma convertit.* Et Guntherus de Consulibus iisdem loquens:

——— *tum fervidus ira*
Exarsit, jussitque suis excedere castris
Damnatos, urbique suæ sine laude remisit.

Inde Sigonius: *Qua fraude percitus Federicus, continuo Consules à se dimisit, atque exercitum in loca opulentiora perduxit.* Et mox de præsidio, quo Rosatum exuit: *Itaque cum Rosatum adisset, quod oppidum commeatu refertum, ac quinquaginta armatorum præsidio erat munitum, præsidio depulso, locum occupavit, atque exercitum, fame, frigoreque confectum, refecit.*

265 QUI CAUSA CUSTODIENDI ILLUD INTUS ERANT] *Quingenti* scilicet *Equites*, ex verbis laudati nuperrime Frisingensis Antistitis, & Guntheri, aliisque Scriptoribus earundem rerum; quos ad illa dabo *Not.* 271. *Castrum comburentes, penitus dissipaverunt.*

266 MISERAM] Devenit hoc Epitheton Famis in Morenæ scripta ex Horatii lib. I. *Carm.* ode XXI.

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem,
Pestemque à populo, & Principe Cæsare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Immo nihil usquam miserius Fame. Tullius *ad Atticum* lib. V. *Iter igitur ita per Asiam feci: ut etiam fames, qua nihil miserius est, quæ tum erat in hac mea Asia* (*messis enim nulla fuerat*) *mihi optanda fuerit.* Homerus etiam *Odyssea* μ. scriptum reliquit, *mortes omnes hominibus tristes, & acerbas accidere; sed omnium miserrimum esse perire fame,*

Πάντες μὲν συγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ᾽ οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν:
Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis,
At periisse fame, res una miserrima longe est.

Nec mirum, quippe teste Menandro,

Λιμὸς μέγιστον ἄλγος ἀνθρώποις ἔφυ.
Fames maximus dolor hominibus est.

Ideoque propter famem licuit patri filios suos vendere l. final. C. *de patribus, qui liber. distrax.* Lucas de penna in l. I. c. *de quib. muner. vel præst. nem. lic. se excus.*

Nec latuit ea famis miseria Athenienses, quippe qui, cum ingenti laborarent fame, Apollinem consuluerint, qui cum ipsis respondisset, ut famem supplicatione facta placarent, ei campum post Prytaneum assignarunt. Unde ortum adagium; quo de Diogenianus *Cent.* VI. *Prov.* 13. Λιμοῦ πεδίον, *Famis campum.* Ἐπὶ τῶν ὑπὸ λιμοῦ πιεζομένων πόλεων. Λιμοῦ γὰρ ποτὲ ὄντος, ἔχρησεν ὁ θεὸς Ἀθηναίοις ἀνεῖναι τῷ λιμῷ πεδίον, εἰ μέλλοιεν ἀπαλλαγῆναι τοῦ λιμοῦ· διὸ καὶ ἐποίησαν: *De civitatibus fame pressis. Fame enim quandoque grassante consultus Apollo, respondit Atheniensibus, fami debere campum* (ipsos) *consecrare, si pellere famem vellent: quemadmodum & fecerunt.* Ita Diogenianus in laudato loco.

267 FAMEM] Non ob solam famem, qua premerentur milites Federici, jussi sunt Mediolanenses Rosato egredi; sed etiam ob inclementiam cæli, quam iidem milites ferre poterant amplius difficulter, per loca illa vasta & aspera circumducti. Accidit enim, Frisingensi teste, ut ex maxima imbrium effusione totus exacerbaretur exercitus, atque adeo ex duplici, inediæ scilicet, & inclementis cæli, molestia, cuncti, utut poterant, Federicum adversus Mediolanenses concitarent. Guntherus hæc ipsa numeris sic involvit:

Addidit hinc alios justo fortuna dolori
Irarum stimulos, namque aspera frigora passus
Miles; & hyberni contusus turbine cæli,
Esuriit, nimboque simul vexatus egebat.

Attigit & eandem aeris inclementiam Noster, cum scripsit non multo post, pluvisse fortiter eo die, quo Rosato cessere Mediolanenses omnes, illudque diripiendum Ænobarbi militibus concessere.

268 QUAM SERO ESSET] *Quam serum esset*, dixissent Scriptores alii nihilo melioris ævi. Unde *hesternum serum* apud Paulum Warnefridum lib. V. *de Gest. Longobardorum*, cap. III. & apud Rolandinum lib. IV. cap. IV. Et lib. XI. cap. VII. *Quoddam serum*, & *serum noctis* occurrit. Mussatus usus more Nostri hac voce lib. IV. *de Gestis Henrici VII. Cæsaris*, Rub. VII. *Ingeniosos ad Castri oppugnationem sero præordinat, summoque mane, lituum ac tubarum clamoribus, universi exercitus copias mœnia circum eduxit.* Et alicubi Rolandinus, *libro* nempe VII. *cap.* I. *Eademque die in sero.* Et *lib.* X. *cap.* I. *Ergo deliberato consilio statuerunt Paduani fossatum, & spaldum facere à latere civitatis Paduæ versus sero.*

A

269 LACRIMABILITER] Idem Rolandinus *lib.* II. *cap.* II. *Salinguerra tristatus lachrymabiliter, fecit eum sepeliri honorabiliter.*

270 REPERIERUNT] Mediolanensis Codex, *Repererunt.* Sed *Reperierunt*, ut *Fugierunt*, pari tum libertate, nemine cessante, dictum.

271 CASTRUM COMBURENTES, *penitus dissiparunt*] Meminere hujus tum incendii, tum excidii, multi. Federicus ipse præ cæteris suis in literis ad Frisingensem: *Ibi dum ab eis* (Mediolanensibus) *mercatum quæreremus, & ipsi nobis eum negarent, nobilissimum castrum eorum, Rosatum videlicet, quod quingentos milites armatos habebat, capi & incendio destrui fecimus.* Frisingensis *lib.* II. *cap.* XV. *Direptisque omnibus usui necessariis, ipsum oppidum flammæ datur.* Guntherus *Ligurini* II.

B

Nec mora direptis, quæcumque paraverunt hostis
Ipse sibi, flamma munimina tota cremari
Rex jubet, & fractis everti mœnibus arcem.

Cavitellius ad annum CIↃ. CLIV. *Oppido Rosatæ, ad cujus præsidium erant quinque centum Mediolanenses, depopulato & combusto*, &c. *irrupit agrum Novariensem.* Nauclerus, ex Federici Imperatoris penu: *Ibique, cum exercitui mercatum negarent,* (Mediolanenses) *nobilissimum castrum Rosatum, quod videlicet* 500. *milites armatos in præsidio habebat, capi, & incendio destrui Rex fecit.* Mutius lib. XVIII. *Chronici Germanorum: Cumque urbi approquinquasset, pro justo pretio exercitui necessaria petit. Quod cum negarent, iratus Cæsar Rosatum, castrum eorum egregium, quod habebat supra quingentos in præsidio armatos, capit, & incendio consumit totum.* Bossius de facto recte, *Oppidum Rosatum consumpsit incendio.* Male de tempore. Censet enim is Scriptor, Rosatum Ænobarbi jussu dirutum & combustum anno CIↃ. CLVII. post secundam ejus expeditionem in Italiæ fines, cum alii Scriptores omnes, miro consensu, factum id asserant post expeditionem primam.

C

272 QUAMVIS TUNC REGI PALAM *ostendere non auderent*] Locutio mutila, aut certe posita pro nostrate, *Abenche temessero di mostrasi.*

273 ÆQUO ANIMO SE FERRE *publice demonstraverunt*] Quin imo, ut irati Regis animum placarent, Gerardi Nigri, prius abire Consulatu jussi, domum funditus everterunt, quod ipsis insciis Regem per loca illa, proximo Papiensi bello vastata, duxisset, ne quis turpi doli crimine Mediolanenses opprimat ex Gunthero. Frisingensis apposite & aperte, *lib.* II. *cap.* XV. *Mediolanenses non solum damno præsentium, sed & metu futurorum stupefacti, Gerardi Consulis, tamquam hujus mali auctoris, domum, Principis iram mitigaturi, diruunt.* Accinit etiam his Guntherus *Ligurini* II.

D

Hoc stupefacta malo plebes, cladisque futuræ,
Territa primitiis, jam nunc præsentia damnans,
Et ventura timens, Gerardi Consulis ædes
(*Quippe hic præcipuus famosi criminis auctor,*
Et suasor fuerat) *rapido fremebunda tumultu*
Diruit. Hoc justum violati Principis iram
Sperabat placare modo.

Quin huc quoque pertinent Cavitellii illa: *Et per Mediolanenses ad eum placandum exauctorato Gerardo ipsorum Consule; & corrupit agrum Novariensem.* Et ista Sigonii: *Quo malo Plebs perterrita, ad ædes Gerardi Consulis, tanquam hujus calamitatis auctoris, tumultu concitato procurrit, easque, quasi in hunc modum Federici iram lenitura, disjecit.*

E

Et hæc sane omnia ad Morenæ mentem. Secus enim se habent, quæ Federicus ipse Frisingensi scripsit, nimirum, exciso Rosato, exortas hinc inde inter suos & Mediolanenses inimicitias graves: secus, quæ Guntherus alicubi numeris exaravit, utrinque scilicet prælium commissum atrox, multosque Mediolanensium neci datos, quod illi loco ex alio suggesserat Frisingensis. Inde Sigonius: *Quo facto* (Rosato diruto & combusto) *Mediolanenses ulciscendos ratus, equitatum ad urbem promovit, ad cujus conspectum juventus Mediolanensium urbe armata exiit, præliumque commisit: verum in fugam acta, ac magna ex parte deleta, statim sese recepit.*

F

274 REX ITAQUE] Corius, *Rex denique.*

275 ABIATE GRASSUM] Ita dictum hoc oppidum, dives olim, ac frequens, nec incommodi situs, Benedicto Jovio libro I. *Novocomensis Historiæ* pag. 151. *Per quos dies Papia à Cæsarianis recepta est, & paullo post Abiate obsessum seditiones fecit.* Gaudentius Merula lib. III. *Antiq. Gall. Cisalp.* c. IX. *Beatum id oppidum, & Insubrum munitissimum vocat:* indeque *Beate* Guicciardino, quasi *Beatum*, nominatum existimat hujus vir ætatis politissimus, & eruditis-

tissimus Jo. Antonius Castillionæus, & à *Beato*, *Abiate* dictum: GRASSI vero cognomen à pinguedine soli, & uberrima olim rerum omnium ubertate, *olim*, inquam, quod hodie verius pro *Grasso*, *Guastum* ab incolis nominetur, ob hyberna & æstiva fere perpetua militum, quæ cuncta ad exitium & vastitatem vocant. *Abiatum* Sigonius dixit, *Abbiate* Paulus Merula lib. IV. *Cosmographiæ*, ut Noster col. 1010. lit. C. *Abbiagrassum* Blondus, *Aliate* Mussatus lib. I. *de Gestis Italicorum post Henricum VII. Aug.* cujus postremi locum obelo confodimus nuper, toto illius opere à fronte, quod ajunt, ad calcem recensito, recognito, castigato. Quamquam hic etiam mihi castigandus occurrit Cavitellius, quippe qui scripserit, Abiate dirutum à Federico post Astenses edomitos & Cairenses, quod alius Scriptorum nemo factum fuisse tunc temporis asseverat.

276 GRASSUM] Non frustra se habet *Grassi* cognomentum hoc loco. Distinguit enim Abiatum illud, quod tum Ænobarbus adiit, ab alio oppido Mediolanensis agri, cui nomen idem; at aliud cognomentum inest. *Abiatum* enim alterum, cui *Gazzonis* cognomentum hæsit, vigesimoquarto lapide Mediolano distat, extra Cumanam portam, qua Varisium itur: cum *Abiate Grassum*, quo de hic mentio, decem tantum & quatuor passuum millibus absit ab eadem urbe, jaceatque extra Ticinensem portam, ad Euripum illum, qui Mediolanum è Ticini decursu per CC. fere stadia, inediæ procul averruncandæ gratia, deductus est anno Virginei partus MCCLVII. per tempora Martini Turriani, qui primarias inter Insubres partes obtinuit post administratam Senatoris provinciam Romæ. *Navigium*, Euripum istum à navium copia, ultro citroque perpetuo commeantium, vulgus adhuc appellat. Quare sic *Abiate Grassi* meminit Blondus, huc mentem tendens: *Papia adjacet Ticino amni, intus ad dextram, & fossæ manufactæ (quam navigium vulgo vocari diximus) ab eodem fluvio ductæ, hæret Abbiagrassum.*

277 IBIQUE IPSO DIE RESEDIT] Mediolanensis Codex, *Ibique eo die.* Corius, *Ibique uno die resedit.*

278 EQUITAVIT] Horatius in *Epistola* illa celebri *ad Pisones* de vitiis & virtutibus Poeticæ facultatis, quam hoc anno scholis solemnibus publicis illustramus:

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Cicero *pro Domo sua*: *Quum is in illo nostro exercitu equitaret cum suis dilectis equitibus.* Ab his non tam *Equitare* in Nostrum, & Scriptores alios cultioris ævi; sed *Equitatura* etiam manavit in lib. III. *Constit. Neapolitanarum* tit. XXXIIX. l. 4. *Si quando necessitate cogente contigerit, aliquem cum equitaturis suis, aut quibuslibet animalibus forsitan oneratis, & ex itinere (prout assolet) fatigatis, in alterius agrum frugibus plenum velle divertere.*

279 ULTRA PONTEM TICINI] Frisingensis, res istius Cæsaris literis persecutus: *At Princeps, hujus rei nihil pensi habens, ad Ticinum usque amnem majores his clades irrogaturus procedit.*

280 CUMQUE OMNIS EJUS EXERCITUS *pontem pertransisset*] Mediolanensis Codex, *Cumque ipse, omnisque ejus exercitus pontem pertransisset.*

281 PONTEM DESTRUI FECIT] Clare suis in literis Federicus, non unum Ticini pontem, sed duos à se destructos tradit: *Hinc inde ortis inimicitiis inter nos, & illos, fluvium Ticinum versus Novariam transeuntes, pontes duos, quos ipsi armaverant, & incastellaverant, violenter occupavimus, quos post transitum totius exercitus nostri destruximus.* Duos quoque pontes nominat Frisingensis, nec dirutos eos tantum fuisse narrat, sed & combustos imperio Federici: *Ibi duos pontes ligneos, quos ipsi ob incursum in Papienses & Novarienses construxerant, ac, ob illorum impetum reprimendum, propugnaculis munierant, occupat, transmissoque per eos milite, ignibus tradit.* Non alia in his, quæ sequuntur, Guntheri sententia est:

——— hic geminos pontes, & pontibus ipsis
Addiderant Ligures valido munimine turres,
Ut quoties fines vastare, Novaria, vellent;
Sive, Papia, tuos, tuto transcurrere possent,
Ac remeare gradu. Pontes Rex occupat ambos,
Traductisque suis, munimina lignea, turres
Concremat, & ruptis distinguit pontibus amnem.

Sensit id ipsum Bossius, cum numero plurium scripsit, *Pontes super Ticino destruxit.* Cavitellius etiam, cum ait, *Duobus pontibus, constructis super alveo Ticini, demolitis, irrupit agrum Novariensem.* Nauclerus, qui Federici verba transcripsit. Sigonius, aliique permulti, quibus legendis intentus, observabis mecum, Sigonium velle, non ante fuisse crematos hos pontes Federici jussu, quam is Abiatum simul, & Viandrate (quod ille castrum *Blanderatum* vocat) prætervectus esset, asserente Nostro, Federicum Abiati resedisse prius, mox equitasse ultra Ticini pontem, ac tandem, eo demolito, ad Castrum, quod Viandrate dicitur, una cum exercitu contendisse.

A Sigonii verba ea de re tota, si cui non ille ad manus, hic in promptu habes: *Itaque cum Abiatum, & Blanderatum prætervectus, Ticinum amnem petiisset, pontibus, quos Mediolanenses ad irruptiones in Papiensium & Novariensium agros faciendas construxerant, castellisque munierant, concrematis, amnem trajecit.*

282 VIANDRATE] Mediolanensis Codex, *Biandrate* facili V in B trajectu. Plinius id Castri *Benderatam*, ut Volaterranus legit, legentibus aliis *Blanderatam*, vocat. Guntherus *lib.* II. pag. 310. & VIII. pag. 395. & IX. pag. 418. *Blandrate* effert, habetque sui sectatores unanimes Corium, Bossium, Cavitellium, Adrianum IV. Pont. Max. in literis ad Federicum, ut apud Baronium exstant, ad annum CIↃ CLIX. Goldastum in *Constitutionibus Imperialibus*, & Nostrum in sequentibus col. 988. lit. D. 990. lit. E. 996. lit. C. 1010. lit. C. & 1014. lit. B.
B quibus in omnibus de Guidone, ejus Castri Comite, mentio frequens. Nam col. 982. lit. C. idem illi Guido non de *Blandrate*, at de *Blandiate* Comes est, siquidem hæc ab illius calamo, non à mala manu Typographi dictio fluxit. Othoni Frisingensi lib. II. *de Federici Gestis*, cap. XV. Othoni alteri de S. Blasio cap. XIV. Radevico lib. I. cap. XL. Sigonio (uti mox ante vidimus) *Blanderatum* est: Dubravio denique, lib. XII. *Hist. Bojemicæ*, *Blateranum.*

At enim quoquo tandem Castrum istud nomine nominaris, Castrum Subalpinum est, unde *Blanderatensi*, nobili in Italia *familiæ*, origo, & genus, insigne titulo Comitatus, quo potitus olim ante laudatus Guido, tumque maxime, cum illic Federicus una cum Castris stetit, ut illum opprimeret, sequentem Mediolanensium partes, totumque Novariæ territorium, vix ipsa civitate excepta, Mediolanensium ipsorum auctoritate, præter morem Italicum possidentem, uti nos Frisingensis, & Cavitellius docent. Bossius tanti locum istum facit, ut civita-
C tis ei nomen impertiat, velitque anno Domini CIↃ. CLXVIII. à Mediolanensibus (quod nullam aliam urbem durissimis temporibus æque infensam passi fuissent) gravissima obsidione pressam, demumque captam, mœnibusque disjectis in quatuor pagos, ut olim ipsa in Mediolanenses procuraverat, fuisse divisam: ex quo, nec amplius reædificata fuerit, nec ullam formam urbis habuerit urbs Blandrate. Sed Bossium, cum omni fere Scriptorum cœtu, refellit Guntherus, accuratissimus ejus ævi Scriptor, quippe qui diserte, eo ipso anno, quo se illuc contulit Ænobarbus, anno nempe CIↃ. CLV. Blandrate, non ut Bossius, urbem, sed, ut alii, Comitatum hisce carminibus appellavit:

Hujus ab antiquo Comitatum in finibus urbis,
Solus ab angariis Italorum pene solutus,
Præsidio Ligurum Guido Blandratensis habebat.

D Quam ob caussam Scriptores ad unum omnes, Guidonem, Blandrato tunc temporis imperantem, Comitem dicunt, etsi fere totus Novariensis ager in unius potestatem, Mediolanensium Novariæ imminentium auctoritate, facile concessisset.

283 QUAM SIBI DARE PROMISERANT] Vide col. 957. lit. C. *Sibi* vero hic, ut alibi, pro *illi* est.

284 REX AUTEM] Male, si quis alius, ab his verbis usque ad illa, *Mediolanenses vero*, &c. affectus hic locus, multis in mendis cubat: at illi Mediolanensis Codicis excerptorum ope facile fecero medicinam. Sic enim in illo sane & integre concepta cuncta & singula deprehendi: *Rex autem dicens, eos mala fide erga se versatos, ac ea, quæ sibi promiserant, non observasse: & quod eos subdolos, & malitiosos, ac deceptatores, & pravæ fidei esse cognove-*
E *rat: nec cum tam perfidis ac nequissimis hominibus aliquid agere se velle referens, pecuniam eorum omnino refutavit, ac eos de Curia sua statim exire præcepit, dicens insuper eis, ipsos deinceps nullam fiduciam in se habere, nec tenere, nec ullum fœdus, seu pactum cum ipsis amplius se facturum, nisi de Laudensibus, atque Comensibus, absque tenore, se omnes sibi submitterent.*

285 QUIA EOS SUBDOLOS, &c.] Itane vero, Morena, Mediolanenses accipis, unoque spiritu tantum in illos convitiorum effundis, ut œstro veluti quodam abreptus, non sat habueris, eos *subdolos*, *malitiosos*, *deceptores*, *perfidos*, *nequissimos* appellasse, ut etiam *parum esse fidei* dixeris, apertissimo mendo, cum *parvæ*, sive *pravæ fidei* dicere debuisses? Parcius ista, quæso, parcius Viris, quorum mores, urbem, & genium aliquando præ-
F feres Laudensibus tuis, neque te ita transversum agant duæ illæ *Odii*, & *Amoris* Diræ, ut Historici, qualis videri vis, leges violatum eas, læsumque simul candorem Populi delibati? Ecquis enim adeo fatuus, vel amens in terris degit, qui suas in ædes proxime grassaturum incendium nervis, quod ajunt, omnibus non avertat? Quis hostem obviis unquam ulnis excepit, nisi lolio victitans, aut egens helleboro caput? Tritum nempe diu, vulgoque decantatum Plautinum illud:

Bar-

Barbarum hospitem qui suscipit, sat litium habet.
Ea tibi sint in aurem amico amice dicta, ne, dum aliena inconsulto carpis, tua prodige perdas, jactura nullis in posterum opibus sarcienda.

286 SVBDOLOS] Solennis & hæc cantilena Nostro. Parum enim abit à superiore illa col. 957. lit. C. *Mediolanenses vero, Regi obviam euntes, & secum fraudolenter inientes fœdus*, &c. Et ab illa col. 958. lit. E. *Viso autem hoc à Rege, scilicet, quod Mediolanenses eum deceperant, & fraudolenter eum per loca deserta duxerant*, &c. Ecquis nomini Mediolanensium infensus, non eos hisce probris & aliis ejusdem generis oneravit? Tædet alios recensere, ne scribere ego quoque existimer ex odio, vel amore.

287 MALITIOSOS, AC DECEPTORES] Afficit iisdem elogiis Concives meos Federicus hostis suis in literis ad Frisingensem: *Mediolanenses versuti, & superbi, verba sine fide nobis dederunt.* Et buccis ante cæteros inflatis Anselmus, Ravennæ Archiepiscopus, in *Oratione*, qua coram Federico ipso adversus eosdem invectus est. Edidit illam Dubravius lib. XII. *Hist. Bojemicæ*, in hæc verba: *Studiose cavendum, Cæsar, ne versipelles isti, & subdoli, per fictos & simulatos sermones in aures tuas se insinuent. Vetus enim ingenium, quale Polypus habere dicitur, Mediolanenses obtinent, ut quoties metus adsit, urgeatque, mutent in obsequia colorem, illo absente, evanescenteque protinus revertantur ad mentem perfidam, & contumacem, rebellemque. Proinde, si imperio tuo, Cæsar, si Insubriæ, & Lombardiæ quieti bene consultum velis, non molliter, indulgenterque; sed in virga ferrea illos rexeris, ut aliquando intelligant, sentiantque, superbiam illorum, & insolentiam majores esse, quam fortitudinem.* Guntherus etiam stilum inde acuit, & contra Mediolanenses strinxit, cum cecinit:

Non tamen hoc sceleris comperto fine quievit,
Abstinuitve dolis reprobæ versutia plebis.

Sed frustra pugnat, quisquis pro Mediolanensibus loquentem aliter Veritatem nititur oppugnare.

288 PARVM FIDEI] Legendum omnino *pravæ fidei*, cum bonæ fidei MS. laudato supra. Nam hæc etiam inusta Mediolanensibus ab invidis & obtrectatoribus calumniæ nota. Radevicus *lib.* I. *cap.* XXIII. *Unde factum est, ut civitas hæc* (de Mediolano loquitur) *inimica Regibus ab antiquo fuisse dicatur, hac usa temeritate, ut semper rebellionem Principibus suis moliens, schismate regni gauderet, & geminorum potius Dominorum, quam unius, supra se juste regnantis, affectaret Principatum; ipsa levis, & utriusque ridens fortunam, nec in hac, nec in illa parte fidem haberet. Hujus rei si quis exempla desiderat, ad Leoprandum, qui gesta Longobardorum subnotavit, recurrat.* Guntherus *Ligurini* II. de eadem urbe, cum respectu ad illius Cives:

Infida modicum distabat ab urbe Rosatum.

Lib. IV.

Quæ semper Latiis fallax, infida, rebellis
Regibus.

Lib. IX.

Vix tandem rabidas, ejusdem Præsule sedit
Subveniente, minas effugit, Præsul & urbis
Pestiferæ muros, infidaque tecta reliquit.

Et infra, Federici ipsius ore, in exhortatione ad Principes, ne violata per Mediolanenses fidei, pacisque fœdera, nuper icta, paterentur inulta:

Scitis, & horrendum Vobis, durumque videri,
Ceu mihi, non dubito, perjuræ sæpius urbis
Prodigiale nefas; quam vix modo munere nostro
Delicti veniam, fructumque salutis adeptam,
Excitat in solitos feritas recidiva furores.
Quæ jam de reliquo fidei, pacisque tenendæ
Spes superare potest, cum sacramenta, fidesque,
Totque vades, Italas nostro sub jure per urbes,
Infidæ rabiem nequeant compescere plebis?

Nec multo post in eodem *libro:*

Hic Ligurum fraudes, & fœdera rupta, suasque
Omnibus offensas mirantibus, atque superbæ
Perfidiam plebis justo damnantibus ore,
Edidit atque suæ conscivit robora caussæ.

Urspergensis Abbas ex eadem schola: *Nuntiatum est ei, quod Mediolanenses perjuri, & imperialium decretorum rebelles, & obstinati cum magno apparatu, magnis tam militum, quam peditum turmis, ad expugnandum urbem Laudam essent progressuri.* Narrat ad hæc Radevicus, ut hac de tabula manum cum aliquo saltem Mediolanensium patrocinio tollam, Mediolanenses de jurati fœderis pactis fuisse conventos, & in hæc verba protinus respondisse, *Juravimus quidem, sed juramentum attendere non promisimus.* At hoc patrocinium leve, gravius illud, quod à Merula memoratur. Fractam à Mediolanensibus Federico fidem, quod is prior fidem illis præstitam violasset. Verba Merulæ sunt, ne fraudi hæc cuiquam fient: *Mediolanenses igitur, cum & adversus pacem initam, & jura*

A *omnia, violari eorum, quam ab ipso emerant, libertatem viderent, Pontifice suadente, in Fridericum rursus arma capiunt.*

289 PERFIDIS] Repetit ex livore, quod ante statim verbis illis expresserat mendose & vane, *parum fidei esse cognovisset.*

290 NEQVISSIMIS] Clausula præmissis à Morena digna, indigna Veritatis matre, cui tamen & alii quippiam subscripsere; sed ex animo sinistris affectibus depravato omnes. Frisingensis horum familiam ducit: *Quin etiam, ad iniquitatis illorum assensum, ipsius nobilem & incorruptum hactenus animum pecunia inclinare ac corrumpere satagebant.* Pone subit duci suo Guntherus *Ligurini* IV.

——— *nescis, ah perdita, nescis,*
Quem stimules peritura virum.

B Et *lib.* VI.

Signaque trans Alpes devotus regia miles
Prævaricatricem Ligurum sequeretur ad urbem.

Accedit his Gotfridus Viterbiensis lib. XIII. *Chronici:*

Urbs Melana potens, meritis dicenda leæna,
Viribus eximia, populis, & milite plena,
Sæva, superba fera, tota rebellis erat.

Urbesque omnes ob acceptas à Mediolanensibus injurias sic apud Ænobarbum Cæsarem in eos invectæ, ut ex Bossii monumentis liquet: *Eos nefandissime omnia ausuros, difficulter omnes ab inveteratis moribus discedere, deficere autem à naturali morbo impossibile: rabida sua sponte ac longa consuetudine per nimiam licentiam efferata ingenia nulla ratione mansuescere posse.* Hæc enim eo fine ab illis dicta, ut Mediolanensium nequitia Cæsari probaretur.

291 OMNIMODO REFVTAVIT] Magna sane laus, pecuniæ contemptus, cui pareant omnia, nisi illam exer- C cendæ potentiæ libidine contempsisset. Eam sibi laudem primus ipse tribuit Fridericus suis in literis ad Frisingensem: *Mediolanenses versuti & superbi verba sine fide nobis dederunt, & ut nostra concessione super Cumas & Laudem dominium habere mererentur, multam pecuniam nobis promiserant: sed cum nec prece, nec pretio flectere nos possent, & cum ad terram eorum venissemus, à terra copiosa sua declinantes, tres dies in solitudine nos duxerunt.* Et uberius apud Guntherum *Ligurini* III. in Oratione, quam habuit ad Romanos:

Non emimus fasces, non si credamus emendos,
Præter virtutem, pretium, quod detur, habemus:
Hoc mihi, vel nullo, veniunt commercia pacto.
Non turget loculis inserta pecunia nostris,
Nec multis opibus; sed laude venimus onusti.
D *Non est Theutonico cumulata pecunia cordi,*
Nec sibi quærit opes; sed pulchræ laudis honores;
Non habet ille, suum sed habentibus imperat aurum.

Quæ quidem hausta videntur è Tacito, qui Germanos olim auri & argenti præcipuos contemptores facit, nec opes suas alia in re magis, quam in pecunia statuisse. Cui *lib.* II. succinit Frisingensis, ibi loci maxime, ubi asserit, Germanorum minores, externorum donationibus & muneribus corruptos, degenerare cœpisse. Redeo ad Federicum, sui ipsius Encomiasten, ejusque dictis suffragatorem adjicio scriptorem Germanum alterum, Huldricum Mutium, quippe qui lib. XVIII. *Chronici Germanorum*, solius Justitiæ studio neglectam ab eo Mediolanensium pecuniam tradat: *Ubi cum copiis Italiam attigit, veniunt illi obviam Mediolanenses, poscunt privilegia quædam, petuntque Cumæ & Laudæ dominium: magnam pecuniam* E *promittunt, & caussas, cur petant, addunt: sed cum apud Imperatorem æquum & justum esset pecunia pretiosius, non potuit induci, ut adimeret istis, illis adderet.* Ægre id admodum habuit Mediolanenses: *Non enim* (ut idem subdit Historicus) *æquo animo ferebant, quod negasset illis, id quod petebant:* ob idque perspecta iniqui sibi Cæsaris voluntate, ad se tutandos, & ea, quæ sibi pepererant, conservanda pro viribus, animum adjecere.

292 NEC VLLVM *fœdus, seu pactum cum ipsis Mediolanensibus amplius se facturum*] Quod ante fecerat, cum Roncaliæ esset. Adisis col. 957. lit. C.

293 ATQVE CREMONENSIBVS] Non displicet, *Comenses* hic pro *Cremonensibus* apparere in Mediolanensi Codice, cum Federicus ipse, Frisingensis, Cavitellius, Mutius, alii, Mediolanenses eo fine pecuniæ vim ingentem F Cæsareæ Majestati promisisse velint, & attulisse promissam, non, ut Cremonensibus imperarent, sed ut, concessione regia, partum ante sibi Cumarum & Laudæ dominium retinere possent. Siquidem hæc in Mediolani laudem scripserat Frisingensis, antequam Federicus pedem Italiæ finibus intulisset: *Hæc non solum ex sui magnitudine, virorumve fortium copia; verum etiam ex hoc, quod duas civitates vicinas in eodem sinu positas, id est, Cumam & Laudam, ditioni suæ adjecit, aliis (ut dictum est) civitatibus clarior habetur.* Firmatur id ipsum ex Corii MS. in quo, ut in Mediolanensi Codice, *Laudenses & Comenses* fuis-

fuisse videntur, Cremonenses nusquam. Legatur ipse hac in *Historiæ* suæ parte, quæ tota è scriniis Morenæ prodiit, nil ut aliud scriptum existimem à Morena.

294 ABSQUE TIMORE] Amplector hic etiam, quod in Mediolanensi Codice legere est, *Absque tenore*, & interpretor, *absque conditione ulla*, ita me docente Papia, cui *Tenor* est *rectitudo, norma, ordo, lex, conditio posita: sive omni conditione remota*, quo pacto locutum video Monachum Anonymum Patavinum, lib. I. *Chronici* ad annum CIↃ. CCXXXIIX. *Cum & Mediolanenses pacem habere cum Imperatore conditionaliter postularent: Imperator noluit eos recipere, nisi omni conditione remota, & hac de caussa in contumacia permanserunt.* Corius, cujus in MS. eadem omnino verba, quæ in Mediolanensi Codice, fuisse conjicio, ea sic Italice reddidit, *à discretione*.

295 FACERE NOLUISSENT] Non enim id illis in mandatis datum.

296 VEL CREMONENSES] Mediolanensis Codex antea laudatus, sibi perpetuo constans, *Vel Comenses*.

297 CONDOLUERUNT] Compositum pro simplici positum, ut ante *Not.* 83. & in *Truculento* Plauti, *Nam mihi de vento mire condoluit caput.* Et III. *de Oratore* Tullii: *Nam tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse, audiebamus.* Alias, & crebrius, *Condolere*, nil est aliud, quam *dolore alterius valide commoveri*, vel ipsis Scriptoribus sequioris ævi. Maurisius pag. 4. *De quo Veronenses, qui naturaliter, & non fictitie, Vicentinorum semper fuerunt amici, plurimum condolentes.* Et 25. *Quo audito, ipse tamquam benignissimus Dominus condolens cum fidelibus Cruciatis*, &c. Et alibi: *De quo facto tantum cum ipsis condoluit*, &c. Rolandinus *lib.* II. *cap.* VI. in literis Salinguerræ ad Eccelinum Tertium de Romano: *Hæc autem vobis refero, sicut principali meo Domino, & amico, ut de amicorum tanta injuria mecum dignemini condolere.* Et *lib.* III. *cap.* III. in Oratione Matthæi Justiniani Potestatis, Verona pulsi: *A vobis igitur petimus, sicut à Viris Justitiæ & magnificæ bonitatis; viris utique dignæ potentiæ & virtutis, ut de consueta nobilitate vestra Nobilibus condolentes, dignemini Nobiles liberare de morte sic indebite dissolutos.* Sic apud eundem *Adolere* pro *Dolere* legitur in tuo, MECOENAS INCOMPARABILIS, Codice MS. *lib.* IX. *cap.* III. *Quæ cum effectu tanto, & voluntate, se præceptis Matris Ecclesiæ subdiderunt, ut pauci, vel fere nulli forent, qui haberent præteritorum malorum memoriam, aut de transactis cruciatibus adolerent*, pro quo est in nuper edito, *condolerent.* Sic *Conversari* pro *versari lib.* VII. *cap.* XIII. *Sed, omnibus prætermissis, gratiarum dispensatori Domino Nostro Deo gratias agamus infinitas, quod malefactorum memoria cum sonitu periit, & Commune Paduæ, licet multis incussum fluctibus, tamen amodo Divina, & Apostolica gratia reformatum, in propria conversabitur libertate.* *Consolamen* pro *solamen lib.* VIII. *cap.* V. *Desperati ergo Procuratores, exspectabant nihil aliud nisi mortem, pœnarum scilicet alleviationem, & consolamen.* Et *lib.* II. *cap.* II. *Profecto hic fuit ille annus, malorum finis, servilis catenæ confractio, initium libertatis, mortis, & tormentorum exemptio, & totius humani generis consolamen.* Et aliæ notæ alibi non diversæ.

298 POST QUATUOR DIES] Corius, *Post aliquot dies.*

299 UNA CUM PAPIENSIBUS ET NOVARIENSIBUS] Sigonius hac de re non ex alio, quam hoc ipso ex fonte: *Papiensibus ac Novariensibus adjutoribus, Galiatum & Trecatum invasit, eaque occupata delevit.* Habuit autem Federicus adjutores Novarienses, ad hæc oppugnanda Castra, quod ea fuissent olim à Mediolanensibus ad ipsorum Novariensium expugnationem, in ipsomet illorum territorio condita, ut ex aliis notum: Papienses vero, quod hi sese illi pridem totos penitus addixissent, adversus Mediolanensium ausus & præsumptus.

300 DUO] Tria recensentur ab aliis, quorum è numero Guntherus *Ligurini* II.

Protinus immani fastu tria, Rector, ab illis
Hostili fundata solo Castella potenter
Diruit, & miseros longa formidine cives
Solvit, & ereptos victoribus eripit agros.

Notanturque hisce nominibus in literis Federici, *Minima, Gailarda, Treca.* Nam aliis, & in his Episcopo Frisingensi, Federici literarum interpreti, *Minima*, *Mumma* est, & *Treca Trica:* Cavitellio vero, *Minima Manima, Gailarda Galiardum* audit, genere alio, mutatione levi. Sed habet adstipulatorem sententiæ suæ Noster Calchum, qui lib. VIII. *Mediolanensis Hist.* ad annum CIↃ. CLV. *Federicus* (inquit) *duo Ecclesiæ Mediolanensis oppida, in finibus Novariensibus sita, Galiatum atque Trecatum obsidet, & non multa vi in potestatem reducta, mœnibus nudat.*

301 CASTRA] *Arces* Mutio: *Oppida* Cavitellio, & Calcho nuperrime laudato.

302 NOBILISSIMA] Corio *Nova*, Federico *Fortissima*, Frisingensi *Munita & decora*.

303 QUAE ULTRA TICINUM HABEBANT] Novariensibus opposita, ut docebam ante.

304 UNUM QUORUM GALIATE, ALTERUM VERO TRECATE] Mediolanensis Codex apertius, ut liquebit, *Unum quorum Galiate vocabatur, alterum vero Trecate.* Imposuit autem Cavitellio Castrorum istorum nomenclatura vetus, effecitque, ut scriberet, Federicum, post excidium Rosati, dejectosque Ticini Pontes, primum oppida tria, *Maninam, Galiardum & Tricam* Decembri mense: mox *Cairum & Astam*, in Gulielmi Montisferrati Marchionis gratiam, funditus evertisse: indeque regressum in Mediolanensem agrum, una cum *Abiate* stravisse *Galiatum & Trecatum* simul, ante quam Derthonæ mœnia obsideret. Non enim alia Castra sunt *Galiate*, & *Trecate* Nostri, à *Gailarda*, sive *Galiardo*, & *Treca*, sive *Trica*, memoratis ante ex aliorum scriptis, quod una mecum sentire gavisus sum, postquam hæc scripseram, JO. ANTONIUM CASTILLIONAEUM meum, scientissimum Mediolanensis antiquitatis omnis: nec aliis de Mediolanensium Castris, antequam Cairam & Astam pergeret, victoriam Ænobarbus egit, ob Natalis Dominici Ferias, dictorum Castrorum excidium consecutas statim. Has enim, silentibus armis, magna cum alacritate celebrare voluit Frisingensi teste, qui sane victorias hujuscemodi sejunxisset, si quidem illas Federicus sibi diversis è Castris diverso tempore peperisset. Offendit ad eundem lapidem Sigonius, vir alioqui doctus, nescio quo veterum Scriptorum duce. Nam is quoque scripsit, Ænobarbum, cum in supra recensitis Castris, Mumma, Gailardo, & Trica, quæ ante vastaverat, hyemasset, appetente Vere Vercellas ac Taurinum, terroris incutiendi caussa, contendisse, atque inde vadato Pado in Papiensem agrum revertisse, &, Papiensibus & Novariensibus adjutoribus, Galiatum & Trecatum invasisse, ibique Cairensibus atque Hastensibus proscriptis (quod imperata Marchionis, uti jussi erant, facere detrectassent) intulisse bellum, cum asserat liquido Frisingensis, Federicum, post transvadatum Padum, movisse statim adversus Cairenses & Astenses, nulla mentione facta Galiati diruti, vel Trecati, antequam Cairensibus & Astensibus bellum inferret. Idcirco Federicus ipse suis in literis, ait se, post Natale Domini celebratum à vastatis Castris Minima, Gailarda, & Treca, Vercellas & Taurinum adiisse, transvadato Pado: indeque villam Chairam destruxisse, & civitatem Astam incendio vastavisse: riteque Noster & ordine, Galiato & Trecato dirutis, perrexisse Asten.

305 GALIATE] Munitissimum olim oppidum Novariensis agri Galiate fuit teste Calcho, nobileque nunc Feudum audit Illustrissimæ Sfortiacæ Domus. *Gajatum* populares vocant. At hic aperte Nostro Bossius intercedit, quippe qui, post disjectos à Federico Ticini pontes: *Oppidum*, inquit, *Gallarate, quod erat Mediolanensis Archiepiscopi, cum mœnibus ac quatuor turribus funditus evertit, Trecate combussit.* Intercedit & alter callentissimus rerum Insubriæ scriptor *Bonaventura Castillionæus*, qui de Gallareato oppido, sive vico, scribens, differit in hæc verba: *A Castro Insubrum Ticinum versus ad Meridiem quinto ferme milliario Gallareatum est, oppidum urbeculæ effigiem præstans, ad extremam collium radicem in æquo ædificatam, à quo universa planicies* XXIV. *milliariorum spatio ad urbem Mediolanensem extenditur. Cujus oppidi nomenclaturam, si attentius quispiam observaverit, Gallorum aream, hoc est, conventum, interpretabitur: sicut & Novariam trans Ticinum, quasi Novam Gallorum aream. In hunc tractum siquidem, velut ad campestria loca, quæ fertiliora esse solent, Insubres adhuc montium accolæ, colligendorum fructuum, vel Comitiorum habendorum gratia, prisco Gallorum more confluebant. Ad ultimum denique excidium redactum fuit oppidum Gallareatum, dum Mediolanensibus nostris ex animo favens, copiis ingentibus Federici, cui Rubrobarbo cognomen fuisse jam diximus, pertinaciter nimis adversatur.* Quæris, quibus ego assentiar in dissensione tanta? Fateri malo mihi, quod olim in re obscura Judices, liquere nondum, quam temere quippiam effutire, etsi multis partibus plures in Nostri sententiam eant.

306 TRECATE] Vici alterius nomen, ejusdem Novariensis agri, quo de Carolus à Basilica Petri, Novariensis olim Ecclesiæ Protomysta, literis & pietate notissimus, in *Novaria* sua. Locus, alias domibus & incolarum celebritate frequens, floret hodie titulo Comitatus, qui ad Lampugnanos Patritios Mediolanenses spectat. Meminit ejus Sigonius, & *Trecas* nominat lib. X. *de Italiæ Regno*, ubi de Paschali Pontifice loquens: *Mutato*, inquit, *consilio in Franciam iter flexit, ac, conventu Trecas indicto, Alpes hyeme asperrima superavit.*

307 EAQUE] Mediolanensis Codex, *Et ea.*

308 DESTRUXIT] Federicus ipse suis in literis ad Frisingensem: *Inde tria Castra eorum* (Mediolanensium) *Minimam videlicet, Gailardum, & Trecum destruximus.* Adjicit Frisingensis iisdem injectas fuisse flammas, quibus exarserint: *Denique tria ipsorum Castra munita & decora*, id

id est, Mummam, Gailardam, Tricam, quæ ad expugnationem Novariensium, in ipsorum territorio firmaverant, expugnata cremantur. Sigonius id ipsum sensit, & scripsit his verbis: *Tria Castra Mummam, Gailardam, & Tricam, quæ in finibus Novariensibus, ad eos premendos, ædificaverant, expugnata combussit.* Et ante Sigonium Mutius, cujus ista sunt: *Multas præter dictum Castrum* (*Rosatum* intelligit) *eorum Arces dejecit, nominatim vero Gailardam, Trecam, & Minimam destruunt ferro & igne.*

309 PER MORTVIS] Typographi lapsus ex non intellecta compendiaria nota præpositionis *Pro.* Quare *pro mortuis* legas non cunctanter licet, & una mecum observes Italicissimum novum.

310 INDE] E Galiati & Trecati Castris.

311 MARCHIONE GVILERMO] De quo supra *Not.* 162.

312 ASTEN] Quæ Mussato & Vecerio, *Haste*, Gunthero & Anonymo Monacho Patavino, *Astum:* Plinio, Cassiodoro, Frisingensi, Viterbiensi, Cavitellio, Vandeburchio in Sabaudiæ Ducibus, & aliis, *Asta*, nonnullis etiam, addita adspiratione, *Hasta: Asti* Vulgo: Ptolemæo Ἄστα, ad Morum inter Alexandriam & Ticinum sita. Fuit, ut inquit Volateranus, olim Colonia Romanorum, quæ nunc, mutato tantum genere, vocabuli nomen retinet. *Pompejam* à nonnullis cognominatam tradit Ferrarius in *Lexico* suo *Geographico*, recens iterum Mediolani edito cum auctario ingenti. Paullus Merula lib. VI. *Cosmographiæ*, *urbem antiquam* nominat, adhæc *nobilem*, *divitem*, *frequentem*, *splendidam*, *& fœcundi agri*, quorum ille præconiorum partem è loci natura hausit, ut apparet, partim è Viterbiensis penu, qui laudes ejus urbis multo ante cecinerat hisce metris:

In Ligurum patria manet urbs, quæ dicitur Asta,
Inclyta divitiis, modico munimine vasta.

Partem è Gunthero, cujus illa sunt *Ligurini* II.

Urbs erat, antiquo quam nomine dixerat Astum
Usus, habens propriis in finibus oppida lata.

Ita prorsus, ut *Asta*, quasi *Vasta*, fuerit appellata. Primum illa quidem Vicecomitum in potestate fuit, post dotis nomine migravit ad Gallos, conquiescit nunc in sinu strenuissimi Sabaudiæ Ducis ex conditionibus Pacis initæ Cameraci.

313 PERREXIT] Sive post Natale Domini, celebratum in ante recensitis locis, ut asserit Frisingensis; sive Decembri mense, ut Cavitellio placet, in gratiam Marchionis Montisferrati, quippe qui Astenses una cum oppidanis Cairi sibi contumaces expertus, de utrorumque insolentia apud Federicum, in Conventu Roncaliæ habito, questus acerrime fuerat, sibique justitiam fieri postularat:

Accedebat ad hoc sociatum sanguine nexo
Inter utrumque genus: nam quæ sortita maritum
Hunc erat, hæc Regem gaudebat habere nepotem,

uti me Guntherus docet. Cæterum, quod attinet ad accessum istum Cæsareum, ad Astensem urbem, sic illum Federicus ipse suis in literis exaravit, quibus uti sæpe necesse habeo, quod uti locupletiore nullo alio testimonio hac in opella possim: *Per Vercellas & Taurinum euntes, Padum transivimus, inde Chairam, maximam & munitissimam villam, destruximus, & civitatem Astam incendio vastavimus.* Eoque distinctius Frisingensis, Cæsarem suum, transvadato Pado ad inferiora Papiam versus iter reflexisse scribens, primoque Cairam accessisse, dein processisse Astam. Narrant eadem Cavitellius & Sigonius; at confuse ambo, ut innuebam ante. Ait nempe primus: *Oppidis Maninæ, Galiardi, & Tricæ receptis, de mense Decembris descendit, in gratiam Marchionis Montisferrati, adversus oppidanos Cairi, & Astenses Marchioni contumaces: & Cairum, & Astam, dum ibi incolæ illinc ad montes propinquos aufugissent, diripi ac comburi jussit, & regressus in agrum Mediolanensem, & ibi Abiate & Trecate quoque eversis, Derthonam de mense Februarii obsedit.* Nusquam vero Vercellarum, aut Taurini meminit, quod neutiquam reticendum erat: Regem autem deducit Abiate post relictam Astam, quo se ille multo ante receperat, ut ostensum: Galiati denique, & Trecati excidium subjicit excidio Astæ, quod alii præcessisse volunt. Alterius hæc ipsa sunt: *Federicus, cum in iis locis, quæ vastaverat, hyemasset, Vere appetente Vercellas ac Taurinum, terroris incutiendi caussa, contendit; atque inde vadato Pado in Papiensem agrum revertit, &, Papiensibus ac Novariensibus adjutoribus, Galiatum & Trecatum invasit, eaque occupata delevit. Ibi cum Cairenses atque Hastenses imperata Marchionis, ut jussi erant, facere detrectassent, hostes proscripti, atque utrisque arma illata.* Hæc ipsa Sigonii sunt, non in uno lapsi. Nam & lapsus ille est in tempore, quo Federicum Vercellas & Taurinum contendisse tradit; cum is non eo tantum ivisset ante appulsum Veris, sed & Asta subacta Derthonam obsidione cinxisset, testibus ea de re Cavitellio & Nostro col. 960. lit. B. & ea in parte, in qua Cæsarem eundem, post regressum in Papiensem agrum, Galiatum & Trecatum invasisse tradit, tra-

A dentibus aliis, post occupatum Papiensem agrum, dedisse cumprimis operam, ut Cairenses & Astenses ad Marchionis sui potestatem & fidem, à qua defecerant, revocaret.

314 DESERENTES] Nempe, quia

——— *longo jam tempore læsa*
Majestate rei, toties frustraque citati,

ut Guntherus habet.

315 ROCHAM] Varie variis dictus hic locus, cujus se præsidio munierunt Astenses, relicta urbe. Quippe Frisingensis illos *ad vicina montana* confugisse prodit: Guntherus, *in altos colles*; Viterbiensis, *ad Castrum novum*; Cavitellius, *ad propinquos montes*; Sigonius, *ad vicinos*; *ad Rocham* Noster, quæ *Arx* est plane, à voce vernacula, *Rocca*, accepta Scriptoribus priscis. Inde Rolandinus *lib.* I. *cap.* XI. *Burgum & Rocham obsedit hostiliter machinis quibuscumque.* Et *lib.* VI. *cap.* VI. *Multi tamen Estenses & Paduani intraverunt Estensem Rocham.* Et mox: *Voluit Ecelinus Arcem, sive Rocham Estensem, & alia collateralia Castra suo dominio subjugare.* Et Auctor *Chronologiæ* III. eidem adjectæ, ad annum CIↃ. CCXCIV. *Hic per Paduanos mœnia Estensis Rochæ, ac Cerri, & Calaonis fuerunt destructa in funditus.* Et alicubi Monachus Anonymus Patavinus, aliique sexcenti sequioris ævi.

316 NOVIM.] Mediolanensis Codex, *Novi*; Corius, *Anono.* Legerim ego lubens libens, Urspergense duce, *Nova.* Tale siquidem nobis ejus Arcis nomen Abbas ille suggerit, & alia de eadem multa: *Multis peragratis locis, Astensium urbem tandem adventavit. Astenses vero, confisi de munimine Arcis Novæ, opponere se studuerunt. At ipse eorum urbe cito potitus est, & his, quæ infra muri ambitum continebantur. Tandem ad inexpugnabilem Arcem Novam iter arripuit. Quæ licet esset sita in scopulo eminentissimo, habens aditum tantum per iter angustissimum, Imperator solertissimus ipsam tamen fortiter expugnavit, gentemque frustravit superbam.* Accedit his calculus Viterbiensis, qui locum eundem, *Castrum novum*, dixit, levi plane flexu ab *Arcis Novæ munimine* Urspergensis.

317 QVODAM MONTE] Excerpta Codicis Mediolanensis, *In quodam monte*, cui sane respondet *eminentissimus scopulus* Urspergensis.

318 MOBILIA] Ut supra *Not.* 213. *Cum ipsorum mobilia timore Alemannorum ad Pizighitonum fugierunt*, &c. Ubi nos ejus de vocis usu & notione multa.

319 FVGIERE] Frisingensis: *Ad quorum puniendam contumaciam dum Rex exercitum ducit, illi relictis munitionibus, velut viribus suis diffidentes, ad vicina montana diffugiunt.* Guntherus:

Territus hoste novo; sed non correctus, in altos
Exierat populus trepida formidine colles.

D Viterbiensis:

Magna timens Regem mox deserit Asta colonum,
Ad Castrum Novum cuncti sua cuncta reponunt.

Melius:

Ad Castrumque Novum cuncti sua cuncta reponunt,
Unde suum vacuum deserit Asta solum.

Cavitellius: *Cairum & Astam, dum ibi incolæ illinc ad montes propinquos aufugissent, diripi ac comburi jussit.* Unus Sigonius Cairensibus solis fugam istam adscribit: *Cairenses, relictis munitionibus, viribus suis diffisi, in vicinos montes se retulerunt.*

320 CAPIENS] Ita Merula, qui paucis: *Per Taurinum saltum Alpes transcendens, Astam Coloniam per vim cepit.* At enim Nostro & Merulæ adversantur, quicumque Astam ab Ænobarbo eversam funditus, & combustam ferunt; quin & Ænobarbus ipse, cujus in literis hæc leguntur: *Chairam, maximam & munitissimam villam, destruximus, & civitatem Astam incendio vastavimus.* Nec alia prodidit Frisingensis: *Inde Astam procedens, vacuamque non opibus, sed habitatore reperiens civitatem, non paucis ibi diebus manens, igni eam, & direptioni dedit.* Eadem Guntheri scriptura est:

——— *tandem spoliata, rogisque*
Tradita, perversi sceleris, geminique reatus
Pertulit immeritam sedes innoxia pœnam.

Tale quippiam etiam Cavitellius scripsit: *Cairam & Astam diripi ac comburi jussit.* Et alii. Mutius: *Perque Padum flumen exercitu traducto Curam* (lege *Cairam*) *vastant, urbem Astam incendunt.* Merula lib. III. *Antiq. Gall. Cisalp. Hujusce rei indicio sunt certissimo contra jus Gentium vastatæ urbes opulentissimæ, Asta, Derthο, &c.* Bossius: *Alemannorum* Rex *coronatus, in Italiam per Taurinum intravit, civitatem Astensem debellavit, ac funditus mense Octobris* (*Januarii* melius) *evertit.* Nec dubium, quin multo plures his affinia scripta reliquerint; sed omnium nec verba, nec nomina nunc occurrunt.

321 TRADIDIT] Postquam illic dies aliquot insumpsisset, dum inibi reperta

plu-

——— plurima saccis
Infundit frumenta suis, utresque cadosque
Ventrosasque replet oleo, Bacchoque lagenas:
——— multisque viris alimenta diebus
Uberiora dedit.

Ut Guntherus canit; cui facem istis de more prætulerat Frisingensis: *Cum non paucis ibi diebus mansisset.*

322 PRAEDICTO MARCHIONI] Suo nempe Domino, quod decebat Imperatorem justum, quamvis unus hic, ut Noster, Urspergensis scribat: *Demum Astensibus captivis, tam viris, quam mulierculis misertus est. Misertus*, inquam, quod illorum urbem non everterit, ut alia Castra, sed tectam sartamque tradiderit in Marchionis manum, *pro quo ipsos Astenses in bannum posuerat, civitatemque ipsam propterea ceperat, quia pro eo justitiam eidem Marchioni facere renuerat*, uti statim subditur à Morena.

323 IN BANNVM POSVERAT] Pari fere formula, *res in bannum missas*, reperies cap. L. *Sal.* Ludovici Imp. §. 4. & 5. *Bannum* autem exsilii species, quæ priscis proscriptio dicta. Hinc *Banniti*, quibus ademptum jus togæ, aqua & igni pariter interdictum.

324 QVIA PRO EO] Utique perperam hæc trajecta. Redigo in ordinem, & adapto, *Pro eo, quia.*

325 JVSTITIAM EIDEM MARCHIONI FACERE RENVERAT] Affertur hæc ipsa caussa Frisingensis ore: *Verum oppidani Cairæ, simul & Astenses cives, eo quod præcepto Principis, de exhibenda Marchioni suo Guillelmo de Monteferrato justitia, minime paruissent, tamquam rebellionis rei, hostes judicati proscribuntur.* Sigonii pariter ex eodem fonte: *Ibi, cum Cairenses atque Astenses imperata Marchionis, uti jussi erant, facere detrectassent, hostes proscripti, atque utrisque arma illata.* Guntherus caussam aliam sic expressit: *Quod scilicet Asta terreno sub Rege rea: imo & supremo jure jam damnata foret, contemptu sui Præsulis*, ideoque *pœnam reatus gemini sit perpessa.*

326 RENVERAT] Mediolanensis Codex, *Renuerant.*

327 PARTEM MVRI ET QVAMPLVRIMAS TVRRES] Quæ hic Noster Marchioni Montisferrati tribuit, adscribit Federico suo, nec Astæ, sed Cairæ gesta fuisse memorat Frisingensis: *Rex primo Cairam veniens, inventis sufficienter victualibus, per aliquot ibi dies mansit. Turres, quæ non paucæ ibidem fuere, destruxit.* Hæret Frisingensi Guntherus, ut solet, additque, præter turres, oppida quoque Cairæ diruta fuisse penitus, ac combusta:

Nec mora, direptis potioribus, oppida flammis
Tradunt, & validas evertunt funditus arces.

Hæret & Sigonius, nec sententiæ tantum, sed & verbis ipsissimis Frisingensis. Nostro propior Viterbiensis, turres Astæ tantum eversas, muri parte altera conservata tradit. Ita se illius habent:

Turribus eversis, inventa cibaria vastant,
Alterius muri nulla ruina fuit.

328 FOEDVS CVM ASTENSIBVS FECIT] Altum hoc de fœdere silentium in aliorum scriptis. Corius pro *fœdus* dedit, itaque loquentem Italice Morenam fecit, *Il perche poi Astensi si convenero in feudo.* Viterbiensis hæc ipsa Federico retulit in acceptum:

Dum Rex egreditur, melior fortuna paratur.
Culpa fuit modica, gratia plena datur.

Narrant alii, eodem ferme tempore Federicum, cum seditiones multæ tum exarsissent in Castris, eas ex Prudentum auctoritate compescuisse, lege lata, ne quis in posterum in Castris, violandi hominis caussa, gladium ferret, si tulisset, manu aut capite plecteretur. Illud itidem in Bossii *Chronica* continetur, Federicum, post debellatam Astam, ingressum esse Mediolanensem urbem, ibique applausu maximo civium exceptum, ab Uberto Pirovano urbis Archiepiscopo coronatum (quod Annales Mediolanenses factum afferunt, antequam idem Cæsar à Laudensibus promissi obsequii jusjurandum exigeret, quo de Noster col. 957. lit. C.) & extra urbem, quod D. Ambrosii templum, coronandis Cæsaribus assignatum, extra urbis Pomœrium ea tempestate foret, ut idem alibi Bossius indicavit, quippe qui ad an. CIƆ CLX. *Imperator*, inquit, *promissi sui memor, Ducem Bohemiæ, Regem appellatum, in templo D. Ambrosii extra tunc urbis muros corona insignivit.* Id ipsum testimonio Galvanei firmari posset, si ad manus esset, cum & is *cap.* CCXXVIII. cujus indicium debeo V. C. & Eruditissimo Jo. Antonio Castillionæo, diserte tradiderit, Federicum Ænobarbum extra urbis muros ab Uberto Pirovano coronatum.

329 PAPIENSES] Longe plane alia de Papiensibus à Mutio scripta, eaque post Derthonam direptioni datam: *Papienses, aliorum jactura damnoque docti, Imperatori obviam veniunt, & se, suaque omnia commendant, cum magna reverentia coronatum in urbem ducunt.* Rectene? Ambigo, cum ante multo Papienses Ænobarbi gratiam sibi collegisse docuerit Noster, idemque constet ex aliorum fide dignissimis monumentis.

330 GVERRAM] Placebat olim *Guerra* magis, quam *Bellum*, & ut est apud Urspergensem in legibus Ænobarbi, *Vuerra: Si liber homo, ingenuus, ministerialis incendium commiserit pro vuerra propria, pro amico, proparente*, &c. Ubi loci *Vuerra*, bellum est, quod privatus suscipit, cum suas inimicitias persequitur, ut in *Feudorum* lib. II. Tit. XXVII. §. I. & 2. Descendit autem ea vox in Italorum, nec non & Gallorum linguas (quippe Galli *Guerre*, Itali *Guerra* dicunt) à dictione *Guvere*, quæ Germanis populariter quamvis defensioni rem aptam notat, sive manibus, sive telis, sive ingenio, sive astu negotium geras, observatore Barthio lib. XII. *Adversf.* cap. IV. Idcirco *Guerram*, quam *Uverram* frequentius usurpabant. Petrus Cellenius *lib.* II. *Epist.* I. *Quasi guerræ vestræ, & debiti pœnalis discrimina persolvi.* Godfridus *lib.* IX.

Guerra datur patriæ, bella Sabina patent.

Beka in *Theodorico* I. Trajectensi Episcopo XXXII. *Theodoricus Episcopus ex hac guerra plerumque locupletatus, impignorata prædia redemit.* Rolandinus *lib.* I. *cap.* VII. *Pactis appositis*, &c. *quod una pars alteram tam in pace, quam in guerra, & è converso juvare debeat modis omnibus.* Ptolemæus Lucensis ad an. CIƆ. CV. *Occasione dicti Castri de Ripa fracta inchoata est guerra inter Lucenses & Pisanos.* Tumulus Balduini, Archiepiscopi Treverensis, fratris Henrici VII. Augusti:

Guerra frequens crevit graviter, raroque quievit.

Carolus IV. Imp. Balduini & Henrici laudatorum nepos, in *Vita* sua: *Posthæc videns Pater noster, quod expensæ sibi deficiebant, & guerram ulterius ferre contra prædictos Dominos Lombardiæ non possent, cogitavit de recessu suo, & volebat nobis committere easdem civitates, & guerram.* Literæ Populi Vicetini de flagitiis Episcopi sui Blasii summo Pontifici missis, ut apud Pajarinum exstant: *Captata occasione guerrarum, quas contra nos habere contigit.* Epitaphium Paganini de Panico Bononiensis apud Gherardaccium *lib.* XVII.

Ipse caput guerræ, ac tota metuendus in urbe.

Usus & eadem voce D. Bernardus *Sermone* III. ubi de propria voluntate differens: *Hæc*, inquit, *adversus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam.* Et *Serm.* XXIII. *Hoc est enim, quasi cum Deo guerram movere.* Usus & Blesensis *epist.* CLXIX. *Multorum mentes ita sunt in dubio positæ, quod incertum est eis, de facto guerrarum & pacis quid fieri debeat in futurum.* Mussatus non uno in loco, Vincentius Ferrerius passim, aliique permulti. Haud enim adeo barbara *Guerræ* vox habita Majoribus nostris, ut ab ea sibi abstinendum esse penitus arbitrarentur: quin & *Guerrandi* verbo usus Carol. Imp. in *Vita* sua: *Delphinus mortuus est, & ipse Pater noster vult congregare exercitum, & procedere in auxilium Delphino, qui guerrat cum Comite Sabaudiæ.* Sed nos longius fortassis excurrimus, quam patiantur nonnullorum aures, mollioribus utique vocibus assuetæ.

331 HABEBANT] Nempe quia Terdonenses amici Mediolanensium, qui tum Papiensibus infensi erant. Frisingensis *lib.* II. *cap.* XVII. *Fuit non longe ab eo loco civitas Terdona, natura & arte munita, Mediolanensibus amica, ipsisque contra Papienses fœdere juncta.* Sigonius: *Inde arma ad Derthonam urbem translata, quæ pariter, edictis Regis neglectis, Mediolanensium amicitiam sequebatur.* Guntherus *Ligurini* II.

Haud mora, Terdonam (Ligurum quæ fœdere pravo
Consiliis adhibebat opem, scelerique nefando,
Quam Regi vesana suo præstare favorem
Maluerat, nec adhuc toties revocata redibat)
Constituunt raptis petere, atque evertere signis.

Et Papienses ipsi, apud eundem Vatem in Oratione ad Ænobarbum ipsum:

Adde, quod iste tuus nostros procedit in usus
Sudor, & ista tuæ gessisti bella Papiæ.
Hostilem, nostrisque malis inhiare paratam,
Hostibus & sævis adstricto fœdere junctam,
(Quid referemus ad hæc?) vertisti funditus urbem.

Sic ante multo (ut Sigonius scribit libro X. *de Italiæ Regno* ad an. CIƆ. CVII.) Derthonenses iidem, bello cum Papiensibus inito, sese illis impares agnoscentes, ad Mediolanensium auxilium confugerunt: Papienses Laudensium & Cremonensium copias acciverunt. Indeque inter has civitates ea fœdera societatis, amicitiæque sunt juncta, quæ post, difficillimis singularum temporibus, pia sinceraque fide culta, Italiam universam ingenti admiratione complerunt.

332 CONQVESTI FVERVNT] Frisingensis: *Papiensibus conquerentibus, plus à Terdona se, quam à Mediolano molestari.* Et Guntherus de Terdona ipsa:

Hæc etenim fidam Regnis inimica Papiam,
Plus quoque, quam Ligures crebro grassata premebat.

Neque enim cohiberi poterant alterni furores, ut idem inibi Guntherus addit. Morena querelarum istarum omnium summam verbis hisce confecit: *Conquesti fuerunt, dicentes, ipsos*

ipsos maximas injurias eis intulisse, & Castrum eorum invasisse.

333 CASTRUM] MS. Corii, ut apparet, *Castra.*

334 JUSTITIAM SIBI FACERE] Abunde hac de formula, & ejusdem notione dictum in *Nota* 58.

335 REX AUTEM, &c.] Paullo aliter Frisingensis *lib.* II. *cap.* XVII. *Jussa est* (Terdona) *à Principe à Mediolani contubernio recedere, Papiæque sociari.*

336 AMICUM ESSE SCIEBANT] Adde ex Corio, *Papiensium*, fiet ut sententia salva.

337 ACRITER ADJUVABANT] Attigerunt & alii rem eandem: Frisingensis: *Erat autem prædicta Arx non solum suis viribus; sed etiam Mediolanensium fortitudine, & vicinorum Baronum, quorum unus Marchio Opicius, Malaspina cognomento, fuit, præsidiis munita, obque tantæ opis confidentiam ad propellendam Principis iram instrui ausa.* Paria Guntherus affert, quem ideo non exscribo; nec abludunt Viterbiensis illa:

Amodo Terdonæ cuperem recitare dolorem,
Quæ Mediolani veteri subnixa furore,
Consueto more vult inimica fore.

338 PLURIMUM CONFIDEBANT] Habet his affinia Urspergensis: *Hanc* (Terdonam) *in ipso itinere aggressus Imperator, oppugnavit, & solo adæquavit, nihil ei valente auxilio Mediolanensium, in quibus plurimi confidebant.* Habet & Gaudentius Merula lib. II. *Antiq. Gall. Cisalp.* cap. I. *Derthona, Romana Colonia inter Insubres & Ligures, quorum arma semper fere conjuncta fuerunt, deducta, ne alteris alteri auxilio essent, sublatis Romanorum armis, & Senatus potestate, in Insubrum amicitiam declinavit.* Caussæ porro cur ad Insubrum, hoc est, Mediolanensium, amicitiam Terdona descenderit, tales fuisse traduntur, quales nobis aperuit urbis ejusdem Clerus in supplicatione sua flebili ad Federici pedes, cum illi supremum excidium immineret. Sic enim ille, contra Papiensium calumnias in Terdonam jactas: *At, inquies, improbæ civitati, suaque contumaci superbia vicinos quosque prementi fœdere nexa, ab æquo Principe jure pœnas subire debes. Esto Mediolano associata est Terdona. Quare? non illius gratia, sed tuo metu: non, ut per illius potentiam impetraret, sed, ut per ejus vires à tua excuteretur violentia. Sensi rem meam* (*inquit Terdona*) *agi, dum paries proximus, Lunellum dico, arderet, sub Mediolani confugi alas.* Videatur hisce de caussis & aliis Frisingensis *cap.* XIX. *lib.* II. nec non & Guntherus *Ligurini* III. caussas easdem, & complures alias uberrime persequutus.

339 COLLA SUPPONERE REPUDIARUNT] Congruunt hæc, & alia, quæ sequuntur de banno publico, cum his, quæ prodidit Frisingensis: *Quod dum facere recusaret, dumque magis seditiose & inimice, quam pacifice & amice Regibus, civitati adhærere delegisset; tamquam majestatis rea & ipsa inter hostes Imperii adnumerata proscribitur.* Guntherus etiam huc respexit:

Viribus his, validoque loci munimine freti
Infausti cives, nec mœnia dedere, nec se
Post mala tanta suo dignantur subdere Regi.

Urspergensis utrique calculum adjicit, & absolvit hanc Notam: *Eo itinere invenit Terdonenses sibi rebelles.*

340 SEMEL ET PLURIES IN JUS VOCATOS] Guntherus:

——— *nec adhuc toties revocata redibat.*

Et iterum:

Jam toties revocasse pudet, monituque salubri
Invitasse reos ad dulcia fœdera cives.

341 ET MINANS POSTMODUM EIS] Mediolanensis Codex, detracta copula, & adjecto adverbio *sæpe*, *Minans postmodum sæpe eis*, &c.

342 VERBA IPSIUS REGIS VILIPENDENTES] Deflexit à Nostro Corius, nec caussam scio. Quantum enim inter hæc Nostri, *Verba ipsius vilipendentes*, & illa Corii, *Scorsero in parole non puoche contumeliose verso il Re: Eruperunt in verba contumeliosa non pauca adversus Regem*, discriminis intercedit? Minori ferme Cœlum à Terra diffidet intervallo.

343 AD EORUM PERNICIEM ET INTERITUM] Eadem Guntherus plane:

Perstat in incœpta stolidus furor, inque ruinam
Tendit, & ad certam properat gens perdita cladem.

344 SUAM PROXIMAM FORTUNAM] Longe rectius Med. Codex, *Sua pessima fortuna*, quod & Corius testatum liquit.

345 EX POST FACTO APPARUIT] Formula Nostro & Mussato grata. Recurre ad superiores Notas.

346 ALIQUATENUS] *Aliqua ex parte*, ut & alibi apud Nostrum est, & apud alios crebro. Quintilianus: *Verum hoc aliquatenus temporum mutatum est conditione.* Plinius: *Caulibus pluribus ab una radice aliquatenus rubentibus.* Symmachus: *Anteriores literæ tuæ, quasi mox aliæ consecutæ sunt, spem mihi aliquatenus reditus tui fecerunt, secundæ promissa vacuarunt*, ut aliis sexcentis parcam.

A 347 CUM EXERCITU SUO] Quem hi quoque Principes exornabant, Conradus frater, Bertolphus Burgundiorum Dux, Otho ex Bavaria, Palatinus Comes Vexillifer, & omnis fere flos Germanicæ nobilitatis.

348 PROPOSUIT] Eo nempe consilio, *ut Terdonensium, sicut & Astensium, insolentiam vindicaret.* Ita plane loquitur Frisingensis.

349 MULTOS EQUITES] *Ducentos, eo transmissos Obitione Malaspina Duce.* Ita Cavitellii *Annales*, & *Chronica* Bossiana.

350 TERDONAE] Casus pro casu, ut apud Rolandinum, *Paduæ* pro *Paduam*, *lib.* VI. *cap.* VII. *Paduæ literas sæpissime mittit. Citadellæ* pro *Citadellam*, *lib.* X. *cap.* XV. *Volentes vindictam sumere de suis compatriotis ex hoc, quod venerat Citadellæ.* Et alia id genus multa apud Scriptores alios ejus ævi.

Cæterum, quod ad hujus urbis nomen attinet, ut à Nostro *Terdona* dicitur, sic eodem innotuit nomine Fri-
B singensi & Viterbiensi laudatis ante. *Tertona* audit eadem in *Notitiarum* libro, unde Italicum, *Tortona*: *Tertionensis*, & inemendatius *Tetrionensis Civitas* in Paullo Warnefrido, quam rectius Plinius *Dertonam* vocat lib. III. *Nat. Hist.* cap. V. Nam & Ptolemæo Δερτωνα est, Stephano Δερτων, Straboni Δερθων. Condita perhibetur à Liguribus, vel, ut aliis placet, quos Albertutius citat, à Gallis, & ab his primum *Antilia*, dein *Terdona*, à tribus donis, id est, miraculis ejus denominata, quorum primum in saxo, quod copiose oleum emittebat; secundum in fonte, quotannis festo Natalis D. Joannis Baptistæ largissime fluente; tertium, quod inibi paullo ante, quam Nobiles aliqui mortem essent oppetituri, panis sectus sanguinem stillaverit. A Plinio in laudato loco inter Romanorum Colonias recensetur, & in Goltzii *Thesauro* le-
C gitur, *Colonia Julia Dertona.* Situs ejus olim ad crepidinem Apennini, campos Papienses & Mediolanenses tanquam è specula prospicientis, in monte terete, scopulorum faciem in prærupto laterum prætendente: Turribus, & una præcipue lateritia, à Tarquinio Superbo facta, quæ & *Rubea* ab indigenis dicebatur, in declive montis suburbio, ex murorum ambitu, ac turrium celsarum, populique multitudine, cujusdam amniculi per medium transeuntis insignis. Ita ferme de illa locutus Episcopus Frisingensis. Quo respiciens Urspergensis, Terdonam permaximam Liguriæ urbem fuisse tradidit, per quam Mediolanenses iter haberent Genuam usque, & ideo illam sibi, quasi portum, magni exsistere voluisse.

351 REX ITAQUE FEDERICUS] Guntherus *Ligurini* II.

Tertia lux aderat, totis cum viribus ecce
Bellator Federicus adest.

D Frisingensis *lib.* II. *cap.* XVII. *Princeps nobilis, capto suburbio, Arcem ipsam, seu civitatem obsidione clausit.* Et Rex quidem ipse constitit in Occidentali parte. Idem Frisingensis *ibidem* infra: *Principe ipso residente ex Occidentali parte.* Et adstipulatur Guntherus in memorato *libro*:

Qua Zephyrus clausam geminis prohibentibus arcem
Montibus à tergo lasso spiramine tangit,
Regia signa nitent, &, clausis hostibus, omnes
Aggressus, aditusque negant.

352 HENRICO DE SAXONIA] In suburbio, ad Meridiem sito, Apenninum versus. Guntherus idem:

——— *qua penniger Austros*
Excipit, atque Notis obsibilat Apenninus,
Saxonas indomitos, & Norica castra superbus
Asperat Henricus, perituraque mœnia terret.

Vere *asperat*, quod non *superbus* tantum, sed & *Leo* cog-
E nominaretur Henricus iste, non recte, *Catulus*, Cavitellio dictus. Hoc uno porro notatus Dux tantus, quod non contentus paterna sorte, qua majorem inter Duces, ut Irenicus ait, Sol in Germania nunquam produxit, nec vidit, alieni appetens, ut tradit Krantzius, Italico auro corruptus, ab Ænobarbo defecerit. Quæ res summum illi tandem exitium attulit, binis uno mense Ducatibus exuto ob solum Ænobarbi contemptum, expressum à Chronographis Germanorum, licet Krantzius hæc intra modestiæ limites circumscribat. Sed alibi nos hæc, & alia pluribus de hoc Duce.

353 PAPIENSIBUS] In campis, spectantibus orientalem & septentrionalem plagam. Guntherus:

At, qua plana jacent, & liber transitus Euro,
Accessusque patet popularia signa, suasque
F *Pulchra Papia locat numeroso milite vires.*

Quippe ad Papiensium preces Terdonam evertendam susceperat Ænobarbus. Georgius Merula lib. III. *Ant. Vicecom. Derthonam rogatu Papiensium subruit.* Hærebantque Papiensibus Comenses ex odio, quo adversus Mediolanenses tunc temporis æstuabant. Bossius: *Accepta Mediolani corona, è vestigio Terdonam ad Papiensium preces, succurrentibus Comensibus ad Mediolanensium odium, aggreditur.*

Inde est, quod Viterbiensis scripserit *lib.* XVII.

Cingitur horribili Procerum Terdona labore.

354 CIRCA IPSAM CIVITATEM] MS. Corii, *Circa miseram civitatem.* Frisingensis, ut Noster: *Transmisso amne, qui Tanera vulgo dicitur; usque ad ipsam civitatem discurrentes, ac omnia circumspicientes, non longe ab ea, supra prædictum amnem, metantur castra.* Guntherus:

——— *Taneramque rapacem*
Transgressi, muros & portas urbis ad usque
Discurrunt.

Sigonius: *Suburbiis captis, Rex urbem sibi exscindendam existimavit, cum suis viribus satis, tum Mediolanensium opibus, & Opizonis Marchionis Malaspinæ munitam.*

355 PRIMO DIE QVADRAGESIMAE] Ita Corius; at Frisingensis: *Initiata est hæc celebris Terdonæ obsidio mense Februario incipiente, post caput Jejunii, proxima Quadragesimæ hebdomada.*

356 XIII. MENSIS FEBRVARII] Ideo Sigonius verax, cui debemus ista: *Obsidio cœpta est Idibus Februarii.* Cavitellius sat habuit indicasse mensem: *Derthonam de mense Februarii obsedit.*

357 OBSEDITQVE] Præter Cavitellium, auditum in proxime superiori Nota, Jacobus Philippus Bergomas, qui Paullo Langio in *Chronico* Citizensi, *Jacobus de Bergamo*, in *Chron.* Supplemento: *Terdonam, civitatem tunc insignem, eidem non obtemperantem, aliquandiu obsedit.* Et animo quidem hilari, & erecto. Federicus ipse Guntheri ore, *Ligurini* X.

Quid referam prompta susceptos mente labores,
Quos Terdona dedit?

Bossius: *Trecate combussit, Terdonam obsedit.* Mutius lib. VIII. *Chron. Germ. Dertonem obsident & capiunt urbem, præsidiis & loci natura munitissimam.* Nemo vero descripsit uberius obsidionem istam Episcopo Frisingensi, quippe qui rei totius initio ducto a *cap.* XVIII. in ejusdem narratione perstiterit usque ad XXI. Guntheri Musa latissime pariter hic excurrit, nimirum à pagina 312. *lib.* II. usque ad 320. *lib.* III. adoque rem graphice repræsentat, ut cerni videatur potius, quam describi.

358 MACHINIS ET PRECHERIIS] Legendum in primis, *machinis & petreriis* Morenæ more, nam alii mecum *petrariis*, quam *petreriis* probarent magis. Dein his de bellicis instrumentis disserendum altius, quod eorum frequens ævo Nostri mentio, nec rara in ejusdem scriptis.

A *Machina* ut initium ducam, primitus *Instrumentum* omne, quo quid artificiose molirentur homines; mox & *Artificium* ipsum, quo quid efficeretur, *Machinam* dictam, subtile scilicet inventum quodvis, ingenio potius, quam industria elaboratum, noto. Quamobrem ipsos quoque operum hujuscemodi Opifices, *Ingeniarios*, operaque ipsa *Ingenia*, Latinis non paucis appellata constat. Asconius: *Machina est, ubi non tam materiæ, quam ratio artis, atque ingenii habetur:* vel, (ut alii legunt) *ubi non tam materia ratio, quam manus, atque ingenii habetur:* ita prorsus, ut Machina proprie sumpta Asconio sit opus, quod fieri soleat manibus, & ingenio simul, à μηχανὴ παρὰ τὸ μήδω μήσω, *ab inveniendo, & sapiendo*, ut *Etymologici* Auctori placet.

Fraudes etiam, *doli*, & *insidiæ* in hujus nominis possessionem facile devenere apud Comicos, & alios passim, quemadmodum apud Græcos τέχνη. Plautus *Bacchid. Aliquam machinabor machinam. Milite: Intus paravi magnas machinas. Pseudolo: Disturba, quas statuisti machinas. Et Amphitr. Illæc machina meas onerat scapulas.* Tullius etiam eodem sensu lib. III. *de Nat. Deorum: Nec quid inde auferam, nec quem dolum ad eum machinamque commoliar, scio quidquam.* Et Quintilianus: *Omnes ad amplificandam orationem quasi machinæ.*

Ex his, *Machinas* apud Nostrum capio *pro quolibet instrumento*, quod tunc temporis repellendis, fallendis, oppugnandisve copiis hostium, sive castris, solers pugnantium cura comminisceretur. Moyses *Deuteronomii* cap. XX. ut instrumentorum hujuscemodi antiquiorem etiam antiquitatem noscas: *Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in cæteros apta usus, succide & instrue Machinas, donec capias civitatem, quæ contra te dimicat.* Athenæus de Romanis: *A Græcis Machinas & instrumenta bellica cum didicissent, ipsis eos aggressi sunt.* Livius: *Centurias etiam Fabrum duas ordinavit, quæ Machinas in bello ferrent.* Aristoteles lib. VII. *Polit.* cap. X. *Maxime cum nunc reperta sint exacte, quæ ad tormenta, aut Machinas faciunt, urbibus oppugnandis.* Et ex recentioribus numero propemodum infiniti. Rolandinus *lib.* I. *cap.* XII. de exercitu Patavino loquens: *Burgum, & Rocham obsedit hostiliter machinis quibuscumque.* Mussatus lib. III. *de Gest. Henrici* VII. *Aug.* Rub. VII. *Cæsar in castris ante Brixiam cum Longobardiæ populis ad obsidionem intentus, machinis, arietibus, omnique tormentorum genere assidue inte-*

A *riores fatigans, & ipse ab iisdem nonnullis incursionibus, machinarumque grandinibus impetebatur.* Maurisius Rolandini coævus pag. 18. *Exierunt tum quidam de Castro, & quidam venerunt ab altera parte contra illos, quosdam occiderunt, & boves abstulerunt, & machinas.* Et paullo ante: *Obsidebant illos, qui erant in Castro, & cum machina, quam posuerant in domo mea propria, lapidabant intus Castrum.* Et in calce Operis: *Apud Montursium Castrum Ugutionis Filii, qui auctor fuit conspirantium contra Dominum Imperatorem, castrametatus est, illudque per quadraginta dies strictissime obsidendo, die, noctuque cum machinis, & trabuchis, & ballistis; militibus & peditibus expugnando, tandem obtinuit.* Monachus Anonymus Patavinus ad an. CIↃ CCXIII. *Cum nobilis Marchio Aldrenandinus nollet Communitati Paduæ subjacere, Paduani arcem Estensem cum machinis obsederunt.* Et è recentioribus Benedictus

B Jovius lib. I. *Historiæ Novocomensis* pag. 13. *Interim Comenses intra Urbem, Vicum, & Coloniolam milites contrahunt, munitiones firmant, turres, & propugnacula machinis communiunt.* Et pagina 31. *Mediolanenses advectas turres, balistas, & testudines ab hostium impetu tuebantur, subinde machinis tota urbe lapidum spargentes imbrem.* Et alii quamplurimi, quorum ex verbis Machinas, prædicto sensu, capio universe.

Signate siquidem aliud aliis instrumentum bellicum *Machina* dicta. Ea nempe Vitruvio, *Murale tormentum, urbes labefaciens, & oppidorum mœnia*, quale instrumentum *Arietem* alii nominabant. Sic enim is Scriptor clare *lib.* X. *cap.* XIX. *Constituebatur autem in ea arictaria machina, quæ Græce κριοδοχὴ dicitur, in qua collocabatur taurus perfectus in torno, in quo insuper constitutus aries.* Itaque rite trahuntur ad machinas bellicas ab eruditissimo Justo Lipsio lib. I. *Poliorcet.* cap. I. Dionysii illa, ad annum

C V. C. CCLII. ubi loci ei Scriptori sermo de Romano Consule Camerinos oppugnaturo: *Arietes, & scalas protulit, & omni genere oppugnandi est usus.* Et illa de eodem Consule, in Coriolanos expeditionem parante: *Arietes etiam, & scalas apparabat.* Retulit etiam inter machinas *Arietem* Propertius, cum cecinit *lib.* IV. *eleg.* XI.

Dumque aries cornu murum pulsabat aheno.

De Machina locutus, & eodem sensu, Claudianus lib. I. *in Ruffin.* ℣. 217.

Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu,
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, non machina muros.

Et Val. Maximus *lib.* V. ubi de Q. Metello Celtibericum in Hispania gerente bellum, quippe qui, cum urbem Celtibericam obsideret, & jam admota machina (ut ipsemet loquitur) partem muri, quæ sola convelli po-

D terat, disjecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulerit, prohibens, ne Rhetogenis filii, objecti machinarum ictibus, in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur. Sed omnium apertissime Machinas cum Arietibus nexuit Diodorus, nec uno in loco. Habet ille scilicet *lib.* II. de Sardanapalo loquens, qui frustra Ninivem obsederat propter inopiam machinarum: *Nondum enim Ballistæ, aut Testudines, aut Arietes, murorum eversores, illis temporibus adhuc reperta erant.* Et *lib.* XIII. ubi Periclem Machinarum apud Græcos auctorem facit his verbis: *Struxit machinas primus omnium ante se, & eos, qui Arietes dicuntur, & testudines, Artemone Clazomenio fabricante.*

At Arietes à Machinis alii sejunxere. Occurrit primo loco Seneca in *Epistolis: Multi inveniuntur, qui ignem in-*

E *ferant urbi; qui inexpugnabilia seculis, & per aliquot ætates tuta prosternant; qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram multitudinem adductis arietibus, & machinis quassent.* Itaque *Machinas* isti duce Seneca fuisse ferunt, *instrumenta bellica*, quæ sagittas, saxa, & omnis ejus generis missilia, tum in urbes ipsas, tum adversus terrestres copias incredibili celeritate, magnoque fragore torquerent. Moyses ad istorum mentem *Paralip.* II. cap. XXVI. de Ozia Rege: *Fecit in Hierusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent sagittas, & grandia saxa.* Josephus lib. III. *Belli Judaici: Missaque machinis saxa murorum minas auferebant, & frangebant angulos turrium. Virorum autem nulli tam fortiter constipati erant, ut non usque ad extremam aciem saxi magnitudine, & violentia sternerentur. Sciet autem aliquis, hujus machinæ vis quantum valeat, ex his, quæ illa nocte contigere. In muro cui-*

F *dam ex circumstantibus Josippo caput avulsum est, ejusque ad tertium stadium, veluti funda, excussa calvaria. Interdiu quoque prægnantis fœminæ icto utero, ad dimidium stadium infans abactus est, tanta tormento vis fuit. Ergo machinis terribilior erat impetus, & missilium strepitus.* Idem inibi lib. VI. *Omnibusque agminibus contra excursus erant machinæ comparatæ mirabiles, præcipue vero*

Le-

Legioni decimæ: Ballistæ vero vehementiores, & tormenta saxorum, quibus non solum irruentes, sed etiam super murum stantes evertebantur. Nam & singula saxa talenti pondus æquabant, & ultra modum stadii torquebant. Ictus autem non solum primis, quos offendissent, sed aliquando posterioribus quoque intolerabilis erat. Judæi primo cavebant à lapidibus, quod erant candidi: nec tantum sono, & fremitu noscebantur, sed claritudine prospiciebantur, denique speculatores in turribus præsidentes prædicebant, quando impelleretur machina, saxumque ferretur, patria lingua clamantes, Filius venit. Itaque prædicebant, in quos veniret, atque ita vitabant, & ita eveniebat, ut, illis declinantibus, lapis irritus intercideret. Proinde contra Romani excogitabant atramento decolorare lapides: tunc enim missi non similiter incertos exitus habebant, multosque simul unius impetu corrumpebant. Hæc Josephus, quæ, multa licet, attuli non gravate, quia hoc de Instrumento mira. Accedit his Plutarchus in *Marcelli Vita: Ut vero machinas instruxit Archimedes, varia missilium genera, & immensæ magnitudinis saxa incredibili fragore, & celeritate jacula adversum terrestres emittebat copias.* Horatius *lib.* II. *epist.* II.

Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina signum.

Tragicus in *Thyeste*:

Admotis nihil est opus
Urbes sternere machinis,
Longe saxa rotantibus.

Ubi nullo mihi pacto silendum, ut isti Machinas ab Arietibus ideo sejunxere, quod Arietes mœnia quaterent, Machinæ vero saxa, sagittas, & id genus missilia reliqua contorquerent: ita Claudianum in hoc etiam Arietem cum Machina comparasse, ut æque Aries ac Machina adhiberetur ad rotanda saxa, æque Machina & Aries ad demoliendos muros. Verba Claudiani sunt, *de* IV. *Conf. Honor.* ỷ. 328.

Tum tua murali libretur machina pulsu,
Saxa rotet præceps aries.

Verum enim vero ipsa de re satis ac super. Ad varia Machinarum hujuscemodi nomina me converto, quæ rei quoque ipsi lumen accendent. Eas Græci veteres Μάγγανα nominabant: Hesychius, Μάγγανα, μαχανήματα, μαγγανά. Et Suidas, Μάγγανον, παράδοξόν τι. Et Latini, quorum è numero Hegesippus *lib.* IV. *cap.* XX. de Nerone: *Manganum sibi quoddam de ligno paravit, quo se necaret.* Abbo in obsidione Parisiensi:

Conficiunt longis æque lignis geminatis
Mangana, quæ proprio vulgi libitu vocitantur.
Saxa quibus jaciunt ingentia.

Et Noster non una in pagina, ut *Index Vocum & Formularum* notat. Fuit & Constantinopoli, *Mangana*, locus à Constantino exstructus, ubi cuncta bellica instrumenta reposita, & Libri de Mechanicis, testimonio Glycæ. Multa vero bellica μάγγανα simul recenset Mauritius lib. XI. *Strategic.* cap. III. Cujus locus explicatior simul & emendatior est apud Leonem *Constitut.* XV. §. 48.

A Mangano *Manganicum* est, qua voce usus Leo Imperator *cap.* XV. quod est de bellico apparatu: *Manganica alacacia, quæ saxa demittunt.* Et Cedrenus: Βάλλεται δὲ ἐκ τοῦ μαγγανικοῦ λίθῳ. *Dejicitur lapide emisso è Manganico.*

Mangena pariter ab hoc fonte. Delectatus ea præ cæteris Beka. Hinc illa in Corrado, Episcopo Trajectensi XX. ad annum CIↃ LXXVI. *Hollandini per crebros ictus Mangenarum propugnacula Castri conquassarunt.* In *Andrea*, Episcopo XXV. *Mangenas ad urbis interitum adaptant. Baldevino* II. Episcopo XXIX. *Daucasiam ad* XI. *dies Mangenis terribilibus infestavit. Joanne* I. Episcopo XXXIX. *Attendentes, urbes non posse capi sine magnis expensis, & Mangenis. Joanne* II. Episcopo XL. *Castrum circiter annum obsidione cingens, quotidianis impugnavit assultibus, aptatis ad hoc multis Mangenis cum diversis tormentorum generibus.* Guidone, Episcopo XLII. *Oppidum de Zirxe jam tertio cinxit obsidione gravissima, quod Mangenis aptis, castris, & cæteris ingeniis, lacessivit insultatione creberrima.* Et, *Cum Mangenis turres impetuose quassaret.* Ac demum in *Joanne* IV. Episcopo XLVII. *Civitatem ad sex hebdomadas cum tredecim Mangenis instantissime lacessivit.*

Traxit inde quoque originem *Manginella*. Modo laudatus Beka in *Joanne* II. Trajectensi Episcopo XL. *Præmissa diffidatione, Castrum Wendelaaud circumvallant, cum quibusdam armigeris ex Hollandia, applicando Manginellas, ad quassandum turres, & mœnia.* Est & eadem Italis *Mangonella*, & μαγγάναλλα Græcis, nec ignota Germanis pari fere numero literarum. Kilianus in *Dictionario*: *Manghe*, id est, *Manghineel*, *Machinæ bellicæ genus, ballista bellica, quæ tela, lapides, & ignes in hostium urbes jaculari solent.*

Mangas etiam *Manganum* sui parentem habet. Truncabantur enim hæc, & alia quandoque id genus, quam ob causam *Manganos* ætas quoque posterior deduxit ad *Man-*

A *gos.* Urspergensis: *Mediolanenses postquam acceperunt, à suis partibus Imperatorem longe esse remotum, ad resistendum se erigunt, & supra nominatum Castrum Trecium invaserunt. Ibi mangos, & alia instrumenta construxerunt, quibus lapides in Castrum jactarent.*

Pari oratione *Manga* à Mangana deducta vox est, qua Radevicus usus lib. II. *de Gest. Federici* I. *Imp.* cap. XLVII. *Obsides eorum, machinis alligatos, ad eorum tormenta, quæ vulgo Mangas vocant, & intra civitatem novem habebantur, decrevit objiciendos.* Quamobrem frustra sunt omnino viri doctissimi duo, Meursius in *Glossario Græco-Barbaro*, & Cerdius in *Advers. Sacris*, cap. CXX. reponendum ibi loci censentes ambo, *Manganas* pro *Mangas* in Radevico. Quippe mecum Ocellus ille Belgii Lipsius lib. III. *Poliorcet. Mangas* retinet, indeque medicinam Othonibus duobus facit. Ubi nempe loci Frisingensis Otho: *Ferunt*, inquit *cap.* XVII. *quadam die lapidem, vi tormenti ex balli-*
B *sta, quam Margam vulgo dicere solent, propulsum, ad superiora mœnium loca conscendisse*, monet ibi nos mendi Vir Magnus, docetque *Margam* pro *Mangam* corrupte legi. Sic in Othonis à S. Blasio *cap.* XVI. qua scripsit, *Mediolanum denuo obsidione cingitur, ac diversis Magnis tota industria oppugnatur*, animadvertit idem, eo in capite *Maguis* pro *Mangis* perperam reperiri.

Subjicio Mangæ voces alias à Mangano derivatas, antequam ejusdem Synonyma huc traducam. Scilicet in his etiam *Monangon* est, quo de Nero cap. XVII. meminit hisce verbis: *Lignum longum interpositum in figura angonis, quales sunt ii, qui lapides jaciunt, Monangones, quos nonnulli Fundas vocant.* Et *cap.* XVIII. *Ipsa Monangonis constructio ad catapulticam etiam contemplationem volentes instituet.*

Inde est Godfridi Viterbiensis *Mangon*:

C *——— ——— inde paratur*
Talpa cavans, aries Mangonibus injaculatur,
Perforat interius, rumpit utrumque latus.

Quæ vox usitata pariter Paullo Warnefrido.

Eodem porro sine dubio *Manganellum*, *Mangonale*, *Manganella*, *Mangonellus* spectant. *Manganellum* exstat in Auctore *Vitæ Caroli Magni* cap. IX. sive ille Turpinus, sive Tilpinus, sive Engolismensis fuit: *Aptatis juxta murum petrariis, & manganellis, & trojis*, &c. *Mangonale* in *Chronico* nescio quo *Leodiensi*, cujus meminit Lipsius: *Episcopus misit Leodium Mangonalia, seu Fustibula, Tribuceta, vel Arietes, aut Sues, Vineas, Biblias petrarias, sive Cattos versatiles, nescio quæ ex his ingeniis in signum, quod intendebat castra solo æquare.* Et alibi: *Leodicenses Castrum de Argenteal fortiter impugnare cœperunt, jactis lapidibus magnis cum Man-*
D *gonalibus. Manganella* legitur in Rigordo *de Rebus gestis Philippi*, Francorum Regis: *Tandem fracta turre cum petrariis, & Manganellis, & muris confractis, Viri interiores bellatores dederant Regi Philippo summam argenti taxata pactione. Mangonellum* Rigordus idem usurpavit infra: *Joannes Rex, ejus adventum in crastino non sustinens, omnibus petrariis, mangonellis, papilionibus, & aliis belli utensilibus dimissis, & prædæ expositis, per vada Ligeris navigio aufugit.* Erant autem, *Mangonelli*, minores fundæ, itidem jaciendis saxis, ut *Petrariæ*; sed quæ manu regerentur, sic eas describente Britone lib. VII. *Philippidos* hisce metris:

Interea grossos petraria mittit ab intus
Assidue lapides, mangonellusque minores,
Et pugillares jacit improba dextera petras.

Porro à Manganis Μαγγανάριοι dicti, de quibus Leo *Constitut.* XV. §. 36.

E Vocor hinc ad Mangani Synonyma, quæ potero meminisse. *Ballista* se primam prodit ἀπὸ τοῦ βάλλειν, *à jaciendo*, dicta, & ideo duplicis consonantis amantior, quam unius. Glossæ veteres pro *Ballista Ballestram*, ut Noster col. 979. lit. C. sed alii *Ballistam* habent. Ejus vero species multæ; sed insigniores duæ, *Major*, & *Minor*. *Major* erat, quæ saxa majora torquebat, uti nos Nonius ex Lucilio & Sisenna docet: *Minor*, quæ hastas, sive sagittas, ejaculabatur. De prima locuti Cicero *Tusc.* II. *Ut Ballistæ lapidem & reliqua tormenta eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta, atque adducta vehementius.* Val. Maximus *lib.* I. *Quum telorum jactu perforari nequiret* (loquitur ibi Valerius de serpente ab Attilio cæso) *ad ultimum ballistarum tormentis undique petitum, silicum crebris, & ponderosis verberibus procubuisse.* Orosius *lib.* III.
F de Serpente eodem: *Ballistas deferri imperavit, per quas murale saxum, spinæ ejus incussum, compagem totius corporis solvit.* Tacitus lib. III. *Hist. Magnitudine eximias quintadecimæ Legionis ballista, ingentibus saxis hostilem aciem proruebat.* Chronica Hispanica: *Ballistam magnitudine eximiam Osca allatam, ad arcis cujusdam expugnationem, quæ noctu ingentia saxa quingenta jaceret.* Ovidius lib. I. *Trist.* eleg. II.

Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
Quam grave ballistæ mœnia pulset onus.

Et lib. IX. *Metamorphoseon:*

Nec levius pulsata sonant, quam ferreus olim
Quum laceras aries, ballistaque concutit arces.

Plautus *Capt.* Act. IV. Sc. I. *Meus est ballista pugnus*, rotundus scilicet instar ballistarii lapidis, ut Interpretibus placet. Tragicus in *Hippolyto:*

Nec tota clausas fregerit saxo gravi
Ballista portas.

Statius *lib.* v. de eadem machina:

——— *quo turbine bellica quondam*
Librati saliunt portarum in claustra molares.

Inde lapides centenarii ballistarum Zonaræ in *Constantino: Cum lapides centenarii fundis jacerentur machinarum:* & *Centenaria ballista* Lucilio apud Nonium, quæ nempe jaceret lapides centenum pondo: & *Talentaria* Sisennæ apud eundem, quæ scilicet majoris ponderis lapides contorqueret. Talentum enim plus habebat ponderis, quam centenum pondo, quippe quod, Vitruvio teste, pendat CXX. Quod adeo verum, ut tria quoque talenta à ballista jacta *lib.* x. *cap.* ult. Zonaras idem scribat: *Ita eam ciliciis, & coriis crudis confirmatam, ut posset pati plagam lapidis ballista immissi, pondo* CCCLX. Et his quidem omnibus de ballista Majore sermo.

De Minore capiendi Lucanus *lib.* II.

—— *tortaque per tenebras validis ballista lacertis*
Multifidas jaculata faces.

Et alibi:

——— *neque enim solis emissa lacertis*
Lancea; sed tento ballistæ turbine rupta,
Haud unum contenta latus transire quiescit.

Seneca lib. II. *Quæst. Nat.* cap. XVI. *Nam ballistæ quoque, & scorpiones tela cum sono expellunt, sicque non imitabile fulmen, ut Maro inquit, humana rabies, quodam magno authore teste imitata est.* Amm. Marcellinus *lib.* XXIII. *cap.* IV. *Assistit artifex contemplabilis, & subtiliter apponit in temonis cavamine sagittam ligneam, spiculo majore conglutinatam, & cum ad extremitatem nervorum acumen venerit summum, percita interno pulsu à ballista, ex oculis avolat, interdum nimio ardore scintillans: & evenit sæpius, ut antequam telum cernatur, dolor lethale vulnus agnoscat.* Et lib. XXIV. cap. IV. *Tum aptatæ ligneis sagittis ballistæ flexu stridore torquebantur, creberrima spicula funditantes.* Guntherus *Ligurini* IX.

Undique tela pluunt, ballistæ turbine ruptus
Sibilat, & longis resonat stridoribus aer.

Beka in *Theodorico* I. Trajectensi Episcopo XXVI. *Et ecce, concurrentibus utrisque partibus, cruentum bellum inhorruit, in quo stridor ballistarum, tinnitus gladiorum, fragor hostium, & hinnitus equorum terribilium invaluit.*

Sed diversam Majoris & Minoris ballistæ vim & excussionem, simul egregie copulatam, expressit Silius *lib.* I.

——— *adductis stridula nervis*
Phocais effundit vastos ballista molares,
Atque eadem ingentis mutato nomine teli,
Ferratam excutiens ornum, media agmina rumpit.

Et Isidorus: *Ballista magna vi jacit, aut hastas, aut saxa.* Meminit etiam magnarum & parvarum ballistarum simul Rolandinus *lib.* VIII. *cap.* XIII. *Erat enim porta* (Turrisellarum, prope quam hæc Patavii scribo) *defensa turri fortissima* (unde illi nomen) *& in sublimi ballistis magnis, & parvis plurimis præmunita sudibus, & lapidibus ponderosis.*

Quamobrem, ut ex dictis omne Scriptorum hac de Machina dissidium tollam, cum Vitruvius *lib.* x. *cap.* XVI. *Lapides*, Vegetius *lib.* IV. *cap.* XXII. *Spicula* ballistis emissa scribunt, eos nequaquam inter se dissidere senties, si Vitruvium de Majore, Vegetium de Minore ballista locutum noris.

Quid, quod præter faces, lanceas, sagittas, saxa, spicula, & id genus alia, fœtida quoque bestiarum cadavera in altum ballistis jacta, quæ consummato cursu in hypotemusæ tramite magno impetu è sublimi per cathetum, seu præcipitium caderent in subjecta loca, impetuque, vel fœtore infestarent obsessos, Stewechius *ad Vegetium* scribit, talique arte & machina pertractos ad deditionem eos, qui munitissimam Arcem in medio Rheni collocatam, juxta oppidum Rheinfeldense, tenuerant? Verbo dicam. Jacta ballistis olim, quæcumque incidissent in manus, stercora quoque ipsa, & fœtores omnes. Diserte *Leodicense Chronicon*, laudatum ante: *Leodicenses Castrum de Argenteal fortiter impugnare cœperunt, jactis lapidibus magnis mangonalibus, & fuso metallo in vasculis terreis, ferroque candenti projecto, tandem stercoribus etiam injectis.* Habes porro Balistam generis utriusque, calamo, quasi penicillo, expressam, in allatis Ammiani verbis, lineis vero delineatam, & effectam ad similitudinem veri opera Roberti Valturii *de Re militari*, Lipsii lib. III. *Poliorcet.* Jucundi Veronensis, & God. Sewechii ad cap. XXII. lib. IV. Vegetii, quos adeant rerum hujuscemodi curiosi.

Sequuntur Mangani Synonyma reliqua, & hæc inter, loco Ballistæ proximo, *Ædificia.* Rolandinus *lib.* VI. *cap.* VI. *Erant enim* XIV. *ædificia trabucantia undique ipsam Rocham, & rotabant Ædificia quædam lapides ad ipsum Castrum ponderis librarum* MCC. *& ultra.* Et *lib.* XII. *cap.* XIV. *Circa finem Augusti sequentis impugnare cœperunt locum, & inimicum nunc Ædificiis, & trabuchis, nunc predariis, & ballistis.* Maurisius pag. 74. *Imo etiam quinque ædificia, contra ipsos Paduanos parata ad læsionem, ipsis palam exeuntibus, combuxerunt cum maximo Paduanorum obprobrio.* Et 25. *Vicentini autem, & Tarvisini, videntes Paduanorum fugam, & ipsi fugierunt, multa spolia in campo, & ædificia omnia dimittendo.*

Ædificiis *Arcubalistam* subdo, ut ordinem literarum servem in his afferendis machinis, inter quas affinitas intercedit. Vtitur ea voce Vitruvius *lib.* x. *cap.* I. cujus à me verba producentur in *Scorpione* infra.

Accedit his *Balarica machina*, qua de Guntherus *Ligurini* III.

Exstruitur miræ Balearica machina molis,
Quæ valido longum transverberet aera tractu.

Reliqua videantur in *Funda.*

Veniunt huc etiam *Bricola*, *Briccola*, & *Bricholla.* Blondus lib. III. *Triumphantis Romæ: Ballistam majores dixere prisci trabem validam, ita libratam, ut cum pars densior ponderibus attracta descenderet, elevata proceritas sua funiculis, quos haberet alligatos, funda saxum maximi ponderis longe emitteret. Eique maxime nunc machinæ Brichollæ est appellatio.* Helias Capreolus Brixiensis lib. IV. *Historiæ patriæ: Præterea inventa sunt etiam hac tempestate plura præsertim bellica instrumenta, quæ sua nomina sortiri necesse fuit. Hinc aliquando Ballistæ (alias tamen Scorpiones) Bricolæ quandoque, bombardæ, sclopetti, suis, quæ sunt sortita, nominibus si appellentur, non incongruum certe videri debet.* Inde Corius hæc Morenæ (*cum machinis, & petreriis*) patrio sermone reddens, inquit, *Con infinito numero di Bricole, & Mangani.* Bricolæ siquidem machinæ & ipsæ, saxis rotandis aptæ. Capreolus lib. VII. *Historiæ* laudatæ supra: *Sed conjicientibus in ipsa castra saxa è machinis, quas Bricolas appellant, civibus, ejusque tentoria cum maximo militum terrore prosternentibus, iræ plenus ad propugnaculum, quod diximus, in monte digno mittit.* Quamobrem nihil omnino discriminis intercedebat inter *Bricolam*, & *Trabuchum.* Hieronymus Magius *Miscel.* lib. I. cap. I. *Trabuchi machinæ lithobolæ, (ejusdem fere generis sunt & Briccolæ vocatæ) quibus Avorum nostrorum memoria vasti molares in hostes jaciebantur, quibus Turcarum Imperatorem, dum Eubœam expugnaret, usum esse, atque his nedum saxa prægrandia, sed etiam equorum integra cadavera putrescentia, intra urbem esse ejaculatum constat. Quamquam & maximis ea in oppugnatione Bombardis muros quatiebat. Hujusmodi Trabuchos seu Bricolas aliquot, se olim Alexandriæ in Ægypto conspexisse mihi narravit Vir Clarissimus, Thomas Contarenus, maritimarum, terrestriumque copiarum Venetæ Reip. superioribus annis Imperator.* Solebant porro Bricolis (ut idem quoque Magius adnotavit) ex editioribus locis, turribusque ipsis saxa potissimum ejaculare: quanto nempe de excelsiori loco missilia exeunt, teste Vegetio lib. IV. *de Re militari* cap. X. tanto longius penetrant: ejusque rei nos admonet liber tertius Juris Municipalis Florentinorum, in quo Cives privatim in turribus Bricolas habere prohibentur.

Progredior juxta literarum ordinem à Bricolis ad *Catapultam. Catapulta* Græca plane vox, ἀπὸ τῆς πέλτης, quæ, auctore Hesychio, δόρυ, καὶ ἀκόντιον, *hastam* pariter & *jaculum* notat. Plautus *Curc.* Act. V. Sc. III. *Atque ita te nervo torquebo, ut catapultæ solent.* Ea vero, æque ac Balista, duplex. Una lapidibus, altera telis jaciendis apta. De prima loquuti, Cæsar lib. I. *Belli Civ. Centones insuper injecerunt, ne aut tela tormentis emissa tabulationem perfringerent, aut saxa ex catapultis lateritium discuterent:* & Sidonius:

Non quæ stridentes torquet catapulta molares.

De secunda Polybius, cum illam disjunxit à petrariis & machinis, in Philippi Macedonis apparatu: *Conductis in unum catapultis centum quinquaginta, petrariis machinis, sive ballistis vigintiquinque:* & Plautus *Capt.* Act. IV. Sc. I. *Cubitus Catapulta est mihi*, id est, *pugno longior*, comparatione ducta à catapultæ telo. Faciunt huc & ista Festi: *Trifax telum longitudinis trium cubitorum, quod Catapulta mittitur.* Et Appiani in *Libyco: Ligna crassa bicubitalia tanquam catapultis è manu emissuri erant.* Sed notum ex aliis etiam hoc discrimen. Idem Appianus in *Iberico: Catapultæ turribus impositæ, & quæ spicula mitterent, & quæ saxa.* Et in *Libyco: Acceperunt Catapultas hasti- & saxi- jaculas.* Et ob hanc communionem Aristophanis Scholiastes: *Catapulta genus machinæ, è quo jacula, & alia quædam mittunt, puta saxa, aut globos è plumbo.* Et Archidamus apud Plutarchum, qui cum telum Ca-

Catapultarium vidisset, tum primum è Sicilia allatum, dixisse fertur, Ὤλετο ἀρετὰ, *periit virtus.* Catapultarum divisionem aliam eruit è Livio Lipsius, putatque Majores illi Catapultas esse, quæ telum trium fere cubitorum emitterent; Minores, quæ dimidiatum tantum. Vegetius ex ratione diversa, qua tenditur Catapulta, Ballistam ab illa separat *lib.* X. *cap.* XV. Lipsius alibi ex diversitate teli, quia nempe Catapultis emitteretur acutum ferrum ac telum, auctore Josepho, qui propterea, lib. V. *Excidii*, Catapultas ὀξυβελεῖς vocat, ballistis vero lapis obtusus. Sed hæc, & id genus alia, palam abunde fecerint variæ Catapultarum formæ, quas apud Ammianum *lib.* XXIII. Gulielmum de Coul, J. Lipsium, God. Stewechium videre licet. Non semper autem Catapultæ nomine designari machinam ipsam, quæ telum jaceret, sed interdum telum etiam ipsum, ex Turnebo disces lib. XV. *Adversf.* cap. I.

Cazafustum pone Catapultam subit, Machina scilicet sudibus acutis ejaculandis nata. Sudes nempe quoque jacti de turribus ad propulsandos hostes. Rolandinus *lib.* VIII. *cap.* XIII. *Erat enim Porta defensa multum magno castro quodammodo, utpote castellata domo lapidea, quæ fuit olim Apicacauræ, defensa turri fortissima, & sublimi; balistis magnis, & parvis plurimis præmunita, acutis sudibus, & lapidibus ponderosis.* Aut certe (quod aliis arridet magis) à *Fustibalo* non diversa. Meminit ejus machinæ Rolandinus idem in laudato loco: *Nihilominus nisi sunt defendentes, inimicos repellere, eosque fugare, & figere nunc lanceis, nunc sagittis, fundis petras rotantibus, & sonantibus Cazafustis.*

Clita quid esset in his Auctoris *Vitæ Caroli Magni*: *Paraverunt Clitas ad debellandum per virtutem Castrum; sed Dei virtus superavit eorum virtutem*, nescire se quidem fassus est, aut certe nolle quærere Lipsius lib. III. *Poliorcet.* Dial. III. Sed, ut illam his ego machinis accenserem, in caussa fuerunt ii, qui similem fuisse censent *Manganellæ, Petrariæ, Manganello*, & hos inter Cl. & eruditissimus Barthius in *Adversf.* lib. XLVI. cap. XXII. Nominavit id quoque machinæ Paullus Diaconus in excerptis Festi, sed qualis ea machina fuerit non expressit.

De *Funda*, quin hujus sit ordinis, ambegerit nemo, vel leviter literis hisce nostris tinctus. Ea nempe lapides perpetuo jacti. Isidorus lib. XVIII. cap. X. *Funda dicta ex eo, quod ex ea fundantur lapides, id est, emittantur.* Nero *cap.* XVII. *Lignum longum interpositum in figura reflexi angonis, quales sunt ii, qui lapides jaciunt, Monangones, quos nonnulli Fundas vocant.* Ammianus *lib.* XXIV. *cap.* IV. *Post machinam Scorpionis architectus forte adsistens, reverberato lapide, quem artifex titubanter aptaverat Fundæ, obliso pectore sauciatus, profudit animam.* Eo vero *Funda* dissidet à *Ballista*, quam alii *Balearicam* vocant, seu *Balearem fundam* (quia Balearium inventum fundæ) quod Funda minoribus, Ballista grandioribus lapidibus inserviret. Guntherus *Ligurini* IX. eo de discrimine clarius meridiana luce:

> ———— *lapides agitata minores*
> *Funda rotat, magnos Balearica machina muros*
> *Incutit, & duro munimina verberat ictu.*

Quin ob id etiam, quod funda proprie sit Ballistæ pars, receptaculum scilicet lapidis à ballisterio jaciendi. Ballisterium enim mihi potius tota ipsa est machina, quam locus, unde ballistæ emitterentur. Ita vero fundam Ammianus cepit, cum scripsit *lib.* XIX. *cap.* VII. *Post Scorpionum ferreas fundas rotundi lapides subinde jacti.* Sic & Zonaras in *Constantino*: *Cum lapides centenarii fundis jacerentur machinarum.* Et *Hispanum Chronicon* laudatum Lipsio: *Pelagium castissimum juvenem, Abderamini Tyranni jussu, funda machinali trans Bætim fluvium emissum, & scopulosis rupibus illisum tradunt.*

Se produnt post Fundam ordine, *Fundibalus*, sive *Fundibalum* notione pari. Isidori *Dict. vetus* lib. XVII. cap. X. *Ballista genus tormenti, ab emittendo jacula dicta. Βάλλειν enim Græce mittere dicitur. Torquetur enim verbere nervorum, & magna vi jacit aut hastas, aut saxa. Inde Fundibalus, quasi fundens, & emittens.* Hegesippus *lib.* V. *cap.* XLIV. *Fundibalo ictus, in eadem voce amisit spiritum.* *Fundibalum* D. Hieronymi est, qui σφενδόνας, machinæ genus, recensitum *Machabæorum* primo, cap. VI. *Fundibula* Latine vertit. *Fustibalum* Vegetius machinam eandem dixit, indeque *Fundibulatores* duxit. Verba sic illius habent. *lib.* III. *cap.* XIV. *Fundibulatores sunt, qui Fustibalis lapides jaciunt. Fustibalus fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & utraque manu impulsus, prope ad instar Onagri, dirigit saxa.* Sed cur non potius, ut à Funda Fundibulatores, sic à Fustibalis Fustibalatores, aut Fustibulatores à Fustibulis, de quibus *Leodiense Chronicum* laudatum ante, *Episcopus misit Leodium Mangonalia, seu Fustibula*: & Dictionarium vetus, *Fundibula, æ, funda, Fundibalus, Fundibularius, & Fun-*

A *diballista eodem sensu, id est, cum funda jaciens, & emittens*, dicti? In sanioribus profecto Vegetii libris, observatore Lipsio lib. IV. *Poliorcet.* Dial. III. *Fustibalatores*, pro *Fundibalatores*, à *Fustibalo* legere est. Atqui tu ex Dictionario illo vetere collige, nil aliud *Fundibulam* esse, quam machinam ipsam; *Fundibulum* vero nil aliud, quam personam, quæ machinam adhibet, quo sensu capi quoque possit *Fundibalus* Isidori: quemadmodum & in *Glossario* Veteri *Fundibali*, Λιθοβόλοι: Λιθοβόλος, *& machina, & homo* dicti. Addo mantissæ loco, quod habet Gemmarum Gemma, *Fundibula, id est, Funda. Fundibulum idem.*

Ingenium pari vi legitur in Veterum monumentis. Beka laudatus alias in *Mangena*: *Oppidum de Zirxe jam tertio cinxit obsidione gravissima, quod Mangenis aptis, cattis, & cæteris ingeniis lacessivit insultatione creberrima.* Leodiense Chronicon, mihi quoque productum, in *Mangonali*: *Episcopus misit Leodium, nescio quæ ex his ingeniis in si-*
B *gnum, quod intendebat castra solo æquare.* Inde *Inzignerius* in Rolandini scriptis *lib.* XII. *cap.* XIV. *Ad hoc deventum est tandem quod vir quidam nomine Mesa, de his scilicet, qui erant cum Albrico, & erat Inzignerius, sive Magister Castri*, &c. *induxit ad tantum Theutonicos quosdam*, &c.

Tales quoque fuerunt Magistri duo ingeniosissimi, *Marchisius*, & *Quintelinus*, de quorum primo Noster col. 979. lit. C. de altero col. 998. lit. A. Nec adhuc exolevit ea vox, quippe & nostratibus Italis, quicumque machinas antea non visas, & à se excogitatas, conficiunt, aut cuniculos novos effingunt, aut novas munitiones, & fortalitia excogitant, ii, *Mastri*, & *Ingegneri*, dicuntur ab *ingenio*, sine *machina*, cujus ergo, apud Belgas etiam Opifices hujuscemodi, *Ingenieurs* audiunt vulgo; & apud Gallos *ingeniosus* dicitur *ingenieux*. Sic & apud Mussatum Nostrum lib. IV. *de Gestis Henrici VII. Aug.* Rub. III. idem *Ingeniosus* sonat. *Cæterosque ad expugnationem cum balli-*
C *starum, tormentorumque omnis generis apparatibus ingeniosos ad Castri oppugnationem sero præordinat.* Videnda *Glossaria Latino-barbara* Lydii, & Pithoei.

Librilia huc etiam pertinent, bellica & ipsa instrumenta Festo, saxa scilicet ad brachii crassitudinem in modum flagellorum revincta loris. Cæsar lib. VII. *Belli Gall. Fundis, librilibus, sudibusque.* Unde *Libratores*, iis utentes, dicti. Tacitus *Annal.* II. *Sensit Dux imparem cominus pugnam, remotisque paulum legionibus, funditores, libratoresque excutere tela, & proturbare hostem jubet.* Et *Annal.* XIII. *Libratoribus, funditoribusque attributus locus, unde eminus lapides & glandes torquerent.* Idcirco re tota suis librata ponderibus & momentis Lipsius, recte *Librilia* à *Fundibalis* non sejunxit.

Poscit his *Machinamentum* jungi. Hesychius: Μάγγανα, Μαγγανήματα. Alii *Machina*, *tanquam* μηχάνημα. Livius *lib.*
D IV. Belli Punici: *Turres contabulatas, machinamentaque alia quatiendis muris portabant.* Tacitus lib. XV. *Annal. Adiabeni, cum promovere scalas, & machinamenta inciperent, facile detrusi. Machinamenta* de tormentis dixit etiam Seneca *Consolatione ad Marciam* cap. XX.

De *Mangano* dixi alio loco.

Manubalistam invitus omiserim, cujus ita meminit Vegetius *lib.* IV. *cap.* XXII. ut eam re minime separet à Scorpione, *Scorpiones dicebant, quas nunc Manubalistas vocant.*

Onager succedit proxime, quo de Scriptor idem in laudato loco: *Onager dirigit lapides, sed pro nervorum crassitudine, & magnitudine saxorum pondera jaculatur. Nam quanto amplior fuerit, tanto majora saxa fulminis more contorquet.* Ammianus machinamentum istud assimilat Scorpioni, Bricollæ Blondus. Origo nominis ex eo, quod Asini feri, quos *Onagros* appellavit antiquitas, cum ve-
E natibus agitantur, ita eminus lapides calcitrando post terga emittant, ut perforent pectora sequentium, aut diffractis ossibus capita ipsa displodant, quod ipsum præstat hæc Machina. Ita plane censuit Ammianus. Gesnerus etymon aliud duplex adducit, unum, quod ab ὄνος, ducit, qua voce significatur *vectis*, quo machinæ versantur, & ἀγρεύειν, quod est *comprehendere*, quasi sit *vectis ad comprehendendum aptus*: alterum, quod *ab uncis* derivat *ferreis*, quos *Onagros* aliqui nominabant, ut Suidas docet. Solebant enim hujusce machinæ summitati unci nescio qui ferrei copulari, ex quibus penderet stupea, sine ferrea funda, quod ejus ex forma liquet, quam exhibuit Ammianus.

Organum huc etiam venit. Vitruvius de eo *lib.* X. *cap.* I.
F ubi de Tractoriis machinis ei sermo: *Sunt ex his alia, quæ mechanicῶs, alia quæ organicῶs moventur. Inter Machinas & organa id videtur esse discrimen, quod Machinæ pluribus operibus, aut vi majore coguntur effectus habere, uti ballistæ torculariumque prœla. Organa autem unius opere* (forte *operæ*) *prudenti tactu perficiunt, quod propositum est, uti Scorpionis, & anotocyclorum versationes.*

Petraria, corrupte *Petreria* Nostro, *Prædaria* Rolandino.

dino. Ita vocabatur imis olim temporibus ea belli machina, quæ antea dicebatur *Scorpio*, vel *Onager*, uti me Vulcanius ad Warnefridum docet. Nicetas hujuscemodi instrumenta, πετρόβολα ὄργανα indigetat, iisque maxime Barbaras gentes usas asserit lib. III. *de Alexii gestis:* Ἀλλὰ καὶ τὰ πετρόβολα μηχανήματα, οἷς ἐχρῶντο οἱ Βάρβαροι. Athenæus λιθόβολον, *patrariam* appellavit, itaque paucis adumbravit: Πρεταλαντον λίθον ἀφέσις, καὶ δωδεκάπηχυ βέλος. *Petraria, machina lapidem jaciens trium talentorum, & hastam duodecim cubitorum.* Lipsius lib. III. *Poliorcet.* Dial. III. *Talia igitur, & plura nomina in novellis Historiis, atque in iisdem Petrariæ haud obscura voce, & quæ exprimat Græcorum* πετροβόλους. Erant enim *Petrariæ* sine dubio machinæ, quibus ab obsidentibus & obsessis lapides, ut plurimum magni, in hostium urbes & castra jacti, grandes, inquam, fundæ, usitatæ ante inventionem nitrici pulveris, & sclopeti, quales se superstites vidisse testatur Barthius in Turri prææalta ad Rhenum, quæ *Catta* dicitur, opposita Rheninfelsio Castro. Familiaris ea vox cumprimis Græcis. Polybius in Philippi Macedonis apparatu: *Conductis in unum catapultis quidem centum quinquaginta, petrariis machinis, sive ballistis vigintiquinque.* Et apud Latinos frequens. Diodorus *lib.* XX. *Petrariis, & machinas hostium, & murorum, qui in aggere, partim concussit, partim dejecit, ut qui murus illis temporibus debilis, & humilis adhuc esset.* Vita Caroli Magni de Saxonibus: *Præparaverunt pugnas, & machinas, ut Castrum vi caperent, Deoque volente Petrarias, quas paraverant in suo plus damno senserunt, quam illi de Castello.* Et alibi: *Aptatis juxta murum Petrariis, & Manganellis, & Trojis.* Godefridus Monachus in *Annalibus*: *Nec esset aliquis inter eos, qui milites ad stipendia, & seriantos ad solidum detineret; vel qui Petrarias faceret protrahi; nec alia instrumenta produci.* Bigordus in *Philippo*, Francorum Rege: *Fracta turre cum Petrariis, & Manganellis, & muris confractis.* Et infra: *Omnibus Petrariis, mangonellis, papilionibus, & aliis belli utensilibus dimissis.* Gul. Brito in libris *Philippidos* non una vice. Libro nempe primo:

Protinus egreditur Petraria plurima, quæ non
Assidue cessat lapides emittere jactu.

Secundo:

——— *Petraria plurima surgens,*
In muros lapides, & saxa rotantia misit.

Tertio:

Interea grossos Petraria mittit ab intus
Assidue lapides.

Petrus Maurisius Statutorum Cluniacensium Scriptor in Poematis, emendante Doctissimo Barthio lib. LXV. *Advers.* cap. X.

Quid modo, si pariles notet ejus penna jugales,
Paulinum sanctum, Therasiamque suam,
Nonne tuum feriet Petraria turbine murum,
Æmule, quo tua mox mœnia cuncta ruent?

Cum antea mendose carmen ita tertium legeretur.

Nonne tuum feriet saxosa turbine murum.

Nec istic prætermiserim Rolandinum, cujus ætate usus ejus vocis, & machinæ frequens in Marchia Tarvisina. Sic enim ille *lib.* I. *cap.* XII. *Rocham obsedit hostiliter machinis, & Predariis, pro posse destruens, & confringens.* Et *lib.* X. *cap.* XII. *Sciebat autem, quod Montesilicanos die, ac nocte multum offenderet, lapidando cum Predariis, & rumpendo eorum tecta.* Vide loca Scriptoris ejusdem reliqua in *Ædificio*, & *Trabucho*.

Ea re factum, ut *Petraria* diceretur etiam instrumentum quoddam, sacris olim torquendis Martyribus usurpatum: ita nempe factum, ut appensis lapidibus peracuta illa saxa corpori subjecta distraherentur, & deducerentur velut membratim. Vincentius Barralis de Virgine Christi, *Deivota* nomine, torquenda: *Iterum, jussit eam sævissimus Præses* (Euticius) *ligatis manibus, & pedibus per petrariam* (non, ut in vulgatis perperam, *perpetratim*) *acutissimam trahi, ut omnia membra ejus disjungerentur.*

Nec soli lapides Petrariis jacti, sed & hastæ, quod in Athenæo vidimus; quin & alia præter hastas & lapides, ut indicat Warnefridus lib. V. *de Long. gestis* cap. VIII. *Jussu Imperatorum caput ejus abscissum est, atque in belli machina, quam Petrariam vocant, in urbem projectum est.* Video præterea genus id machinæ, *Bibliam* dici duobus in *Leodiensibus Chronicis* productis ante. Horum enim in altero hæc habentur: *Episcopus misit Leodium mangonalia*, &c. *vineas, Biblias Petrarias, sive Cattos versatiles*, &c. In altero: *Bibliam Petrariam, & cætera bellica instrumenta.* Docuit ad hæc Kilianus, Petrariam fuisse. *Manganum Petrarium vulgi*, cujus hæc in ore sint nomina *Ballistæ* loco: *Manga, Mangana, Mango, Manganellus, Mangon, Manago, Manganicum tormentum, Manganum petrarium*, &c. Mea demum animadversio est, Rolandinum hanc machinam *Tortirellæ* nomine denotasse, qua de loco suo infra.

[A] Referre par est etiam *Scorpionem* in album istum. Ammianus enim rem eandem *Scorpionem*, & *Onagrum* ducit *lib.* XXIII. *cap.* IV. laudato alias in *Onagro*, licet ei Vegetius refragetur *lib.* IV. *cap.* XXII. Primi siquidem sententia est, *Scorpione* lapides, *Ballista* sagittas emitti solitas: Vegetii contra, quod indicant, quæ sequuntur: *Scorpiones dicebant, quas nunc Manubalistas vocant, ideo sic nuncupati, quod parvis, subtilibusque spiculis mortem inferant;* cum hæc Ammiani sint: *Per scorpionum ferreas fundas rotundi lapides subinde jacti.* A Vegetio Vitruvius est *lib.* X. *cap.* I. Vulgus, quod hujusmodi machinam *Arcubalistam* vocat: ii demum omnes, qui machinam eandem, dictam *Scorpionem* volunt, quod ejus arcus hinc atque illinc chelarum similitudine præ se ferant spiculum caudæ scorpionis. Isidorus neutri parti hærens pro se tantum suffragium tulit. Cepit enim is *Scorpionem* pro telo ipso, non pro tormento, quo telum ipsum emittitur, *libro*
[B] XVIII. *cap. de Sagittis*, in hæc verba scribens: *Scorpio est sagitta venenata, arcu, vel tormentis excussa, quæ, dum ad hominem venerit, virus qua figit infundit, unde & Scorpio nomen accepit.* Visusque, ea dum scriberet, Isidorus ob oculos habuisse Tertulliani illa in *Scorpiaco*: *Bellicam machinam, & retractu tela vegetantem de Scorpio nominant. Id spiculum, & fistula est, patula tenuitate in vulnus, & virus qua figit effundit.* Quibus è verbis duo fuisse docemur in Scorpione, mucronem scilicet, & canaliculum ad eum, qui venenum infunderet. Aut ista Nonni, *Scorpio genus teli l. id. v. q. f. virus effundit.* Alii Scorpionem cum Ballistis & Catapultis miscent. Hirtius in *Bello Africo*: *Cæsar in castris scorpionum catapultarum magnam vim habebat.* Seneca *Quæst. Nat.* II. cap. XVI. *Ballistæ quoque, & Scorpiones tela cum sono expellunt.* Inde Scorpiones *Minores*, & *Majores* Livio: *Carthagine nova inven-*
[C] *tum Scorpionum majorum, minorumque, & armorum, telorumque ingentem numerum.* Et infra: *Scorpiones majores, minoresque ad* LX. *captos scripserim, si auctorem Græcum sequar Silenum*, &c. Quippe *Majores* illi, qui majoribus; *Minores*, qui minoribus spiculis necem inferrent ballistarum more.

In suppliciis etiam Martyrum locum habuit *Scorpio*, tormenti genus acutissimorum flagellorum, à ferreis nimirum vinculis, quibus lora armata erant, quo facilius corpus torquendum dilacerarent; sed hæc alterius loci.

Sui me nunc admonet *Tortirella*, eo quippe nomine *Petraria* Rolandino dicta *lib.* X. *cap.* I. *Fovea quidem facta, constructum est ibi spaldum trabeum, longo tractu fortissimum, & condensum. Turres quoque ligneæ, Tortirellæ, sive Prædariæ, certis locis, ut, si temerarius inimicus accesserit, redeat cum pudore & damno.*

Trabuchus & ipsa machina lithobola est, eaque mola-
[D] res vasti in hostes missi. Usus hoc etiam nomine Rolandinus *lib.* VI. *cap.* VI. *Impugnavit intrinsecos ædificiis multis, scilicet Belfredis, Predariis, & Trabuchis*, pro *Betifredis, Petrariis, & Trabuchis.* Et *lib.* XII. *cap.* XIV. *Impugnaverunt locum, & inimicum nunc ædificiis, & Trabuchis, nunc predariis & ballistis.* Alias, *Ædificium trabucans* eadem ab eodem machina nuncupatur. Vide, quæ hac ipsa de machina supra diximus in *Bricolla*. Cæterum ea quoque vox in Maurisio, cujus nunc Historia editur, opera nostra recognita, & defæcata: *Apud Montursium Castrum*, &c. *castrametatus est, illudque per quadraginta dies strictissime obsidendo die, noctuque cum machinis, & Trabuchis, & balistis; militibus, & peditibus expugnando, tandem obtinuit.* Et infra: *Post hæc die Veneris proxime venientis, ivit D. Albericus ad exercitum Veronensium cum Vicentinis, & apud Castrum S. Bonifacii castrametatus est,*
[E] *cum trabuchis illud Castrum fortiter expugnando.* Et in *Historia Novocomensi* Benedicti Jovii lib. I. pag. 53. *Anno sequenti* (CIↃ. CCXCV.) *Comenses Arcem Menasii ab incolis deposcebant, & quia non dederetur, armis oppugnare cœperunt, deductis eo machinis octo, quas Trabucos appellabant.*

Sequitur *Tribucetum*, machina *Mangonali*, sive *Fustibulo* par ex *Chronico Leodiensi* laudato alibi in *Mangonali*.

Et *Tormentum*, *quo omnis explicatio torquetur*, potius quam, *quod omnis explicatio torquetur*, ut Ammianus inquit *, cum Tormentum nequaquam sit id, *quod torquetur*, sed, *quo lapides & alia ejus generis tela torquentur.* Glossæ: *Tormentum* Βεβάνος. *Tormenta* μάγγανα πολεμικά. Alii: *Tormenta, instrumenta bellica ad diruenda oppida, & evertendas urbes, sic dicta, quod tela torqueant,*
[F] *hoc est, gyro celeri saxa rotent, jaciant, & mittant.* Livius *lib.* XXIV. ab V. C. *Adversus hunc navalem apparatum Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris disposuit, in easque, quæ procul erant, naves saxa ingenti pondere emittebant.* Josephus *Belli Judaici* lib. VI. *Habebant etiam ballistas* CCC. *&* L. *tormenta saxorum, quibus difficiliorem aggerum exstructionem Romanis efficiebant.* Cicero *Phil.* VIII. *Quid? ille faceret inducias? ante Consules, oculosque lega-*

* Lib. XXIII. cap. IV.

torum tormentis Mutinam verberavit. Virgilius *lib.* XI.

——— percussus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe, & vitam dispergit in auras.

Et *lib.* XII.

——— murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt.

Seneca lib. II. *Quæst. Nat. Nubium intra se compressarum angustiæ medium spiritum emittunt, & hoc ipso inflammant, ac tormenti modo exciunt.* Mussatus lib. IV. *de Gestis Henrici VII. Aug.* Rub. III. *Cæterosque ad expugnationem cum balistarum, tormentorumque omnis generis apparatibus ingeniosos ad Castri oppugnationem sero præordinat. Tormenta* pariter missilium instrumenta sunt, à torquendo dicta. Firmianus *lib.* VI. contra Gentes: *Urbe à Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt.* Seneca lib. I. *de Ira: Quum opus est, concitatur remittiturque, non aliter, quam, quæ tormentis exprimuntur tela, in potestate mittentis sunt, quantum torqueantur.* Cæsar, & pro *Machina*, & pro *Telo* Tormentum adhibuit. Primo sensu lib. II. *Com. Ad extremas fossas castella constituit, ibique tormenta collocavit.* Altero lib. II. *Belli Civ.* ubi *Tormenta mittere*, nil est aliud, quam *tela mittere*, ut omnes norunt.

Fuerunt & alia ejusdem fere generis in usu priscis *Ingenia*, aliis & aliis hujuscemodi nominibus insignita; sed ignota nobis, sive, quod libri multi de Mechanicis adhuc in Bibliothecarum tenebris delitescant; sive, quod ea fere omnia desierint in usu, aut pretio esse post inventam, ad humani generis perniciem, *Bombardam*, machinam vere fulmineam, & omnium impetuosissimam, planeque (ut ille scite loquitur) Cyclopeam.

Verum enim vero mihi bellum aliud adhuc bellandum restat, post tot eductas machinas bellicas, & tormenta Martis, antequam Notæ hujus bellicæ receptui canam. Concilianda scilicet dictis Morenæ fides ex aliorum scriptis, & eorum maxime, qui Terdonam, ut ille, *Machinis & Petreriis* (cujus ergo de bellicis his, & similibus instrumentis disseruimus hactenus) evictam & oppugnatam tradunt. Bello bellum istud libens, ac lubens, nec segnis ad Frisingensis tubam, quæ clare de Terdona obsessa clangit: *Nec mora machinæ diversorumque tormentorum genera fabricantur. Sagittarii, Ballistarii, Fundibularii arcem circumseptam obsident.* Et infra de Terdonensibus: *Urgentur jaculis, urgentur ballistis.* Succinit Frisingensi Guntherus, nec minori sono:

Protinus ingenti muralia pondere Princeps
Attolli tormenta jubet, quæ grandia saxa
Incutiant, validis agitato verbere muris.
Quippe superveniens hostiles machina turres
Despiciat, missis & desuper implicet hastis,
Quæ levibus subjecta rotis, aut fraude latenti
Suffodiat validos, aut pulset turbine muros.
Tunc jaculis strident auræ, levibusque sagittis
Sibilat excussum ballistæ turbine cælum,
Fundaque fatifero tenerum secat aera plumbo.

Quibus adjicio calculum Godifredi, qui de eadem urbe, cum obsideretur:

——— inde paratur
Talpa cavans, aries mangonibus injaculatur.

Et Sigonii, qui ex his: *Varii generis machinis adhibitis, qua parte muri infirmiores videbantur, oppugnat.* Et infra ex Frisingensi: *Quadam etiam die lapis impetu ballistæ, quam Manganum vocabant, propulsus, frustis ex parietum percussione confractis, uno ictu tres milites armatos prostravit inter principes civitatis, qui prope Basilicam de summa rerum capiebant consilium stantes.*

359 USQUE IN DIEM ...... *sequentis mensis Aprilis*] Cotius, *Usque in diem similem; decimum* nempe *tertium sequentis mensis Aprilis.* Frisingensis *lib.* II. *cap.* XXI. *Usque ad tertiam post Paschalem solemnitatem hebdomadam mense Aprilis.* Cavitellius, cujus ex *Annalibus* expleri Morenæ jam excusi lacuna commode possit, *Usque ad diem quintam decimam Aprilis*, qua die Scriptor idem Terdonam æquatam solo prodidit, factum id asserente Bossio *decimo octavo Mensis ejusdem die;* Folieta vero, *post duorum circiter mensium oppugnationem.*

360 UGONE VICECOMITE] Consentiunt hoc in Equite nominando cum Morena nostro Cavitellius, Bossius, & alii plerique Scriptores omnes Mediolanensium & Italicarum rerum.

361 ALIISQUE QUAMPLURIBUS *Mediolanensibus*] Zanino, sive *Joannino Maynerio: Lanfranco Crucio*, sive à *Cruce: Albertino Carato*, qui aliis, *de Carate: Lanfranco Curtensi*, sive de *Curte: Ogierio*, sive *Ruglerio Sanctæ Mariæ;* quorum nobis omnium nomina, decus, & gloriam, perenniores ære quovis ac marmore literæ conservarunt. Atqui tum ex Germanis etiam non pauci desiderati sunt, & in his signate summæ nobilitatis adolescentes duo, *Kadolus ex Bojaria*, & *Joannes de Saxonia*, compluribus aliis vulneratis, ut eædem, nunquam intermoriturae, literæ tradidere.

362 PRECHERIIS] Mendose pro *Petreriis*, sive *Petrariis*, ut monebamus ante.

363 AQUAE PENURIA CONSTRUCTIS] Quo pacto eo penuriæ devenerint Terdonenses, abunde satis persequuti sunt, Frisingensis à *capite* XVII. *lib.* II. usque ad XIX. ejusdem *libri*, Guntherus *Ligurini* II. extremo, Sigonius *lib.* VI. qui in promptu omnes. Imo caussa potissima, ob quam ab obsessis Terdonensibus agi serio cœptum ferunt de tradenda Cæsarianis Arce, fuit defatigatio sitis ob aquæ penuriam, clare rem docente Frisingensi *cap.* XX. laudati libri, aliisque idipsum scribentibus ex eodem. Siti *tamen* adjicit Godefridus: *Hinc cibus arctatur, fons tollitur*, &c. Et ex illo Sigonius: *Interea omnibus famis, sitisque incommodis oppidani affictabantur.* Famis & solius aliqui meminere. Bossius: *Hoc præsidio* (Mediolanensium) *urbs quamvis omnia obsidionis mala experta, diu tutata est. Tandem fame urgente, dederunt se Imperatori.* Nostri porro verbis gemina plane sunt & germana Frisingensis illa: *Urgentur aquis amaricatis oppidani, intolerabili potus inedia, gravi sitis molestia*, &c.

364 CONSTRICTIS] De vocis hujus corruptione dubitare sobrius nullus potest. Lectio Med. Codicis est, *Conflictis*, quæ licet mihi & ipsa suspecta sit, propius tamen accedit ad loquendi formulas usitatas. Ob id inde, non male fortassis, effecerim, *Conflictatis.*

365 QUI IBI ADERANT] Guntherus:

Hic præter Cives, & signa domestica, multi
Intererant Ligures, paucis quos ante diebus
Urbs Ligurum, tantæ communis causa ruinæ,
Vana laboranti solatia miserat urbi.

Addideratque sese illis socium Malaspina Marchio, quem perperam idem Guntherus, *Apicium*, Bossius *Carocerum*, pro *Obicium*, sive *Opitium* vocant.

366 CIVITATEM] *Arcem* alii. Guntherus:

——— celerique relapsu
Evadunt, iterumque suam referuntur in Arcem.

Godefridus:

Undique Rex arcet, populus secedit ad Arcem.

Sed *Arx*, & *Civitas* Terdonensis, res una prorsus & eadem Scriptoribus ejus ævi. Frisingensis *cap.* XVII. *lib.* II. *Princeps nobilis Arcem ipsam, seu Civitatem, obsidione clausit.*

367 BURGUM] Haud alium Burgum intelligit, quam qui respiciebat Meridiem, Apenninum versus. Siquidem in eo tentoria Saxoniæ Ducis, ut ostensum supra.

368 CEPERAT] Indicat id apertissime Frisingensis *cap.* XVII. & alii ex ejusdem penu.

369 REGIS MANUS EVADERE NON POSSE] Quamvis ante ex desperatione audaciam uti sumpsissent. Clare & apposite Frisingensis *cap.* XX. *Tot impulsionum, ac maxime sitis defatigatione fracti, ultimaque desperatione correpti Terdonenses, tandem de reddenda per deditionis præsidium, pertractant arce.* Inde est, quod Federicus ipse suis in literis, ad eundem Frisingensem datis, Terdonam se per deditionem accepisse liquido testatus est; ideoque sic illi accinat Radevicus: *Derthonam, Civitatem munitissimam natura & arte, obsidentes, & post tres dies Burgo capto, postque multos assultus, multasque cædes hinc inde editas, Arcem per deditionem accipiunt.* Nec dissensit ab illis suis in carminibus Godefridus:

Proxima jam morti cedit Gens subdita sorti,
Introitum Regi patulis dedit undique portis.

Nec Bossius, cujus è calamo hæc habemus: *Hoc præsidio* (Mediolanensium) *Urbs quamvis omnia obsidionis mala experta, diu tutata est, tandem, fame urgente, dederunt se Imperatori.* Paullo aliter Guntherus *Ligurini* III.

Tandem, post multos bellorum hinc inde labores,
Et miseræ cladem, numerosaque funera plebis,
Expugnata magis, quam reddita, mœnia nostris
Cesserunt.

Et Urspergensis, qui eadem mente: *Hanc aggressus Imperator, expugnavit.* Itaque Pajarinus *per vim* omnino, *haud per deditionem*, captam Terdonam asserit lib. I. *Vicetinarum rerum: Federicus I. cui cognomen fuit Barbarossa, Imperator creatus, magno exercitu congregato, in Italiam venit, in Lombardiamque ingressus, Derdonam, tunc temporis insignem urbem, ejus mandatis non obtemperantem, per vim armis cepit, eamque in prædam militibus suis dedit.* Et hausit hæc ille propemodum omnia ex Supplemento *Chronicorum*, ubi leges, *Terdonam civitatem tunc insignem, eidem non obtemperantem, aliquandiu obsedit: quam cum tandem vi obtinuisset, militibus suis in prædam dedit.* Sed aliis omnibus præferenda, quæ Federicus ipse de se & Terdona scripsit, *eam* scilicet *à se obsessam, capi potuisse, nisi nox & maxima tempestas se cohibuisset, sed demum occupatam*

fuisse

fuisse per deditionem, ut initio dictum. Inde proprie subjecit Noster

370 REGI OMNES SE PENITUS TRADIDERUNT] Quippe verbum istud proprie deditionem notat. Ea vero facta suadente, imo cogente graviter, egestate, quæ, Ulyssis Homerici testimonio, non sinit unquam quempiam oblivisci sui, Mortalesque ad omnia tum ferenda, tum facienda, solet compellere. Certum hac de caussa Terdonæ deditionem factam, quam quod certissimum: non æque deditionis illius tempus. Variant enim mirum in modum Historici in illius die. Quamobrem, *Idibus* id *Aprilis* factum Corius & Sigonius docent: nonnulli XVII. sive XIV. *Kal. Maji*: alii demum, *tertia post Paschalem solemnitatem hebdomada, Aprili Mense*.

371 EO VIDELICET PACTO] Fuit pactum idem ob oculos Frisingensi, cum scripsit, *animabus solum ex miseratione & mansuetudine Principis saluti & libertati datis, direptam urbem & exitio datam.* Guntherus:

——— tantumque reis pro munere summo,
Id quoque vix Procerum precibus, multoque rogatu,
Est concessa salus.

Godefridus:

——— plebis membra tamen, vitaque salva manent.

Quod & alias à Federico factum. Urspergensis: *Astensibus captivis, tam viris, quam mulieribus, ultro misertus est.* Et alibi: *At ipse, sicut erat assuetus, de regia benignitate mulieres & parvulos conservari censuit.* Et pagina secunda proxime consequenti: *Quibus Imperator mitis effectus, utpote vir timens Deum, misericorditer permisit, ut de Castro & de terra cum mulieribus & parvulis exirent.* Fuit etiam tum pristinæ libertati redditus, liberalitate regia, quidam è Græcorum proceribus Princeps, quem Marchio Malaspina ceperat, & asperis locis inclusum, in ipsamet arce servabat, ut ex aliis disco.

372 FORAS EXISSENT] *Semivivi* potius, quam *vivi; semimortui*, inquam, *& vivorum hominum sepulturæ.* Ita Frisingensis Antistes, egressum hujuscemodi delineans & effingens: *Videres miseros oppidanos, cum jam securitate concessa demiseris claustrorum ergastulis ad liberam prodirent aeris temperiem, funebri facie tamquam de bustis egredientes imitari, in semet prætendentes, quod dicitur, omnium miserabilius esse claudi obsidione*, &c.

373 DUCIS] *Henrici de Saxonia*, qui Burgum jam ante ceperat civitatis.

374 EXPOLIANS] Guntherus post illa, *tantumque reis pro munere summo*, &c. *Est concessa salus*

——— in sortem cætera prædæ
Omnibus, & longi pretium venere laboris.

Capreolus *Hist. patriæ* lib. V. *Paullo vero post, quam Federicus cognomento Barbarossa in Italiam formidabili pene cum exercitu descendisset, Terdonaque primo spoliata, Mediolanum post solo æquasset*, &c. Et ante multo Jac. Philippus lib. XII. *Suppl. Chron.* ad an. 1155. *Federicus ejus nominis primus, cognomento Barbarossa*, &c. *Augustus factus confestim in Italiam descendit, ingressusque Lombardiam, Derdonam, civitatem tum insignem, eidem non obtemperantem, aliquandiu obsedit, quam cum tandem vi obtinuisset militibus suis in prædam dedit. Qua capta & spoliata celeri gressu Romam contendit.* Et ad an. 1162. *Derthonam, urbem sibi fidelem, ab eodem Federico spoliatam, & dirutam, atque incensam, ipse Gualvagnus magnanimus restituit.*

375 COMBURENS] Frisingensis: *Civitas primo direptioni exposita, excidio & flammæ mox traditur.* Godefridus:

Insita telluri Rex mœnia præcipit uri.

Sigonius: *Federicus ingressus urbem, primum direptione, deinde incendio vastavit.*

376 USQUE AD FUNDAMENTUM] Urspergensis ea de civitate loquens: *Hanc in ipso itinere aggressus Imperator, expugnavit & solo adæquavit, nihil eis valente auxilio Mediolanensium, in quo plurimum confidebant.* Cavitellius: *Terdonam in sui potestatem redegit, & solo æquari jussit die quinta decima Aprilis.* Folieta libro *Genuensis Historiæ* III. *At Federicus, Latinus Cæsar, cum Cæsariano diademate à Pontifice accepto in Longobardiam rediisset, Dertona urbe, post duorum circiter mensium oppugnationem, capta, & solo æquata, tantum sui terrorem cæteris proximis urbibus injecit, ut omnes metu ejusdem eventus, tributo ultro delato, se ab eo periculo & ab impetu hominis redimerent.*

177 DISSIPAVIT] Federicus ipse suis in literis ad Frisingensem: *Destructa Terdona, Papienses, ut gloriosum post victoriam triumphum nobis facerent ad civitatem nos invitaverunt.* Guntherus *Ligurini* III.

Ipsaque disjectis hostiliter undique muris,
Mœnia pulverea pessum sedere ruina.

Octavo:

Exemplo testata suas Terdona ruinas
Esse potest.

Et obiter decimo de eadem clade:

Stabat adhuc studiis hærens & fixa nefandis
Urbs Ligurum, nec dum cœptis desistere, vel tot
Cladibus ipsa suis, vel Cremæ sorte recenti,
Vel fatis, Terdona, tuis edocta volebat.

Otho à S. Blasio *cap.* VII. *Multis pro libito consumatis, omnibusque rebellibus subjectis, Terdonam, quæ sola restabat, obsidione cinxit, expugnatamque cepit, & destruxit.* Bossius: *Sequenti anno, quod summe Mediolanensibus displicuit, Terdonam destruxit.* Et alibi: *Tandem, fame urgente, dederunt se Imperatori, qui eam Papiensibus petentibus* XVIII. *Aprilis destruxit.* Possevinus Junior in *Gonzagis*: *Astam & Dordonam, quod obsidionem cogitassent, diruere.* Blondus in descriptione Lombardiæ: *Supra est Terdona civitas, quam, ad annum nunc sexagesimum supra ducentesimum, Federicus Imp. Barbarossus vastavit.* Georg. Merula lib. III. *Antiqq. Med. Derthonam rogatu Papiensium subruit.* Merula alter, Gaudentius nomine, lib. II. *Antiq. Gall. Cisalpinæ: Erat Rubrobarbus lingua, studiis, moribusque ipsis plane barbarus, hoc est, ignavus, perfidus, ferus, implacabilis. Hujusce rei indicio sunt certissimo contra jus Gentium vastatæ urbes, Asta, Derthona*, &c. Godefridus etiam, urbis hujus excidium carmine persecutus, sic illud auxit, ut eam ter à Federico desolatam scribat:

Inde cadunt muri populi digne perituri.
Sic Terdona ruit, quæ satis alta fuit.
Inclyta Terdona, nimis irascente Corona
Victa ruit prona, capiens tria tristia dona;
Quippe tribus vicibus diruta tota domat.

378 HIS ITAQUE PERACTIS] Deflectit hic à semita Nostri Corius, quam hucusque pressit, & ad ea transit, quæ Genuenses egisse feruntur, ut occurrerent Ænobarbo, si forte is Genuam accessisset, mox in eandem redit, & una cum Nostro gradiens incessu pari, prosequitur hæc & alia, quæ sequuntur.

379 PAPIENSESQUE, &c.] Observa sævitiam Ænobarbi. Haud illi scilicet sat fuit, quod, ut gratificaretur Papiensibus, Terdonam ipse ac sui funditus evertissent, sed eam ipsam bene dissipandam eorundem quoque libidini tradidit & permisit. Facit huc ex parte Gaudentius Merula ea de civitate scribens cap. I. lib. II. *Antiq. Gall. Cisalp. Sublatis Romanorum armis, & Senatus potestate in Insubrum amicitiam declinavit, quam cum Rubrobarbus, ut Ticinensibus gratificaretur, vastasset, immissis novis inquilinis Mediolanenses repararunt.* Et Bossius in his auditis ante: *Tandem, fame urgente, dederunt se Imperatori, qui eam, Papiensibus petentibus*, XVIII. *Aprilis destruxit.* Hæc ille, in rei gestæ mense & die verus, in anno falsus, cum scripserit, Terdonam ab Ænobarbo dirutam & eversam anno illo, quo iterato in Italiam venit, post reædificatam Laudensem urbem. Quamquam nec Sibyllæ folia Folietæ scripta, cum & ipse Terdonensis urbis excidium in ea conjiciat tempora, quibus Ænobarbus, post acceptum regium diadema Romæ, repetiit Lombardiam.

380 ROMAM CUM SUO EXERCITU PERREXIT] Videatur mancus ac mutilus hoc loco Noster, si cum aliis rerum ab Ænobarbo gestarum Scriptoribus, cumque Ænobarbi ipsius literis conferatur. Habent illæ scilicet, Federicum, destructa Terdona, à Papiensibus, ut gloriosum sibi post victoriam triumphum facerent, invitatum ad Ticinensem urbem, ibique in corona, & maxima lætitia, & ingenti servitio civitatis, tres dies fuisse deductos. Fuit autem ea de causa maxime vocatus à Papiensibus Ænobarbus ad triumphum in Ticinensem urbem, quod & æquum esse ducerent, ut Rex, tam nobili parta victoria, meritum triumphum ageret, nec indignum, ut urbs ipsius quondam Regni sedes, Derthonensi triumpho ab Rege suo cohonestaretur. Accedebat & altera, nimirum, ut quorum gratia bellum susceperat, apud eos gratulationem victoriæ celebraret. Incidit ob id accessus Cæsarei dies ad Ticinensem urbem in XVIII. Kal. Maji, (siquidem habeatur Sigonio fides) Coronationis vero celebritas, in eam Dominicam, qua canitur *Jubilate*, addicta rei peragendæ D. Michaelis æde, apud quam olim Regum Longobardorum sedes.

Sentit at hæc contra Merula lib. III. *Med. Antiq.* & nonnulli alii, tradentes, Federicum à Derthona diruta recta petiisse Mediolanensem urbem, ubi & fuerit ab illius Antistite, Uberto Pirovano, diademate ferreo, læto & plaudente populo coronatus, quod arridere nullo pacto potest, tradente Nostro col. 999. lit. E. *Ænobarbum sibi proposuisse, quod ipse nunquam coronam sumeret in capite, donec Mediolanum superasset.* Quid quod tunc temporis, quo Merula Federicum Mediolani coronatum tradit, nondum bene convenerat inter illum, Pastorem, & Populum ejus urbis, ut ibi cum plausu potuerit coronari.

Scribunt alii, Federicum, antequam ad Ticinensem urbem Derthonensi triumpho cohonestandam accederet, misso

misso in agrum Brixiensem milite, *Sonicæ* Castrum, quam *Senigam* Cavitellius, *Secutiam* Supplementum *Chronicorum* vocat, igne de medio sustulisse: & in agro Veronensi cum esset, amicis Cremonensibus, honoris ergo, jus signandæ pecuniæ concessisse, quo privarat Mediolanenses ipsos una cum regalibus aliis quibuscumque.

Verum enim vero hæc indicta Nostro, ut alia multa, quæ post Derthonensem victoriam, & accessum ad Romanam urbem, Federicus egit, sive, quod ea parum ad Ligures attinerent; sive, quod res illæ, gestæ quodammodo in procinctu, quam ob caussam ab aliis etiam silentio fuerint involutæ. Non igitur prolixior Urspergensis Nostro, non Godefridus, non Otho à S. Blasio, non Auctor *Suppl. Chronicorum*, non Krantzius, non Dubravius, non alii fortassis aliis non ignoti. Primi siquidem pauca hæc omnino sunt, *Indeque* (*Terdona* scilicet) *progressus*, *Romam pervenit*. Secundi lib. XVII. Titulo, Qualiter à Terdona Romam consecrandus concessit:

Rex bonus exsurgens, Aquilas direxit ad urbem.

Fuerat enim quam celerrime vocatus à Pontifice Terdona Romam, ut idem ante præmiserat Urspergensis. Tertii cap. VII. *Appendicis*, adjectæ *Chronico* Frisingensis: *Terdonam, quæ sola restabat, obsidione cinxit, expugnatamque cepit & destruxit: exin ad urbem tendens, Romanis resistentibus, urbe arcetur.* Quarti lib. VI. *Saxoniæ* cap. XVI. *Quam* (Terdonam) *obsidens, ac non multo post capiens, contendit maxima celeritate Romam.* Postremi lib. XII. *Historiæ Boemicarum rerum: Sed Cæsar, Dertona obsessa, & vi tandem capta, iter magnis viis Romam continuavit.* Quæ cum ita sint, nemo non videt Folietæ lapsum, cum lib. III. *Genuensis Hist.* scripsit, *Dertonam urbem à Federico captam, & æquatam solo post acceptum à Rom. Pontifice regium diadema.* Ecquis enim tueatur hic illius partes, contra sentientibus Viris Reip. literariæ consularibus reliquis, quos adduxi? Accedunt huc Acta ipsa Pontificis Adriani, quæ sic apud Baronium habent: *Interea Federicus, Teutonicorum Rex, magno cum exercitu Longobardiam intravit, & civitatem Terdonensem diu obsedit: qua subjugata celeriter properabat ad urbem, & tanta festinantia, ut merito credi posset magis hostis accedere, quam patronus.*

381 AMBULAVERANT] *Iverant*, ut alibi non uno in loco.

382 SARZANUM] In Med. Codice, *Sarzanum*, & *Serzanum* est, nec damnari potest. Corius *Sarranum* habet, Cavitellius *Serezanum* affert, quibus non ausim valide refragari.

383 APUD SARZANUM A TERDONA FUERANT] Si quid judico, duo illa verba, *à Terdona*, glossema esse, tam mihi certum, quam me vivere, cum & à Med. MS. absint, & sententiam turbent. Quare valde velim illa rejici, & hæc tantum, *apud Sarzanum fuerant*, retineri.

384 IN DESTRUCTAM *civitatem Terdonæ intraverant*] A mendo nec esse liberum locum istum, clare arguit structura non solida dictionis. Verum enim vero præsens illi remedium à Med. Codice, qui commutata particula prima labem sic eluit, & abstergit, *Et destructam civitatem Terdonæ intraverant.*

385 INTRAVERANT] Desideratis aliquibus interemptis, quorum ante catalogus confectus est.

386 MEDIOLANUMQUE, *quid egerunt, miserunt*] Fieri nullo pacto potest, quin hic quoque hæreat attentus Lector. Potior & hic scriptura Codicis illius urbis, *Mediolanumque, quod egerunt, miserunt:* potior, inquam, at ipsa nec omnino proba, nec clara, si dictionis structura pariter hic spectetur. Legerim itaque, sublata *que* copula, non invitus: *Mediolanum, quod egerant, miserunt*, ut hæc proba loci totius structura sit: *Cum autem Papienses à Terdona recessissent, statim illi Mediolanenses, qui apud Sarzanum fuerant, & destructam civitatem Terdonæ intraverant, Mediolanum, quod egerant, miserunt.* Quin hæc plane probe se habeant, ne Carneades quidem ipse dubitaverit, qui solebat in omnibus dubitare. Haud tamen inficias ierim, totam istam sententiam ita quoque posse rite concipi, & efferri: *Cum autem Papienses à Terdona recessissent, statim illi Mediolanenses, qui apud Sarzanum fuerant, in destructam civitatem Terdonæ intraverunt, Mediolanumque, quod egerant, miserunt.* Quæ Lector magis ipse probaverit, amplectatur. Siquidem ego de his ita pronuncio, ut Valeriæ legis beneficium nequaquam tollam.

387 QUIA JAM] Cui tam obesus est nasus, qui non odoretur, hæc ingratiis Morenæ cusa? Potius est ab eo scriptum, *quia eam.*

388 MEDIOLANENSES] Non, qui apud Sarzanum, memorati ante; sed qui Mediolani erant, ut liquebit infra.

389 AC EIS *illam velle reædificare*] Vitiosissima & ista. Nemo non videt, sed emendat Med. Codex, qui diserte præfert, *ac illos velle reædificare eam*, &c.

390 TERDONAM REVERTENTES] Scriptura Codicis laudati, *Terdonam redeuntes.*

391 NON SUNT AUSI] Quippe tum Papienses longe impares Mediolanensium armis & viribus; ideoque tum ab illis graviora passi. Clare Merula his de populis, sese invicem Dertonæ caussa lacessentibus, lib. III. *Vicecomitum Antiquitatum: At Mediolanensis Derthonam reficit, Papiensem graviter infestans ferro & igne. Utriusque agri vastabantur. Papiensi majora detrimenta, utpote viribus & armis longe impari illata.* Quæ volui, ne credatur Noster locutus Oracula, cum paginis in proximis exaravit, Mediolanenses toties à Papiensibus in fugam apud Terdonam versos.

392 DEINDE NIHIL PROFICIENTES, &c.] Vel ipsi Vanitati crediderim, nec juranti, scripsisse Nostrum, ut est in Cod. Mediolanensi, *Denique nihil proficientes*, &c.

393 DISPENDIO] *Sumptu.* Plautus *Menæch.* Act. III. Sc. II. *Minore nunquam bene fui dispendio.* Plinius, *Magno id lignorum dispendio fit.* Inde mox in Nostro, *Muros civitatis suis propriis expensis reædificare cœperunt.* Alias *dispendium* idem est, quod *damnum*, sive *quod inconsiderate & immoderate dispenditur*, ut in eo particula, *dis*, sonet *male.* Ambrosius lib. I. *Off.* cap. XXX. *Res sine dispendio est, quæ tota est dispendium.*

394 RESTITUENDAM MIRABILITER EXARSERUNT] Quod & mirabiliter peregerunt. Hinc Noster col. 962. lit. A. *Mediolanenses itaque, Terdonæ morantes, totum murum civitatis eorum propriis facultatibus reædificarunt.* Et alii plerique Scriptorum omnes consensione mira. Frisingensis, eorum quasi familiam ducens, *lib.* II. *cap.* XXXI. *Mediolanenses siquidem, mox reædificata Terdona, Papiensium renovant bellum.* Guntherus *Ligurini* VI. de Mediolano loquens:

Lunellum renovat, Terdonæ mœnia raptim
Erigit, atque novas properat sarcire ruinas.

Et VIII. ore Comitis Blanderatensis, adhortantis Mediolanenses ad pacem cum Ænobarbo Cæsare ineundam:

Exemplo, testata suas Terdona ruinas,
Esse potest, quam ne vetito de pulvere frustra
Jusserit erectis Urbs nostra resurgere muris,
Haud modicus timor est.

Urspergensis: *Quocirca contra Imperatoris edictum Terdonam, ab ipso erutam, eximiis reædificarunt muris.* Cujus è penu Nauclerus *Gen.* XXXIX. *Anno salutis nostræ* 1158. *Fridericus redire parat in Italiam, quæ maximis discordiis effervuerat. Nam Mediolanenses rebellare cœperant, in auxilium multas Lombardiæ civitates invitantes, Derthonam civitatem eximiis reædificarunt muris.* Aliique recentiores multi, quorum è numero Merulæ, Georgius, & Gaudentius, duo. Primus lib. III. *Med. Antiquitatum: At Mediolanensis Derthonam reficit.* Alter lib. II. *Antiq. Gall. Cisalpinæ* cap. I. *Derthona, sublatis Romanorum armis, & Senatus potestate, in Insubrum amicitiam declinavit, quam cum Rubrobarbus, ut Ticinensibus gratificaretur, vastasset, immissis novis inquilinis Mediolanenses reparaverunt, anno à Virgineo partu* MCLV. *ut scribit Acerbus Morena.* Vera Gaudentii omnia, præter *Acerbi* nomen, siquidem hæc non ab *Acerbo*, sed ab Acerbi patre, *Othone Morena*, scripta, ut hic locus indicat, qui Othonis est, Produco nunc reliquos, qui occurrunt. Carrio lib. IV. in Federico ipso: *Quod ergo Mediolanenses Derthonam recens ab Imperatore dirutam instaurassent, & Papiam ac Novariam diripuissent, & paulatim procederent, totaque Italia in armis esset, initiis mature occurrendum ratus, quanta potuit celeritate Alpibus superatis, traduxit exercitum in Italiam.* Erravit itaque Bossius errorem gravem, cum scripsit ad annum 1157. *Mediolanenses, audita Imperatoris profectione in Alemaniam, Terdonam reædificare cœpisse*, cum ex aliis constet, Mediolanenses ei rei navare cœpisse operam biennio ante, atque adeo quo primum tempore Ænobarbus Romano itineri se accinxit.

Fuit autem restituendæ Terdonæ præcipuus auctor & suasor Gualvagnus Vicecomes, ut hæc indicant lib. XII. *Supplementi: Similiter & Derdonam urbem, sibi fidelem, ab eodem Federico spoliatam, dirutam, & incensam, ipse Gualvagnus magnanimus restituit.*

395 TICINENSIS] Quod *Ticinum* ducat.

396 VERCELLENSIS] Quod & ipsa Mediolanenses, *Vercellas* cogitantes, emittat: *Vercellina* infra.

397 ROMANAE] A domina rerum Urbe, quo meis inde Concivibus egressus patet.

398 ARENTIAE] Mediolanensis Codex, qui melior, *Arienzæ.* Unde *Renza* vulgo Portæ nunc eidem nomen, & apud Nostrum col. 988. lit. E. *Rienxa*, quæ & ab eodem alibi *Rentia* nominatur. Signatæ ea Porta est, quæ cum Solem orientem spectet, *Orientalis* audit apud osores vulgi, voces æque corrumpentis optimas, ac bonos mores. Hinc hujus ex ore, *Orientia* primum, mox *Arentia*, dein *Rentia*, *Renza* demum dicta, quæ vox nunc etiam apud Nostros viget.

A Meminit inter cæteros Mediolanenses Historicos hujus Portæ Galvaneus, &, ut ea ferebant tempora, quibus scripsit, *Arienzam* illam, tum alibi sæpe, tum cap. CCLXIV. diserte nuncupat, quod quidem sciverim, monitus à Viro Rei nostræ Literariæ consulari, Castillionæo meo. Quod & mihi placitum hic monere, quod beneficium gratum hominem delectet semper, ingratum nunquam; sitque animi plane magni, liberalis, ingenui, per quos profeceris, etiam cum aliqua legentium voluptate, libere profiteri.

399 MERCVRII] Corius, *Martis*: at, cum dies sequens Jovi sacer exstiterit, nihil muto.

400 FESTVM SANCTI .....] Qui Corium sequi voluerit, lacunam istam expleverit ad hunc modum, *Festum sancti Federici Papæ*: qui Mediolanensem Cod. MS. *Festum Sancti Fidentii Papæ*. Verum enim vero utrobique mihi suspicio mendi, cum nullis in Martyrologiis, ad hanc usque B diem editis, sacer ille dies appareat *Fidentio*, sive *Federico* Papæ. Quærendum igitur amplius, & cogitandum, antequam ea de re certi quippiam in Fastorum Sacrorum tabulas referatur.

401 ET QVAE FVIT XIIII. *ante Calendas Junii*] Uberius, atque adeo clarius Med. Codex, *Et quæ fuit* XIV. *dies, ante Calendas Junii, decima* nempe *octava Maji*.

402 BROLIO] *Viridario*, sive *ferarum septo*, quod alii *Briolum* vocant. Clare & apposite Luitprandus in *Legat. Nicephorus in eadem cœna me interrogavit, si vos peribolia, id est, briola, vel si in perivoliis onagros, vel cætera animalia haberetis? Cui cum nos briola, & in brioliis animalia, exceptis onagris, habere affirmarem: ducam te, inquit, in nostrum perivolium, satis magnum, montuosum, fructuosum, omnino amœnum.* Scilicet hinc addiscimus duo; unum *Perivolium* esse septum, cui inclusæ ad venationem feræ; alterum, *Perivolium* & *Briolium* rem unam & eandem esse. Moscho- C pulus: Κῆπος ὁ τῶν λαχάνων καὶ τῶν δένδρων· ἤγουν, ὁ παράδεισος, καὶ τὸ νῦν κοινῶς λεγόμενον περιβόλιον. *Hortus olerum & arborum, videlicet paradisus, & vulgo dictum perivolium.* Possit ob id, nec incommode, etiam de Viridario *Briolium*, sicut & *Brolium* dici, dictisque dare lucem, & ex iisdem vicissim accipere Benedictus Jovius, non una in parte *Novocomensis Historiæ* suæ, quæ nunc demum bono Rei literariæ publico evulgatur. Habet ille scilicet in secundo libro: *Huic* (Bennoni Episcopo) *prædictus Henricus III. Belitionam, ejusque Comitatum concessit, & Abbatiam apud Comum, Monasterium vetus appellatum, Xenedochiaque; & alia Cœnobia, neque non loca publica, Brolium, & Arenam, & ipsius urbis mœnia anno Domini quinquagesimo quinto supra millesimum, Regni sui* XII. *Imperii* IX. Et apertius infra, loca eadem rursus enumerans & describens: *Broilum, & Arenam, quæ Bennoni Episcopo Comensi Henri-* D *cus III. dono dedit, ubi fuerint, ignoramus. Est autem Arena locus, ubi more Romano publica spectacula edebantur. At Broilum (ut reor) publicum fuit Viridarium, ubi forte Cœnobium Sanctimonialium S. Claræ cum Ecclesia sub nomine D. Petri olim conditum fuit, in Broilo nuncupatum, quod nomen fere exolevit.* Hæc Jovius, cui sis minerval para; sed & mihi, qui pari face lumen accendens antiquitati patriæ, parergon addo, moneoque, Mediolani D. Stephani Protomartyris templum, *in Brolio* cognominari vulgo, quod ibi publicum olim *Viridarium* esset, cujus etiamnum imaginem non obscuram præfert Olitorium forum, non longe positum ab eodem templo: quam ob caussam, in eadem urbe D. quoque Nazarii templo cognomen idem adhuc hærere crediderim, ejus mihi rei fidem abunde facientibus circumjacentibus hortis, quibus Canonicorum ædis illius sacræ limina vestiuntur. Cæte- E rum, *Broili* vocem idipsum perpetuo sonare in Nostro, columnæ sequentes docent, & hæ cum primis, 961. lit. D. 993. lit. C. 996. lit. A. & 999. lit. F. quas ubi videris, à nobis eris. Reperitur & in Rolandini scriptis vox eadem, nec alia notione, *lib.* V. potissimum, *cap.* V. *Vidit Notarium quendam, nomine Oldericum, legentem in quodam Broilo secrete quasdam literas sigillatas.*

403 DVARVM PORTARVM] *Romanæ, & Arentiæ.*

404 VERSVM SIT *in gemitum & dolorem*]

——— usque adeo nulla est sincera voluptas;
Sollicitumque aliquid lætis intervenit,

Ovidio teste lib. VII. *Met.* Et, ut idem cecinit in eodem libro,

Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.

Nimia cum primis, quæ luctu pari plerumque cernimus occupari.

405 SEQVENTI ITA PROXIMO DIE] Nemo non vi- F detur, mutilam & ineptam hanc lectionem esse. Explet & corrigit Med. Codex, cum quo legi pervelim, *Sequenti itaque proximo die*; &c.

406 DIE MERCVRII] *Octava ante Cal. Junii*; *quarto* nempe *supra vigesimam præcedentis Mensis.*

407 IN QVO FVIT FESTVM SANCTI VRBANI] Conjiciunt hujus Divi festum in hunc ipsum diem Hrabanus, Notherus, Beda, Usuardus, Ado, Baronius, qui & eo de Pontifice,* tum in *Martyrologio*, tum in *Annalibus Ecclesiasticis*, affert ab aliis scripta.

408 PAPAE] Sic olim dicti *Episcopi* omnes, quasi *Patres*, voce Græco de fonte ducta, donec in Synodo Romana primus, observatore doctissimo Cardinale, Gregorius VII. Pont. Max. constituit, ut *Papæ* nomen unius esset in Orbe Christiano, quod inter ejus Dictatus lib. II. *Registri* videre licet. Adi me, cui satis ista non fuerint, ad Mussatum, & eruditissimum Bignonium ad Marculfum.

409 ET MEDIOLANENSES] Parum inter has duas particulas (*At*, *Et*,) discriminis intercedit; sed una sæpe, locum alterius occupans, densissimam litterariis monumentis noctem offundit. Ejus hic exemplum habes, nec sat scio Scribarum, an Operarum culpa. Suam itaque sua in sede particulam loca, mecumque fidenter ita flagitante sententia, & Mediolanensi Codice suffragante, *at Mediolanenses*, legens, noctem istam omnem disjice ac dispelle.

410 FOSSATVM] Nulla vox frequentior in Morena. Occurrit & in aliorum scriptis pro *fovea* maxime, sive *fossa*, ne tam ineptam putes, uti male censebat ille vitio creatus Censor, qui pellendam ex urbe Quiritium, & è Pandectarum ditione deturbandam nervis, quod ajunt, omnibus nitebatur. Glossarium vetus: Τάφρος, *Fossa, sæpes, fossatum*, Suidas: Σέδετον τὸ φοσσάτον. Vegetius *lib.* IV. cap. XVI. *Civitatis fossatum, etiam apportatis lapidibus, lignis, ac terra non solum complent, sed etiam solidant.* Libellus *de Militibus*: *Fossatum decisum parvum in fine pro termino.* Plinius lib. XVII. *Nat. Hist.* cap. XXI. *Fossatum purgari, & extendi.* Marcellus *Empirico* cap. VIII. *In fossatis sæpium requires.* Collectio *Antiqq. Decret.* lib. III. Tit. XXXVI. pag. 17. *Sive quædam fossata, sive expeditiones, sive alia qualibet, sibi arbitretur agenda.* Auctor expeditionis Asiaticæ Federici I. *Et jam aliqui ex nostris, qui quodam angusto transitu interfossatum, & muros vix processerant, à nimia Turcorum obviantium densitate, & telorum grandine retrocedere compelluntur.* Metellus in *Quirino* --- *per arbores trajectas transit tamen fossata.* Robertus de Monte: *Rex Henricus fecit fossata alta, & lata inter Franciam, & Normanniam ad prædones arcendos.* Andreas Presbyter in *Chron. Bavar. Ratisponæ à porta S. Petri usque ad portam occidentalem fossatum exterius in toto perficitur.* Monachus Anonymus Patavinus lib. I. *Chronici* ad an. 1228. *Venerandus Abbas Arnaldus fecit fieri fossatum, & induxit aquam fluvii, qui est S. Justinæ, ibique fecit fieri optima molendina.* Trithemius in *Hirsaugiensi* ad an. MCCCXLV. *At Phrysones, fossatis aquarum plenis circumventi, obviam eis in furore magno egressi, solitaque industria utentes, conclusos inter paludes alios interfecerunt gladio; alios vero, emissis subito aquis, miserabiliter submerserunt*, Exstat & *Fossati* vox in fœdere S. Ludovici cum Raimundo Com. Tholos. *Nec pacem, nec treguas sine assensu Ecclesiæ, & nostro cum eis faciet, donec diruantur muri, & impleantur fossata.* Nec raro se videndam prodit in Wisigothorum, & Longobardorum legibus, ut apparet ex *Gloss.* Lindenbrogii, qui recentiores Græcos, *Fossatum* vocem quoque suam fecisse docet, & φοσσάτα vocasse *vallum*, *intra quod milites degant*, *locum* nempe *munitum & vallatum fossis.* Quo sensu Latinis quoque Scriptoribus ea vox nota, & horum comprimis è numero Modestino Leg. 3. §. *Is qui in exploratione D. de re milit. Qui à fossato recedit, capite puniendus est.* Et Carolo IV. in *Commentario* de Vita sua: *Fossata & propugnacula inter civitatem & castrum cives fecerant, ita quod ingressus ad eos non patebat.* Et mox: *Qui erant ante castra, munierunt se fossatis, auxilium meum exspectantes.*

Castra quoque ipsa *fossatum* dicta. Turnebus lib. II. *Advers.* cap. XIII. *Fossatum recentiores vocaverunt Castra, quia fossa cingi solebant.* Imo & *exercitus* ipse, degens in Castris, *Fossatum* dictus. Moschopulus: Φοσσάτον, ὁ στρατός. Basilius *de exercitat. Grammat.* Φοσσάτον, ὁ στρατὸς, καὶ τὰ ὅμοια. Achmes cap. CCC. Πλῆθος φοσσάτου ἀβλαβῶς ἐλεύσεται ἐκεῖσε. Annales Francici: *Alter Saracenus de Africa legatus Amirali Abraham, qui in confinio Africæ in fossato præsidebat.* Verum enim vero non aliunde melius vocis hujus notionem istam didiceris, quam è Leonis Imp. *Tacticis*, quæ sic habent cap. IV. Ἐκλέξη δὲ στρατιώτας ἀπὸ παντὸς ὑπὸ σὲ θέματος, μητὲ παῖδας, μητὲ γέροντας, ἀλλὰ ἀνδρείους, ἰσχυροὺς, εὐψύχους, εὐπόρους, ὥστε αὐτοὺς ἐν τῷ ἐξπεδίτῳ, ἤγουν ἐν τῇ συναγωγῇ τοῦ φοσσάτου. *Ex omni ditione, sub tuum imperium subjecta, milites eliges, neque adolescentes, neque senes, sed fortes, robustos, alacres, divites, ut in expedito cum sint, id est, in castris, & in ipso cœtu ac multitudine, quod hodie fossatum appellamus*, &c. Postea etiam φουσάτον dixere Græci, ut λώρικον, λούρικον, & talia, quod ante nos Meursius vidit, & firmatum iit ex duplici *Chronici* Constantinopolitani loco, & *Glossis Græco-barbaris* in ἄγορος.

411 FORIS] Sic col. 969. lit. C. *Mediolanenses vero foris exierunt.* Qua nempe libertate *Ubi* pro *Quo* usurpatum olim ostendimus ad illa *Not.* 87. *Quo fieri consueverat;* eadem *foris* etiam pro *foras* adhibitum, conniventibus tum oscitanter Censoribus Latinæ linguæ. Rolandinus etiam sic loquutus *lib.* x. *cap.* I. *Nam qui possent pugnasse postmodum intra spaldum securiores; foris exiverunt ut plurimum, sicut postea tempore discriminis patuit manifeste.*

412 SUPER FOSSATUM] Nihil hic corrigo, nihil muto, moneo tantum, *supra fossatum*, MS. Mediolanensis lectionem esse.

413 INHAERERE] Non recte verbum hoc Corius Italice reddidit ea vi, qua prædita tranandi verba. Sic enim ille, *Pavesi non piu il fosso della Citta puottenopassare.*

414 QUOD AQUA ETIAM FERE TOTA, &c.] In Med. Codice longe plane melius hæc descripta, *Cum aqua etiam fere tota in ipsa civitate penitus tunc defecerit*, &c.

415 INVENIRI POTUISSET] Non dubitabit, saltem non stultissimus quisque, legendum ex modo laudato Codice MS. *inveniri posset.*

416 ITA QUOD] Locutio seculi, formulis illis, *tam quod, taliter quod, adeo quod*, quibus refertæ Nostri paginæ præcedentes, & sequentes omnes, gemina penitus & germana. Cernitur & in aliorum scriptis. Ptolemæus Lucensis ad an. 1284. *Defectum patiebatur in manibus, & pedibus propter guttas, ita quod vix celebrabat.* Henricus VII. Aug. in sententia lata contra Robertum Siciliæ Regem, ut apud Mussatum exstat *Rub.* IV. *lib.* XIII. de Cæsaris illius gestis: *Absolvimus penitus, & in totum, ita quod, nec civitas, &c. cujusvis fidelitatis, & subjectionis, vel obedientiæ ratione, causa, vel titulo, sibi, vel suis, vel hæredibus quomodolibet teneantur.* Et in altera, quam idem Cæsar contra Paduanos tulit, & idem ejus Historicus Rubricæ libri proximi septimæ consignavit: *Ita per patentem evidentiam ipsorum criminum notoriam fuisse, & esse commissionem reatuum prædictorum, quod nulla possint tergiversatione celari.* Carolus IV. Imp. Henrici prædicti nepos, in *Commentario* de Vita sua: *Fossata & propugnacula inter civitatem & castrum cives fecerant, ita quod ingressus ad eos non patebat.* Blesensis *epist.* CLXIX. *Multorum mentes ita sunt in dubio positæ, quod incertum est eis, de facto guerrarum, & pacis quid fieri debeat in futurum.* Trithemius in *Hirsaug.* ad an. 1364. *Comitatum enim, quem optaverat, cum uxore tandem obtinuit, ita quod uterque Comitatus, Clivensis videlicet, & de Marcha, usque in præsentem diem conjuncti permanent.* Aliique sexcenti.

417 VIDI ET COGNOVI] Pertinent hæc ad historiæ fidem, non secus ac illa col. 953. lit. C. *In quo supradicta omnia, & alia multu compendiose ac veraciter, prout melius ab aliis discere potui, ac meis propriis oculis vidi, scripta reperies.* Nimirum, ut habet decima illa Musa, Plautus, in *Truculento:*

Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane sciunt.

Ob idque dixit Gellius ex doctrina Veterum, *Historiam esse rerum, quibus gerendis interfueris.* Quod indicat & ipsius nomen, quippe quæ ab ἱστορέω, quod est, *oculis cernere*, videatur dicta; vel ab εἴδω, εἴσω, *video*, ut aliis placet. Clamat & idipsum ratio. Cum enim veritatem Historia desideret maxime, fieri vix potest, ut verum is, sine ulla mendacii, aut falsitatis suspicione dicat, qui nec rebus ipsis interfuerit, quas enarrat; nec easdem, cum gererentur, oculis usurparit. Itaque sic Verrio Flacco visum Historiam definire, ut diceret, *eam esse narrationem rerum gestarum, quibus interfuerit is, qui narret.* Quo respiciens Plutarchus in *Pericle*, eandem ἡλικιώτην, id est, *coætaneam*, appellare voluit, quod *æqualium* maxime, id est, *eorum, qui rebus narrandis interfuissent*, industriam requirere videretur. Galenus in eadem sententia fuit, tum in libro *de Sectis*, ubi præter *experientiam*, αὐτοψίαν, id est, *proprium intuitum*, & *spectationem*, cum Historia nectit; tum in libro, quem *de Empirica subfiguratione* contexuit, in quo, post varias Historiæ definitiones à Veteribus traditas, eo cunctas spectare docet, ut moneamur, Historiam eorum, quæ narrantur, spectatione & experientia maxime contineri.

Haud ita tamen præsentia, & oculis subjecta scribentis, Historiæ materia putanda sunt, ut non possint etiam præterita, & ab hominum memoria longe dissita & remota, narrationi historicæ deservire. Clarum id, quam quod clarissimum ex Tullio, qui propterea, *nuntiam vetustatis, commemorationem antiquitatis, vetustatis monumentum, testem temporum, memoriæ vitam, lucem veritatis.* HISTORIAM dixit, ut intelligeremus, non res præsentes modo, sed & ante actas, & ob vetustatem interitum metuentes, Historiæ beneficio detegi posteris, illustrari, vivere, propagari.

Sed verior omnino ea narratio est, quæ res præsentes exsequitur, quam, quæ præteritas ob oculos ponit. Idcirco Noster hic, quæ vidit, scripsit, eaque non frustra memorat se vidisse. Sic & infra 974. lit. E. *Alios plures ducentis quinquaginta, quos omnes per civitatem Laudæ egomet captos & vinctos in carcerem vidi detrudi.* Sic & Benedictus Jovius lib. II. *Novocomensis Historiæ* pag. 187. *Quæ omnia, cum illuc crebro ventitarem, & in mensæ participatum admissus essem, non ab aliis accepi, sed ipse vidi.*

418 TOTUM MURUM] Firmavi jam ista supra, ad illa *Not.* 394. *Ad Terdonam eorum proprio dispendio restituendam mirabiliter exarserunt.*

419 COEPERUNT] Rescribo primo, *ceperunt*, dein addo caussam captionis hujus, quæ non alia, quam quod Imperator Terdonam obsidione cinxisset ad Papiensium preces. Bossius: *Accepta igitur Mediolani corona, è vestigio Terdonam ad Papiensium preces, succurrentibus Comensibus ad Mediolanensium odium, aggreditur. Hoc ægre ferentes Mediolanenses, Papiam obsident, ac incensis suburbiis multos captivos duxerunt.*

420 STARANOS] Literulam secundam muto, & cum Mediolanensi MS. *Scaranos*, lego. Corius, *Iscaranos*, habet; sed *Scaranos* omnino præfero *Iscaranis*. Erant enim *Scarani* milites, sic dicti ab acie *Scara*, qua de Longobardorum leges Tit. I. §. 5. *Si quis Scaram intra provinciam celaverit, aut annonam dederit, animæ suæ incurrat periculum.* Et Hincmarus ad Diœcesis Rhemensis Episcopos: *D. Carolus bellatorum acies, quas vulgari sermone Scaras vocamus, dispositas*, &c. Vulgari sane sermone, sed proprio Germanorum. *Schaer* quippe, sive *Schaar*, mere Germanica vox, *turmam, cuneum*, & *collectam* sonans, unde *Esquiere, Eschadron, Escharamuches*, & *Beli scara*, id est, *turma Castrensis* apud Willeranum manant. Aymoinus *de Gestis Francorum* lib. IV. cap. XXV. *Collegit è Franciæ bellatoribus Scaram, quam nos turmam, vel cuneum appellare possumus.* Pari sensu vox eadem usurpata Scriptori *Vitæ Caroli Magni*. Ac primo quidem pag. 238. *Carolus una cum Francis castrametatus est ad easdem clusas, misitque Scaram suam per montana.* Secundo pag. 239. *Veniens in locum, qui dicitur Ingelheim, misit quatuor Scaras in Saxoniam.* Tertio pag. 243. *Scaræ Francorum non iverunt obviam ei.* Quarto pag. 246. *Conjungentes ad Scaram Francorum.* Quinto pag. 249. *Multoties Scaras misit super Saxonas.* Et alibi sæpe. Sed alii quoque Scriptores meminere *Scaræ*. Aymoinus iterum *lib.* V. *cap.* XXVII. *Ordinatis Scaris, qui eundem Carolomannum cum suis complicibus regno propellerent.* Et *cap.* XLII. ejusdem *libri: Scara Nortmannorum plenum exercitum præveniens.* Regino *lib.* II. *Misit occulte unam Scaram de electis viris.* Idem: *Misit quatuor Scaras in Saxoniam, qui tres pugnas cum Saxonibus inierunt, &c. Deo auxiliante, victores exstiterunt; quarta vero Scara non habuit pugnam.* Ado Viennensis: *Quatuor Scaras in Saxoniam dirigit.* Capitula Caroli & Ludovici Impp. *lib.* III. *Tit.* 68. *Ut non per aliquam occasionem, nec pro Wacta, nec de Scara, nec de Wardea, nec pro heribergare, nec pro alio banno, heribannum Comes exactare præsumat.*

A *Scara* igitur *Scarani Papienses* Nostri, nihil ut aliud *Scarani Papienses* essent, quam turma militum, sic dicta Germanorum more, qui militum turmas *Scaras*, sive *Scheras* vocant, unde nostrum etiam Italicum *Schiera*. Inde sane factum *Scaræ* aciei nomen Viri longe doctissimi, iidemque clarissimi, Barthius, & Lindenbrogius tradunt, quorum ultimo Otfridus favet, quem pro se citat *Euangel.* lib. IV. cap. XVI.

Verum enim vero, si quid hic ariolari mihi liceat è Morenæ dictis, cum is subjiciat statim, Serezanum à *Scaranis Papiensibus* deprædatum pariter & combustum, censuerim ego, *Scaranorum Papiensium* aciem, turmam quidem Papiensium militum exstitisse, at non qualemcunque turmam, sed quæ ad connectendas hinc inde prædas, & obvia quælibet exurenda soleret excurrere, sic dictam à *Scara*, quam Pappias *ignem* & *combustionem* reddit. Festus *Escharam* vocat, & *focum* proprie censet, unde forte nati Corii *Iscarani*. Sic ἐσχάραι *foci* sunt Cyrillo in *Glossis*, ibique Vulcanius, *Scarra*, vel *Scara, focus*, vox omnino frequens in libris Græcorum medicis, pro crusta, candente ferro, vel medicamento caustico inducta, quod scilicet, ubi aliquid adustum est, ibi sit focus factus. Quamobrem Simon Januensis, qui facem Vulcanio prætulit & accendit, in sanationum clave: *Scara*, inquit, *vel escara, crustula ab adustione ignis, vel cujuscumque alterius.* Eandem ob caussam dictum & Altare, *Eschara*, tanquam focus hostiæ: & *Craticula*, tanquam focus ferreus περιφόρητος, indeque *ballistæ basis* Vitruvio

vio *lib.* x. *cap.* XVII. quæ nempe ſuſtinet, & in qua ſedet inſtrumentum, quod ipſam craticulam imitetur: ἐσχαρόπεπτα κρίμνα, *farina craſſior prunis cocta*, Hippocrati: *Coagmentatio denique multarum aſſerum, habens impacta ligna tranſverſa, ut craticula*, qua de videndi patrati duo Rei Literariæ Patres, Turnebus lib. II. *Adverſ.* cap. I. & Caſaubonus *in Athenæi lib.* v. *cap.* IX.

Hæc mea de *Scaranis* hoc loco divinatio eſt, nec fortaſſe vana, niſi valde judicii fallor. At quia falli homini in proclivi, mihine Delius hac in parte Vates Apollo faverit, ſtatuat Senatus ipſe literariæ Rei, quem arbitrum capio non invitus.

421 DE PAVIA] Indubie pravum hoc opus Operarum eſt, cum *de Papia* ex fide MSS. cudere debuiſſent. Ita plane Mediolanenſe MS. habet, ne vitium Auctoris putes, qui urbem illam, *Papiam*, ſicut & ejuſdem accolas, *Papienſes*, perpetuo vocat. Poſſet & hoc ipſum oſcitantiæ Scribæ cujuſpiam imputari.

422 SEREXANVM] Non idem huic Vico nomen apud Scriptores omnes. Corius *Scotizanum* nominat, *Serianum* Merula libro *Coſmographiæ* quarto, alii aliter: & fortaſſe *Serezanum* hic corrupte poſitum pro *Sarzano*, quod habetur col. 960. lit. E. *Qui apud Sarzanum à Terdona fuerant*, &c. Quin & Vicus idem *Setezanum* audit in Med. Codice MS. quod uti proprium ac germanum ejus loci nomen cognoſcit, vir antiquitatum regionis illius omnis apprime doctus, Jo. Antonius Caſtillionæus, putatque ductum à ſeptima Legione militum Romanorum, quæ eo in loco ſubſtiterit, quod & aliis quibuſdam ejuſdem regionis oppidis, viciſque contigiſſe narrat Caſtillionæus alter, Bonaventura nomine, Libro *de antiquis Gallorum Inſubrum ſedibus* pagina mihi 29. editionis Bergomenſis, anni CIↃ. IↃ. XCIII. Comini Venturæ typis.

423 EXARSERANT] Nota actionem huic verbo datam à Morena noſtro, ut à Poetarum Latinorum patre, *Georg.* IV.

Tum rapidus torrens ſitientes Sirius Indos
Ardebat cælo.

Quod & aliqui factum in his aliis ab eodem volunt:

Formoſum paſtor Coridon ardebat Alexin.

Et ab Horatio, qui clare, *crines arſit*, Græcorum imitatione dixit, Græci nempe ſuo αἴθειν tribuunt actionem paſſim. Græce quoque diceres, ἐζήλωσε τὸν Ἄλεξιν. Affini verbo *Sylv.* Statii:

——— *novercales ibat venator in agros*
Aſcanius, miſeramque patri flagrabat Eliſſam,

id eſt, *accendebat in amorem patris.*

424 GVERRAM] Dicebant alii brevius rem eandem, *Verram*, aut certe repetita vocali prima, *Vverram* Recurre ad ſuperiorem *Notam* 330. & hæc illi adjice ex Matthæo Paride in *Wilhelmi II. Vita: Vicinos uverris, & exactionibus aſſiduis provocabat.*

425. FACTVM EST PRAELIVM AD POZZOLVM] Convenit hic cum Noſtro Corius in narratione rei, nec non & in appellatione loci nobilis ea pugna. In aliis eadem ſi requiras, oleum & operam perdas.

426 IN CARCEREM REDVCTI SVNT] Med. Codex, *In carcerem recluſi ſunt.* Inclinat animus credere, ſcripſiſſe Noſtrum, *in carcerem deducti ſunt.*

427 ROMAM PERGENTE] Uberrimus alicubi Noſter, brevis hic nimium fuit, omiſſis rebus ab Ænobarbo geſtis toto illo ſpatio temporis, quod abiit inter excidium Derthonenſis urbis, & ejuſdem acceſſum ad Romanam urbem. Quamobrem hic à me ſummam rerum illarum habe, ne quid forte deſideres hac in parte.

Derthona relicta Sonicam Ænobarbus evertit, inde Papiam ad triumphum iit. Moratus ibi triduo, Placentiam attigit, & obſedit XIV. Kal. Maji; ſed occurrentibus auxilio Mediolanenſibus, longam & difficilem urbis illius expugnationem ratus, Romam iter arripiens, III. Non. Maji in ripa Tari conſedit. Rhegium illinc, & Mutinam ſe recepit, quibus prætervectis, Pentecoſtes feſtum prope Bononiam egit, juſſitque tum à Bononienſibus refici Medicinæ caſtrum. Iter hinc in Tuſciam, Apennino ſuperato, cepit, ibique Piſanis, quos obvios habuit, naves ut armarent contra Gulielmum Siciliæ Regem, in mandatis dedit. Contulit ibi quoque loci Anſelmi Hamelburgenſi Epiſcopo, tum è Græca legatione reverſo, Ravennatem Archiepiſcopatum, una cum ejuſdem provinciæ Exarchatu, demumque libertate Cluſinis data, Viterbium ingreſſus eſt. Acceſſit eo Rom. Pontifex, Adrianus IV. Urbeveto digreſſus cum Romana Eccleſia univerſa, prodiitque Federicus obviam venienti, & ſtrepam deſcendentis ex equo tenuiſſe dictus eſt, manuque prehenſum in ſua tentoria deduxiſſe. Varii Viterbii ſermones inter Cæſarem & Pontificem hinc inde ſati. Petitum inter cætera Imperii diadema Cæſari, Epiſcopi Bambergenſis ore, cui petitioni

A ſic annuit Adrianus, ut ſibi viciſſim auxilium Cæſaris poſtularit adverſus Romanos, contra ſe graviter inſoleſcentes. Aſſenſus eſt Pontifici Cæſar, cumque ambo ſibi fidem invicem obligaſſent ſuam, ex agro Viterbienſi profecti ſimul, ſimulque gradientes, & hoſpitantes ſimul, Sutrium unanimes attigere: dein progredientes Romam, non procul ab illa Romanorum legatos obvios habuere, eo fine miſſos, ut Cæſaris animum pertentarent. Audita Romanorum legatio eſt, ſubjectumque reſponſum, quod Friſingenſis affert. Atqui Federicus, iniqua Romanorum voluntate ex legatorum verbis apprime concepta, inito cum Pontifice conſilio de ingredienda urbe, nocte proxima equites armatos mille, pro cavendis Romanorum inſidiis, Octaviano Cardinale duce, præmittit. Qui ſummo diluculo Leoninam intrantes urbem, Eccleſiam B. Petri, veſtibulum & gradus ejus, Romanis inſcientibus, occuparunt. Poſtridie, VI. nempe Cal. Junii, B Romanus Pontifex, ut in Baſilicæ gradibus Cæſaris opperiretur adventum, urbem eandem ingreſſus eſt. Quem motis caſtris ſubſequens Ænobarbus, perque declivum montis Gaudii delapſus, una cum ſuis porta & ipſe aurea receptus eſt.

Itineris hæc Cæſarei ſumma Derthona Romam, rerumque in eo geſtarum periocha, ex ipſis præcipue literis Ænobarbi, & Friſingenſis, ſcriptoris factorum ejus & itinerum accurati, libris.

Variant nihilominus in harum narratione rerum Scriptores alii. Viterbienſis enim, Placentiam non obſeſſam modo, ſed ejus quoque rura cremata tradit, eaque dimiſſa, prius Ænobarbum Parmam, mox inde Bononiam adiiſſe. Cavitellius idipſum ſcripſit, deduxitque Bononia Federicum per Hetruriam, & Latium, Sutrium uſque, nullibi facta Viterbii mentione. Quid, quod in C Ptolemæi Lucenſis *Annalibus*, non niſi poſt acceptum Imperii diadema Romæ, vaſtatam ab Ænobarbo Placentiam legere eſt, traditque Trithemius in *Hirſaug. Chronico* ad an. 1154. & ex illo Boſſius pag. 74. Spoleti deſolationem inaugurationis Romanæ ſolemnia præceſſiſſe, quod iis peractis factum clare demonſtrabit Noſter in *Nota* 484. quæ infra conſequetur, aliique, quos dabimus ibi loci? Ad hæc Cavitellius, Pontificem non ex Urbe Veteri, ſed ex Albano vico diſceſſiſſe protulit, ut obviam procederet Ænobarbo. De loco pariter, in quo Pontifex occurrit Federico, non una & eadem Scriptorum omnium ejus ævi mens, ſcribente Federico ipſo, Pontificem ſibi occurriſſe Sutrii, habentque ſimilia Cavitellius, Mutius, Nauclerus. Præferunt & hoc ipſum Acta Pontificis Adriani, in quibus his, quæ produco, verbis apud Baronium leges: cum Rex Federicus cum exercitu territorium Sutrinum perveniſſet, & caſtrametatus eſſet in campo Guaſto, Pontificem in urbem Ne- D petinam deſcendiſſe, & ſecundo die, occurrentibus multis Teutonicorum Principum, cumplurima Laicorum & Clericorum multitudine ad Federicum cum Epiſcopis & Cardinalibus, uſque ad ipſum tentorium cum jucunditate fuiſſe deductum. Liquet illud etiam ex iiſdem Actis, Regem ſtratoris officium exhibuiſſe Pontifici juxta *Tabulam*, territorii Nepetini locum. Quæ præceſſerint occurſum illum, modo memoratus Baronius indicat ad laudatum annum. Cæterum quam ob cauſſam Romam adiierit Ænobarbus, quam diſſimulavit Epiſcopus Friſingenſis, ſuis ipſemet in literis aperire voluit, & alii, qui ſuos illius è fontibus hortulos irrigarunt. Legendus hic etiam Krantzius lib. VI. *Saxoniæ* cap. XVI. qui & docebit, legationis Romanæ capita fuiſſe multa, quod Mutius & Sigonius unanimes aſſeverant. Federici diplo- E ma de reficiendo Medicinæ caſtro apud Gherardaccium exſtat lib. III. *Bononienſis Hiſt.* ad an. 1156. De præmiſſis equitibus armatis Romam ita meminit Godefridus:

Regia præveniunt tentoria plurima Romam.

Nec non & de acceſſu Federici ad eandem urbem intempeſta nocte per declivum montis:

Rex animo fortis movet agmina multa cohortis,
Papa dedit patulis aditum per devia portis;
Tecta beata Petri nocte ſub enſe petit.

Quibus accinunt, quæ Otho à S. Blaſio ea de re loquens, capiti *Chronici* ſui VII. conſignavit, Romanis nempe reſiſtentibus, Romam ingredi prohibitum Ænobarbum, quibus forti aggreſſione in brevi expugnatis, multis occiſis, urbem tandem iniverit. Nec omiſerim in hac itinerum Ænobarbi Nota, Regem illum, aditurum Romam, Imperatoriæ coronationis ergo, divertiſſe Co- F mum, quod in Benedicto Jovio reperi lib. primo *Novocomenſis Hiſt.* pag. 33. cum illam, nunc primum è tenebris erutam, typis edendam publicis adornarem: *Federicus electionis anno quarto ab Adriano IV. Pont. Max. Romæ in Imperatorem coronatus eſt. Quo cum proficiſceretur, Como iter faciens, recentes ejus ruinas, & cineres miſeratus, jacentia mœnia reſtituit, ſtatimque inſtauratam civitatem*

tem pro Imperiali munificentia privilegiis ornavit. Eaque privilegia recenset statim, & alia præterea multa, quæ tum in urbis & Ecclesiæ Comensis favorem Ænobarbi benignitas sanxit. Videantur illa, si lubet, omnia in prædicto loco.

428 LOMBARDIAE, TUSCIAE, ROMANIAE] Peragrata scilicet, *Lombardia*, *Tuscia*, *Romania*, quibus Regionibus expeditionem Italicam Ænobarbi, post relictam Terdonensem urbem, Romam usque complexus est Noster, non secus ac ipsemet fecerat Ænobarbus suis in literis ad Frisingensem: *Directo nempe*, (ut illis inquit in literis) *tramite per Longobardiam, in Romaniam & Tusciam euntes, Sutrium usque pervenimus.* Idipsum à Mutio scriptum, eadem sibi prælucente face: *Discedens illinc per Longobardiam, Romaniam, Tusciam, & Sutrium Romæ appropinquavit.* Nec aliud à Nauclero, qui Federici literas ob oculos habuit, & descripsit.

429 TUSCIAE] *Etruriæ* aliis, *Tyrrheniæ* Græcis, *Tuscaniæ* vulgo. Fuit olim opulentissima Italiæ provincia, fortiumque virorum mater, cujus ergo Guntherus eam *bellatricem* dixit. Termini illius Meura, Tyberis, & Apenninus: Civitates ejusdem à Ludovico Pio Imperatore una cum Paschali Pontifice divisæ sunt. Plura de illa Geographi, Cosmographi, Historici, quos adeant rerum hujuscemodi studiosi.

430 SUBDIDERE] *Mediolanenses* cum primis, *Placentini*, *Parmenses*, *Bononienses*, *alii.* Godefridus:

Rex bonus exsurgens, Aquilas direxit ad urbem,
Dantque Placentina rura cremata viam.
Servit ei Parma, Bononia transiit arva,
Alpe satis parva Florentia pertulit arma.

Nec multo post:

Tuscia devota sese dedit undique tota,
Nota vel ignota subduntur regna remota.
Ad Pendentis Aquæ prædia castra jacent.
Ad vitæ meritum veniunt vexilla, Viterbam,
Unde patens Erebus fontem facit igne protervum.

Quibus adde, quæ scripsit pag. 179. *Magni Chronici Belgici* Concinnator: *Imperator Federicus, anno* III. *regni sui, Romam venit, multis in itinere laboribus attritus, & diversis hostiliter obsistentibus, quos omnes tam sagaciter, quam virtute superavit, & ad deditionem subjectionemque compulit.*

431 P. P.] P. geminum non raro pro *Papa* receptum inter compendiarias Notas. Docemus id alibi peculiari Libello de his ipsis Notis, & exemplis appositis illustramus.

432 ADRIANO] Nominis ejus *Quarto*, natione Anglico, primo Monacho S. Rufi, dein Abbate, post hæc Albanensi Episcopo Cardinale, *Nicolao* nomine, suffecto in Anastasii IV. Pontificis locum III. Non. Decembris anni CIↃ. CLIV. post obitam Sedis Apostolicæ nomine legationem ad populos immanitate barbaros, & disjunctissimas Danorum & Norvegiorum nationes.

Quæ cum ita se habuerint, corrigas licebit primo Chronologicam Compilationem, quam post Siffridum Pictorius edidit, ubi loci tradit, *Adrianum an.* MCLXXIX. *ordinatum Papam.*

Martinum Polonum secundo, scribentem in Supputationibus suis, *Eugenium renuntiatum Papam anno* MCLVII. *& annis sedisse* V. *vel* (ut in aliquibus aliis ejusdem exemplaribus legere est) VIII. M. IV. D. XX.

Tertio, quæ Saxo Grammaticus lib. XIV. *Danicæ Historiæ* prodidit, *Nicolaum*, scilicet, *Cardinalem è Dania Romam reversum, decedente Eugenio Maximum Pontificem subrogatum esse*, sic omnino capies, ut Nicolaum Eugenii proximum, non immediatum, successorem fuisse putes, cum Anastasius Nicolaum præcesserit, ut apud omnes constat.

Postremo sic & Innocentium III. afferentem apud Gregorium IX. ubi agitur de in integrum restitutione, *Alexandrum successorem Anastasii, officio legationis in Hispania functum*, intelliges, ut non *Alexander*, sed *Adrianus IV.* exstiterit Anastasii proximus successor, ut ejus ævi Scriptor Neubrigensis, laudatus à Massono, notat.

Cæterum inter Adriani Pont. dicta duo præcipue recensentur; quorum unum est, *Romano Pontifice neminem miserabiliorem esse.* Alterum, *Summum Pontificium ambire, & non sine fraterno sanguine ad illud adscendere, esse Romulo succedere in parricidiis, non Petro in ovibus pascendis.* Et horum quidem dictorum meminere Salisberiensis familiaris ejus, Eginardus, Massonus, qui & primum in *Annali Victoriano* reperiri tradit, *Speculum Historiale* Vincentii cap. I. lib. XXIX. aliique nonnulli. Obiit demum Anagniæ anginæ morbo, Kalendis ipsis Septembris, vel, ut aliis placet, Prid. Kal. ipsas Septembris, hoc est, Octobri mense, (quod & Dodechinus, & Trithemius scribunt) cum sedisset annis IV. mens. VIII. diebus XXIV. relicta magno in pretio Ecclesiastica ditione: indeque delatus Romam in Ecclesia B. Petri, juxta tumulum Eugenii, præsentibus Clero, Senatu, Populoque Rom. honorifice sepultus est, uti Radevicus docet. Fuit vir omnino integer, benignus, mitis, & Ecclesiastici patrimonii mirificus propagator. Sunt & apud Arnulphum, Lexoviorum in secunda Lugdunensi Gallia Episcopum, Epistolæ quatuor, ad hunc Pontificem datæ, quibus illum mirifice laudat & extollit.

433 HONORIFICE SUSCEPTUS EST] Miro plane consensu, parique fere verborum ambitu, rem eandem Scriptorum aliorum non pauci prodidere. Frisingensis *lib.* II. *cap.* XXIII. *Mox Princeps ad gradus Ecclesiæ B. Petri veniens, à summo Pontifice honorifice susceptus, ac usque ad Confessionem B. Petri deductus est.* Trithemius *Hirsaugiensi Chronico*, ad an. 1154. *Versus mare cum exercitu pacifice transiens, Romam pervenit, ubi à Pontifice Romano, & omni Senatu honorifice susceptus in Imperatorem consecratur.* Massonus in *Adriani IV. Pont. Vita: Venienti Cæsari honorifice obviam progressus est. Ligurinus enim libro tertio rerum à Federico gestarum refert, Adrianum ei occurrisse, his quidem versibus:*

Sedis Apostolicæ Præsul, summusque Sacerdos,
Tunc Adrianus erat, qui fama lætus eadem,
Protinus, eximia Cleri stipante corona,
Occurrit.

Sed hæc forte postrema intelligenda de occursu primo, cum adhuc Viterbii Federicus esset, de Romano diserte, præter laudatos hactenus, Possevinus Junior in *Gonzagis: Ubi Romam ventum, quamvis ab Adriano honorifice exceptus, & Imperii corona ornatus esset, pugnatum tamen inter cives & Cæsareos*, &c.

434 APUD SANCTI PETRI BASILICAM] Ptolemæi Lucensis Annales: *Federicus ab Adriano coronatur in Ecclesia S. Petri.* Viterbiensis:

Mane sub aurora sedem tenet, atque Coronam
Munere, Basilicam Petri reverenter honorat.

Urspergensis: *Ab Adriano Papa consensu totius Cleri, cum diademate regio imperialem benedictionem accepit in Ecclesia B. Petri.* Jac. Philippus in *Suppl. Chron. Ingressus urbem, & ex more Pontifice salutato, ab eodem Imperii coronam apud S. Petrum accepit.* Magni *Chronici Belgici* Concinnator: *Imperator vero eorum* (Romanorum) *inexplebilem semper avaritiam respuens, Romam armata manu ingreditur, & Papam Adrianum amicum sibi & apertum* (forte an melius *paratum*) *inveniens in Ecclesia S. Petri benedictione confirmatur, & coronatur. Altera die, quæ fuit* VI. *Kal. Julii, Pontifex in Basilica S. Petri Fridericum imperiali corona donat.* Aventinus lib. VI. *Annal. Bojorum: Ab Adriano IV. Pont. in Templo D. Petri invitis Romanis inauguratur, jussuque Dei regnare declaratur.* Mutius: *In Basilica D. Petri imponit Imperialem coronam Federico Pontifex, in magna hominum frequentia.* Massonus in *Adriani Pont. Vita: Terdona vi capta, magnis itineribus Romam fere attigerat. Plenus suspicionis ac terroris fuit tam inopinatus adventus. Federicus tamen, quod optabat, obtinuit, & VI. Kal. Jul. anni* CIↃ. CLIV. *in æde Apostoli ab Adriano exornatus est.* Nec idcirco falsa, quæ Platina tradidit in ejusdem *Pontificis Vita*, nempe coronationis Ænobarbi solemnia in D. Petri Basilica cœpta, ob exortum subinde tumultum Populi, peracta in Lateranensi æde. Siquidem ita se rem habuisse, multo ante scripserat, Federici ipsius σύγχρονος Frisingensis lib. II. *de illius gestis* cap. XXIII. & XXIV. quod sine populi Romani adstipulatione in D. Petri basilica coronatus esset: idemque post Platinam Baronius retulit in *Annales sacros.*

435 CORONATUS] Firmant id abunde testimonia, quæ dedimus in proxime superiori Nota, quare nondum data quædam sat fuerit hic afferre. Martinus Polonus in Supputationibus: *Cum pro coronatione Romam venisset, & pacifice cum magno gaudio ab Adriano Papa coronatus fuisset*, &c. Palmerius: *Federicus Imperator Romæ ab Adriano coronatur.* Benedictus Jovius lib. I. *Novocomensis Hist.* pag. 33. *Federicus electionis anno quarto ab Adriano IV. Pont. Max. Romæ in Imperatorem coronatus est.* Quo vero pacto tota Coronationis ejus celebritas peracta fuerit, manifeste liquet ex Actis Pontificis Adriani, quæ Baronius edidit hac in parte. Simul ac enim urbem Federicus ingressus est, ante horam tertiam ad gradus S. Petri constitit, ibique depositis vestibus, quas gerebat, solemniori habitu se induit, & ad Ecclesiam B. Mariæ in Turri, in qua eum Pontifex exspectabat, profectus est. Illic consuetam professionem & plenariam securitatem Pontifici exhibuit, secundum quod in ordine continetur. Mox Pontifex, ibidem relicto Rege, ad altare B. Petri conscendit. Cujus vestigia subsequente cum processione Rege ad altare per portas Argenteas, orationem intra Ecclesiam in Rota porphyretica super eundem dixit primus Episcopus Cardinalis: alius ex Episcopis aliam: ter-

tiam vero tertius Episcopus, & unctionem ante Confessionem B. Petri contulit. Dehinc, incoepta Missa, & Graduali post Epistolam decantato, Rex ad Pontificem coronandus accessit, & præsentatis Imperialibus signis, gladium, sceptrum, atque Imperii coronam de manibus ejusdem Papæ suscepit. Quo facto, statim tam vehemens & fortis Teutonicorum conclamantium in vocem laudis & lætitiæ vox emissa concrepuit, ut terribile tonitruum de cælo crederetur cecidisse. Hæc totidem fere verbis de coronationis Federici I. solemniis Acta Pontificis Adriani. Ejus vero *Tempus* ita nos quoque docuit Frisingensis: *Cum benedictione debita Imperii coronam accepit anno Regni sui* IV. *mense Junio*, XIV. *Kal. Julii.* Et ex eo Guntherus *Ligurini* IV.

His Regi titulos, hoc clari nomen honoris
Quartus ab ingressu regnorum contulit annus.
Plusque fere medio Juvenum se mensis agebat,
Ut quartodecimo prodiret Julius ortu.

Quin & illius *Diem* habemus ex ipsismet literis Federici: *Missa celebrata, ad altare SS. Apostolorum, Petri, & Pauli, in honore S. Mariæ Virginis, quia Sabbathum erat, benedictionem coronæ Romani imperii largiter super corpus nostrum effudit.* Quæ quidem, vel tacente me, detegunt *Ptolemæi* mendum, qui Coronationem istam celebratam asserit anno Domini MCLVIII. *Naucleri*, qui VI. Kal. Julii rem eandem peractam memorat, *Massoni* denique, tradentis id ipsum verbis, quæ dedimus in præcedenti Nota.

Apparet ex his etiam hallucinatum insigniter fuisse Petrarcham, cum in *Vitis Rom. Pontificum* de Federici I. coronatione loquens, Eugenium III. tamdiu vixisse prodidit, ut ab eo Federicus fuerit coronatus. Qua labe fœdatam pariter deprehendes Chronologiam vetustissimam Anonymi MS. cujus mihi copiam fecit doctissimus & amicissimus Juvenis JOANNES RHODIUS DANUS, cui non leviter aliquando debituræ sunt hæ nostræ literæ volente Deo. Habet illa scilicet vitiosissime, sed diserte: *Federicus primus, Conradi nepos, Imperator* LXXXVII. *Hic coronatus fuit ab Eugenio tertio.*

Qui festo Apostolorum Petri, & Pauli die, vigesimo nempe nono Junii, coronatum Federicum tradunt, quorum in numero præ cæteris Cavitellius fuit, diem illum spectasse putandi sunt, quo peracta, non incoepta, fuisse diximus Coronationis illius solemnia, universo eidem applaudente Romano populo, quem ante reclamantem habuerat, quod XIV. Kal. Julii sine sua adstipulatione, clausis urbis Leoninæ portis, coronam imperii à solo Romano Pontifice retulisset.

436 DEI FAVENTE MISERICORDIA] Aventinus quid amplius, ut ante vidimus, *Dei jussu.* Dodechinus, *Favente sibi Adriano IV.* Sigonius, *Faustis acclamationibus, præconiisque faventibus.*

437 IMPERATOR EST EFFECTUS] Vere ac proprie, sicubi alias, hic loquutus Noster. Dabat enim id nominis, sive tituli, Rom. Regibus Romæ delatum imperii diadema, simul atque crines illorum ac tempora redemisset, cum ante *Cæsares* dicerentur, sive *Romanorum Reges*. Observo, firmoque rem istam pluribus in Henrici VII. Coronatione Romana ad *Rub.* VII. *lib.* VIII. de illius gestis, quæ Mussatus scripsit. Ea re sic loquutus de Romana Federici I. Coronatione Viterbiensis, ut illum hinc elatum scribat, à regio nempe fastigio ad longe sublimiorem Imperatorii culminis majestatem:

Regia persona recipit Papalia dona,
Ungitur, erigitur, rumor in urbe sonat.

Majoremque reversum in Alemaniam Guntherus *Ligurini* V.

Ergo sui reditu gaudens Alemannia regis,
Majoremque videns, quam miserat ipsa, redisse,
Fascibus, & summæ cognomine laudis onustum,
Ejus in occursum proceres, populosque fideles
Excitat, &c.

Indeque reliqui, quo Noster, mentem & calamum intendentes, & in his Trithemius in alias laudato *Chronico* ad an. 1154. *A Pontifice Romano, & omni Senatu honorifice susceptus, in Imperatorem consecratur.* Krantzius lib. VI. *Saxoniæ* cap. XVII. *A Pontifice susceptus, in scalis Petri benedictionis solemne munus accepit, Imperator Romani populi consalutatus.* Erphsfordiensis, ignoti nominis Monachus, in *Addit.* ad Schafnaburgensem: *Anno* 1155. *Federicus Romæ Imperator factus.* Dodechinus in *Appendice* ad Marianum Scotum, ad eundem annum: *Federicus Romæ ab Adriano Papa Imperator factus.* Otho à S. Blasio *cap.* VII. *Favente sibi Adriano IV. Apostolico, urbem ingreditur ab eoque consecratus, Imperatoris, & Augusti nomen nonagesimus quartus ab Augusto sortitur.* Georgius Merula lib. III. *Vicecom. Antiquitatum*, pag. 15. *Ab Adriano Pont. titulum, & nomen Imperatorium accepit.* Benedictus Jovius: *Electionis anno quarto ab Adriano IV. R. M. Romæ in Imperatorem coronatus est.* Idque contra sentientibus Romanis, ut innuebam supra. Viterbiensis:

A

Præsul Adrianus, Romanaque curia tota,
Tunc sine Romanis complevit regia vota.

Robertus à Monte ad Chronographiam Sigeberti: *Federicus Rex Alemannorum Romam perrexit, & ab Adriano Papa contra Romanorum voluntatem receptus, & in Ecclesia B. Petri in Imperatorem ab eo est constitutus.* Aventinus lib. VI. *Annal. Bojorum: Ab Adriano IV. Pont. in templo B. Petri invitis Romanis inauguratur, jussuque Dei regnare declaratur.* Scripsitque signate Dubravius *lib.* XII. Romanos à Mediolanensibus ad arma concitos, ut Ænobarbi coronationi impedimento essent: *Ibi rursus Mediolanenses tumultum in urbe excitant, Romanos ad arma conciunt, qui solemnia diademati imponendo peragi non sinant.* Et hæc ista de Coronatione satis.

438 A SENATORIBUS] *A Consulibus* alii. Vide Platinam B in *Adriano IV.* Frisingensis *lib.* II. *cap.* XXIII. ad lucem & fidem Nostri: *Dum hæc agerentur Romanus populus cum Senatoribus suis in Capitolio convenerant.* Haud enim ab aliis tum jus suum exigere potuit Ænobarbus.

439 MAJORIBUS] Acta Pontificis Adriani de his ipsis *Majoribus*, quæ loco suo postmodum uberius producentur: *Sine consilio, & deliberatione Majorum*, &c.

440 SUUM JUS] *Imperatorium* scilicet, Imperator factus. Atqui non jus suum petitum tunc ab Ænobarbo tradunt, ut Noster, omnes; sed potius, tributa tantummodo graviora. Ea sane de caussa Merula, Georgius nomine, lib. I. *Vicec. Antiqq.* tumultum in Ænobarbum excitatum Romæ fuisse diserte memorat hisce verbis: *Sed cum is graviora à Romano populo tributa exigere tentaret, oborto tumultu, urbe cum Germanis Proceribus pellitur.* Guntherus eodem, quo Noster, spectasse visus, cum cecinit, C Romanum populum ob id in Ænobarbum Cæsarem irruisse, quod se ab illo jure suo cerneret spoliari, uti docebunt clarius illius versus, quos habebis haud multo post ad illa *Not.* 443. *Romani vero*, &c.

441 PLANE] Valet id adverbii hoc loco idem penitus, quod *modeste.* Nam & ista Federico tributa virtus, præsertim in sermonibus tum publicis, tum privatis. Apposite, si quis ad id alius, Frisingensis ejus in responso Cæsaris legatis Rom. dato: *Ad hæc Rex, tam superbo, quam inusitato orationis tenore justa indignatione inflammatus, cursum verborum illorum de sua Republica, ac imperii justitia more Italico longa continuatione, periodorumque circuitibus sermonem productorum interrupit, & cum corporis modestia, orisque venustate regalem servans animum improviso non improvise respondit.* Arguit & adverbio isti subesse notionem D dictam, adverbium *humiliter*, quod hæret illi proxime copulatum.

442 MALI ALIQUID *eis facere non intendens*] Dicuntur ista potius ad aurem Ænobarbi, quam ad Veritatis mentem, ut & illa col. 963. lit. A. *Qui quamvis Spoletanis nullum adhuc damnum intulisset:* aliaque generis ejusdem multa, quæ passim hoc in Opere se spectanda dabunt Lectori non legenti ut legat, velut otia fallat, sicut plurimi tesseris, aut pilis; sed ut intelligat, & imitatus apes verum sive Prudentiæ, sive Eruditionis inde mel exsugat in usus rei tum publicæ, tum privatæ.

443 ROMANI VERO] *Senatus* & *Populus universus.* De *Populo* Guntherus *Ligurini* IV.

Jamque furens Populus, prisco sibi jure negato,
Injussuque suo sumptos à Principe fasces
Indignans, rapido transmisso ponte tumultu
E *Irruerat.*

Et eidem accinens Auctor *Chronici* Supplementi: *Populus Rom. indignatione commotus, vi per Adriani pontem in Vaticanum erupit:* & Trithemius in *Hirsaug. Chronico* ad an. MCLIV. *Post solemnem ordinationem facta seditione à quibusdam vulgaribus tempore meridiano, bello ex improviso impetitur.* De *Senatu* Viterbiensis:

Acriter iratus consurgit ad arma Senatus.

Et Guntheri Scholiastes Spiegellius, qui ad illa: *Jamque furens Populus*, &c. *Imo & Senatores, qui tamen & illi Populi continentur appellatione, ut diximus.* Ob id nomine *Civium* placitum aliis, ea de re loquentibus, complecti tum Populum, tum Senatum. Urspergensis: *A Civibus urbis seditio contra Imperatorem commota est. Romanorum* aliis, ut Nostro. Siquidem sic ab Othone de S. Blasio *cap.* VII. F scriptum, ut ab Othone nostro: *Romanis interim, seditione mota, cum exercitu Imperatoris confligentibus*, &c. Sic & ab aliis, Mutio maxime, & Polono, quos alibi loquentes dabo. Enimvero clarissime omnium Frisingensis, Romanum tum Populum, tum Senatum seditionis hujus auctorem fecit, cum scripsit: *Dum hæc agerentur Romanus populus cum Senatoribus suis in Capitolio convenerant. Audientes autem, Imperatorem sine sua adstipulatione coronam Imperii accepisse, in furorem versi cum impetu Tyberim transierunt.* Inde Sigonius: *Dum hæc aguntur, Populus Romanus cum Sena-*

A *Senatu in Capitolium venerat, ut Reip. prout usus postularet, consuleret. Verum ubi audivit, Federicum sine auctoritate ac præsentia sua à Pontifice coronatum, prope in furorem adductus, magno impetu Tyberim trajecit.* Liberantur nihilominus hac nota *Majores* urbis in Actis Pontificis Adriani. Habent illa scilicet non obscure, Populum tantum sine eorum consilio & deliberatione in Cæsarianos impetu contendisse: *His igitur ante horam nonam in pace & tranquillitate peractis, Populus Romanus, qui clausis portis apud Castrum Crescentii residebat armatus, ignorans quæ facta fuerant, sine consilio & deliberatione Majorum, ad civitatem Leoninam paulatim ascendit, & eorum, qui remanserant in porticu, spoliis violenter detractis, omnes, quos reperit, usque ad Imperatoris castra persequendo fugavit.* Notet ista discrimina circumspectus Lector, nec abire patiatur improvide non expensa.

B 444 OMNINO SE EA FACERE RECUSANTES] Med. Codex, *Omnino id ei facere recusantes.*

445 ET COLLA, JUGO QUASI ABJECTO] Idem, *Et colla eorum, jugo quasi abjecto*, &c.

446 TYBERIM] Fluvii notissimi nomen, qui & *Tyberinus* dictus Gunthero *Ligurini* III.

——— flammaque cremante solutus
In cineres, Tyberine, tuas est sparsus in undas.

Et Floro *lib.* I. de Anco Martio: *Hic igitur & mœnia muro complexus est, & interfluentem urbi Tyberinum, ponte commisit.* Tyberinum enim, Albanorum Regem, & latronem insignem, ejus in fluvii trajectu mersum, nomen illi dedisse ferunt, cum prius *Albula* diceretur, qua de re Maro, & eum secutus Guntherus *Ligurini* IV. aliique Poetarum & Mythologorum multi.

447 SUPERBIA] *Furore*, seu *indignatione* alii, proximis ut ex Notis liquet.

C 448 PER PONTEM] Accinit his Guntherus, plenius auditus nuper: *Jamque furens populus*, &c. *rapido transmisso ponte tumultu, irruerat.* Eratque ei ponti *Tyberino* nomen, uti nos docent literæ Federici, quibus perspicue consignatum lego, *Romanos prosiluisse de Tyberino ponte.* Video tamen hic & aliquos meminisse *Adriani pontis*, & Auctorem præcipue *Chronici Supplementi*, cujus è scriptis hæc attulimus ad superiores Notas: *Populus Romanus indignatione commotus, vi per Adriani pontem in Vaticanum erupit.* Quæ quidem Mutii labem eluunt sic scribentis lib. XVIII. *Chron. Germanorum: Quare per totam Adriani erumpunt.* Legendum enim, *quare per pontem*, ni *per portam* malis, è Naucleri penu, qui diserte, *Populus Romanus per Adriani portam vi erupit*, &c. Sedeat & hic arbiter, sive judex, circumspectus, & attentus Lector.

449 INSULA] Mediolanensis, & Corii MSS. *Isolella.*

450 PARATI, IPSI *obviam Imperatori venerunt*] MS. Mediolanensis excerpta, *Præparati ipsi Imperatori obviam iverunt.* Mutius, *Romanis parati Germani opponunt se.*

D 451 OBVIAM IMPERATORI VENERUNT] Imo cum furore, magnoque impetu tum in ejus familiam, quæ in Vaticano remanserat, tum in eos, qui inde discedentem Cæsarem sequebantur, præcipites irruerunt. Jac. Philippus in *Chronico Supplemento: Populus Rom. indignatione commotus vi per Hadriani pontem in Vaticanum erupit, ac Imperatoris familiam invasit, & multos vulneravit.* Et in Supputationibus Polonus: *Romani armata manu familiam sequentem in porta S. Angeli crudeliter invaserunt, usque ad territorium* (lege *tentorium*) *Imperatoris persequendo:* simulque corrige Ptolemæum, in quem, hæc eadem afferentem è Poloni penu, *centurium* pro *tentorium* irrepsit. Quin & impetus tum à Romanis factus in ipsamet Ænobarbi castra, contemptu perspicuo regiæ majestatis. Mutius: *Romani vero conati sunt exercitum Imperatoris ex improviso opprimere: quare per totam* (lege, uti monui, *per pontem*, sive *per portam*) *Adriani erumpunt magna violentia & impetu in Germanos.* Quin & in ædes sacras, E neglecta religione loci. Frisingensis: *Juxta Ecclesiam B. Petri procurrentes, quosdam ex stratoribus, qui ibi remanserant, in ipsa sacrosancta Ecclesia necare non timuerunt.* Et inde Sigonius: *Ad ædem Petri progressus paucos stratores, qui ibi remanserant, interfecit, & Cardinales aliquot spoliavit.* Quin & contra dehortantis idipsum Pontificis voluntatem. Nauclerus: *Populus Romanus per Adriani portam vi erupit, Teutonicos contra voluntatem Pontificis cædit.* Atqui nullus hic Historicus fide dignior Federico ipso, cujus in literis, sic de Romanorum ausu, & hora facti, deque loco ipso, & inibi cæsis, & spoliatis, copiose scriptum: F *Quo rite facto & peracto, dum omnes nimio labore & æstu confecti ad tentoria rediremus, & cibum caperemus, Romani de ponte Tyberino prosiluerunt, & in Monasterio S. Petri duobus servis nostris occisis, & Cardinalibus spoliatis. Papam capere intendebant.* Aberat inde scilicet Federicus, reversus post acceptam Imperii coronam per eandem, quam iniverat, portam in castra, relicto Adriano Pont. in Vaticana Sede, uti Corius & Sigonius tradunt.

Atque hæc de Romanorum impetu, cujus in narratione miram Scriptorum omnium consensionem vides, cum in ejusdem edenda caussa mirum è contra diffidium exstiterit eorumdem. Habet hic scilicet Frisingensis, Romanos in furorem versos, *quod sine sua adstipulatione Federicus coronatus esset:* eidemque Guntherus, *Chronici Supplementi* auctor, Platina, & Sigonius plena cera subscribunt: nec abiit alio Godefridus, cum post illa, quibus Federicum contra Romanorum voluntatem coronatum dixerat:

Præsul Adrianus, Romanaque curia tota
Tunc sine Romanis complevit regia vota,

subjecit statim,

Acriter iratus consurgit ad arma Senatus,

nullam ut aliam ob caussam Romanos ad arma convolasse proderet, quam ob Cæsarem eorum ingratiis coronatum. Sentit ab his Merula diversa plane, nec aliunde obortum Romanorum tumultum putat, *quam ex tributis, quæ graviora tentaret ab illis exigere Federicus.* Fuere pariter, qui Romanos à Mediolanensibus in Cæsarem excitatos dicerent, Dubravio teste in superiori *Nota* 435. quæ incipit, *Coronatus.* Atqui & hos contra negat suis in literis Federicus, Romanos sibi tum, sed ipsi soli vim inferre Pontifici voluisse, quod & Corio visum. Ambigit nihilominus Possevinus Junior in *Gonzagis*, utrum id Romanorum facinus *mutuis odiis*, *an iræ in Pontificem* referri debeat in acceptum, ut indicant, quæ ex illo dedimus in *Nota* 433. *Honorifice susceptus est.* Ea re Polonus, Ptolemæus, & alii, tumultus ejus originem pressere silentio: nec aliud ex Actis Adriani constat, quam inscium, quid actum esset, Populum ad arma temere cucurrisse.

452 CUM EXERCITU] Qui in pratis Neronianis erat. Platina in *Hadriano* IV. *Excitus quidem tanto tumultu Imperator, intromisso exercitu, qui in pratis Neronianis consederat, Romanos ex Vaticano in urbem retrudit.*

453 PROSPEXIT] Haud igitur omnino proprie Sigonius hic loquutus: *Urbano tumultu in castris audito, Federicus Pontificem, & Cardinales armis à Romanis oppressos suspicans, militem, qui corpora curare, atque ex æstu se recreare parabat, armari jussit.* Vident enim, oculis qui utuntur, omnes, longe aliud esse *prospicere*, & *suspicari.*

454 ARMARI PRAECEPIT] Frisingensis, à quo magnam mox allatorum partem Sigonius hausit: *Audiens hæc Imperator, militem ex æstus magnitudine, sitisque ac laboris defatigatione recreari cupientem, armari jubet.* Guntherus:

Horruit irarum stimulis, justoque furore
Cæsar, & ingratum socios iterare laborem
Compellit, totis educens agmina castris.

Federicus ipse de se ipso scribens: *Nos vero deforis strepitum audientes, armati per muros irruimus.* Et ejus ad aurem & auram Godefridus:

Prosilit armatus Cæsar, feritate citatus.

Ducis enim hæ partes probi, jussa sua facto prævertere, & armatos extemplo milites anteire, exemplo præire (verbo rem ut exprimam) universis.

455 QUI CUM ARMA *festinanter accepissent*] Med. Codex una non incongrue ditior dictione, *Qui cum arma omnes festinanter accepissent.*

456 FESTINANTER] Tale quid habemus in Actis Pontificis Adriani: *Invalescentibus autem clamoribus, eorumdemque resonante inopinato tumultu, Teutonicorum exercitus ad arma velociter convolavit.* Et affert in his, quæ sequuntur, festinationis tantæ caussam Frisingensis: *Festinabat eo amplius* (miles) *quo timebat, furentem plebem in Romanum Pontificem, Cardinalesque irruisse.*

457 ALACRITER] Ita prorsus, ut vel cibos fessi & enecti fame capere recusarint. *Ligurini* Scriptor:

Distulit ira cibos, hostili sanguine malunt
Dilatam satiare famem, fremituque leonum
Terribiles urbem repetunt, & in arma feruntur.

458 CUM IPSIS ROMANIS] Idem:

Nec cedunt hostes; sed pectore prælia firmo
Excipiunt.

Et hæc quidem gesta juxta Crescentii castrum ex sequenti Nota.

459 COMMISCUERUNT] Proprie. Quippe tum pugnatum *cominus*, non *eminus*, ab utraque parte. Modo laudatus Vates:

——— missis bellum committitur hastis,
Et levibus jaculis, & quas pluit aura sagittis.
At simul incaluit stimulis gravioribus ira,
Conseruere manus, admotaque cominus arma.

Frisingensis initio brevior, *Pugna conseritur*, mox uberior, locum pugnæ duplicem ut assignet, *ex una parte juxta Castrum Crescentii cum Romanis, ex altero latere juxta piscinam cum Transtyberinis.* Quamquam & hæc Ligurinus habet de loco uno:

Maxi-

Maxima conflictus moles in limine pontis,
Ante domum Crescentis erat.

Et de utroque Viterbiensis ista:

Marte secus Tyberim fervet utrumque latus.

Et alia his affinia Recentiorum multi.

460 DIMICANTIBUS ACRITER] Respondent his Acta Pontificis Adriani: *Strictis mucronibus ab utraque parte acriter dimicatur.* Ideoque *fervendi* verbo Viterbiensis usus in carmine mox producto. Sed ardor is ab aliis etiam sic expressus, ut cerni quodammodo videatur. Frisingensis: *Videres nunc hos istos versus castra propellere, nunc hos illos usque ad pontem repellere.* Et his cum illo poeticis veluti numeris certans Ligurini Musa:

At simul incaluit stimulis gravioribus ira,
Conseruere manus, admotaque cominus arma,
Non jam missilibus telis, ferroque volanti;
Sed gladiis pugnare libet, tinnire sonoros
Ictus audires galeas, incussaque telis
Arma, gravi clypeosque leves mugire fragore,
Cernere palantes passim, rursumque resumptis
Viribus instantes alterna sorte licebat.

461 MULTI *ab utraque parte interfecti*] Addit *in campo*, post *parte*, Mediolanensis Codex, ibique loci nihil est aliud *Campus*, quam *militaris locus*, qui tum Italis *Campo*, tum Græcis κάμπος, χωρίον, & Nicetæ signate κάμπος ἕως πεδίον dictus, *Campus* ut interdum ea quoque planicies, & area sit, in qua Martis alea luditur, & acriter dimicatur. Inde sine dubio καμπιδέκτωρ est Mauritii in *Strateg.* qui in Suida scribitur καμπιδήκτωρ, & Ammiani illa *lib.* XX. *Convenire in campo, progredi in campum cum multitudine armata.* Vegetii *lib.* II. *cap.* XXII. *Ad decursionem campi exeunt milites:* & Nostri col. 913. lit. C. *multosque campi victor existens in prælio* (sic enim legendus is locns, ut infra *Not.* 496. monebimus) *interfecit.* Consulendi hic Rigaltius in *Glossario Tactico*, & ex illo Cerdius in *Adversariis sacris* cap. CXX. num. 36.

462 INTERFECTI] Par in aliis tum interfectorum numerus, & captorum. Acta Pont. Adriani: *Populus ipse non sine multorum suorum jactura intra portas ipsius castri se ipsum recepit.* Urspergensis: *A civibus urbis seditio contra Imperatorem commota est, ubi multi Romanorum interfecti occubuerunt.* Jac. Philippus in *Chronico Supplemento*: *In quos* (Romanos) *mox ultio ab exercitu Imperatoris facta est, multos enim Romanorum aut cædit, aut captivavit.* Cavitellius: *Dum Romani eo in actu irruissent in ipsius milites Theutonicos, castrametantes in campis Neronianis, multis ex eis occisis,* &c. Georgius Merula: *Ferro quoque certatum est, cæsi utrinque multi, complures capti.*

463 TANDEM ROMANI] Accinit hic Nostro verbis prope similibus Frisingensis: *Dubia itaque sorte dum diu ab utriusque decerneretur, Romani tandem, atrocitatem nostrorum non ferentes, coguntur cedere.* Nec aliis Guntherus *Ligurini* IV.

Vix tandem miseros sero jam vespere cives,
Afflictosque diu bello fuga, noxque removit.

Ea quippe pugna pugnata usque ad occasum Solis. Federicus ipse suis in literis non obscure: *Tota die cum Romanis conflictus habentes*, &c. *donec nox nos & illos diremit.* Et ex eo, eoque distinctius, Frisingensis: *Prælium hoc à decima pene diei hora usque ad noctem protractum est.* Et hujus ex fontibus Guntherus:

Hic furor à decima spatiosus, & integer hora
Perstitit ad primas merso jam Sole tenebras.

464 SUBSTINERE NON VALENTES] Casce minus Med. Codex, *Sustinere non valentes:* idemque per illa, quæ mox attulimus, *atrocitatem nostrorum non ferentes*, expresserat Frisingensis.

465 TERGA VERTERUNT] Ut hanc quoque fugam memoriæ traderet Frisingensis, post superiora illa, *atrocitatem nostrorum non ferentes*, subjecit illico, *coguntur cedere.* Discimus & eandem fugam ex illis Actorum Pont. Adriani: *Populus*, &c. *intra portas ipsius castri se recepit:* nec non & ex illis Sigonii, quæ ducta videntur è fontibus Morenæ nostri: *Romani, cum vim Germanorum sustinere non possent, terga verterunt.*

466 ACRITER PERSEQUENS] Describunt ardorem istum egregie pluribus Frisingensis Episcopus, & Guntherus, de Germanis suis ambo probe meriti, & prolixe. Adisis illos, & primum quidem ab his, *Cerneres nostros tam immaniter, quam audacter Romanos cædendo sternere*, &c. usque ad illa, *Prælium hoc*, &c. Alterum vero ab eo versu:

Hic furor à decima spatiosus, & integer hora, &c.

usque ad illum,

Vix tandem miseros sero jam vespere cives, &c.

467 ET MULTOS VIROS *in ipsa fuga, capiens, multosque interficiens*] Verba quod attinet hujusce loci, ea sic, & melius in Mediolanensi Codice descripta lego, *Et ipsos in ipsa fuga vivos capiens, multosque interficiens.* De re ipsa

A testimonium totidem pene verbis perhibent Acta Pont. Adriani, *Cæsi sunt multi, & plurimi capti.* Jac. Philippus in *Chronico Supplemento*, *Multos Romanorum aut cædit, aut captivavit.* Georg. Merula, *Cæsi utrinque multi, complures capti*, aliique recentiorum multi, quorum in scriptis nihilo his diversa sese spectanda tradunt.

468 FUGARE NON CESSAVIT] Nulli non hæc fuga Romanorum dicta. Otho de S. Blasio *cap.* VII. *Romanis interim seditione mota cum exercitu Imperatoris confligentibus, tandem fugatis & victis*, &c. Polonus: *Invalescente clamore Teutonici adunati Romanos crudeliter* (cujus adverbii loco, *potenter*, Ptolomæus adhibuit) *repulerunt.* Guntherus: *Afflictosque diu bello fuga, noxque removit.* Trithemius: *Imperator vero, & sui subito armati hostes strictis gladiis trans Tyberim repellunt.* Platina: *Romanos ex Vaticano in urbem retrudit.* Mutius: *Parati Germani opponunt*
B *se, & occisa magna eorum multitudine, magna etiam capta, fugant.* Et alii, quorum scripta non sollicito, ne fastidio sim.

469 ROMANI VERO] Med. Codex, *Romani autem.*

470 MULTA MILLIA, &c.] Æque clare de tanta cæde suis in literis Federicus: *Tota die cum Romanis conflictum habentes, eorum pene mille occidimus, & in Tyberi submersimus, & captivos deduximus.* Frisingensis etiam ad Federici ductum: *Cæsi fuerunt ibi, vel in Tyberi mersi pene mille, capti ferme ducenti, sauciati innumeri, cæteri in fugam versi, uno tantum ex nostris (mirum dictu) occiso, uno capto.* Et ex Frisingensis tripode Guntheri Musa:

Claraque justitiæ patuerunt signa supernæ.
Namque uno tantum nostra de parte perempto,
Mille vel immersos Tyberi periisse, vel armis
Hostili de plebe quidem, captiva ducentos
Supposuisse ferunt injectis colla catenis.

C Horumque persecuti vestigia Nauclerus, qui diserte: *Imperiales*, inquit, *ex Romanis ad mille viros occidunt, nonnullosque capiunt.* Cavitellius, cujus ista sunt: *Utrinque consertis manibus ex eis circiter mille occisis, & ducentum captivatis.* Et inter recentiores uberrime omnium Sigonius ex Frisingensis penu: *Cæsi, aut in Tyberim mersi ex Romanis prope mille, capti fere ducenti, vulnerati innumeri, reliqui fusi ac fugati in urbem se receperunt.* Nimis igitur parce Dubravius, ac leviter hac in parte, *Facta cædes utrinque Cæsare victore.* Adhucque parcius ac levius Dolionus, qui leves tumultus admodum tum inter Quirites & Augustales excitatos in hæc verba scripsit Parte III. *Compendii rerum universi Orbis: Quivi fù coronato Augusto; ma non però senza alcuni tumulti, che nacquero tra Romani, & Tedeschi; ma di puoca importanza.*

471 PRAECIPITAVERE] Verbis aliis, sententia non
D alia, Med. Codex, *Se præcipitanter projecerunt.*

472 IN IPSO FLUMINE PERIERUNT] Viterbiensis:

Plebs abiit, Rex obtinuit, multisque necatis,
Unda fuit Tyberis defensio sola fugatis.
Sanguine tincta satis turba natabat aquis.

473 CAPTI] Qui post omnes incolumes dimissi, rogatu Pontificis Adriani. Jac. Philippi *Chronicum Supplementum: Imperator, Pontificis precibus delinitus, confestim captivos dimisit.* Platina: *Multis cæsis, captisque, Pontificis tamen precibus Imperator lenitus, captivos incolumes dimittit.* Nauclerus: *Imperiales ex Romanis ad mille viros occidunt, nonnullos capiunt, quos tamen ad preces Pontificis Imperator incolumes dimisit.* Ptolomæus: *Teutonici adunati potenter Romanos repellunt, & alios quidem occidunt; alios vero captivant; sed ad preces Papæ Adriani Imperator captivos restituit.* Cavitellius: *Ducentum captivatis, & in gratiam summi Pontificis dimissis*, &c. Georg. Merula: *Cæsi utrinque multi, complures capti, qui haud ita multo post deprecante Adriano relaxantur.* Mutius: *Conatus Romanorum postquam*
E *male cessit, pacem petiere, & gratiam ab Imperatore, & Pontifice, quam assecuti sunt, & redditi sunt illis capti.* Haud igitur facile probaverim in Scriptorum hujuscemodi consensu tanto, quæ contra Dubravius scripsit, punitos ab Ænobarbo Romanorum captivos asserens in hæc verba: *Facta cædes utrinque Cæsare victore non tamen, victoria ista contento; sed omni præterea studio ad id incumbente, ut ab ipsis quoque periculi & cædis auctoribus debitas pœnas repeteret. Id demum magni interesse ad conservandam Imperii dignitatem inquiens, si impune illam nullus tentare, nedum lædere audeat comprobantibus dictum Germaniæ Prin-*
F *cipibus, & Rege quoque Daniæ cum illis in commilitium consentiente.*

474 INSULAM] *Isolellam* nobis hic pariter exhibent Mediolanensis & Corii M S S.

475 IN ROMAM SE RECOLLEGERUNT] Ea de causa, *Romanos in urbem repulsos* vere Cavitellius scripsit: nec Sigonius vane, *fusos eosdem, & fugatos sese recepisse in urbem; Federicum vero cum suis in castra rediisse, ac quieti se cum exercitu tradidisse.* Quæ postrema visum est addere, quod in Nostro desint, probe vero respondeant Frisin-

singensis illis: *Finito tam magnifico triumpho, Imperator ad castra rediit, ibique & se, & suis fessa lectulis recipientibus membra, nocte illa conquievit.* Profecit enim mirum in modum Sigonius ex spatiis Scriptoris hujus, cum res Ænobarbi Cæsaris exararet, ne quis nobis idipsum vitio vertat, firmare dictis ejusdem studentibus res easdem.

476 POSTERA VERO DIE] Uberiores & alii hac in parte Nostro, suis ipse cumprimis in literis Federicus: *Mane facto, quia vectualia nobis defecerant, assumpto Papa & Cardinalibus, cum triumpho victoriæ læti discessimus, & omnibus castris & munitionibus, quæ circa urbem erant, in potestatem nostram deditis, usque Albam venimus, & per aliquot dies ibi cum Papa morati sumus.* Atqui persecutus & hæc ipsa est fusius Frisingensis, quæ brevius & ornatius scriptorum illius epitomator Sigonius dabit: *Postridie, Romanis commeatus copiam denegantibus, cum Hadriano ad montem Soracte processit, atque in campis viriditate conspicuis fessum militem cibo & quiete refecit, atque ibi festum diem Apostoli Petri celebravit, & Hadriano rem divinam faciente, coronam honoris causa gestavit. Inde motis castris, inter Tusculum, urbemque, premendorum Romanorum causa consedit.* Hæc ore Sigonii se longe, quam par erat, brevior Frisingensis, quippe qui præterea memoriæ consignarat, *Pontificem inter Missarum solemnia, quæ festo D. Petri die peregit, cunctos, qui fortasse in conflictu cum Romanis habito sanguinem fuderant, absolvisse*, quo de facto Sigonius silet. Pertinent autem hæc, & his similia, ad planiorem seriem, plenioremque notitiam gestarum ea tempestate rerum, quare dissimulanda neutiquam hic fuere.

477 FOEDUS INIENS] Ptolemæus huc signate spectans: *Ad preces Papæ Adriani Imperator captivos restituit, & pax reformatur.*

478 ROMA DISCESSIT] XIV. Julii, ut Trithemio placet, suaque sponte, lætus ac victor, non ferro pulsus inde, ac victus, quod Merula testatum iit. Causa vero potissima discessus hujus Syrii canis ardor fuit, lethalis omnibus, sed imprimis iis, qui cum Ænobarbo erant. Gravissima quippe tum æstate ex aeris intemperie reddita (ut ore Sigonii loquar ex Frisingensis & Guntheri schola) Germanus exercitus, Romani cæli insuetus, morbis tentari tristioribus cœpit. Quorum vim cum sustinere Federicus se posse diffideret, relicto in suburbanis oppidis Pontifice, ad montes Tyburtinos recessit, & valetudinem salubritate aeris, & medicamentorum opportunitate tueri contendit. Dederant enimvero sese Federico, suaque omnia, Tyburtini sponte. Qui cum non multo post urbem illam Pontificii juris esse sensisset, eandem statim restituit Hadriano, luculento nobis ea de re teste Platina, cui magnus quoque Baronius assentitur. Facit illud etiam ad hunc locum, quod Polonus & Ptolemæus tradunt, præcepisse scilicet tum Quiritibus Ænobarbum, ut eandem urbem, quam dissipatam invenerat, repararent.

479 USQUE AD ANCONAM] Cavitellius hoc de progressu loquens itineris Ænobarbi: *Omisso bello, quod intendebat movere Gulielmo Normano, ivit Anconam, & illinc in Galliam Cisalpinam.* Habet his ferme similia Georgius Merula de eodem: *Tum Federicus per Picenum in Umbriam, atque inde in Transpadanos transmissus, in Germaniam rediit.* Ancona siquidem Piceni urbs, sortita nomen à forma & situ, testimonio Plinii & Melæ. *Ancon* enim Græcis tum *cubitum*, tum *eminentem locum*, tum *flexum* sonat; fuereque Græci conditores ejus, Syracusani scilicet, qui, Græci Dorici cum essent, Dionysii tyrannidem fugientes, eo se recepisse feruntur, ut tradit Strabo, unde Juvenalis illa *Sat.* IV.

Quam Dorica sustinet Ancon:

eversores vero Sarraceni, qui claram illam insigni cumprimis portu, quem excitaverat Trajanus Princeps, Imperatoris Lotharii Carolingi temporibus, incendere. Meminit & itineris sui Anconam versus Federicus ipse; sed eo (longe secus ac Noster) se recepisse scripsit, nimirum à Spoleto capto, ibique Palæologum, nobilissimum Græcorum Principem, & Maroducum (quem *Maradochum* Guntherus nominat) socium illius cum cæteris Constantinopolitanis nuntiis obvios habuisse, qui se, ut in Apuliam iret, & hostem utriusque Imperii Gulielmum potentia virtutis suæ conterere vellet, infinita promissa pecunia fuerint adhortati, quod & alii Scriptorum ejus descriptores tradunt, Frisingensis potissimum, Sigonius, & Guntherus.

480 MULTAS CIVITATES, *multosque Principes suæ ditioni, & potentiæ subjugavit*] Haud mihi notæ nomine & numero civitates omnes, nec Principes, quos tunc suam in ditionem potestatemque redegisse dicitur Ænobarbus: at illud à Mutio traditum ad fidem Nostri, Ænobarbum per aliam Italiæ viam profectum domum, ut rebelles adhuc sibi regiones Italicas edomaret: Spoletoque diruto civitates multas reliquas sese illi & Imperio, tali exemplo territas, sua sponte parituras esse protinus affirmasse. Quinimo fateri nec ausim libere, juris tum Cæsarei factam Anconitanam urbem ob Platinam sic scribentem in *Alexandro* III. Pontifice Max. ad annum MLXV. *Federicus comparato magno exercitu in Italiam veniens, præter spem, nulli noxius, trajecto ratibus Pado, in agrum Bononiensem descendens, copias partitur. Cohortes enim quasdam Lucam misit, quarum præsidio tutus Antipapa esset, qui tum Lucæ erat: ipse vero cum reliquo exercitu Anconam profectus, urbem aliquandiu obsidens, in suam tandem redegit potestatem.* Quare stylum hinc ad certiora, quoad fieri liceat, traducamus.

481 IN APULIA, *&c. versatus est*] Negat id aperte suis in literis Federicus: *Qui* (Palæologus, & Maroducus] *ut in Apuliam iremus, & hostem utriusque Imperii Guilhelmum potentia virtutis nostræ conterere vellemus, infinitam pecuniam nobis dare spoponderunt. Quia vero militia nostra propter multos labores & bella nimis attrita fuit, placuit magis Principibus redire, quam in Apuliam descendere.* Negat & Otho de S. Blasio *cap.* VII. *Suadentibus Coloniensi Archiepiscopo, & Hermanno Constantiensi Episcopo, & quibusdam aliis Principibus, ad ulteriora contra Wilhelmum filium Rogerii, qui Apuliam usurpato regio nomine tenebat, progredi disposuit, sed ab aliis dissuasus, hoc in posterum differens, ad Cisalpina revertitur.* Quorum de sententia postmodum Aventinus scripsit: *Cæterum Federicus, Imperator atque Cæsar appellatus, in Apuliam adversus Rogerium Siculum arma movere appetebat; sed, Principibus hanc militiam detrectantibus, ex Italia in Germaniam, & Bojariam, ad componendam de eo Ducatu controversiam, proficiscitur.* Et Nauclerus: *Imperator apud Albam Papæ valedicens, & omissa id temporis Sicilia, in Germaniam properat.* Nec alia multo ante tradiderat Frisingensis, apud quem *cap.* XXV. legimus, Andream Apuliæ Comitem, cæterosque ejusdem Provinciæ exsules, Campaniam & Apuliam cum legatione Imperatoris ingressos, civitates suas, castella, municipiaque cætera sine contradictione recepisse, putantibus terræ accolis, Imperatorem è vestigio ipsos subsecuturum; sed illum, excandescente amplius in exercitu suo Canis rabie, non sine cordis amaritudine ad Transalpina redire coactum. Næ plurimum hic ille merebitur de Literaria re, qui Scriptores illos una cum Nostro deduxerit in Concordiæ templum.

482 IN ALEMANIAM REVERTI *proposuit*] Ea de causa maxime, quod illic rebus novis studere novisset Henricum, Bavariæ Ducem, qua de caussa Cavitellius testis: *Cum Henricus, Dux Bavariæ, Catulus nuncupatus, eo dimisso ivisset in Germaniam, & ibi novos motus concitaret, omisso bello, quod intendebat movere Gulielmo Normanno, ivit in Anconam, & illinc in Galliam Cisalpinam.* Et infra: *Properavit in Germaniam adversus Henricum ipsum, Catulum nuncupatum.* Cui consentit Aventinus laudatus nuper: *Ex Italia in Germaniam, atque Bojariam ad componendam de eo Ducatu controversiam, proficiscitur.*

483 PROPOSUIT] Ita plane Mutius, ut Noster: *Omnibus Romæ dispositis, & Papæ subjectis, Federicus in Germaniam petere constituit.*

484 SPOLETUM VENIENS] Totidem idipsum verbis suis in literis Federicus, *Inde venimus Spoletum:* totidem Ptolemæus, *Eodem anno veniens Spoletum, civitatem devastavit.* Spoletum autem Colonia Romanorum olim Plinio teste. Theodoricus primus Gothorum Rex nobile illic Prætorium exstruxit, sed illud Successores ejus una cum urbis mœnibus everterunt, quam postmodum à Narsete restitutam ferunt. Ea demum potiti Longobardi, sedem illic suorum Ducum, & Principum statuere, post cædem Cephis, regnum & regium nomen repudiantes, unde regioni toti nomen apud posteros permansit, ut scribit Merula, qui Ducatum istum cum tribus aliis insignibus, Romano scilicet, Narniensi, & Beneventano, institutum tradit.

485 NON MULTUM LONGE A CIVITATE] Scilicet *in* illius *arvis.* Godefridus,

Dum remeant læti, resident super arva Spoleti.

486 SPOLETANIS] Retentus hic à Nostro loquendi usus. Nemo enim Veterum *Spoletanus*, sed *Spoletinus*, dixit. Sed & à Gunthero scriptum ex eodem usu *Ligurini* IX.

Et Spoletanus sub eodem jure Ducatus.

487 NULLUM ADHUC DAMNUM INTULISSET] Sed *fodrum*, sive *jura* tantum ab eis *regalia* quærerentur, uti nos Frisingensis & Guntherus docent. *Nulli quoque noxius*

Italiam alias adiisse Cæsar idem dictus Platinæ, cujus testimonium dedimus *Nota* 480. *Multas civitates, multosque Principes suæ ditioni ac potentiæ subjugavit.* Quamvis hæc & alia his affinia de Federico, alioqui fero, dicta videri possint eo plane fine, quo superiora illa *Notæ* 442. *Mali aliquid eis facere non intendens*, ut ibi pariter innuebam.

488 TANQUAM STULTI] Cœco prorsus impetu præcipites ad arma rapti, quoque jure, quave ducerentur injuria nescientes plane, quod stultorum est.

489 EXIERUNT ARMATI] Cumprimis *fundibalis* & *sagittis*. Frisingensis: *Illi* (Spoletani) *murorum ambitu, altissimarumque turrium muniminis multitudine non contenti, extra muros cum fundibulariis & sagittariis egressi, occurrendum Principi putantes, quos poterant figebant.* Et *hastis*, ut Guntherus canit:

Ante fores ipsas clausa vix tutus in urbe
Occurrens populus, funda, levibusque sagittis
Prælia prima movens, & missis eminus hastis.

Sive *telis* & *missilibus* è Sigonii scriptis: *Spoletani adeo virtute suæ confisi sunt, ut non solum è muris, ac turribus (nam prope centum habebant) telis, missilibusque hostem arcuerint, sed etiam ex portis egressi castra ipsa invaserint.*

490 IMPERATOR VERO HOC AUDIENS] Habes hæc, & alia, quæ sequuntur, à Frisingensi pari stylo propemodum exarata. Habet ille scilicet pro allatis Nostri: *Videns hoc Princeps. Ludus, ait, hic puerorum, non virorum videtur concertatio.* Pro proximis: *Valde turbatus. Plus de captivitate Proceris sui, quam de fraudatione pecuniæ motus.* Pro sequentibus: *Suis præcepit quatenus incontinenti arma susciperent, & cum eis viriliter pugnarent. Dixit: suosque fortiter in adversarios ruere jubet.*

491 VALDE TURBATUS] Attigit & Guntherus indignationem istam de populo Spoletino loquens:

Et meruit justas, & movit Principis iras.

Nec eam tantum ob caussam, quam expressit Noster, sed ob alias præterea longe graviores duas, si par hic sit credere Frederico. Profert ille scilicet plane diversam unam & alteram in hæc verba: *Inde venimus Spoletum, & quia rebellis erat, & Comitem Guidonem Guerram, & cæteros nuntios nostros in captivitate tenebat, assultum ad urbem fecimus.* Accinuntque dictis illius non dubie pro caussa prima primipili Rei literariæ quatuor, Ptolemæus, Nauclerus, Mutius, Godefridus. Primi siquidem hæc habemus: *Veniens Spoletum civitatem devastavit ex quadam rebellione, quam fecerant.* Secundi: *Spoletum diruit, rebellantemque incendit, funditusque evertit.* Tertii: *Spoletum, urbem rebellantem, & multa seditione contra majestatem Cæsaream conantem, cepit vi, & solo æquavit.* Postremi:

Dum remeant læti, resident super arva Spoleit,
A quibus & Cæsar danda tributa petit.
Falsa moneta venit, falsum cito Cæsar ademit.

Nimirum hac in fraudatione pecuniæ sita rebellio populi Spoletini, Federici verborum interprete Frisingensi, qui sic caussæ, prius ab illo productæ, meminit *cap.* XXIV. *Cum fodrum à vicinis civitatibus, & castellis, & oppidis exquireretur, Spoletani indignationem Principis incurrunt. Dupliciter enim peccaverant, cum* DCCC. *librarum facti essent obnoxii, partim defraudando, partim falsam monetam dando.* Meminit & alterius idem ibidem Historicus, eamque prima graviorem facit: *Adauxit hujus indignationis cumulum, quod Guidonem Comitem cognomento Guerram, inter omnes Tusciæ proceres opulentiorem, de Apulia in legatione Imperatoris ad ipsum redire volentem, in sua civitate hospitatum, comprehendere, captumque tenere ausi sint. Quodque his pejus erat, præceptum Principis, eum relaxari jubentis, contempserunt.* Quæ totidem plane numeris, qua vinctis, qua solutis, Guntherus, & Sigonius habent. Urspergensis sententia fuit, Spoletanos ob diras incursiones indignationem Romani Cæsaris incurrisse: *Imperator vero rediens inde, in itinere Spoletanorum diras & inopinatas pertulit incursiones, quarum impulsu Spoletum applicuit.*

492 SUIS] Peregrino cumprimis Aquileiensi Patriarchæ, Eberhardo Babembergensi Episcopo, Bertolfo Comiti, Henrico Carentanorum Duci, Odoacro Stirensi Marchioni, Tuscis, & Italis Proceribus multis.

493 VIRILITER PUGNARENT] Nec aliter, ac jussi fuerant, *pugnavere*, si Gunthero fides, apud quem habemus *Ligurini* IV.

——— *incurrite totis*
Viribus, ô Socii, conversum ad mœnia civem
Præveniat, patulasque fores prior occupet hostis.
Dixit, & accepto gaudens à Principe signo
Teutonus hostilem cum civibus irruit urbem.

494 IMPERATOR VERO, &c. *sic robuste pugnavit*, &c.] Ita se pariter tum Federicus gessit, si Frisingensis verus. Nullus enim, eo Scriptore teste, in illa concertatione privatus Principe strenuior: nullus, nec gregarius miles, ad sumenda arma promptior: nullus ad periculorum exceptionem nec conductitius eo paratior. Denique ea ex parte, qua majoris Ecclesiæ pontificalem sedem versus ex convexo montis inaccessibilior civitas videbatur, ipse non solum suos ad assultum adhortatione urgebat, minis cogebat; verum etiam aliis exempla præbebat, non sine maximo periculo montem in propria persona adscendens, eamque irrupit. Nec alium se Cæsar idem exhibuit adversus Christianæ religionis hostes. Siquidem, ut apud expeditionis illius Asiaticæ Scriptorem exstat, velut trux Aper fulmineo dente se ingerit mediis Canum latratibus; sic vir magnanimus audacter in medios hostes viam sibi ferro aperuit. Hinc illud eidem non assutum elogium, sed adscriptum proprie à V. C. Josepho Ripamontio, Ambrosiani Collegii Doctore, ævi nostri Livio, linguarum notitia perinsigni, lib. I. partis II. *Hist. Mediolanensis Ecclesiæ* pag. 73. *Federicus ardentis animi juvenis, & ob alia naturæ bona dignus habitus, cui mitior etiam animus obtingere debuisset.*

495 CAMPI] Dictum hac de voce in *Nota* 461. *Multi ab utraque parte interfecti*, &c.

496 VICTOR] Frisingensis: *Transacto Spoletanorum excidio, Princeps ea nocte ibi victor remansit.* Godefridus, *Imperat Augustus.* Quam ob caussam rite nobis hoc loco lectionem istam offert Med. Codex, *Campi victor existens*, non *exiens*, quam in Nostro Typographorum Operæ perperam excusere.

497 INTERFECIT] Frisingensis: *Vallorum obstaculis, tamquam plano, ex ferventium animorum fortitudine transmissis, cæduntur Spoletani.* Godefridus:

Prælia namque gerit, multos de plebe peremit.

498 UNA CUM EIS CIVITATEM IPSAM INTRANS] Tributum id ab aliis Federici militibus, non Federico ipsi. Frisingensis: *Spoletani aliquandiu viriliter resistentes cedere coguntur. Urbis refugio se recipere volentibus, miles, qui à tergo imminebat, simul recipitur, fortuna juvante virtutem.* Guntherus:

Teutonus hostilem cum civibus irruit urbem.

Quinimo, non in illam intrasse, sed irrupisse, Federicus à Frisingensi dictus verbis illis, quæ dedimus ad ea *Notæ* 494. *Imperator vero sic robuste pugnavit*, &c. Sibique portis ad illam effractis aditum aperuisse, ut Guntherus canit:

Principis exemplo miles virtute coacta
Audet, & audaci pudor est sub Rege timere,
Nec modus, aut requies, donec clamore supremo
Effractæ patuere suis victoribus arces.

499 EAM CUM HOMINIBUS CEPIT] Primus ejus sibi victoriæ tubicen Federicus: *Mirabile & inscrutabile judicium Dei. A tertia usque ad nonam munitissimam civitatem, quæ pene centum turres habebat, vi cepimus, igne videlicet, & gladio: & infinitis spoliis acceptis, pluribus igne consumptis, funditus eam destruximus.*

500 QUAM EXERCITUS EJUS SPOLIANS *totam combussit*] De Spoletano excidio, incendioque, testes isti sese mihi ultro offerunt, quos producam, præter Federicum nuperrime laudatum. Frisingensis: *Civitas direptioni datur, & antequam asportari usui hominum profutura possent, à quodam apposito igne concrematur.* Guntherus:

Protinus admotis incensa suburbia tædis
In cineres collapsa fluunt, animosque furentes,
Nec prædæ locupletis amor, non regia nondum
Exaudita viris poterant mandata morari.
Inspoliata quidem, multisque nitentia gazis,
Non expectato flammis sunt tradita signo.

Et paulo post:

——— *rapit omnia victor,*
Plenaque semicremis ditescunt castra trophæis.

Godefridus:

Imperat Augustus, pereat locus igne perustus.
Qui fuerat vacuus, miles remeavit onustus:
Debita qui sprevit reddere, cuncta dedit.

Ptolemæus: *Veniens Spoletum, civitatem devastavit.* Polonus: *Spoletum destruxit.* Nauclerus: *Spoletum diruit, rebellantem incendit, funditusque evertit.* Trithemius: *Spoletum, opulentissimam Umbriæ civitatem, totam incendio concremat.* Urspergensis: *Spoletum applicuit, quam dimicando succendit, & funditus evertit, parvulis tantum ac mulieribus jussu Imperatoris sine læsione liberatis.* Mutius: *Spoletum urbem rebellantem, & multa seditiose contra majestatem Cæsaream conantem, cepit vi, & solo æquavit.* Advocat & Gaudentius Merula lib. II. *Antiq. Gall. Cisalpinæ* pro argumento naturæ barbaræ Ænobarbi, vastatas ab illo opulentissimas urbes, Astam, Derthonam, Laumellum, & cum his Spoletum.

501 PIUS ET MISERICORS] Frequens hæc in Nostri scriptis Federici laus. Occurrit enim illa primo col. 955. lit. A. recurretque rursus col. 981. lit. B. licet illum non

non pauci ut *immitem* carpant. Germani sine dubio *mitem* appellant. Guntherus *Lig.* IV.

——— sub Principe miti
Dulce viris fuerat quosvis tolerare labores.

Mutius nec *mitem*, nec *immitem* semper, sed in subjectos *mitem*, *immitem* in superbos, juxta monitum Æneæ Duci datum ab Anchise patre *Æneidos* VI.

Tu regere imperio populos Romane memento;
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Sic enim nobis illum expressit Mutius post Spoletum captum: *Spoletum, urbem rebellantem, & multa seditiose contra majestatem Cæsaream conantem, cepit vi & solo æquavit. Quo exemplo reliquarum multæ territæ, sponte venient, obtemperaturas se imperio promittunt, quæ omnes gratiam Imperatoris consecutæ sunt. Tam enim facilis, & benignus in subjectos, & officium facientes, quam severus in superbos & seditiosos fuit.* Noster col. 1012. l. C. *Amicis & bonis dulcis, & benignus; malis vero terribilis, & quasi inexorabilis.*

502 FOEDUS INIVIT] Ut ante fecerat cum Romanis, licet hoc de fœdere nullam apud alios expressam mentionem notem. Quid quod Mutius, auditus nuper, parcitum Spoletinis negat? Urspergensis, Federici clementiam in solis eorundem parvulis, & mulieribus, sine læsione liberatis, agnoscit?

503 CIVITATEMQUE INTRARE PERMISIT] Haud enim everterat, neque combusserat universam, etsi plerique funditus eversam & combustam scribant. Quare Palmerius, Bossius, & alii, Spoletum ab Ænobarbo *pene desolatum* potius, quam *funditus eversum* tradere maluerunt. Quin & eadem ab illo civitas, cum in Alemaniam tenderet, permissa Welphonis avunculi fidei & tutelæ, qua de re sic ab Aventino diserte scriptum: *Welphoni avunculo suo Spoletum, Etruriam, atque Sardiniam, quidquid Mathilda uxor patrui ejus possedit, quod nunc patrimonium D. Petri vocitant, in fidem atque tutelam committit.*

Et hæc mihi dicta de Spoletina re ad Morenæ ductum. Præit enim Spoleti vastitas in Trithemii Bossiique scriptis Cæsaream Federici coronationem Romæ; in ipsis vero Federici literis, quibus hærent Frisingensis, Sigonius, & Guntherus, accessum ad Anconitanam urbem, ut alias pluribus indicabam. Aventinus etiam, post Spoletum captum, Federicum in Apuliam cogitasse scripsit; nec in unum & eundem annum Scriptores omnes urbis illius eversionem incidisse tradunt, cum illam Polonus aperte conjiciat in annum primum imperii Federici, Ptolemæus autem in annum MCLIX. quibus mentem decet advertere, ne labamur. Forte an vero hic, & in aliis istuc spectantibus laberemur minus, si temporum illorum Historiam haberemus, quam satis eleganti stylo & oratione scripsisse Richardum, Monachum Cluniacensem, testatus est Platina in *Hadriano* IV.

504 ITER SUUM FACIENS] Descripsit sic iter istud ordine Frisingensis *cap.* XXV. *Post hæc ad maritima Adriatici æquoris loca procedit exercitus. Ibi in confiniis Anconæ Imperator castra ponens Palæologum & Maroducum ex parte Principis sui Constantinopolitani venientes, muneraque non pauca deferentes, obvios habuit. Quibus auditis, causaque viæ cognita per aliquot dies secum detinuit.* Et mox: *Federicus itaque victor, inclytus, triumphator, ab Anconiensium territorio castra movens, per Senogalliam, ubi Senones Gallos olim Romani mansisse autumant, Fanum, & Imolam transiens, Apennino transmenso, in plano ulterioris Italiæ juxta Bononiam super Rhenum resedit. Inde per planam Italiam, transmisso juxta B. Benedicti cœnobium navibus Eridano, ad campestria Veronensium revertitur.* Addit Ptolemæus, eundem tum temporis adiisse Lucam, & urbis illius Ecclesiæ privilegia quamplurima concessisse, æmulatum munificentiam regalem Bertæ. Nauclerus, Urspergensis, & alii, locorum omnium, quæ Federicus adierit, antequam Veronam attingeret, à Spoletina clade, nominibus parcunt, rebelles tantum alios multos per totam Italiam & Longobardiam ab eo domitos asserentes. Cæteri totam itineris illius seriem silentio prorsus involvunt, ut fecit Noster.

505 APPROPINQUASSET] Godefridus:

Regales Aquilæ veniunt ad plana Veronæ.

Nauclerus: *Cum autem venisset Veronam.* Idque sub initium Septembris, uti Frisingensis & Sigonius tradunt.

506 HUMILITER] Non secus ac illum jus suum ante exegisse narraverat à Romanis. Corius autem sic id adverbii patrio sermone reddidit hac in parte, ut ei notionem illam adscripserit, qua voces istæ Latinæ, *sine ulla molestia*, insignitæ sunt. Cæterum Frisingensis petitionem istam humilem sic expressit: *Erant adhuc in comitatu suo duo Veronensium Civium illustres equites, qui eum ad urbem prosecuti, ac inde usque ad præsentem locum secuti fuerant, Garzabanus, & Isaac. Hos Principes ad prædictos latrones destinandos putavit, ut ita communicato concivium suorum consilio, à cœpta facilius desisterent malitia.*

507 PERTRANSIRE VELLET] Moris enim erat, & instituti veteris, ut Imperatori in Italiam trajicienti, aut ex Italia abeunti, Veronenses pontem in Athesi, quo commodius & facilius traduceret exercitum, pararent. Inde Godefridi illa:

Flumina dum transit Rex, durius invenit omen.

508 EORUM] Morenæ more, cum *Sua* more majorum Rei literariæ Patrum dicere debuisset.

509 MALA FORTUNA] Nempe, quia

Caussa fuit miseris infandæ machina fraudis,
Et magno ventura malo, nutuque superno
Incidit in foveam, quam foderat, impius hostis,

ut est à Gunthero scriptum: seu quia, *Ut conatus eorum in vanum, sic & eventus in periculum cessit*, quemadmodum Otho de S. Blasio testatus est: imo supplicia præterea sumpta fuere gravissima de iisdem, ut apparebit infra.

510 CUM MEDIOLANENSIBUS *convenerant, & pecuniam ab ipsis, ut Imperatori obstarent, acceperant*] Habet hæc ipsa Corius ex Nostri penu, veterum Scriptorum alius, quod sciam, nemo. Recentiores inter, quos viderim, Josepho tantum Ripamontio placitum his hærere, cujus ergo hæc ab illo literis consignata lib. I. Partis II. *Hist. Mediol. Ecclesiæ* pag. 79. *Verona, dum Mediolanenses ipsos Cæsari anteponit, relicta crudelius habitanda, quam si deleta foret.* Et hac forte de caussa Mediolanenses à Federico commorante in eadem urbe privati jure cudendæ pecuniæ, eaque donati Cremonenses, ut Cavitellius refert. Visum nihilominus aliis, & in his Sigonio, nulla facta Mediolanensium mentione, soli Veronensium in Ænobarbum odio causam rebellionis istius adscribere, & odii seminium sic afferre: *Tanto vero odio adversus Federicum ardebant, quem de jure suo nihil concessurum esse cernebant, ut non solum fraudem in ponte construendo commiserint, quo ipsum cum exercitu perderent; sed ubi dolus non successit, insidias eidem nonnulli in faucibus Alpium coacta militum (latronum alii, sive malignorum hominum) manu, pararint.* Eaque de fraude & insidiis Frisingensis Antistes *cap.* XXVI. Otho de S. Blasio *cap.* VII. Guntherus *Ligurini* VI. & *Parte* XVII. Godefridus. Attulit & hanc ejus facti caussam Carrio, quæ nullo pacto Mediolanenses involvit: *In illo itinere Veronenses, qui eum superbe & contumaciter urbe excluserant, quod ante renuntiationem à Pontifice factam obedientiam ei deberi negarent, exquisito exemplo ita castigavit, ut territæ cæteræ urbes cupidissime eum receperint.* Censet enim is Scriptor, Veronenses à Federico domitos, antequam Romam attingeret, ut ab Hadriano Pontifice coronam Imperii ferret, quod uti repugnat manifeste Nostro, sic ab alio nemine memoriæ proditum animadverto.

511 ARMATI] Cavitellius: *Veronenses, dum ei transeunti per eorum agrum armati occurrissent*, &c. Aventinus: *Ubi ad Athesim, claustraque, ut appellant, Veronensia pervenit, Veronæ quidam cives fauces armati insederant, firmo præsidio tenebant, transitum Augusto intercludebant.*

512 OBVIAM EI SE PONENTES] Per insidias inter Alpium abdita & prærupta, quem aliqui Latinorum locum, *Fauces*; alii *Falerni*, sive *Volerni montis angustias*; *Clausuras*, sive *Clusas Veronenses*, Vulgus; Germani *Berner Kluse* vocant, Alberico, latronum, sive militum antesignano, duce. Fides inde dictis à literis Federici, *In præcipitio montis nobis insidias posuerunt.* Firmant & hæc alii, quorum ducit familiam Frisingensis: *Latrones ad saxorum moles currunt, transeundi facultatem præpediunt.* Otho de S. Blasio proximus huc accedit: *Albericus ex ipsa civitate, & aliunde latronum manu in immensum conflata, præparatis quibusdam natatilibus instrumentis, in superioribus fluminis insidias tetendit, ut parte exercitus flumen transeunte ipsi, iisdem instrumentis compage navium dissoluta, reliquam partem exercitus citra remeantem pugna invaderent.* Sequuntur post isti ordine, quos produco. Nauclerus: *Albericus Dux ex civitate cum quibusdam latronibus voluntate civium clausuras Falerni, ubi ex utraque parte itineris mons præruptus est, occupavit; &, parte exercitus jam prætergressa, Imperatorem cum reliquis offendit, ac nisi pecunia se redimat, viam sibi præcludi, belloque congredi minatur.* Viterbiensis:

Monte coarctatis bella Verona movet.
Montibus angustis, & fluminis ordine cincti
Rex, Proceresque sui fuerant, quasi carcere vincti,
Conclusique suas non habuere vias.

Et Mutius: *Albericus Veronæ princeps occupat clausuras montis, & præcludit viam Imperatori: petitque pecuniam ab Imperatore, alioqui minatur, non passurum transire eum per montem.* Ea re Verona *superba* Gunthero dicta Ligurini VIII.

——— urbisque superbæ
Depopulatus agros, quædam castella nocentum

Cccc 2 Di-

Diruit, & spretas impune transiit undas.

Ob id scilicet, *quod* Veronenses *Federicum superbe & contumaciter exclusissent urbe*, quod Carrio scripsit, nec non & Guntherus *Ligurini* IV.

Obstruxere viam, quam vivi fraude superba
Tentavere pio frustra praecludere Regi.

Licet id de Veronensium voluntate negarit factum urbis illius Episcopus in oratione supplici, quam habuit ad eundem Regem, ut apud Vatem modo laudatum exstat *Ligurini* V.

Audiit, & doluit, tumida feritate latrones,
Non cives Verona suos, transire paranti
Insidias posuisse tibi.

512 NE TRANSIRET] Imo, quo necarent eundem, si coeptis Fortuna conatibus arrisisset. Urspergensis: *Cum pervenisset, comitante exercitu suo, apud Veronam, ad quaedam itinera angusta, quae Lombardi vocitare solent Clausuras Volerni, ubi ex utraque parte itineris mons praeruptus, quasi paries saxeus, eminet in immensum, ibi Veronenses collocaverunt superius in planitie ejusdem montis quosdam malignos homines, quatenus in transitu Imperatorem cum exercitu suo dimissis lapidibus interficerent.* Et Sigonius auditus supra: *Tanto odio adversus Federicum ardebant, quem de jure suo nihil concessurum esse cernebant, ut non solum fraudem in ponte construendo commiserint, quo ipsum cum exercitu perderent; sed*, &c. Fuereque re ipsa tum Procerum & Militum illius aliqui lapidibus interfecti Godefrido teste:

Arma ruunt, quia saxa pluunt de monte relaxa,
Interimunt, quassant Proceres à vertice saxa,
Armaque militibus nulla valere queunt.

513 PROHIBERE VOLUERUNT] Guntherus Aenobarbi ipsius ore *Ligurini* IV.

Proh pudor? à paucis prohibemur inertibus ultra
Regali transire via, nec vertere cursum
Fama, pudorque sinit, nec longius ire, nocentum
Saevitia prohibente, licet.

514 OMNIS EJUS EXERCITUS] *Mille* omnino *milites octingenti.* Federicus ipse suis in literis ad Frisingensem: *Nos vero cum maxima victoria à Deo nobis praestita, qualem cum mille octingentis militibus conquisitam prius nunquam audivimus, Veronam pervenimus.* Nauclerus etiam ad illius mentem: *Maximaque potitus victoria cum mille & octingentis militibus hostes profligavit.*

515 IRA COMMOTI] Guntherus de Federico ipso:

——— *tactusque gravi sic incipit ira.*

Et Otho de S. Blasio de eodem: *In itinere à Veronensibus insidias passus, ipsis non impune alia licere iratus ostendit.* Iram autem tunc illi potissimum accendere durae ab Alberico propositae conditiones quaedam, si transire vellet. Quam ob caussam, *Imperator ingentis animi vir*, (verba Naucleri sunt ex Othonis modo laudati scriptis) *tale pactum cum latronibus Imperatorem facere dedecorosum existimans, cum exercitus parte substitit, ac se ad confligendum praeparavit.* Tali quippe pacto comprehensae conditiones illae, quas hisce verbis Frisingensis affert: *Imperatorem ibi nunquam transiturum, nisi à singulis equitibus loricam, vel equum haberent: & insuper non modicam pecuniam à Principe*, licet pecuniae tantum Nauclerum, Mutium, & alios meminisse cernam.

516 IMPERATORIS VIRIBUS] Quarum major pars & potior Otho Palatinus de Vitilisbach Senior, pater Ludovici Ducis, qui postmodum Bavariae Dux effectus est. Is enim, exercitus Caesarei Signifer, cum CC. militibus strenuis, & Aquila non sine magna difficultate hostibus insciis adversa parte rupem adscendit, ipsosque signo dato invadens, in fugam & in praeceps egit.

517 NEQUIENTES] Legendum integrius, *Nequeuntes.*

518 IN FUGAM TURPITER SUNT CONVERSI] Narratur res eadem à Frisingensi, cujus dictis Urspergensis haeret. Primi siquidem haec habemus: *Latrunculi, viso quod ex infernis & supernis urgerentur locis, desperatione corripiuntur, fugamque moliuntur.* Secundi: *Inde consurgentes in malefactores irruerunt, & eos in fugam verterunt.* Ademerunt & iisdem Arcem, cujus se praesidio sepserant inter montes. Cavitellius: *Secum per ejus milites commisso certamine redacta in sui potestatem arce munitissima, & ad fines ipsius agri & inter montes erecta.* Quin & multos ex hostibus pulsos inde praecipites abegere, occidere multos. Godefridus:

Passibus occultis super alta cacumina tendunt,
Unde Veronensi populo male facta rependunt,
Plebsque supercilii montis ad ima redit.

Frisingensis: *Fugae locus non erat. Quicunque enim ex eis praecipitii praesidio se committeret, ex collisione hinc inde saxorum confractus, membratimque discerptus, antequam ad solum perveniret, animam in inani ponebat. Tanta erat saxi eminentia, tanta fuit hispidae rupis scabrosa malitia.*

519 CEPIT FERE MILLE] Longe plane minor Veronensium tum captorum numerus in Urspergensi, cujus ista sunt: *Ex eis quoque pene sexcenti capti sunt, qui omnes tristia poenarum tulere discrimina.* Cavitellius, *mille* inter caesos, *reliquos* inter captivos refert. Locuti alii aliter hac de clade.

520 NASUM CUM LABIIS AMPUTAVIT] Insignis contumeliae gratia, cujus ergo idipsum ab eodem Imperatore praestitum in obsidione Mediolanensi ad Romanum Arcum. Bossius: *Erumpentibus Mediolanensibus, in ipsa trepidatione equo dejectus aegre evasit. Quapropter Mediolanensibus gravius infensus, in dedecus captivos eorum naribus abscissis, erutisque oculis, ac manibus mutilatis, in urbem remittit.* Quin & eruti Veronensibus ipsis oculi, & truncati pedes, Regis ejusdem Imperio, Godefrido teste:

Nunc pede truncari, nunc funditus exoculari
Rex jubet ingenuus, laqueo super alta levari.
Talis honor reprobis debet ob ista dari.

Abscissae pariter iisdem aures ex Ripamontii fide in ante laudato loco: *Truncatis nobilissimo cuique auribus, naribusque decisis.* Ignominiosa scilicet aeque mutilatio unius ac alterius membri, sed ignominiosior multo mutilatio nasi. Quemadmodum enim nasus integer universam faciem decorat & honestat; sic idem, parvus si fit, eandem dedecorat, magisque multo, si fuerit amputatus. Ea re de naso non parvo Catullus:

Salve nec minimo puella naso.

De amputato Athenaeus *lib.* XII. ubi de Scythis: *Ad id insolentiae & contumeliae venerunt, ut omnium hominum, ad quos pervenissent, nares amputarent.* Pari mente in Livio *lib.* XXIX. milites Plemnium, *ab suis interceptum, & seclusum, hostiliter lacerant, & prope exsanguem naso auribusque mutilatis relinquunt:* & apud Herodotum *libro* II. *Viro cuidam optimo, libro* vero III. *Regiis custodibus* similis contumelia infertur: *libro* denique IX. *praeciduntur foeminae* cuidam ad insigne dedecus *mamillae, nares, aures, labra, & lingua.* Sic apud Justinum Alexander Magnus Callisthenem philosophum, *abscissis auribus, naso, labiis* deforme ac miserandum spectaculum repraesentat: & apud Cedrenum Constantinus Imperator, is, qui à barba dictus est Πωγωνάτος, τοὺς ἀδελφοὺς, *fratribus nasos praecidit* ignominiae ergo. Pari fine Telesphorus apud Plutarchum libro *de exsilio* inducitur *naribus & auribus mutilatus, effossis praeterea oculis, & absque lingua:* & apud Virgilium Deiphobus *lib.* VI. *truncis vulnere naribus inhonesto:* nec aliunde manavit proverbium *Echetismus*, quam ex insigni crudelitate Echetae tyranni, qui sic hospites mulctare solebat, observatore Germano. Sed inter caeteros signatissimus est Diodori de narium mutilatione locus *lib.* II. *cap.* I. ubi Aethiopum Rex Artisanes (*Actisanes* aliis) latrocinia novo quodam modo compescuisse dicitur, *amputatis* nempe *naribus* latronibus, è quibus civitatem condidit, quam Rhinocoluram dixit. Signatissimus locus etiam alter Senecae lib. III. *de Ira*, ubi tale quippiam narratur de Persarum rege. Consimilis enim poena Veronensibus illis captis ab Aenobarbo data, quod *latrones* essent, ut ostensum supra. De mutilatione pedum dicam his in Notis alibi suo loco.

521 TOTIDEM] Par in Cavitellio Veronensium tunc temporis suspensorum census, *Ducentum ex ipsis laqueo suspensis:* major in aliis, in aliis minor. Aventinus enim, *quingentos* ex iis, qui intus erant, captos, & actos in crucem tradit; Federicus ipse, *duodecim*; Frisingensis, Otho de S. Blasio, Guntherus, Nauclerus, & alii, non plures *undecim* eo mactatos supplicio narrant. Sed hos ita facile conciliaris mecum, ut ex plebe quidem quamplurimos in arboribus suspensos putes; ex nobilibus vero undecim tantum in crucem actos cum Alberico duce. Diserte siquidem Scriptores quatuor ultimi, quos laudavi nuper, duodecim ex praecipuis cum Alberico captos, eosdemque Federico traditos asseverant, ex quibus undecim suspensi fuerint, uno dimisso natione Gallo, qui reliquos illaquearat.

522 CAETEROS VERO CAPTOS] *Equestris pene omnes Ordinis*, ut asserit Frisingensis.

523 FOEDUS INIERUNT] Quod ante fecerant Spoletini. Quam ob caussam de Veronensibus, si quis alius, apposite Guntheri Scholiastes ad illa *Ligurini* V. *Veronae mandata tuae*, &c. *Territi Veronenses scelere suorum, qui impedire transitum Caesaris moliebantur, missis protinus legatis se excusant. Quibus auditis, certo foedere interposito, in gratiam redeunt. Erat enim tunc juris imperialis, ut Padua, & pleraque alia loca.* Constat & hoc ipso de foedere ex Frisingensi, sed is illud initum Ratisponae vult studio potissimum & opera Veronensis Episcopi, Legati populi cum Equitibus duobus aliis, Isaac, & Garzabano, nec alia prodidere, ut video, Sigonius & Guntherus. Haud diu tamen Federico servatum hoc foedus, ut propterea, non nisi occupato Gardae oppido, Veronenses, ei parere recusantes, revocatos ad pristinam sanitatem tradant, qui res ejus aevi posteris transmisere.

524 MA-

524 MAGNAM PECVNIAM] Cavitellius, *Et mox habita pecunia.* Quin tum etiam Regi jurare Veronenses jussi, se Mediolanensibus illaturos arma. Clarissime omnium Frisingensis: *Postea, sicut cognovimus, in gratiam recepta est Verona. Nam & magnam pecuniam dedit, ac militiam, quam habere posset, contra Mediolanenses ducere sacramento firmavit.*

525 CAPTIVOS DE CARCERE LIBERAVERVNT] Cavitellius, *Veronensibus data venia.*

526 QVO PACTO *Imperator inde discedens in Alemaniam est profectus*] Haud alia Guntherus oratione vincta post allatas conditiones fœderis tum percussi:

At Rex consilio Procerum sub nomine certo
Exigit, ut fisco jurent appendere summam,
Et totis contra Ligurinam viribus urbem
Regia castra sequi, sic demum, pace reperta,
Ad patrios fines vestigia læta retorquent.

527 EST PROFECTVS] Ob caussas memoratas ante, dimisso Veronæ Vicario Gulielmo Marchione Montisferrati, ita me docente Cavitellio, cujus jure diligentiam hic admiror. Rediit autem tum in Alemaniam Ænobarbus Cæsar per Tridentinos fines, primoque Bauzanum iit, quæ Frisingensi *Villa*: Aventino *Urbs*, & *Pisonium* dicta; dehinc ulteriora Bojariæ, Vindeliciamque percurrit, & Reginoburgii in conventu celebri Henricos, de Ducatu Bojorum disceptantes, audiit, caussamque cognovit, præsentibus Proceribus, Dynastis, Tetrarchis, & Episcopis illis, quos nominat ex Imperatoris ipsius diplomate Aventinus.

528 MAXIMAM GVERRAM FACERENT CVM PAPIENSIBVS] Meminit inter cæteros hujus quoque belli Frisingensis cap. XXXI. in hæc verba scribens: *Mediolanenses, mox reædificata Terdona, Papiensium renovant bellum.* Et uberius ex illo & aliis Sigonius, sic loquutus: *Mediolanenses quantum Federici in Italiam adventus exterruit, tantum discessio confirmavit. Itaque illo profecto ingentem armorum apparatum fecerunt, ac primum Derthonenses, quorum sua causa eversum oppidum erat, sibi sublevandos, deinde Papienses, & Laudenses, qui Federicum in se accenderant, opprimendos decreverunt.* Respexit ad hoc quoque bellum Carrio, cum scripsit: *Imperatore distracto domesticis bellis, Mediolanenses confisi Pontificum instinctu, & patrocinio, & priorem lenitatem Imperatoris, metum atque mollitiem animi interpretati, quod imperium Longobardiæ certo sibi desponderent, denuo proxima oppida alia injuste vexare, alia ad servitutem adigere, pellectis in societatem potentissimis civitatibus, cœperunt.* Gestum autem id bellum Gualvagno duce, rem ita tradente Cavitellio ad annum 1156. *Mediolanenses Gualvagno Duce, una cum eis direpto, eversoque igne, & ferro dominio Montisferrati, & Gulielmo ibi Marchione debellato, regressi sunt in agrum Papiensem.* Caussa porro potior reditus hujuscemodi Mediolanensium in Papiensem agrum, bellique Papiensibus tum illati (ne quis cum Urspergensi *soli* utrumque *despectui Imperii*, vel cum aliis, *soli libidini dominandi*, in acceptum ferat) non alia fuisse putanda est, quam urbis Derthonensis clades, cujus auctores exstiterant, si bene superiora meminimus, Papienses: aut certe, quod illi sibi valide adversati essent, ne reficerent eandem urbem. Quippe verbis istis diserte Sigonius attulit hanc postremam: *Cæterum, Derthonem urbem cum sibi enixo studio reficiendam suscepissent, postero anno mense Majo equites, peditesque primum Ticinensis, & Vercellensis tribus, deinde Romanæ & Orientalis eo miserunt, ac singuli certatim pecunia, & manu moliendo operi incubuerunt. Et, cum hoc opus Gulielmus Marchio Montisferrati, legatus à Friderico relictus, adhibitis Papiensibus impedire contenderet, varia non præliorum solum, sed etiam obsidionum incommoda unius ejus rei perficiendæ, id est, officii fideique sociis probandæ causa, sustinuerunt. Qua re ad exitum perducta, collecta valida manu, Marchionis ditionem hostiliter inierunt, atque agros ejus omnes fœde vastarunt. Inde domum redeuntes Ceredanum castrum expugnarunt, quod à Papiensibus tenebatur, & Sozanum, ac reliqua ejus regionis loca, juris sui fecerunt. Mox autem, arridente cœptis fortuna, assumptis Brixianorum auxiliis adversus Papienses conversi sunt.*

529 PRO COMMVNE] Med. Codex, *Per Commune. Commune* vero usurpatum hic plane communi more pro eo, quod alii semoti à vulgo *agrum*, sive *territorium*, dicere maluissent.

530 VLTRA TICINVM] *Per pontes* super illum exstructos *duos* ex Frisingensi, per *unum* tantum, *juxta Abiate conditum*, ex Bossio, cui Sigonius hæret producendus infra.

531 LVMELLINAM] *Lombardiæ horreum*, ut appellant Nostri, Frisingensi *Lunellum*, Sigonio *Laumellum* dictum, cum proprie *Læumellina* vocandum foret, sic ejus nobis etymon prodente Sacco lib. IV. *Ticinensis Hist.* cap. III. *Læumellina regio Ticinensium ditionis est, à Lævis olim populis, & melio dicta, quod caninum collare est contra lupo-*

A *rum morsus, à priscis millum, postea à Varrone melium appellatum. Quasi enim cingulo, ita fluminum ambitu ipsa regio à tribus lateribus circuitur. Lævorum igitur circuitionem proprie Læumellina significat,* ut lib. III. & cap. VII. retuli. Quare mihi necessario corrigendus Cavitellius hac in Annalium suorum parte, proque *Lugani valle*, quam hic identidem nobis oggerit, reponenda *Læumellina vallis.*

532 VENERVNT OBVIAM PAPIENSES] Cavitellius emendatus modo rem eandem tangens, locum insuper attulit occursus hujus: *Cum incolæ Vallis Lugani* (*Læumellinæ* utique, ut monebam) *ab eis, quorum partes prius sequebantur, defecissent & Papienses ibi sibi occurrissent die quarta Julii in campo Rodolphi, ibi utrinque commisso prælio profligarunt.*

533 VOLENTIBVS] Ignorat τὸ *volentibus* Med. Codex, habetque illius loco *redeuntibus*, Nostrum hac in
B parte liberans insigni mendo. MS. Corii Mediolanensis scripturam firmat, cum in illo pariter legeretur *redeuntibus cum præda.*

534 VIGLEVANI] Proprium ejus nunc *Urbis*, olim *Castri*, nomen *Viglebanum*, à *vili gleba*, ob arenosum illius agrum. Quam ob caussam nescio quam barbariem *Viglevenum* Bossii, sicut & *Vigevalum* Urspergensis, *Vigevenum* Frisingensis olet. Abest haud illa procul à Ticino fluvio; à Mediolano vero & Papia æquo 20. M. P. intervallo distat. Donavit illam Episcopali infula Sixtus IV. Pont. Max. attributis Ecclesiæ Cathedrali prædiis à Mediolani Ducibus, ad quos Episcopos nominare spectat. Celebravit illius situm & amœnitatem Saccus, *Papiensis Historiæ* scriptor, & hisce coloribus pervenuste pinxit, *Viclævanum* vocans, secus ac alii nominarant: *Ab ea* (Cælavenia) *recedentes Viclævanum petimus, cujus situs varietatem mirari licet. Nam suo ambitu clivum & planitiem*
C *occupat, patens forum in medio habet, ornatum porticibus. Ædes regiæ in clivo eminent. Arx munitissima in promptu est, populus pacis studiosus mercaturam passim exercet. Lanificio celeber, & ædificiorum apparatu longe celebrior. Viridarium in Episcopali domo elegantissimum habet, fonte, seu piscina in centro ejus per aquæductum manante, fructibusque insigni ordine consitis, Galeatii Petræ Ticinensis patricii studio, qui primus illius Ecclesiæ Episcopus præfectus fuit, & vitæ diuturnitate ac salubritate omnibus æqualibus antecessit. Rivuli vero aquarum, à Ticino deducti, oppidum ambiunt, ac jucunditate, & commodo Viclævanenses exornant.*

535 FVGERVNT] Med. Codex, ut alibi, *fugierunt*. Ita vero rem eandem Sigonius pluribus enarrabat: *Mediolanenses, arridente cœptis fortuna, assumptis Brixianorum auxiliis, adversus Papienses conversi sunt, ac Kal. Julii, ponte juxta Abiatum, quem Federicus intersciderat, instaurato, Ticinoque trajecto, Cariolum duce Vidone Comite Blan-*
D *deratensi, venere. Quibus ut se objicerent Papienses, contractis repente Marchionis, aliorumque Cæsarianorum auxiliis, Viglebanum iniere.*

536 OBSIDENTES] Frisingensis, ut Noster: *Mediolanenses reædificata Terdona Papiensium renovant bellum, duobus super Ticinum fabricatis pontibus, fines eorum irrumpunt. Oppidum quoddam Vigevenum, ubi multi ex ipsis cum Marchione Gulielmo fuerunt, obsidione vallant.* Et adstipulantur utrique Cavitellii verba: *Galvagno duce die prima Julii castrametati apud Carseolum, obsederunt Viglevanum, ad cujus præsidium erant Marchio Montisferrati, Otho Malaspina, & alii septem Marchiones, & Papienses.*

537 PER TRES DIES] Adjicit his Cavitellius idem decem alios dies, *die* nempe *tertia decima prælium utrinque commissum* narrat; sed in illo fortassis abundat ea vox,
E qua dierum istorum numerus augetur, cum præsertim trium quoque dierum tantum meminerit Corius suis è Codd. MSS.

538 FOEDVS CVM MEDIOLANENSIBVS COJERVNT] Narratur res eadem longe distinctius ab aliis hunc in modum, & in primis illud, Viglebanum ante hoc fœdus, non obsessum modo, sed etiam expugnatum fuisse penitus, & eversum. Urspergensis: *Vigevalum, & alia Papiensium oppida munitissima, prædictarum urbium præsidiis funditus destruxerunt.* Bossius: *Primo die Julii Mediolanenses juxta Casiolum castrametati, Viglevenum, ubi erant Gibellini, Marchio Montisferrati, cum aliis septem Marchionibus, & maxima parte militum, ac populi Papiensium, summis viribus expugnant.* Et paullo post: *His ita gestis, reædificata à Mediolanensibus, ut dictum est, Terdona, eversoque funditus Viglevano,* &c. Sigonius: *Mediolanenses sublatis castris* III.
F *Nonas eo* (Viglebanum) *progressi, prælium tanto studio commisere, ut Marchionem in fugam compulerint, Papiensium plurimos captivos fecerint, oppidum in deditionem adduxerint. Viglebanum deletum, captivi Mediolanum custodiendi traducti.*

Adjicitur secundo, post Viglebani deditionem, & cladem, datam à Mediolanensibus iisdem operam, ut suo peni-

penitus imperio subjicerent Papienses. Sigonius post illa, quæ mox ante dedimus, ex eodem: *Inde venisse tempus evertendæ, aut certe in servitutem adducendæ Papiæ rati, per mensem Octobrem ad eam cum exercitu universo procedunt, ac, Laumello restituto, agrum longe, lateque diripiunt, ac demum castris ad urbem locatis omnem expugnationis apparatum expromunt.*

Inde factum, ut Papienses delaberentur ad prædictum fœdus. Quam ob caussam hæc idem inibi Sigonius subdit: *Papienses, cum se satis virium ad tanti belli molem sustinendam non habere sentirent, præsertim vero, qui Sociorum auxiliis, & proxima clade debilitati essent, oppugnatione non exspectata, ultro se dediderunt.* Videoque prætulisse ad hæc illi scribenda facem Historicos clarissimos duos, Cavitellium, cujus ista sunt: *Papienses præter morem debilitatos mense Octobris compulerunt in jus suum:* & Bossium, qui diserte: *Papienses, amissa maxima juventutis ac militarium virorum parte, ducentis ex electioribus militibus pro obsidibus datis, obsequium Mediolanensibus perpetuum jurant.* Ea re multis, ut dirueretur urbs inimica, censentibus, visum est satis, ut ejus obsequii gratia, eadem, qua Laudensis & Comensis, conditione relinqueretur, pace civibus illius has in leges data: *ut muros urbis Mediolanum vergentes dejicerent, Prætorem sorte à Mediolano datum reciperent, Consilium separatum à Consilio Mediolani non haberent, inter pagos Mediolani referrentur, obsides ex nobilitate centum, ex plebe ducentos darent*, uti Cavitellius habet, sive *ex electioribus militibus ducentos*, uti Bossius scripsit. Et hæc mihi tali potissimum ordine recensita, possit ut commodius suis librare ponderibus Lector, quæ Frisingensis ea de Papiensium deditione literis exaravit, nempe, *Papienses tandem à Mediolanensibus ad deditionem artificiose coactos, pacem petere, & obsides dare compulsos*, dolo scilicet, non virtute, quod à veritate longissime distat, nisi quis artificium illud ad obsidionem trahat.

539 INIQUE *tamen postea in ipso fœdere versati sunt.*] Tangit hic omnino Mediolanenses Noster, licet clare parum ex ipsa verborum structura constet, quinam primi fœdus hujuscemodi violarint. Inde Corius, *Quantunque puocho durasse loro societate.* At enim Frisingensis Papienses ipsos rebellasse refert, *quod duras nimium pacis conditiones audissent:* Bossius, *quod viderent, se Mediolanensibus, non subditorum, sed vilissimorum mancipiorum loco haberi atque pessundari, ideoque missa clam civitatis ad Imperatorem clave, sese illius imperio subjecisse.* Deditionis istius intuitu sævire cœpere validius Mediolanenses contra Ticinensem urbem, & impetum fecere protinus in illius agrum, quo rite spectans calamus Frisingensis, *totum pene territorium Papiensium crudeliter depopulatos fuisse Mediolanenses* scripsit; Cavitellius vero, *ipsa quoque urbis mœnia æquata solo, relataque inter pagorum numerum Mediolanensis urbis.*

540 MCLVII.] Congruit hoc in anno cum Nostro Bossius de Viglevano loquens. Clare scilicet ab eo scriptum, *anno Domini 1157. primo die Julii Mediolanenses juxta Casiolum castrametatos Viglevanum expugnasse*, jure ut mirer, idipsum à Sigonio relatum ad IV. Nonas Julii præcedentis anni. Sed ansam errandi reliquis à se Scriptoribus Cavitellius dedit, qui sic annum rei gestæ suis in Annalibus antevertit, ut Historiæ fulcrum everterit, *Veritatem.*

541 JUNII] Viglevanum eo quoque mense, nocte nempe noni diei captum & eversum Cavitellius scripsit. At fœdus, post Viglevanensem cladem Papienses inter & Mediolanenses ictum, Octobri mense, quod & alii firmant, quorum sanus nemo sententiam infirmarit.

542 TUNC TEMPORIS] Nescit illud *temporis* Med. Codex.

543 NIMIUM .... VIDENTES, &c.] Tollit Codex idem egregie lacunam istam scriptione tali, *Nimium ardescebant, videntes.* Unde Corius è suo quoque Codice MS. *Non puocho la mente rivolgevano sopra de' Lodesani.*

544 VIDENTES ILLOS MULTIPLICARI, &c.] Non mirum Laudensem civem solius hic illius caussæ meminisse, quæ gravem conflare Mediolanensibus, sibi tum infestis, invidiam posset. Juvat itaque caussas ex aliis alias percensere, quibus illam imminuam Mediolanensis civis. Haud enim felicitati finitimarum urbium invidentes Concives mei, sed (ut alii diserte tradunt) à Laudensibus læsi, sive, quod Papiensibus nominis sui hostibus adhæsissent; sive, quod in se accendissent, & accivissent Federicum ipsum, post edomitos Papienses, illos etiam suo sibi subigendos imperio, degente procul ab Italia Cæsare, statuere. Ea re Cavitellius Cremonensis civis: *Novicomensium, Laudensium, & Cremonensium agros, quia Papiensibus opem tulissent, concursarunt, ac depopulati sunt.* Et Sigonius, *Papienses & Laudenses, qui Federicum in se accenderant, opprimendos decreverunt.* Et infra post leges

A una cum pace Papiensibus datas: *Quibus rebus administratis, inde ira adversus Laudenses conversa, quos sive sua, sive Papiensium caussa ad Federicum hæc omnia detulisse, cumque ad auxilium in Italiam accivisse compererant.* Subscribet igitur sine me quicunque voluerit alius Urspergensi, tradenti, Mediolanenses Cumas, & Laudam, Papiam, atque Novariam egregias urbes ad Imperii despectum exterminare funditus, & depopulari pariter apposuisse, ac sic Lombardiam suo imperio paulatim subjicere satagisse. Hæc enim ab illo scripta. Quin, ob alia ab aliis literis exarata, ea quoque caussa, quam attulit disertissimus Sacræ Mediolanensis Historiæ scriptor, Josephus Ripamontius, levis nimis alicui videri possit, cum præsertim non sine Mediolanensium assensu Laudenses fidem suam Capellano Cæsaris obligassent. Ea vero verbis ab
B illo talibus est expressa: *Laudenses, cum in verba Cæsaris jurassent, infensi ob id Mediolanenses penitus delere oppidum statuerunt, ut ne nomen quidem, & vestigia ulla ejus miserrimæ urbis relinquerentur.*

545 IN PERSONIS, *& in rebus pariter*] Diverso paululum ordine Med. Codex, *In personis pariter, & rebus:* qua de formula *Not.* 82. satis ac super dictum.

546 INTER *enim cætera mala*] Codex idem expers secundæ vocis, *Inter cætera mala*, &c.

547 IN SAECULO] *A sæculo* probarem magis, si pateretur laudatus Codex: at ille quoque habet *in sæculo* non obscure.

548 INDUXERUNT] *Indixerunt* perspicue legimus in eodem.

549 NOVITER SUPER EOS ..... *præceperunt enim*] Abundant tot hic puncta frustra, & inanem nobis utique lacunam creant. Jubet itaque nos uno puncto contentos esse memoratus Codex, scribendumque, *Noviter super eos.*
C *Præceperunt enim*, &c.

550 PRAECEPERUNT] Manarunt hinc indubie verba Sigonii, quæ subnecto: *Consilio habito sanxerunt, ne Laudensibus rerum suarum aliquid aut vendere, aut quoquo pacto alienare, neque inde injussu Mediolanensium migrare liceret.*

551 SEU AVUS EJUS DIMISERAT] Plenius Med. Codex, *Seu avus ejus sibi dimiserat.*

552 POSSIDERAT] Typographi non obscurum mendum. Tollas igitur, ac legas licet, *possederat*, nemine refragante.

553 LICENTIA] Corius, *Parabola.*

554 VENDERET] Deposcit utique modum sibi similem, quod proxime sequitur, infinitum verbum. Malim itaque *vendere* legere, quam *venderet*; cum *transferre* sequatur proxime, non *transferret.*

D 555 IN BANNUM PONERETUR] Ut ante *Nota* 323. ubi formulam istam excutio, & in sequentibus passim.

556 HOC AUTEM AUDIENTES, &c.] Præterit ista Corius, & ad illa transit, *Aliud quoque nimis*, &c. Sed enim habentur, ut hic prorsus exstant, in Med. Codice MS.

557 SERVITIIS *posse vincere*] De *servitii* voce videnda nobis alias annotata *Nota* 48. τὸ vero *servitiis vincere* ductum ab Ovidianis illis *Amor.* lib. III. Eleg. IV.

Obsequio vinces aptius ipsa tuo.

Nihil ut hic aliud *servitium*, quam *obsequium* sonet, cujus vim Vates idem alibi sic expressit:

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus,
Franges, si vires experiare tuas.
Obsequio tranantur aquæ, nec vincere possis
Flumina, si contra, quam rapit unda, nates,
Obsequium tigresque domat, tumidosque Leones,
E *Rustica paulatim taurus aratra subit.*

558 FODRUM] Notarunt alii, vocem istam usurpatam olim pro *annona militari*, sive pro *extraordinaria collatione ad felicissimam regalis numinis expeditionem*, qua de Frisingensis lib. II. *de Fed.* I. *gestis* cap. XIII. Petrus de Vineis *lib.* II. *epist.* XXIX. Aymoini *Appendix* lib. V. cap. III. & Amm. Marcellinus, à quo scriptum *lib.* XXI. (ut antiquitatem antiquissimam consuetudinis notes) Joviano Imp. vehiculo insidenti oblata, ut Principibus solent, annonæ militaris indicia, ut ipsi nominant fodra:
F sonareque nunc etiam pabulum equorum cauponis Germaniæ passim: at in Nostro signat, ut vides, tributum urbi ab urbe gravissimum imperatum. Inde Sigonius eo de fodro loquens è Nostri penu: *Consulesque Novembri mense Laudem profecti, tributum civitati gravissimum imperarunt.* Sic & Corius ex eodem fonte: *Li Consuli Milanesi andorno à Lode, e quivi dimandorno una grande exactione.*

559 IN PUBLICUM BANNUM *ponerent*] Occurrit eadem formula paullo meliori fronte in calce *Chronologiæ* ultimæ, adjectæ *Chronico* Rolandini: *Eodem anno mortuus fuit*

A

fuit gladio D. Polionus de Bicaelis de Bononia, Potestas Paduæ, &c. *eo quia posuerat in banno D. Ubertinum de Carraria*, &c.

560 INSVPER ACCVSANTES] Quid hoc *insuper accusantes*? Obelo damna vocem ultimam, eaque sublata, *recusantes*, auctore Cod. Mediolanensi loca, quod & suadent respectu vocis ejus scripta versiculo septimo consequenti, *quod si qui forte dare recusarent*, &c.

561 DE TERRA EJICERENT] Habes eandem formulam explicatam supra *Not.* 102. & hac in pagina semel, ac iterum, & alibi sæpissime repetitam.

562 MALAM VOLVNTATEM] A mala plane voluntate *mala voluntas* ista. Ecquis enim alius talem voluntatem Mediolanensibus hic appinxit?

563 DIVERSAS TERRAS] Habuit hic ob oculos sine dubio Noster de Trojanis exsulibus Maronis illa lib. III. *Æneid.*

B

Diversa exsilia, & desertas quærere terras
Imperiis agimur Divûm.

564 MOBILIAM] Ut & col. 957. lit. C. Adi illius *Notam* 213.

565 ABSQVE VLLO TIMORE] *Tenore* reponendum hic utique pro *timore*. Sequitur enim haud multo post: *Quod nisi ipsum sacramentum absque ullo tenore facerent.* Nec aliter locum illum alterum affinem isti col. 959. lit. C. *Nisi de Laudensibus atque Cremonensibus se omnes absque timore sibi submitterent*, juxta Mediolanensis scripturam Codicis emendabam *Nota* 294.

566 JVRARENT] Meminit hujus quoque juramenti Sigonius ad Nostri mentem: *Denique, ut speciosam aliquam perdendæ urbis caussam invenirent, solenne à singulis poposcere sacramentum, fore, ut hæc in perpetuum observarent.*

C

567 EOS] Maluissem & hic *se*, non *eos*, exarasse Nostrum; sed enim durat adhuc ejus abusus vocis apud Latinos, nedum Semi-Latinos multos.

568 EXANIMES] *Semivivi* supra col. 955. lit. C. & pariter col. 967. lit. E.

569 CVMQVE LAVDENSES] Moneor hic ab eruditissimo, & amicissimo viro, Jo. Antonio Castillionæo, ea de re tota luculenter agere Joannem de Monte, qui nondum editus inter modo laudatæ Bibliothecæ thesauros asservatur, *cap.* CLXXXII. Et debui grato idipsum animo propter illam quoque caussam profiteri, ut si quando Scriptor ille lucem adspexerit, ab eo quoque lucem accipiat Noster.

570 MEDIOLANENSIBVS] Ambrosianæ Bibliothecæ Codex, *Mediolanensium.*

571 RESPONDERE] Talia plane Sigonius præeunte Nostro: *Quibus illi re deliberata dixerunt, facturos se omnia,*

D

quæ imperarentur; verum, ne quid tale jurarent, fide Imperatori obligata se impediri.

572 SIBI PRAECIPERENT] Abest à Med. MS. *Sibi.*

573 SALVA *tantummodo fidelitate*] Sic & Corius, *Con questa clausula, Salva Imperatoris fidelitate.*

574 FECERVNT] *Fecerant* longe rectius, ut in Med. Cod. MS.

575 PARABOLA] Differunt hac de voce satis superiores Notæ, & signate ad illa *Notæ* 218. *Cum prædictus Regis Capellanus Laudem venisset, & fidelitatem ab ipsis Laudensibus petiisset, responderunt ei Laudenses, dixeruntque se non esse ausos hoc sine consilio & parabola Mediolanensium, quorum in potestate & virtute erant, peragere.* Quæ retuli, quod ad illa respexerit hoc loco Noster.

E

576 MEDIOLANENSES *autem prædictum sacramentum*] Mediolanensis scriptura Codicis, *Mediolanensium autem Consules prædictum Sacramentum.*

577 LAVDENSES] Eadem, *Laudensium.*

578 DICTVM LANFRANCVM] Eadem D. id est, *Dominum Lanfrancum*, cujus tum Episcopi Laudensis meminit Paul. Benius, Antecessor noster in Patavinis Scholis, lib. I. cap. VI. Tractatus ejus, quem *de nobilissima Trissinorum familia* scripsit, ex publicis Laudensis Ecclesiæ documentis, & *Cassinum* cognomento vocat. *L'anno* 1145. *il Reverendiss. Lanfranco Cassino, ultimo Vescovo di Lodi Vechio, e primo di Lodi Novo, investì Lancfranco Trissino nob. di quella Citta con tutta la sua descendenza del Vicedominato della Chiesa Lodeggiana.* Occurrit & ejusdem Episcopi nomen in Literis Alexandri III. Pont. Max. ad illius Successorem Anagniæ datis Kal. Jan. anni 1176. quibus ille prædicti Vicedominatus concessionem verbis istis irritat: *Alexander Episcopus servus servorum Dei. Venerab. Fratri A. Laudensi Episcopo salutem, & Apostolicam*

F

benedictionem. Ex quodam scripto manifeste cognovimus, quod cum L. (Lanfrancus) *antecessor tuus, Vicedominatum Ecclesiæ tuæ Lanfranco de Trixino Militi Lauden. irrationabiliter concessisset*, &c. Occurret & è sacra Ripamontii *Historia* infra.

579 ALIOS OMNES PRAEPOSITOS] Med. Cod. *Alios Dominos Præpositos.*

580 VNA PLVRIBVS SEXAGINTA] Idem, *Una cum pluribus sexaginta.* Haud igitur minus hæc recte Corius assecutus, cum è suo Codice MS. dixit, *circa à sexanta*, & ex illo Ripamontius, *ad sexaginta.*

581 SAPIENTIBVS] *Primores* sunt hic Corio & Ripamontio, qui *Sapientes* Nostro: quin & Sigonio visum, eosdem *Civitates principes* appellare.

582 DOMINVM *Abbatem Claravallensem, & Dominum Abbatem de Cereto*] Mendose plane Corius hic loquutus, *L'Abbate di Ceravale, o Cerredo.* Cum ex ipsa Codicum MSS. fide loqui sic utique debuisset, *L'Abbate di Ceravalle, è di Cerredo.*

583 CLARAVALLENSEM] Cum exstent nominis hujus celeberrima Cœnobia duo, alterum in Langressiorum agro non procul ab ripa Albis fluvii; alterum ad quartum ab urbe Mediolanensi lapidem, à D. Bernardo conditum, seu potius auctum & excultum, favente pii Viri conatibus Guidone Capitaneo, qui aream ædificio, sumptumque & agros inalimenta Monachorum dedisse fertur, de postremi, quod etiam nunc ea frequentia cultuque est, ut alteri concedat nemini, loquutus hoc loco Noster, cum Abbatem ejus comitem Episcopo Laudensi dedit.

584 DE CERETO] MSS. Mediolanensis, & Corii lectio, *de Ceredo*, floretque nunc etiam Cœnobium istud ad Abduam in agro Laudensi situm è regione Cremæ prope Cavenacum pagum, ejus mihi loci facta nuper indicina ab oculato teste Gaspare Trissino, Somaschensis Congregationis Præposito, cui sacra multum Historia, & Eruditio debet. Redux ille scilicet iis ex locis, post lustratam Visitatoris imperio Provinciam suam, eo me de Cœnobio meditantem invisit, & docuit modo tradita perurbane. Locavit idem quoque Cœnobium non procul à Cremæ finibus Paulus Merula verbis istis, lib. IV. Par. II. *Cosmographiæ suæ: Ad Adduæ ripam lævam sursum ad ostium Secii amnis est Monte Dodon; inde Abbadia de Cerete, & Rivolta; mox oppidum Crema.*

584 PONTIA] *Pontida* hodie; mihique non raro visum Cœnobium istud in D. Martini valle, cum Bergomo, primus illic Collegii, & Academiæ Marianæ recens institutæ Rector, Mediolanum irem. Quippe nominis ejusdem pagus ad Abduæ ripam situs, nobilem sedem habet D. Jacobo sacram, & Cœnobium proximum, quod claret etiam in hodiernum diem. Meminit ejus quoque Cœnobii Sigonius lib. IX. *de Italiæ Regno*, & Adelbertum Bergomatem, Virum & Abbatem sanctum, parentem illius agnoscit, cui terris erepto anno 1096. beatus Henricus successerit patria Cremonensis. Divus inde Bernardus, cum Cœnobium illud viris & opibus nimium attolli cerneret, impetravit à Mediolani Consulibus & Senatu, ejus ut Collegii prædia & villas immunes liberasque esse juberent, qui ea de re privilegium tulere, affuitque scribendo inter cæteros tum urbis illius principes & rectores, quos ad unum omnes Ripamontius nominat lib. I. secundæ Partis *sacræ Mediolanensis Historiæ* pag. 62. loco quarto à primo, VBERTVS OSIVS, cujus è sanguine & stirpe propagata domus durat, noscitur que hodie post tantum ævi. Sed ante multo Uberti Osii tempora magna alia multa domus ejusdem Capita in urbe nostra, & ingentes utique animæ floruere, OSIVS ille cumprimis, quo Duce Arrianorum vires à D. Ambrosio fractæ penitus, & eversæ, Jo. Marco Fanniano teste, qui suis in libris *de Arriano bello* sæpe Ducis ejus meminit, & cum honore semper, *libro* nempe II. pag. 53. in Ducum fortissimorum censu, qui ea in pugna sacrosancto Præsuli naviter affuere, sic illum locat:

Succedunt alii, è quibus Ozinus heros,
Atque ferox Osius.

Libro vero III. p. 80. sic illi viri fortis provinciam mandat:

Tu serva hostiles latebras munimine firmo
Fortis Osi.

Et *lib.* IV. pag. 95.

Non deerant Osius sociis, & Curtius ardens,
Addebantque animos.

Et plenius pag. 97.

Non minor est Osii virtus, par gloria mentem
Accendit, ruit in trepidos, ferit, impetit, instat,
Non galeæ, non scuta ferunt tot vulnera, muris
Præcipitant nunc hos Osius, nunc Curtius illos.

Exstat & ad D. Francisci fanum perantiqua Inscriptio in eadem urbe, quæ Osii *viri Patricii, lucis, & patris urbis*, nomen & ossa servat cum titulis, quibus vivus inclaruit, ad æternum Gentis nostræ decus, metris istis incisa:

Lux patriæ, sublime decus pr. OSIVS urbi--
Mundo flente jacens conditur hoc tumulo.
Hunc imi (*Mediolani* ex *Theatro Insubricæ Magnificentiæ* Hieronymi Borserii V. C. & Amici) *populus nunc lugeat omnis,*
Noverit ut tanti pignus obisse Viri.
Communis, placidus, hilaris, jocundus, honestus,

Mo-

Moribus his urbem fecerat esse suam. A
Celsa domus, proavusque potens Venetæ arbiter oræ.
Sed meritis mentis vicerat iste Genus.
Privatæ Comes atque rei provectus in altum
Sacrarum meruit sumere jura Comes.
Patricium culmen gradibus conscendit honoris,
Crevit & ex tanto Præsule census honor:
Dommica sed conjunx retinet commune sepulcrum,
Juncta toris quondam, jungitur & tumulis.

Et traditur ea DOMNICA prius Valentis Augusti uxor fuisse, Boserio supra memorato teste, qui præcipuas ejus Inscriptionis partes accurate perpendit, & illustravit brevibus illis quidem, at eruditis Notis, in Opere laudato.

586 VBERTI DE PIROVANO] *Ex Capitaneis Pirovani* Bossio, qui quidem Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensi datus anno Domini 1144. sedit annis xx. dehinc ad Beneventum, quo post Patriæ casum se contulerat, mortem B obiit, successorem nactus Galdinum ex Walvasoribus Salæ, quo de Noster col. 1011. lit. B. Fuit & alter *Ubertus Pirovanus* S. R. E. Cardinalis, qui Mediolanensem Ecclesiam annis quatuor, mensibus tribus rexit, ejusdem Archiepiscopatu donatus anno 1199. At Ubertus Mediolanensis Archiepiscopus, nominis illius primus, quo de Noster hoc loco, is Ubertus fuit, cujus precibus Laudem Pompejam inter urbes à Corrado II. relatam docui una cum iis, quæ de eadem urbe supra in *Nota* 51. consignabam.

587 ARCHIEPISCOPI] Octuagesimi tertii, quem alicubi vocari quoque vidimus *Eribertum.*

588 SE PEDIBVS, &c. *deprecantes*] Complexi scriptis suis & alii preces & abjectionem istam. Sigonius: *Profecti ad Archiepiscopi, Consulum, aliorumque, qui aderant, Principum civitatis pedes procubuerunt, eosque infimis omnibus precibus, ne se ad violandam fidem Imperatori datam adigerent, obsecrarunt.* C Ripamontius: *Ad Pirovanum Archiepiscopum ea supplex turba cum accessisset in sacram aulam, in qua tunc forte Consilium habebatur, abjecere sese humi, flentesque precabantur, ut ignoscerent urbi toties afflictæ, toties punitæ, cum nihil unquam in Metropolim, nisi coacta, deliquisset. Perterrefaciente totam Insubriam Cæsare, cum ipsa quoque Metropolis trepidaret, dixisse sacramentum in illius verba, petere, ne ob eam necessitatem delerentur.*

589 REQVISITA *prius ab eis de hoc licentia, & concessa*] Supra col. 957.

590 PRAEDICTVM] Med. Cod. *Supra dictum.*

591 INTERFECTI] Codex idem probe meritus hoc de loco, *interfici.*

592 REVERSI SVNT] Omnesne? an Capita ejus legationis tantum? Negat plane Ripamontius reversam turbam ignobiliorem illam, quæ legationis ejus Capita fuerat consequuta: D *Incassum missæ preces, omnisque illa multitudo profuga, & desperata, ne patriæ funus spectaret, qua quemque casus tulit, in loca circumjecta dissipatur.* Meminit hujus quoque fugæ Noster, sed aliquanto post eam contigisse narrat, nempe post rejectas à Mediolanensibus, non tam supplicum prædictorum, quam Romanæ Sedis Legatorum Cardinalium, Arditionis & Othonis, preces, ut indicant, quæ leguntur col. 955. lit. C. & 966. lit. D. consignata.

593 INTERIM DVO CARDINALES] Baronius ad ann. 1158. *Misit hoc eodem anno idem Hadrianus Papa Legatos à latere duos Cardinales, Arditium & Ottonem, ad uniendos pace atque concordia dissidentes inter se Longobardos. Meminit ejus legationis Otto Morena in* Laudensi Chronico, *atque efficere non potuisse Legatos, ut Mediolanenses ignoscerent Laudensibus, qui facti extorres civitatem Mediolanensibus diripiendam reliquerunt. At hæc pluribus Auctor.*

594 VIDELICET] Med. Cod. *Scilicet.*

595 RINOLTELLA] *Rivoltella* eodem in Codice, ut in aliorum scriptis, proprium cognomen Cardinali hujus. E Cavitellius: *Cum præter modum oppressi per Mediolanenses, Arditione Rivoltella, & Othone Brixiense per Adrianum Summum Pontificem motum eorum: ac Laudensium calamitate transmissis ad eos Legatis defecissent.* Ciaconius in *Hadriano* IV. *Ardicio Rivoltella, Mediolanensis, diaconus Cardinalis S. Theodori. Hic Hadriani* IV. *in Longobardiam Legatus cum Othone Brixiano diacono Cardinale fuit, ut pacem inter Mediolanenses & Laudenses componeret, & Longobardorum animos in Ecclesiæ fide confirmaret.* Et hic ille Ardicio Rivoltella est, qui Cumanus Episcopus audit in Constitutione pacis inter Eugenium Papam & Federicum I. Cumanus, inquam, Episcopus nominis ejus F primus, quo de Benedictus Jovius in hæc verba lib. II. *Novocom. Hist.* pag. 170. *Guidoni suffectus est Ardicio, cui Federicus Barbarusa Rom. Rex Clavennam, de qua inter Oppidanos, & Ardicionem ipsum orta erat controversia, adjudicatam confirmavit.* Et infra in Arditione II. *Amico successit Anselmus, Anselmo Arditio, cui Henricus* VI. *Federici Barbarusæ filius, omnia parentis sui privilegia, alteri Arditioni facta, comprobavit anno Domini nonagesimo sexto supra millesimum, & centesimum.* Laudatur idem etiam Episcopus à Radevico *lib.* II. *cap.* LIII. & inter eos adscribitur, qui Alexandro III. contra Octavianum suffragati sunt. Ejus quoque mentio apud Auctorem anonymum Bibliothecæ Vaticanæ, nec non & in Bullis omnibus Alexandri III. Lucii III. Urbani III. S. Stephani Veronæ 1164.

596 OTHO DE BRIXIA] Dicebatur & *Odo*, fuitque diaconus Cardinalis S. Georgii in Velabro S. R. E. Archidiaconus. Vir longævus, quique post Adriani IV. obitum schismate suscitato, cum esset ordinis sui Princeps, quem *Priorem* vocant, auctor præcipuus exstitit deferendi Pontificatum Alexandro III. quem & Pontificalibus vestibus indutum primus contra Victorem IV. Pontificem acclamavit, quod suis literis una cum Cardinalibus aliis, qui Comitiis illis interfuerant, Imperatori Federico insinuavit, ut iisdem ex literis constat, quas Radevicus edidit *lib.* II. *cap.* LI. In his quoque Dubravii pag. 95. lib. XII. *Hist. Bojemicæ*, mentio Cardinalis hujus: *Adventabat interim Cæsar validissimis Germanorum stipatus copiis, rectaque viam Brixiam versus dirigebat. Ibi Ottho Cardinalis mœnibus cum aliis inclusus*, &c.

597 DEPRECATI SVNT] Sigonius: *Quod cum obtinere non potuissent, ad Legatos Pontificis, qui forte aderant, Ardicionem & Othonem Cardinales conversi, precibus eos, ut caussam suam susciperent, fatigarunt.*

598 PER NIMIS] Sic & *per nimium* familiare Nostro, quod in *prænimium* alias immutabam.

599 MEDIOLANENSES VERO, *donec Cardinales*, &c.] Factum istud omne Ripamontius sic expressit, possit ut illustrius nemo: *Augebat Cæsaris iras in Metropolim, quod præter repudiatas tam superbe preces illius populi infelicis, ne Romanæ quidem legationi cessérant, cum Cardinales duo, Otho Brixianus, & Ardicius Rivoltella, deprecatores accessissent. Namque, donec adfuerat ea legatio, fatigaveratque precibus & auctoritate sævitiam implacabilem, velut exorati annuerant, mox destinata peregerant, idque superbiæ intolerabilis videretur, etiamsi Laudensium clades nihil animum moveret.*

600 IN SEQVENTI PROXIMO *die Martis sancto*] Recessit hic à Nostro Corius dierum complurium intervallo, secumque Sigonium traxit. Habet ille scilicet: *Mentre legati furno presso Milano, ò Lode, obedirno, ma da ivi loro partendosi, di subito nel giorno, che si celebrano l'inferie ali defuncti, de publico consiglio Milanesi tutti li Lodesani miseno in bando, se non facevano il predito juramento.* Inde vero Sigonius: *Mediolanenses Legatorum auctoritati, dum apud se fuerunt, obtemperarunt, verum profectis illis* IV. *Nonas Novembris, quo die mortuis publice parentatur, Concilii sententia omnibus, qui usque ad diem Epiphaniæ imperatum sacramentum non suscepissent, exsilium indixerunt.* Ita plane Sigonius, etiam in eo, quod addidit nescio quo ex fonte, statutum nempe pro banni memorati termino Epiphaniæ diem, procul aberrans à Nostro, quippe qui non multo post diem illi Jovis assignet post Pascha, quod & repetit col. 966. lit. D. nec alius dies exstat in Cod. Mediolanensi.

601 SANCTO] Rectius modo laudatus Codex, *Sancti.*

602 LAVDENSES *posuerunt in bannum*] Idem, *Laudenses omnes posuerunt in bannum.*

603 SIMPLICITER, *nulla conditione interposita*] Eadem horum verborum sententia, quæ illorum col. 964. lit. D. E. *Absque ullo tenore.*

604 EXPELLERENT] *Ejicerent* alibi non uno in loco.

605 DEVM, *mœstorum verum consilium*] Quippe Deus ipse de se *Proverb.* VIII. *Meum est consilium & æquitas:* & ob id Tobias sapientissime consulebat, ut ex illo nostra omnia consilia promanarent.

606 PROXIMO *itaque die Mercurii post Pascha*] Ita Calchus. At Corius à Nostro longissime distans: *Il giorno avante la Epiphania, che era il loro limitato termino:* longiusque Sigonius, attribuens ei facto diem ipsum Magorum adoratione celebrem in allatis ad illa *Not.* 600. *In sequenti proximo die Martis sancto.*

607 PRAEDICTO DIE JOVIS] Viderat hæc ipsa Corius in suo Cod. MS. sed alio, nescio quo consilio, transtulit, & absque nexu. Locavit illa scilicet inter eam periodum, quæ sequitur aliquanto post, *Laudenses vero hæc audientes*, & proximam, cujus est initium, *In sequenti.*

608 IN QVO ERAT TERMINVS BANNI] Supra col. 966. lit. A.

609 DOLORE MORIENTIBVS] *Præ dolore morientibus* alibi, rem eandem plenius elocutus.

610 EQVIS *bladum*] Med. Cod. *Equos, blavam.*

611 BLADVM] *Frumentum*, vel *annonam omnem.* Generale quippe nomen ea vox ad omne, quod in area teritur, Accursio teste in *L. Triticum* 94. *ff. de verborum oblig.* & Baldo in *l.* I. §. *de eo opere ff. de aq. pluv. arcend.* Vocem ipsam quod attinet, inter ea vocabula recensetur, quæ

quæ usus quidam, sed nimium quam corruptus, è lingua Italica derivavit, habitaque fuere pro Latinis vulgo. Usi nihilominus ea voce viri non vulgares multi, Romanus cumprimis Pontifex in cap. *ex multiplici de decimis in antiq.* & alii nihilo melioris ævi. Chronographus Aulæ Regiæ *cap.* IX. *Iste annus ex clementia Salvatoris nostri uberrimus in blado & vino fuit.* Et *cap.* XIII. *An.* MCCCXXIV. *propter hyemis & æstatis in calore & humore temperantiam, bladum, & vinum, fructusque arborum optime provenerunt.* Theodorus de Niem lib. I. *de Schismat.* cap. VI. *Joanna, regina Jerusalem, Urbano* XL. *millia ducatorum in auro partim, & partim in moneta argentea in illo principio destinavit; nec non paullo post vina, & blada, ac carnes salsas, & caseos per mare transmittendo obtulit.* Jac. de Paradiso cap. IV. Libri *de statu & officio Ecclesiast. personarum: Qui vero, cum debeant vecturam bladorum Dominis suis, afferunt festivis diebus, ut reliquis profestis diebus possint liberius propriis vacare, non sunt excusabiles.* In Responso quidem Sereniss. Reip. tuæ Patavinis dato an. 1303. signat ea vox *Frumentum* ipsum: *Ad ambasciatam nobis Duci factam per sapientissimos viros Ambasciatores Paduæ,* XII. *millia staria Veneta frumenti nobis reddendi habito blado novo,* &c. Deduxit ab hac quoque voce *Bladariæ* familiæ cognomentum Pajarinus, quod Antonius, gentis ejus fons, blada publice venderet, ut propterea *Bladarii* à *blado* fuerint appellati.

612 ABSTULERE *absque aliqua ratione*] Med. Cod. *Abstulerunt absque alia ratione.*

613 IN SEQUENTI DIE JOVIS] Apparet in Calcho dies idem.

614 QUI FUIT MCLVIII.] Med. Cod. *Qui fuit in* MCLVIII. *anno.* Et hic verus annus excidii Laudensis urbis, licet illud Cavitellius & Dolionus anno 1156. Sigonius & Tracagnota, 1157. Stadensis Abbas Albertus 1165. contigisse narrent.

615 JAM AD OCCASUM ESSET] Quid si melius, *jam ad occasum isset.*

616 OMNES LAUDENSES, &c.] Congruunt cum his Nostri, quæ supra dedimus ex Ripamontio ad illa *Not.* 592. *Reversi sunt.*

617 PIZIGHITONIS CASTRUM] Adde his, quibus castrum idem *Piceleonem* dictum ostendimus in *Nota* 214. Cavitellii calculum, qui clare hac de fuga Laudensium, qua de Noster, loquens, Piceleonem profectos asserit post patriam dirutam & eversam.

618 ABDUAM] Varie prorsus nuncupatum hoc flumen. *Abduam* nempe Radevicus, ut Noster dixit, lib. I. *de Gestis Federici* I. cap. XXIX. Mussatus lib. XII. *de Gest. Henrici* VII. Rub. XII. Capreolus *lib.* VI. Corius hic, & Franciscus Scotus in *Itinerario Italico; Aduam*, uti Strabo, & Polybius Ἀδόαν, Monachus Anonymus Patavinus, qui de rebus Insubrum, & Eug. scripsit, *lib.* II. Claudianus VI. *Hon. Conf.* Guntherus *Ligur.* II. ab *Adija*, id est, *montibus inaccessis. Adduam* Plinius lib. II. *Nat. Hist.* cap. CIII. & lib. III. cap. XVI. & XIX. Varnefridus lib. II. *de Gest. Longobardorum* cap. XIV. & lib. V. cap. ultimo, Merulæque duo, Gaudentius & Paullus, ille lib. I. *de Antiq. Gall. Cisalp.* cap. VII. hic lib. IV. Part. II. *Cosmographiæ*, nomenclaturam istam reliquis anteponens. Bened. Jovius lib. I. *Novocom. Hist.* nec non & Ferrarius in *Geographico Lexico*: Itali demum omnes *Addam.* Fluvius est Insubriæ, quam à Cænomanis & Bechunis Venetiæ populis separat, non longe ab Oeno & Athesi oriens, perque vallem Telinam in lacum Larium influens, à quo emissus Laudem Pompejam attingit, Padoque inter Placentiam & Cremonam excipitur, secumque cum alios, ut *Pliscavonem, Mieam, Liram, Tartenem, Lecium, Orcum, Brembum, Serimortum*, defert, tum *Serium*, qui in montibus supra Bergomum ortus, perque Serianam fluens hybernis mensibus cuniculis quibusdam se condit, rursusque juxta Cremam copiose exoriens in Adduam tandem ipsum illabitur: æstate tamen, liquescentibus ardore solis montium nivibus, augetur adeo, & abundat, ut non solum meatus subterraneos impleat; sed etiam supra terram perpetuo fluat. Verum enim vero verus Adduæ pater est mons Braulius Paullo Merulæ, qui & monuit, Strabonem inconsideratius adnotasse, fluvium illum ex Adula proficisci. Eo sane spectans Benedictus Jovius initio lib. I. *Novocomensis Hist.* tale nobis illius etymon exaravit: *Sic & Adua mons perquam arduus & difficilis ipsarum Alpium, ubi Addua fluvius fontem habet, & ab eo nominatur, Græce sonat inaccessibilem, de quibus in ea parte ait Claudianus *:*

Scandit inaccessos brumali frigore montes.

Docuit idem quoque Scriptor, eundem amnem transire per Telinam vallem pag. XI. ejusdem libri: *Supra Vulturena est, per* LX. M. *pass. ad Alpes portenta, per quam Addua Larium insluit.* Quia porro receptus Addua Lario, rursus emittitur ab eodem, inde factum, ut Æquicola Adduam Larii *filium*, Spiegellius *parentem* vocet.

* De bello Get. ℣. 322. ubi notandum hæc dici de Stilichone, non vero de Addua.

619 SERIUM] Habet ad eorum fidem, quæ hoc de flumine, & ejus valle, protulimus in proxime superiori *Nota*, Scotus in *Itinerario* suo: *A Bergomo non multum abest flumen SERIUS, suum ortum agnoscens in montibus, quod si torrentem nominaveris, non ab re loqueris. A parte Septentrionis stant sex Valles, hinc atque hinc montibus clausæ, Seriana videlicet à Serio eam suis aquis secante, prisco tempore Beccunorum loca appellata, & Brembana, quam alluit amnis Brembus. Harum qualibet* XXX. *milliarium spatio se protendit. Vallis S. Martini* XV. *& totidem vallis Calepii, & Clusontes.*

620 PARVULORUM] *Puerulorum*, ut infra *Not.* 632. proxime consequenti: Sacris in literis, *finite parvulos venire ad me:* Quintiliano *lib.* III. *cap.* VII. *Excepta parvulorum judicia:* etsi *l.* 2. *C. de fund. patrim.* lib. II. *Parvuli* dicantur quicunque sunt infra 25. annum, quod & Cujacius sensit ad *l.* I. *C. de fugitivis colonis patrimonialibus d. l.* 2.

621 GAYDES] Med. Cod. *Gaydas*, vulgus Italorum *Ghede*, *liste* scilicet (ejus ut ex ore loquar) *delle camise di Donna, ò d'altri suoi Sottanelli, le quali sono strette di sopra, & larghe a basso, e servono per allargare le fimbrie delle camise, e delle Sottane, o Guarnaccie.* Defendens Laudius Historicus *Dissertatione* VII. de iis, quæ spectant ad Laudensem urbem, interpretatur *Lembi.*

622 GRANDESQUE CAPITANEOS] Habes in Med. Cod. *Capitaneosque grandes*, discisque clare ex his Georgii Merulæ lib. II. *Vicec. Antiqq.* pag. X. quinam olim Mediolani *Capitanei* essent: *Quidam sunt auctores à Bonicione quodam Carcani oriundo, corruptis pecunia Sacerdotibus, & favore Othonis, Pontificatum urbis Landulpho fratri quæsitum, qui mox fratres, & propinquos opibus, honore, & potentia auxit. Eorum quippe ditioni oppida quædam subjecit, & intra urbem jura, & gentilitia commoda clargitus est. Hinc Carcanorum, Pirovenorum, Melignanorum, Landrianorum profectæ familiæ de nominibus oppidorum, quibus denominabantur, appellatæ. Ex eo CAPITANEORUM orta sunt nomina, civilium discordiarum & odiorum seminaria: hinc etiam Patriciorum opes plus nimio crescere, & inde superbiæ, atque in tenuiores injuriæ.* Et his ex aliis pag. XX. *Ut quisque vel nobilitate, vel opibus pollebat, ita illi veluti in servitutem dicati plurimi erant. Hinc dixerim natæ CAPITANEORUM imperia, quibus cæteri essent stipendiarii, Vassallos, ac Dediciosos* (lege *Dedititios*) *vocabant. Parebant etiam CAPITANEIS Valvasores, qui ab inopi multitudine hoc distabant, quod illi jus, & potestatem in alios obtinebant: hæc vero semper alienæ libidini subjecta erat.* Nec erant à *Cataneis* CAPITANEI diversi multum ejusdem è Scriptoris mente, & Notis nostris ad illa *Not.* 96. *Credentiam Consulum pararent.* Quibus ex omnibus facile est conjicere, *de Laudensium Primoribus* sermonem hic esse Nostro, quo sensu usus & Mussatus hac voce crebro, nec non & Baldricus lib. III. *Chron. Camer.* cap. XXXVIII. *Præterea monasteriis totius civitatis primo quidem Capitaneo, deinde cæteris pretiosa munera erogavit.* Ea re Defendens in laudata *Dissertatione* VII. Latio locum istum donans, dixit, *I Gentilhuomini stessi.*

623 PEDITABANT] Morenæ verbum ab *ito*, & *pedes*, quod alii eo sensu *Pedo* magis, quam *Pedito* usurparint.

624 LACHRIMAS NON FUISSET] Legendum utique, *lacrimas non fudisset.*

625 COMPASSIONE] Moriniani vox ista seculi pariter, ut apparet.

626 INSIMUL] Attuli vocis ejusdem exempla compluria in *Not.* 105. quam adito.

627 DISTRICTE] Compositum pro simplici de more Nostri, & utrumque earum vocum ex genere, quæ Latine scribentibus vitandæ potius, quam sectandæ. Nata inde *Districtio* pro disciplina exacta, severa, & rigida Cassiano *lib.* IV. *cap.* XXXVIII. Eugippo in *Vita S. Severini*, Hincmaro in *Vita Remigii*, Fulberto Episc. Carnotensi *Epist.* LV. Cæsario *lib.* IV. *cap.* I. & XLIX. *Districtus judicii dies* Gregorio *lib.* VII. *epist.* 2. *Districta vindicta* eidem *lib.* VI. *epist.* I. nec non & *districtus Judex* Gregorio alteri Turonensi *lib.* X. *cap.* I.

628 UNUS SUPER ALIUM JACEBANT] Emendat locum istum Med. Cod. legitque perspicue, *unus super alium jacebat.*

629 DISTRICTO] Inde *districte* adverbium, quod præcedit.

630 EX MOLITIONE TERRAE] Non aliter sanandus hic locus, ac sanat Med. Cod. *Ex mutatione terræ.*

631 BONUM VINUM] E sacro fonte *bonum hoc vinum*, Joannis II. num. X.

632 PARVULORUM] *Puerulorum*, ut ante *Not.* 620.

633 INFIRMATI] Inde *Infirmarius*, & *Infirmaria*, quarum prima vox in Cæsario *lib.* VIII. *cap.* XXX. & *lib.* IX. *cap.* II. altera in Petro Cellensi *lib.* II. *epist.* VI. Ita ut *Infirmaria* proprie locus olim esset, ubi ægri curarentur, qui hodie cunctis idiomatis dicitur *Hospitale*. Proprie, inquam, nam & *Infirmariam* pro *Dormitorio* usurpasse reperi Petrum Mauritium in *statutis Cluniacensibus* Can. XXV. *Statutum est, ut loco famulorum, qui mane vociferando fratres in infirmaria jacentes inhoneste ad Missam vocare solebant, scilla ad hoc in sublimi infirmariæ loco suspensa pulsetur. Infirmitatis nimirum humanæ esse censebant Viri sanctissimi & doctissimi, cogi naturam ad somnum, neque posse perpetim divinis officiis Monachos vacare.*

634 DE HOC *seculo migraverunt*] Sacra phrasis, ut scias, olim qui scriberent, sacras potius volutasse paginas, quam prophanas.

635 SPOLIANTES] Ideo Cavitellius auditus ante, *Laude direpta & demolita.* Quin & Novocomum tum à Mediolanensibus vastatum auctore Mutio lib. 18. *Chron. Germ. Mediolanenses, adhuc memores malorum, quæ illis Imperator in prima in Italiam expeditione fecerat, rebellare cœperunt, & alios sibi junxerunt rebellionis socios, qui erant Lombardiæ civitates quædam, opibus & viribus pollentes, Cumam & Laudam, quæ erant fidei Imperatoris commissæ, destruxerunt.* Addit & Corius, de Laude tum direpta loquens, quid indictum Nostro, & animadversione dignum: *A perpetua memoria della sua destructione ne le principale terre di questo Contato gli Milanesi fecero condurre li merli delle mure Lodegiane, quale erano d'un sola pietra, si come anche apparesino à questi giorni.* Et inde Sigonius: *Demum urbis mœnia diruerunt, pinnis, quæ ex uno lapide erant, ad prima agri Mediolanensis castra ad perenne rei monumentum translatis.* Sed & harum pinnarum mentio in adhuc inedito Victorio Cadamusto: nec desunt, qui Vicomercati, Mediolanensis regionis oppidi, imo & Mediolani ad D. Angeli, reliquias earum aliquot reperiri doceant, Laudæque nonnullas apud Pissavinos, Cadamustos, & alios Defendente Laudio teste, cujus & sententia est, pinnis hujuscemodi privatam Laudensem urbem, cum primum excidium pertulit, quo de Noster col. 954 lit. D. non secundum, cujus hic eidem sermo.

636 SUCCENDERUNT] Officium vetus Translationis S. Bassiani Lectione prima: *Non saturati* (Mediolanenses) *sanguinum effusione, succenderunt civitatem, ut delerent eam usque ad consummationem.* Cui subscribens V. CL. & eruditissimus Somaschensis Congregationis Præpositus Gaspar Trissinus in Actis Savinæ Martyris: *Æquo Marte*, inquit (*Laus vetus*) *cum Mediolanensibus conflixit, sustinuitque dissidia; ab his tandem adversante fortuna acerbissimam cladem passa, exusta ac pene deleta est.* Feruntque tum urbis illius tutelare Numen inter ipsummet incendium affulsisse sine læsione ulla, seque in Monticulum recepisse, in quem, nova Laude condita, sacræ illius exsuviæ sunt translatæ, ita me docente Officio veteri memorato ante.

637 DIRIPUERUNT] Bassianus Catenagus in *Descriptione Laudæ*: *Ab invidis finitimis ad solum usque æquata.*

638 VITES QUOQUE ET ARBORES] Sigonius: *Laudensibus jurare detrectantibus urbe excedere imperarunt, bona Mediolanum asportarunt, arbores in agris, vitesque, atque ædificia nulla reliquerunt.*

639 IN HAEC EADEM AESTATE] *Proxima æstate* Corius: at scripturam Nostri liquido præfert, & firmat Med. Codex.

640 TOTAM EORUM SEGETAM] Nemo non videt *segetem* pro *segetam* reponendam esse, uti caste legendum admonet Med. Codex, qui & *ipsorum* habet *eorum* loco.

641 ET PER TOTAM ETIAM FERE] Codex idem, *Et per totam fere.*

642 LODESANAM] Sic & hodie dicta vulgo regio Laudensis tota.

643 MONTESSELO] Med. Cod. *Montesello.*

644 CASTELLIONO] Putat Alciatus, Castrum istud fuisse quondam *Stiliani castrum*, à quo familia Castillionæa per longa temporum intervalla originem traxerit, cujus deinde familiæ domum, ab Athila multos ante annos cum ipsamet urbe direptam & æquatam solo, repararit Auspertus Mediolanensis Antistes. Illud etiam Corius notat, hoc de Castro loquens, à Cremonensibus conditum in Cremenses.

645 DE SANCTO VITO] Vel hic locus arguit *Sanctum Vitum*, & *Castellionum*, Vicum non eundem esse, ideoque recte parum excusum in Nostro col. 957. lit. B. *Apud Sanctum Vitum de Castillione.*

646 FUGERUNT] Med. *Fugerant.*

647 NULLISQUE VITIBUS] Med. Cod. *Nullis vitibus.*

648 COSIA] Beneficio modo laudati Codicis non corrupti corruptam & exsensam vocem sententiæ & integritati suæ restituo, sic rescribens, *Cesia*, sive *Cesa*. *Cesa* quippe, sive *Cesia*, mera tum Vulgi vox pro *Sepe*, munimento hortensi, rubris aut spinis circumtortis facto, ad arcenda pecora, cujus ergo *sepes* in his *hirtas* Columella dixit *lib.* X.

Talis humus, vel parietibus, vel sepibus hirtis,
Claudatur, neu sit pecori, neu pervia furi.

Hodieque nostri munimentum idem *Spinatam* vocant. Quemadmodum igitur munimentum istud *sepem* à *sepiendo* Latini dicere voluerunt, non (ut opinati male sunt aliqui ex his Isidori verbis, *Sepes munimenta satorum sunt, unde & appellatæ*) à *sero*: sic à *cædendo cesam* appellavit Vulgus, quod cædi quotannis soleat, ne silvescat, aut excrescat nimis, factura satis iis umbram, quorum tutelam gerit. Eo plane sensu *Cesam* Morenæ nostri seculum usurpabat.

649 NULLIS ARBORIBUS] Med. Cod. *Nullisque arboribus.*

650 CASTILLIONUM] *Castillionem* ante *Nota* 193. & *Castellionum Nota* 644.

651 IN MENSE JULII] Sic & Corius, alii alia. Habet nempe Sigonius, venisse *circa Pentecosten ipsam*, *Majo mense extremo*, quod & præfert Dodechini *Appendix ad Mar. Scotum*, & *Hirsaugiense* Trithemii ad an. 1158. probatque Vir Cl. & eruditissimus Octavius Rubeus, Brixiensis Historicus, transmissis ad me schedis ea de re tota, nec non & alter Rubeus, Historiæ Ravennatis scriptor. Cavitellius extra fidem omnem, *Novembri* venisse memorat; prima scilicet Ænobarbi expeditio Italica eum in Mensem incidit, ut ostensum alibi, non secunda.

652 VENIT] Ad preces, ni querelas malis, civitatum Mediolanensibus infensarum, Laudæ potissimum, & Papiæ, quarum illam legatos duos, *Albertum Alemanum*, qui Nostro col. 953. lit. D. *Albernardus* est, *& Magistrum Homobonum*, ad eum contra Mediolanenses transmisisse Cavitellius scripsit: Papiam vero, *Rolandum de Botichiella*, *Lanfrancum Tortam*, *Facium de S. Nazario*, *Violam de Canapanova*, & *Arditionem de Petra.* Sed enim ii quoque Legati præcessisse putandi sunt expeditionem Italicam Ænobarbi primam, qua de Noster col. 957. lit. A. non secundam, cujus hic eidem sermo. Adjicit Bossius, Ænobarbum auditis prædictarum, & aliarum Civitatum Insubriæ, querelis, quas in Mediolanenses per Legatos suos effuderant, ut erat ingenio, natura, atque experientia rerum sagaci, cogitare cœpisse de tollenda funditus Mediolanensi urbe, ideoque quoscunque Mediolanenses habere potuit, quocunque ivisset, secum vinctos traxisse, ut canes, quæ præcessisse pariter expeditionem Italicam Ænobarbi primam satis ac super indicant, quæ Scriptor idem statim attulit de Rosato incenso, Ticini pontibus destructis, Gallerato everso, Trecate combusto, Terdona obsessa, cum hæc omnia primam illius expeditionem præcesserint, non secundam. Præmiserat autem multo ante, quam iter istud alterum in Italiam arriperet, Federicus Raynaldum Cancellarium suum, & Othonem de Witelspach Com. Palatinum, unde genus Ducibus Bojis, præfectum Prætorio Bojariæ, & Signiferum suum, quo de *Ligurini* II. Guntherus è Radevici penu:

Signiferumque suum, quem Norica misit, Othonem
Terra, virum magnis spectatum sæpe periclis,
Præcursare jubet.

Et hi quidem ambo, suo in Italiam ingressu primo, recepto castro Rivolæ supra clausuram Veronensium sito, & ejus ab incolis, mox & à Veronensibus, fidelitatis sacramento, Mutinam, dein Cremonam progressi sunt, ubi habita celebri Curia cum Præsulibus Ravennate, Mediolanensi, & aliis suffraganeis XV. nec non & Marchionibus, Comitibus, Consulibus, & Legatis circumjacentium omnium civitatum, sequentium Ænobarbi partes, Ravennatem exarchatum invasere decreverunt, nusquam incauti peragere, quæ noverant negotiis Principis, & Regni utilitatibus profutura. Græcis enim, specie fallacis amicitiæ Anconam, Ravennam, Ariminum, finitimas civitates, tentantibus, Italia pulsis, Vilhelmoque Ravennæ Dynasta in vincula conjecto, quod Græcos Orientalis Principis Oratores, quam se Legatos Occidentalis Imperatoris, honorificentius habuisset. Secunda porro Ænobarbi expeditio in Italiam per Alpes fuit Radevico teste, perque Vallem Camonicam, uti me docuit suis in Schedis Octavius Rubeus Brixiensis.

653 UNA CUM REGE BOEMIAE, &c.] Talem quoque comitem Radevicus attribuit Ænobarbo cap. XXV. *Princeps ipse habens in comitatu suo regem Boemiæ*, &c. Cujus è fontibus Guntherus, *Ipse Boemorum regem*, &c. *Secum Rector habens.* Ea vero de causa maxime sese Federico junxerat Boemorum rector, quod, cum Ducis tantummodo nomine audiret, coronatus ab illo fuerat Boemiæ

miæ Rex, data in matrimonium viduo filia Lantgravii Principis Juditha, regioque insigni Leonis rubri bifurcatæ caudæ in clypeo coloris albi. Ut enim sese vicissim gratum illi præberet, socium eidem adjunxit ad bellum, quod adversus Mediolanenses aggressurus erat, testibus ea de re locupletissimis Urspergensi pag. 284. Ænea Sylvio cap. XXIV. Dubravio lib. XII. pag. 94. & Historicis omnino reliquis Boemicarum rerum. Fuere nihilominus, qui Boemiæ regem præcessisse maluerint Ænobarbum, & in his præ cæteris Urspergensis: *Imperator cum ingenti exercitu Italicas appetiit oras, cui prævius fuit Boemorum Rex acerrimus, ab eodem Imperatore particeps effectus primo regiæ dignitatis.* Quin & Dubravius in alias laudato libro scripsit, ab eodem Rege, superatis, priusquam veniret Cæsar, Alpibus, Veronenses edomitos, quod alii factum attribuunt Othoni Com. Palatino. Ea re Sigonius: *Præcedebat Rex Boemiæ cum copiis suis.* Nec alius Rex iste Boemiæ fuit, quam Vladislaus (*Laudislaus* aliis, & *Vlatislaus*) primus Boemorum Rex è Duce XXIV. cujus eximia virtus cum alibi sæpe, tum in expugnatione Mediolanensis Urbis egregie fulsit.

654 ARCHIEPISCOPORVM] Tres isto ex Ordine recensuit Radevicus, *Federicum Coloniensem*, *Arnaldum Moguntinum*, *Hellinum Trevirensem*; habeoque de Trevirensi testimonium alterum Keriandri, quippe qui Part. XI. Ann. Trevirensis urbis pag. 125. Hellinum minus commode audivisse prodidit ob commutationem castri Nassauve, Macheram Comiti Nanuncensi concessam, beneficiumque plaustrorum vini sex Reinhero de Berge præstitum, quod se in Italiam magnis suis sumptibus comitatus esset. Meminit & ejusdem Archiepiscopi Frisingensis lib. II. cap. IV. *de primi Federici gestis*, diserte narrans, ab eo Cæsare coronato statim legatos missos ad Rom. Pont. Eugenium, Urbem, & Italiam totam, Hilinum Treverensem Electum, & Eberhardum Babenbergensem Episcopum, viros prudentes, & literatos.

655 EPISCOPORVM] *Conradi Eistenensis*, *Danielis Pragensis*, *Hermanni Verdensis*, *Gebehardi Herbipolensis*, è Radevici censu, qui & his Episcopis *Abbates* regalium Cœnobiorum duos, *Fuldensem*, & *Augiensem* adjecit.

656 DVCVM] Nepotis cumprimis sui Sueviæ Ducis, Fiderici scilicet, filii Conradi regis, quo de præter Radevicum *Ligurini* Scriptor:

Ipse Boemorum regem, multosque potentes
Allobrogum, Suevumque ducem, fidumque nepotem
Te Federice suum, Cunrado rege creatum
Secum Rector habens.

Alii nempe Duces diversis itineribus præcesserant Ænobarbum, & Austriæ sane Dux Henricus, & Henricus alter Dux Carentanus, cum Ungarorum copiis, Comitibus & Baronibus eorundem, per Canalem, Forum Julii, atque Marchiam Veronensem: Dux Bertolfus de Zaringen, cum Lotharingis per viam Julii Cæsaris, quæ *mons olim Jovis* dicta, *Bernardi* hodie, non quidem illius Abbatis celebris; sed cujusdam Augustensis Archidiaconi, qui eo in monte nemora per sancta degisse fertur: multa denique pars Francorum, Ripariolorum, ac Suevorum per Clavennam, & Cumanum lacum.

657 MARCHIONVM ET COMITVM] Quid hos ego cunctos percenseam numerando, cum idipsum neglexerit Radevicus, nominasse contentus ex Comitibus *Conradum* unum, Comitem *Palatinum Rheni*, *Ænobarbi fratrem? Tacebo* igitur, cum ipso Radevico loquens, *Marchiones*, *Comites clarissimos*, *& valde potentes*, *quorum nomina si coner perstringere*, *delicato*, *seu pigro lectori*, *onerosus existam.*

658 CVM MAXIMO, *& innumerabili exercitu*] Proprie, & apposite Radevicus idem: *Tantæ erant auxiliariorum copiæ, quod plurium viarum meatus vix eos præ multitudine sustinere potuisset, videlicet Francorum, Saxonum, Ripuariorum, Burgundionum, Suevorum, Bajoariorum, Lotharingiorum, Boemorum, Ungarorum, Carentanorum, & cum his aliæ nonnullæ Celticæ, seu Germanicæ nationes: viri fortes & bellatores, infinitæ multitudinis, vario armorum apparatu: juventus valida, & ad bellorum motus imperterrita.* Ea re proprie pariter Urspergensis, Nauclerus, & Mutius, testati sunt, *ingentes Ænobarbi copias* tum fuisse: Trithemius *quinquaginta millium pugnatorum:* Cavitellius *centum millium equestrium, & pedestrium: pene formidabiles* Capreolus: *innumerabiles* Sigonius: *majores* Ripamontius: *copiosas* alii, quorum copia propemodum obruor infinita.

659 VENISSET ET APPROPINQVASSET BRIXIAE] Med. Cod. *Venissent, & appropinquassent Brixiæ*, uti mox infra pro *decrevisset, nec fecisset: decrevissent, nec fecissent.* Rem quod attinet, quid aliud Dubravius præcessisse narrat accessum Boemiæ regis ad Brixiensem urbem, seque illuc recepisse Veronensium hortatu, quod indictum Nostro. Verba sic illius habent: *Paululum Vladislaus iter antevertit, priusque superatis Alpibus Veronam, quam Cæsar, venit. Cives Veronenses, ubi Colonos suos in agris à Bohemis deprædari cognoscunt, mittunt qui Vladislaum doceant, se cum ipsis agris in fide & potestate esse Cæsaris, eoque tutela magis dignos, quam ulla injuria. Cæterum, si populari, prædasque agere libeat, Brixiam illi esse deflectendum, civitatem Cæsari perinde, atque Mediolanum rebellem.* Adeantur istic præterea Calchus, & Galvanus.

660 BRIXIAE] Civitatis amplæ, divitis, amœnæ, populosæ, validis munitæ mœnibus, inexpugnabilis arcis præsidio superbæ, nobilis ædificiis tum publicis, tum privatis, nomen, Straboni, Ptolemæo, uni & alteri Plinio, Nazario, Warnefrido notum, à *Britheia*, quasi *à gaudentibus arboribus suo pondere*, ductum aliquibus, uti Capreolo placet. *Brixia* siquidem Benedicto Jovio lib. I. *Novocom. Hist.* nomen est Gallicum, & *speculam* sonat. Sed & Urbis ejusdem origo ab aliis alia memoratur: at illa fortasse certior, quam Livius affert. Tradit enim is Scriptor, ab Cenomanis (inemendatiores Codices *Germanos* præferunt) cum Elitovio, & Belovesso Ducibus, ex Galliis per Taurinos, & Alpes Julias in Italiam transgressis, conditam Brixiam, & eandem signat alicubi *Cenomanorum caput.* Quo spectans Baptista Mantuanus sic ejus Urbis in laudes excurrit:

Brixia magnorum genetrix animosa Virorum
Gallia seu genuit, seu te Germania mater:
(Nam genus abscondit tenebris adoperta vetustas)
Tu Cenomanorum quondam Regina fuisti.
Vive diu Veneti sub majestate Senatus,
Atque age sub Divo placidissima tempora Marco.

Plura dabunt Capreolus in *Historia patria*, Pædianus *in Pisonianam*, Plinius *lib.* III. *cap.* XIX. Suetonius in *Jul. Cæsare*, & qui de illa patria sibi longe carissima, diu probe docteque meretur, Octavius Rubeus, cujus Historiam avide opperimur.

661 NVLLVM DETRIMENTVM *Brixiensibus facere decrevisset*] Talia passim in ore Nostri ad Ænobarbi palpum. Nam & ante dixerat *Not.* 442. de Romanis loquens: *Mali eis aliquid facere non intendens:* & de Spoletinis *Not.* 486. *Qui quamvis Spoletinis nullum adhuc damnum intulisset.* Habet ille nihilominus pro se Capreolum sic scribentem: *Ille vero* (Federicus) *astutissimus, notum sibi Italorum erga se odium, notasque conjurationes dissimulans, in agro Brixiano nulli molestus subjedit: omnes etiam Veronenses, atque Cremenses se adeuntes benigne (ut consueverat) allocutus.*

662 NISI FORTE *quod ipsorum Scutiferi † consuevit*] Locus mutilus, non corruptus, quippe sic habetur in absolutissimo Codice Med. *Nisi forte, quod ipsorum scutiferi aliquid causa comedendi rusticis eorum auferebant, sicut in exercitibus fieri consuevit.* Nec aliud spectasse visus est Dubravius, cum Veronenses Boemis auctores fuisse prodidit, ut ex agro Brixiensi prædas agerent, licet meus illi Rubeus intercedat, diserte tradens, permisisse Boemiæ regem milites suos nescio quibus è Villis Isæi lacus, nec non & Isæo ipso, prædas cogere hortatu populi Bergomensis, tum infensi valide nomini Brixiano. Fuderant enim illius exercitum biennio ante copiæ Brixienses ad Paluscum oppidulum, & vita precario concessa multis, vexillum Urbis, imagine D. Alexandri graphice pictum, abstulerant, & allatum Brixiam in Martyrum Faustini & Jovitæ templo, ceu trophæum amplissimum, collocarant. Quid hic esset, aut non esset, in Corii M. S. declarant hæc ab illo scripta: *Et appropinquandosi à Bressa, non con animo di molestar la Citta, ma solo per haver il commeato, avante furno mandate alchune gente, quale offerivano il pagamento de quello. Bressani più per non bene considerare*, &c. Judicent & hic rerum hujuscemodi non ignari. Sane Dubravius in Conventionibus pacis inter Brixienses, & Ænobarbum initæ meminit *commeatus.*

663 PECVNIA MAGIS QVAM AMORE MEDIOLANENSIVM....] Adde, quæ desiderantur, ex Med. Codice, *jam corrupti.* Corius enim hæc è suo diversa penitus afferebat, *Bressani più per non bene considerare, che per fede portassino à Milanesi*, &c. Cavitellius è contra Federicum nulla lacessitum injuria Brixienses adortum refert, ob idque tantum, quod societatem cum Mediolanensibus iniissent: nec alia Capreolus, Sigonius, & alii tradunt, qui Brixiam tum Imperii rebellem vocant, & aliis æque rebellibus junctam, quorum è numero Godefridus:

Urbibus annexa fuit hæc, quibus omnia vexat,
Quæ fuerint urbes, exponere nomina restat,
Brixia, Terdona, Crema, Placentia bona.

At Dubravius, de solo rege Boemiæ loquens, populabundum illum profectum esse scribit Brixiam Veronensium impulsu, & acceptis deductoribus ab iisdem. Ea de re denique Radevicus: *Prima venientium*, inquit, *impetum Brixia timere in locis munitis, & militum suorum fortitudine confisa, armis ausa fuit excipere.* Quamobrem par hic

est in varietate tanta diligentiam Octavii Rubei sic amplecti, ut eandem laudatis modo Scriptoribus omnibus præferamus. Habet ille scilicet, quod cum Rex Boemiæ Bergomatum, quos tum Brixienses hostium habebant loco, precibus & hortatu lacus Isæi villas copiis suis diripiendas facile concessisset, datumque flammis ab iisdem esset Isæum ipsum, commotos ea re graviter Brixienses aliquot, qui Ruati custodiæ præerant, fecisse protinus impetum in hostium confer * agmen, facti ducibus Girardo Bunato, & Oddone Ugone, primoque Marte Germanos aliquot equites interemisse: Cæsaris animum Brixiensibus pridem infensum exarsisse magis ac magis ob cædem illam, indeque villis Brixiensium reliquis vastitatem illatam, obsessam urbem, rapinis & incendio deformatum Episcopatum omnem, donec agi de pace cœptum, qua concessa Civitas omnis abierit in Imperatoris fidem. Suis hæc in Schedis Rubeus, quarum ex ungui meam tiri † facile possumus hunc leonem.

664 SCVTIFERAS] Rescribendum *Scutiferos*, ut apparet. Et apud Romanos quidem clypeos gerebant olim primæ classis milites, scuta, secundæ; postea videntur scutis tantum usi Livio teste *lib.* VIII. licet idem alibi triariis secundo bello Punico clypeos, non scuta tribuat. Tertio sane bello Punico scutis usi legionarii omnes. Meminit & *Scutiferorum* Mussatus lib. VI. *de Gestis Henrici* VII. Rub. XIII. nec istuc *Scutarios* traho, quod in Constit. Neapol. lib. III. Tit. 36. *Scutarii* sint, qui scuta munire debent, ἀσπιδοποιοὶ Glossographo dicti, etsi nonumquam iidem, ut apud Jul. Firmicum *lib.* III. *cap.* XIV. Imperatorum protectoribus adjungantur.

665 REX BOHEMIAE] Desideratur in Corio secunda vox, sic ut ista Regi Romanorum, non Bohemorum, adscribere videatur: neve sibi negocium facesserent, quæ sequuntur: *Interea Imperator cum maximo ejus exercitu*, &c. ea sic invertit potius, quam patrium in sermonem vertit, *Poi giongendo l'Imperatorie genti.*

666 DEVASTARE] Rodevicus, *Primo à Rege Boemorum graviter attrita.* Nauclerus, *Bohemiæ Rex Brixienses oppressit.* Et alii, quos audiemus in *Nota* proxime consequenti.

667 INTEREA IMPERATOR] Alio rem istam ordine retulit Urspergensis: *Quamobrem Imperator cum ingenti exercitu Italicas appetiit oras, cui prævius fuit Boemorum Rex acerrimus, ab Imperatore eodem in regiam dignitatem primo sublimatus. Et iste Brixienses oppressit, & damnificavit, quem subsecutus est Federicus Dux supradicti Chonradi regis filius. Post hos Imperator adventabat.* Et eum secutus proxime Nauclerus: *Aderat tum Bohemorum Rex, nuper regia dignitate sublimatus. Iste Brixienses oppressit, quem subsecutus est Federicus Sueviæ Dux. Cunradi regis filius, post hos Imperator appropinquabat.* Dubravius omnino ut Noster, post accessum Bohemiæ regis: *Adventabat interea Cæsar, validissimis stipatus copiis, rectaque viam Brixiam versus dirigebat.*

668 QVINDECIM DIES] Rubei Schedæ, *Multis diebus.*

669 MVLTAS VILLAS] *Isæi lacus*, & *Isæum ipsum* è laudatis Schedis. *Vulpinum* etiam, oppidulum Brixiensibus per Bergomates datum, eversum tum fuisse Capreolus scribit. Sed ea in Historiæ Capreoli parte mendum insigne duplex. Unum, qua tradit, *hæc, ut plures scribunt, gesta anno Theogoniæ* MCLXII. alterum, qua præmittit, *Brixienses cum rebellibus Imperii civitatibus percussisse fœdus post æquatam solo Mediolanensem urbem, cujus ergo arma illis intulerit Ænobarbus.* Hæc enim multo ante gesta, anno nempe Theogoniæ MCLVIII. & ob id etiam multo ante dirutam, & æquatam solo Mediolanensem urbem. Parum quoque firma sunt, & solida, quæ de Mediolanensi Carrocio tum in rus Barliamon ducto, capto, & direpto Scriptor idem inibi subdidit, ut apparet è Nostro col. 998. lit. F.

670 DISSIPAVERVNT ATQVE IGNE CREMAVERVNT] Scribit Rubeus *Hist. Ravennatis* auctor, tum etiam Joannem Ravennatium Ducem, militari virtute clarum, egregiam operam impendisse Federico, non Ravennatibus modo cohortibus, sed & aliis plerisque finitimorum populorum præfectum, qui dehinc obierit ad Tricium in oppugnatione castri. Eum Radevicus *Majorem de exarchatu Ravennatium* vocat.

671 MAXIMO TIMORE PERTERRITI] Urspergensis: *Territi igitur tanto exercitu Brixienses, Imperatoris jussa jurati se facturos promiserunt.* Et ejus insistens vestigiis Nauclerus: *Territi itaque Brixienses, Imperatoris jussa se facere jurabant.*

672 PACTVM INIENTES] Cardinalis cumprimis Ottonis opera, qui mœnibus urbis obsessæ cum aliis inclusus, facta utrinque æstimatione virium ex duplici pugna, in quarum utraque Boemi superiores evaserant, commodissimum esse statuit, ante Cæsaris præsentiam, muris adhuc & ædificiis integris, de pace cum Vladislao rege per Danielem Pragensem Præsulem agere. Qui legatis Brixiensium ad Regem adductis, pollicentibus deditionem se Cæsari, imperataque facturos, si æqua & tolerabilia imperarentur, Rex datis induciis, se pacis deprecatorem apud Cæsarem futurum æquissimum spopondit, accepitque interea in exercitu suo à civibus gratuitum commeatum, uti me Dubravius verbis iisdem docet. Adjecit nihilominus eidem quoque operi manum Arditio Cardinalis alter, quem *Azzonem* Oct. Rubeus vocat. Quod attinet ad pactum ipsum, de illo Mutius in hæc verba, *Primum Brixienses ad deditionem compulsi sunt.* Et Gherardaccius de iisdem, *Si resero senza battaglia.*

Fuere porro pacti tum initi leges, sive capita numero tria. *I. Ut obsides darentur Cæsari sexaginta. II. Ut eidem pecuniam non modicam, sexaginta nempe marcharum, sive librarum, millia numerarentur. III. Ut exercitui toti sufficeretur dierum quindecim panis, vini, & carnium commeatus.* Licet enim, præter commeatum gratuitum Regi Boemiæ datum, nihil aliud Brixiensibus imperatum Dubravius velit, nisi, ut nobilissimus quisque civium ad obsidendum Mediolanum Cæsarem comitaretur, quominus reliqua multitudo domi remanens, novis rebus studeret, habeo tamen conditionum omnium memoratarum testes non vulgares multos, & horum veluti principem Radevicum: *Primo à rege Boemorum graviter attrita, deinde in adventu Principis datis* LX. *vadibus, simulque non modica pecunia, in deditionem pactionis recepta.* Guntherum:

——— tandem contrita solutis
Mœnibus accepit Dominum, quem fecerat hostem,
Vixque redempta, suos nullo luit ære tumores.

Cavitellium: *Brixia, ejusque agro direptis, compulit in jus suum, & sibi per ipsos datis sexaginta obsidibus, ac pecunia, eis veniam dedit*, jure ut mirer ab eodem scriptum ad annum 1160. *Federicum ex Italia in Germaniam properantem per Brixienses agros, jussisse illos diripi, ac vastari, quod aciem Boemorum illac transeuntem invaserant.* Urspergensem: Brixienses Imperatoris jussa jurati se facturos promiserunt, ad valens tamen sexaginta millia marcharum ante tulerunt incommodum.

* Restitue, *confertum.* † Legendum videtur *metiri*, vel quid simile.

Hucusque scripserat Felix Osius, vir multa, eaque non vulgari eruditione, ac in Patavino Gymnasio publicus humaniorum literarum Professor, cum immatura morte in Cœlum raptus, æternam clarissimi nominis gloriam, & acerbum sui desiderium reliquit.

FINIS.



ERYCI PUTEANI
HISTORIAE CISALPINAE
LIBRI DUO:

RES POTISSIMUM CIRCA LACUM LARIUM A JO. JACOBO MEDICAEO GESTAE.



MAGNO ET INCLYTO

PRINCIPI

PHILIPPO GVILIELMO,

PRINCIPI AVRAICAE, COMITI NASSAVIAE, ETC. EQVITI AVREI VELLERIS,

HEROI INCOMPARABILI,

ERYCIUS PUTEANUS

MEDICAEVM SVVM

CONSECRAT.



MAIORIS MINERVAE DATVRVS MVNERA, MAGNE ET INCLYTE PRINCEPS, PIGNVS PRAEMITTO: HOC IPSUM HISTORIA EST, QVAM NON OMNES TAMEN MOLIVNTVR: ET CISALPINA EST, QVAE QVIDEM JO. JACOBVM MEDICAEVM INSVBREM, ET RES AB EO CIRCA LACVM LARIVM POTISSIMVM GESTAS SPECTAT. DESIGNAVI OLIM VELVT SPECIMINE QVODAM, NVNC DESCRIPSI VIRVM; SED EA DVNTAXAT VITAE PARTE, QVA HACTENVS LATVIT, ET STRENVVS TAMEN FVIT. ENIMVERO NVLLVS ETIAM ESSET, NISI VILEM, AVT MALVM ALIQVI DICERENT, VELLENTQVE IGNORARI. VT LIBERE DICAM, TENTARE AVSVS EST, QVOD PAVCIS BENE CEDERET: EVENTVS VIRTVTEM ILLVSTRAVIT. AN EXTOLLO ARGVMENTVM? DIGNIVS ILLVSTRIVSQVE CAPERE POTERAM; FACERE NON POTERAM. ET TAMEN RES VNIVS HOMINIS, VELVT PROVINCIAE TOTIVS SVNT. PROVINCIAE, SVO QVODAM FATO BELLIS OBNOXIAE, ET CVI HISTORIOGRAPHVS A REGE MEO DATVS ERAM: HOMINIS, SVO MARTE AD SPLENDIDVM FORTVNAE FASTIGIVM EVECTI, MAIORIBVSQVE TVIS ALIQVANDO NOTI IN CASTRIS CAESARIANIS. ANIMVM PRINCIPIS ADHVC PRIVATVS GESSIT; VIRI, ADOLESCENS, AVT ETIAM PVER. VT OMNIA AVDERET, MEDICAEVS ERAT: FORTIS AVTEM, VT IN GLORIAM GENTIS PATRIAEQVE CRESCERET; INVICTVS QVOQVE, POSTQVAM LACVM LARIVM DEBELLAVIT. ERGO SVAVE NVNC TIBI ERIT, INCLYTE PRINCEPS, AD ILLAS AQVAS, LITORA, COLLES, ET SEVERIORE FACIE RVPES ALPESQVE MENTIS ITINERE VEHI. LOCI AMOENITAS MARTE HORRIDA, ET SVO TAMEN GENIO RIDENS, HEROICVM ANIMVM TVVM DIVIDET, NVNC PACIS, NVNC BELLI AFFECTV. OPTABIS HOSTEM, SED QVEM COMMVNEM RESP. CHRISTIANA HABET: RVRSVS AD TRANQVILLITATEM VOTA STVDIAQVE CONFERES, VT ET TVOS VELVT PIVS PATER REGAS, ET ALIOS VELVT MAGNVS CADVCEATOR SOCIES. SED ARMA CESSENT: AGIS NOBILISSIMA QVIETE TVA, QVOD OMNEM SVPERET MARTEM, ET HISTORIAM FACIAT: IMO JAM EGISTI, QVOD OMNIBVS VICTORIIS PVLCHRIVS EST, QVODQVE MAIORES TVOS, ILLOS LONGA SERIE STRENVOS, ILLOS, VT OMNIA DICAM, CAESARES ILLVSTRAT. ET EXPRIMAM? OMNI FORTVNA EVNDEM OSTENDERE VVLTVM POTVISTI, TANQVAM NON SATIS CORPORE FORTIS INVICTVSQVE, NISI ET ANIMO ESSES. VT RES HVMANAE SVNT, PROMISCVAM OMNIBVS PVGNAM NECESSITAS TEMPORVM ASSIGNAT, NON OMNIBVS ADOREAM. SIC MISERI PLERIQVE SVMVS, CONSTANTES NON SVMVS. AC SANE SI RECTE CALCVLVM PONIMVS, VITA MORTALIVM VELVT MARE EST, ET NAVIGAMVS OMNES. EST QVI ALTVM PETAT, QVI LITVS PREMAT, ET TERRAE PELAGIQVE CONFINIA METIATVR: VERVMENIMVERO VBIQVE VIM SVAM CASVS EXPLICAT. HIC VENTORVM INJVRIA OBRVITVR, HIC SCOPVLO ILLIDITVR, HIC IN VADO HAERET: AD SVMMAM, NAVFRAGIO PLVRES ITER, QVAM PORTV TERMINANT. ET TVAM IGITVR RATEM, MAGNE PRINCEPS, HAC TEMPESTATE RERVM NON VNA FACIE NEPTVNVS EXERCVIT: SED VNDIS ET PROCELLIS MAIOR, * SVSTINVISTI QVICQVID ASTRA MINABANTVR, ET * PROGRESSVS ES. VICISTI MARE, ET SINE IMPEDIMENTO NAVIGAS: VERE MAGNVS, QVIA TRANQVILLVS INTREPIDVSQVE; VERE FELIX, QVIA VIRTVTE LAETVS. ALIVM TE QVIA FORTVNA NON VIDIT, POTENTISSIMVS REGVM PHILIPPVS PRAESENTEM ADMIRATVS EST; BELGISQVE REDDIDIT, VT VNIVERSO GENERI HVMANO RELVCERES. SED ET HENRICVS MAGNVS NON PLENVM ADHVC MAIESTATIS SVAE FVLGOREM CENSVIT, NISI INTER GALLIAE DEOS, SIVE HEROES TE HABERET, ET SPLENDIDISSIMIS NVPTIIS SANGVINI REGIO INSERERET. FECIT: CVMQVE SVAM NON POSSET, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS CONDAEI SOROREM IN MATRIMONIVM DEDIT; SIC QVOQVE BORBONIAM. PLVS TAMEN HAVSERIS GLORIAE AN SPARSERIS, DVBITO. PROXIMVM CERTE VELVT SOLI SIDVS VBIQVE EXSTITISTI. MEHERCLE, APTAM SATIS IN TERRIS IMAGINEM NON REPERIO, QVA VIRTVTVM TVARVM SPLENDOR EXPRIMATVR: CAELO OPVS, VT MAIESTATEM SVAM SERMO ACCIPIAT. SIC IGITVR SVBLIMEM TE, ET QVODAM DIVINITATIS JVBARE CIRCVMFVSVM SVSPICIO, ET MAJORI CVLTV, QVAM DONO VENEROR. SED FLORITIVM TVVM, ADMIRANDI INGENII ET FACVNDIAE VIRVM, SI NVNC QVOQVE AVDIS; BENIGNVS POST BENEFICIVM NVPERVM ERIS, ET TVO HOC OPVS PATROCINIO, TOTAMQVE SIMVL PALLADEM MEAM PATIERIS COMMENDARI. AMPLIVS ERIT, PROTEGI A TE MEDICAEVM, QVAM CELEBRATVM A ME ESSE. SCRIBI VERO SI TVAS VIRTVTES SINES, ADDAM FORTASSIS TANTO FASTIGIO FAMAM, DVM IPSE CAPIAM; ET IN LVCEM EFFERAM MONVMENTA, QVAE HOC AEVVM VINCANT. VALE, MAGNE ET INCLYTE PRINCEPS, ET VIVE, VT DIV FRVI BONITATE TVA POSSIMVS. LOVANII, IN ARCE, IV. KAL. APRILIS, ∞. IↃ C. XIV.

* Allusum ad Symbolum Principis, quæ Navis est, ventis oppugnata, cum Scito: SUSTINENDO PROGREDIOR.

FED.


ΣΠΟΥΔΑΙΩΣ ΖΗΝ
ΑΡΙΣΤΟΝ.
ERYCIVS
PVTEANVS
ꝏ.IↃC.XIV.
AN.XXXIX

FED. CARD. BORROMAEVS
ERYCIO PVTEANO
BELGARVM PRINCIPIBVS
A CONSILIIS,
ET HISTORIOGRAPHO REGIO.



VM Historiæ tuæ partes à Clarissimo Sacco mihi per hosce menses ostenderentur, lætabar sane, quia magnus jam ipse litterarum gloriâ, Propinqui nostri rebus animum adjecisses. Nunc vero, cum videam procedere magnis incrementis opus, tanto magis, & lætor, & tibi gratias ago, & ut pergas, hortor. Plena magnis militiæ exemplis erit historia, & claritudinem rerum facillime stilus tuus exæquabit. Nos vicissim, si qua in re poterimus prodesse tibi, faciemus libenter; quia & sic tua virtus postulat. Vale.

C. PLINIVS
LIBRO V. EPISTOLA VIII.

PVlchrum inprimis, non pati occidere, quibus æternitas debeatur, aliorumque famam cum sua extendere: me autem nihil æque ac diuturnitatis amor & cupido solicitat: res homine dignissima, præsertim qui nullius sibi conscius culpæ, posteritatis memoriam non reformidet.

IN ILLVSTREM
VIRI AMPLISSIMI CLARISSIMIQVE
E. PVTEANI
CISALPINAM HISTORIAM:
quâ res potissimum circa LACVM LARIVM à Jo. JACOBO MEDICAEO gestæ continentur.

Τὸν κρατερὸν Μεδικαῖον ἀρήϊον αἷμα Λατίνων
Ἔγχεϊ καὶ θυμῷ πάντα δαμασσάμενον,
Ἀνδρῶν μητρυιὰ μεγάλων ἐδάμασσε βαθεῖα
Νὺξ μάλα, καὶ λήθης κῦμα πολυῤῥόθιον.
Ἐῤῥύκιος δ' ἐμὸν εὖχος ἀρήϊον αἷμα Συγάμβρων
Ῥύσατό νιν, Μουσέων ἐκ κλέος ἀμφιέσας,
Ὄμβρον δὲ εὐεπίης χρυσοῦν κατεχεύατο κείνου,
Ὥς ποτε τοῦ παιδὸς Ζεὺς μέγας Ἀκρισίου,
Παυροεπής, γοργοῖς δὲ σοφὸν νόον ἀμφικαλύπτων
Ῥήμασι, Μοιράων φάρμακον ἠδ' Ἀΐδου.
Νῦν δ' Ἄρης ζωὴν μὲν ἑὴν Μούσῃσιν ὀφείλει,
Ἐῤῥυκίῳ Βελγὶς, Βελγίδι δ' Αὐσονίῃ.

IDEM, PROPE AD VERBVM.

Ingentem MEDICAEVM Hetrusci è sanguine Martis,
Omnia qui ferro ac impete subdiderat,
Sæva noverca virum magnorum injuria noctis
Subdiderat, Lethes fluctibus implicitum.
ERYCIVS mea cura, Sicambri è sanguine Martis
Servat, & à Musis donat habere decus,
Eloquiique viro auratum superingerit imbrem,
Haud secus ac natæ Jupiter Acrisii,
Pauciloquus, sensusque altos sermone rotundo
Includens, fati quæ medicina foret.
Musarum nunc sævus habet Mars munere vitam,
ERYCII Belgis, Belgidis Ausonia.

DANIEL HEINSIVS.

JOANNIS JACOBI MEDICAEI
INSVBRIS
BREVE ELOGIUM.

IO. IACOBVS MEDICAEVS INSVBER, MARCHIO MARINIANI, EQVES AVREI VELLERIS, MEDIOLANI ANNO ∞. CCCC. XCVIII. EIDIBVS FEBRVARII NATVS, ET EGREGIE ENVTRITVS, INDOLE MOX AETATEM VICIT, MAGNA VIRTVTE AD GLORIAM ENITENS. STATVRA MEDIOCRI FVIT, PECTORE LATO, TOTOQVE CORPORE PVLCHER: ADSPECTV SVAVIS, NON SINE ACRIMONIA, OCVLIS PENETRANS, TANQVAM MAIESTATEM GRATIIS IVNGERET: NATVRA FACVNDVS, INGENIO ACER, MANV FORTIS, MORIBVS COMIS: DISCIPLINAE TENAX, IN DELICTA SEVERVS: SI QVID AGENDVM, CELER; AD OMNIA PROMPTVS, ET GRATVS OMNIBVS; QVEM QVI AMABANT, SIMVL VEREBANTVR: OTII IMPATIENS, VOLVPTATVM OSOR: MILES ET DVX; STRENVVS ET MAGNVS: SVIS PRIMO AD LACVM LARIVM, DEINDE PER VNIVERSAM FERE EVROPAM CAESARIS AVSPICIIS VICTOR, IN PATRIA VRBE FATIS CONCESSIT, ANNO ∞. IↃ. LV. TVMVLVMQVE IBIDEM, QVO VIX PVLCHRIOR TOTA ITALIA CONSPICITVR, A FRATRE PIO IV. PONTIFICE MAXIMO ADEPTVS EST.

De Die Natali, Genitura, & Fortuna MEDICAEI Cardanus in *Aphorismis Astronomicis*.

ERYCI PUTEANI HISTORIAE CISALPINAE

LIBER I.

BREVIARIUM.

Operis limen brevi Naturæ non senescentis elogio exornatum. Magnorum ingeniorum facinorumque nullum non ævum ferax. Homines mali aut ignavi præsentem oderunt virtutem, & quicquid non est, æstimant. Sed Jo. JACOBUS MEDICAEUS, *ut invidiæ, dum viveret, obnoxius; ita Stilo dignus fuit: vir animo manuque fortis, & quem omnis posteritas admiretur. Rerum ab eo gestarum compendium, & velut ad Historiam iter. Tum origo, parentes, familia: reditura claritas prodigio notata. Indoles ad arma & militiam; & quia emergens, mox in urbe hostes habuit. Ergo etiam puer insidiis circumventus, & ferro læsus, tanquam ad vindictam, majoremque fortunam convaluit. Adversario interfecto, urbem deserit, Lacum Larium petit, & inter exsules degens, jam tum innata virtute suum Patriæque fatum cœpit provocare. Galli eo tempore rerum potiebantur, in aliena provincia violenti. Hinc Insubrum pro Francisco Sfortia conspiratio; sed detecta, ut publica belli tempestas accederet. Medicæi interea audax facinus, & in reliquo bello fortitudo atque industria. Pontificis, Cæsarisque copiæ se Sfortianis jungunt. Contra Galli, Lautreco Duce, in hostem eunt, & fugantur. Ad Abduam res geritur: primusque Medicæus flumen trajicit, & pugnat. Pari mox ardore & successu patria scandens mœnia, exsulum agmen inducit, præsidium pellit, & in auxilia cives convocat. Hac pugna urbs magis, quam provincia capta. Principem accepit Sfortiam, sed occupavit. Medicæo Præfectura Lacus Larii delata: quam rigide ille administrat, cædis Mattianæ ultor, Guelfiæ factionis hominibus plusquam hostis. Gallorum naves in portu Mussiano accendit, opido parcit. Lautrecus, velut vindex, Leuci reparat vires, Sfortianos classe exsuit: quem à plena victoria Medicæus arcet. Nequicquam deinde æmulatione Claravillii impeditus, Turnum excidit, Herba latrones pellit, Mussianam arcem insidiis tentat: quia non successit dolus, majori animo mox obsidionis auctor, & deditionis interpres, quam si pugnasset. Magnum hinc facinus, & ambiguæ famæ, jussu Moroni aggressus est, & Astorem Vicecomitem, tanquam turbatorem publicæ quietis, interemit. Pro novo urbis vulnere id habitum, & Sfortiæ imputatum: qui tametsi invidiam criminis removet, domestico scelere pæne oppressus est. Sed Medicæus, velut præmio donandus, per fraudem exitio destinatur. Re detecta, discrimen in occasionem melioris fortunæ vertit, & felici astu virtuti sedem quærens, arce Mussiana potitur.*



ERUM humanarum sensim labi fata & languescere, vetus, sed iniqua querela est; nostra autem hac tempestate præcipue invaluit. Homines ut impune inertes simus, necessitatem accusamus. Nemo fuit, qui tantum sæculo suo favit, ut optimum putaret. Nunc etiam prava o-A pinione decepti plerique, evanuisse olim ingeniorum credunt florem, & ad fæces naturam subsedisse. Hinc solenne mortalitatis vitium: *Negligere atque etiam contemnere proxima; contra, loco & ætate longinqua admirari.* Id enim agimus fere, ut infra majorum decus positi, quæsita labe turpes simus, & laudemus tantum quæ desierunt esse. Igitur nostro infensi, clarorum virorum facta, moresque alieno & orbe & sæculo quærimus; impenso quoque Antiquitati pretio, quasi lassa aut fracta temporis senio virtus ubique corruisset. Si fruges & proventum hornum spectas; sterilem sæpe B annum fœcunditas sequitur, fœcundum sterilitas: ita cum sæculis florent ingenia, ut mox deficiant; & deficiunt, ut renascantur. Hanc varietatem leges mundi habent. Sed nec ulla tam infelicia fuere fata aut tempora, ut virtus desierit: post ignem favillæ reluxerunt. Viros illustres Græca & Romana vetustas frequenti favore fastis & æternitati consecravit; egregiis facinoribus impensius favens: invidiam aut ignorantiam removeamus; omnis ætas, omnisque populus in exemplum & admirationem veniet. Qui somno vitiisque mersi sunt, & tam simul mali, ut ignaviæ patrocinium C quærant; esse non sinunt quos suspiciant: bonis rebus infesti, sæculo quicquid peccatur imprimunt, & vicinam omnem gloriæ lucem, quia recto oculo sustinere nequeunt, pravo judicio conantur exstinguere. Hic igitur morbus moram rebus, & simul Historiæ objicit; ut cum pauci fortiter faciant, scribere plerisque aut vile, aut ambitiosum sit, & sterili duntaxat industriæ relictum. Sed non omnium culpa sæculi totius gloria contabescit: etiam in tenebris mortales aliqui diem moliuntur: ut post occasum Solis noctem illustrant sidera & velut accendunt. Pectus qui perversa in-D dole corruptum habent, queruli sunt; & accusatores omnium, ingenium à vera laude removent. Atque isti oppleverunt velut cineribus igneam vim animi, & otio torpentes mortuorum imaginem habent; imo vero dum spirant, ignorari incipiunt. Si quis igitur veterno hoc excusso, ad magna & victura mentem erexerit, æternitatem orsus est, & tempora sibi Majorum vindicat. Nam ut pro naturæ vigore loquar: annis fessam & effœtam dicere, aut error, aut ignavia est. In corpore humano, ut in elementis corruptioni obnoxiis, ipsa incorrupta; in animo, ut in cœlo, æterna; senii E expers, sana, robusta; fœcunda quoque, si colatur. Itaque si animum expendis, ab eodem æthere ducitur; si corpus, iisdem astris nascitur, & ad eandem laudem atque famam. Nostrum quidem hoc ævum, quod pares iterum vitiis virtutes extulit, inspice; admirabere profecto, qui objectam universo generi ignominiam deleant, si in aperto magis positi, & pro gestis clari.

Sed mihi Historiam scripturo MEDICÆUS, velut libamentum duraturæ industriæ, placuit: simul tueri munus meum, à maximo Rege injunctum; opere si non vasto, vario tamen, quia Martiali, F &, ut nullum sine cladibus bellum est, cruento. Itaque vitatis invidiæ odiique scopulis, narrabo ex il-


VIRTVTE
DOLOQVE.
IO. IACOBVS MEDICÆVS,
MARCHIO MARINIANI,
INSVBRIÆ
DECVS.


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

illustri & æterna gente Virum, cujus ut alio sæculo virtus resplenduit; ita nunc extra gratiam atque ambitionem gloria erit. Quantum egit, sibi quisque post fata vindicat: victisque naturæ beneficio obtrectatoribus, demum Auctor famam invenit, cum Scriptori vero esse licet. Mortuis nemo claritatem invidet; & magna virtus, cum præconem nacta, post omnia tandem hostem livorem conficit; cujus unius postuma victoria est. Non recedam vero ab Insubribus, bellorum quodam fato olim, & nuper jactatis, cum pro una hac provincia maximi Europæ Principes paribus pæne votis viribusque contenderent. Longum gravemque Cisalpina amœnitas Martem tulit, nec interiit: quantique momenti ad res magnas situs ipse esset, hostes confessi sunt, postquam debellati. Atque alibi suo regiones spatio bellum definiunt: hic de pugnantium magnitudine, de quiete & securitate Italiæ certatum est. Prorsus ut generosum prisca nobilitate censeas populum; quiescere nisi sub ipso Cæsare recusavit, non alium post tot clades passus Principem, quam qui orbis terrarum esset. Magnam tantæ fortunæ partem Jo. JACOBUS MEDICÆUS gessit, nunc mihi dicendus: ille non æqua nuper judicia expertus, & sic aut non satis adhuc, aut aliter notus. Parum quibusdam erat, negare magnum, nisi & malum affirmarent; quasi facilius gloriam destructuri, si mores reprehendissent. Verum ita se res habet. Vir militari ingenio, qui Scriptoribus blanditus non est, pulchriusque putavit, mereri famam, quam captare; alibi negligi, alibi etiam vellicari cœpit, & in calumniam sævitiæ ac temeritatis rapi; tanquam nulla virtute, sed cæco fortunæ beneficio evectus. Stupore deinde & silentio odia excepta sunt, tantumque profecit obstinata injuria, ut cum mala cessaret fama, ne bona quidem superesset. Proh nefas! tanta vis animi passim favore destituta, primum luctari circa fidem cœpit: mox oblivionis quodam pondere oppressa, propemodum succubuit. Quippe rati mortales, fieri non posse, quæ rerum ordinem excederent, oblivisci maluerunt, quam inquirere, admiratione in silentium conversa. Sed non diutius latere potes, magne Heros. Cessarunt odia, oblivio expugnanda est. Humani generis interest, in omnem posteritatem facinorum tuorum memoriam extendi. Et quid in miraculis veteris ævi hæremus? Alexander esse poteras, si te Philippus aliquis genuisset: paria gerere, si tam fortunæ, quam virtutis fuisses filius. Magnum tamen deinceps mortales omnes dicent, qui in uno lacu, & adhuc juvenis, terrarum velut orbem videris debellasse. Te tibi ego reddam, famæ & simul veritatis mysta; nulloque corruptus beneficio, pari ingenio & fide ab æternis virtutibus tuis omnem temporis hominumque injuriam depellam. Vos qui nunc vivitis, & qui victuri postea, amate immortalitatis curam: tum si hæc gesta, & hæc scripta placent; gerite ipsi quæ sic scribi possint, aut scribite quæ sic gesta: ut rara sint, & scitu digna, cum nulla facundia celebrantur, fama & æternitate excidunt. Favete, & legite: excelsi invictique animi exemplum refero, egregium Insubrum, Italiæque decus. Heroem, non hominem, qui reluctantem alibi vasto armorum molimini fortunam freno ingenii coërcuit, intrepida fiducia testatus, quantum ingens hominis unius animus in rebus humanis possit. Sed lubet breviter carptimque complecti magnitudinem argumenti, & velut rudi manu designare rerum imaginem, quam diducam colorum varietate & expoliam.

Natalibus inclytus, sed temporum malignitate depressus, generosam indolem gloriæ desiderio imbuit, & à se exegit quicquid Majores fuerant. Adhuc puer virili vindicta fortis, validum inimicum

A confecit. Mediolano pulsus, rudes adhuc annos militiæ tradidit, & vasto animo virtutem nutriens, pulchrum exsilium fecit. In Gallos mox animosus, pugnando Patriam meruit. Multa consilio & manu patravit, virtute & dolo: quia & in perniciosum civem ferrum strinxit, magnumque Principis caussa discrimen subiit; obsequio gratus, & tamen facinore invisus fuit: quasi morem gerere, virtutis; gessisse, sceleris opus esset. Sed ille etiam post audaciam felix, nec falli insidiis, nec vinci armis potuit; etsi & injuriæ obnoxius, tanquam amicus; & impar, tanquam hostis. Ergo Principis violentiam bello sustinuit: unicoque præcipue
B castello munitus tutusque, velut è spithama rupis, universam provinciam populosque vicinos conterruit. Ita incredibili industria & innato vigore animi, plane stupente Europa, ad excelsa belli vota perrupit: gloriosus quidem, quod ex ipso silentii profundo emergere tam felici conatu potuerit; gloriosior autem, quod modum felicitati posuerit, & cum summa virtus promitteret, mediocria amplexus sit. Ut magna gessit; ita gloria sua dignus fuit, & familiæ suffecit. Namque Mediolani MEDICÆOS esse, mirari Hetruria desiit, postquam prudentissimus in Insubribus bellator tam illustri nomini par fuit. Deinde, cum dare famam suis o-
C mnibus posset, tam benigno fato usus est, ut in fratre & propinquis æternus quoque esset. Fratrem cum dico, Pontificem dico Maximum, PIUM IV. sacrum rerum humanarum caput: & hunc proximo sanguinis atque dignitatis gradu DIVUS CAROLUS BORROMAEUS, cælestis in terris spendor, excepit, è sorore utriusque natus. Atque ut ambo hi Antistites fuere, facere magnum, alter fratrem, alter avunculum potuit, quem insecuti; si nihil dignum fama ipse designasset. Sed suis armis, suorum postea toga & sanctitate inclytus, quantum paraverat nomen, invenit.

D Gentem igitur, ut dixi, MEDICÆAM habuit, antiqua origine illustrem, sceptris & imperio divinitus destinatam; quæ diffusis olim per Italiam, adeoque Græciam radicibus, Florentiæ æternitatem fundavit, & Mediolani cum laude floruit. Etenim inter fœderis Legatos ad Fredericum Imperatorem ab Insubribus missos, Joannes & Lotharius Medicæi fuere: alter anno ∞.CLIX. alter mox ∞.CLXXXIV. Vicus quoque & palatium hodie Medicæum; etsi sic dici desiere, postquam vetus illa familiæ dignitas imminuta. Nam ille à Moronis hodie appellatur: palatium nisi vetera insignia gentis superiori limini inscripta gereret, pæne nesciretur. Pater BERNARDI nomine fuit, vir prudens, gratus civi-
E bus, natus negotiis; qui in cura vectigalium provinciæ manceps consenuit, nullo detrimento honoris aut famæ; cum & olim laudabili ritu, in æterna virtutis urbe, *Florem equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipublicæ*, quemadmodum M. Tullius testatur, *Publicanorum ordo contineret*. Florem & pæne robur vitæ cœlebs egit. Inclinante vero ætate posteros cogitans, CAECILIAM SERBELLONAM, è patria & nobili familia uxorem duxit, splendido & mox fœcundo conjugio. Liberi superstites utriusque sexus fuere: mares quinque: Jo. JACOBUS, Jo. ANGELUS, BAPTISTA, AUGUSTUS, GABRIEL. filiæ duæ: CLA-
F RA, quæ postea WOLFANGO THEODERICO ALTEMSIO nupta; & MARGARITA, uxor GIBERTI BORROMÆI, quibus Parentibus D. CAROLUS natus est. Ante reliquos Jo. JACOBUS Mediolani, anno ∞. CCCC. XCVIII. * ac deinde ANGELUS in lucem editi, qui lucem reliquis, atque adeo familiæ laboranti darent. Id sub infantiæ mox initia prodigio promissum. Quippe lucerna, quæ in cubiculo noctu alebatur, repente, pueris dormientibus, ex-

* EID. FEBR.

exstincta est; sed reliquias ignis pyrallis consectans & circumvolitans, ut contractis tandem gyris lucernam contigit, novo Lumine animavit. Res mira: vix plenam flammam Lychnus conceperat, atque cubiculum illustrarat, cum denuo exspiravit. Nec interpretatio vatum defuit: *Promiscuæ fortunæ varietatem portendi: puerulos afflictis familiæ rebus certum aliquando, at non diuturnum lumen præsidiumque fore: & quasi Medicææ apud Insubres gloria in casum cresceret, culpa quadam temporum hominumque denuo prolapsuram.* Verum pater spe dubia plenus, ut viam fatis sterneret, honestarum artium cultu ingenium utriusque nutrivit: & sic altum uterque spirans, nec fractus deliciis, nec indulgentia solutus, diverso ducente genio, per diversum vitæ iter ad paterna vota properavit: alter litteris, alter armis experturus, quid summum in rebus humanis esset. Jo. ANGELVS pleno desiderio quietem amplexus, cum per continua & tranquilla pacis studia pueritiam adolescentiamque transegisset, Jurisconsulti titulo Ticini publice donatus est; ac deinde Mediolani in Collegium Jurisconsultorum doctrinæ & antiquæ nobilitatis suffragio adscitus. Mox pari prudentia & sanctitate componens animum, sacram togam religiose sumpsit, & tranquillissimam vitam cælibatui tradidit. Ita egregie commendatus, & per omnes honorum gradus, celerrima virtute evectus, ad culmen humanorum votorum, sed fratre jam defuncto, conscendit, & gratissimo publice nomine PIVS QVARTVS appellatus est. Sed Jo. JACOBVS, cum primum gustum litterarum hausisset, Romanæ Historiæ serio inhærens, militaris gloriæ cupidinem animo impressit. Hinc ad arma conversus, laxare flammam ingenii cœpit, corpus exercere, discere à peritis, sequi optimos, ac potentiorum amicitias studio & obsequio nectere. Erat in vultu blandities & gravitas, in moribus severitas, in animo virtus, in omnibus fervor, & supra ætatem omnia: quibus in turbulenta civitate multorum invidiam atque inimicitiam provocavit. Nam melior omnis vita, & virtute emergens, odium apud inertes habet: ignavis nemo invidet. Vix ephebum Paullus Pannianus juvenis nobilis & acer cum armatorum manu ex insidiis adortus, pæne oppressit: atque hic primum invicti animi rudimentum enituit. Circumfusi adversarii incautum adolescentem infesto petebant ferro: ille in repentino periculo facilius gladium, quam consilium promens, gradu ad prœliandum composito, primam vim viriliter sustinuit: mox ipsis vulneribus stimulatus (quinque jam gravissima acceperat) perrupit & evasit. Vicisse putares, qui sic fugeret; & corpore viribusque integrum, qui glorioso confunderet sanguine vestigia, nec titubaret. Quam fortiter pugnasset, læsus ostendit; periculi magnitudinem atrocissima vulnera. Evestigio igitur in vicinam Castellatiorum domum receptus, & corona cinctus amicorum civiumque, qui confluxerant, Spartano prorsus & heroïco animo medentis sustinuit manum, & contemnere potuit, quicquid hostes inflixissent. Vicit affectum quoque circumstantium generosa juvenis indoles, & cum nemo non ingemisceret, solus hic qui læsus, serenos circumferebat oculos, velut doloris expers. Parum etiam crudescentes jam ferre plagas, nisi & spectaret: quia igitur gravissimo vulnere dorsum patebat, triente propemodum corporis dissecto, poposcit specula, & constantibus oculis hiatum arbitratus est; hoc tantum tristior, quia aversum. Vix è periculo vitam viresque recuperaverat, cum magis & magis stimulante injuriæ memoria, inimicum nobilium juvenum caterva septum solus aggressus, interemit.

Hac cæde universa familia irritata, illico urbe excessit; & ad Lacum Larium, ea tempestate partium tumultu & armis varie inquietum, exsulatum ivit, tanquam ad occasionem magnæ virtutis evocatus. Factionis Gibellinæ hic tunc caput Joannes Mattius erat: quem per varia discrimina secutus, sæpius ipse duxit, & manu consilioque servavit. Helvetiis, Rhætisque gratus fuit, & Theganum cohortium Rhæticarum præfectum, corpore pariter & animo maximum, insigniter sibi conciliavit. Quæ vis rectæ & generosæ indolis! labore, vigilia, inedia deliciarum cupidinumque ipsam pæne memoriam delevit, jam sine onere ad gloriam anhelans. Nam qui voluptatis blanditiis capti, obrutique corpori indulgent; humi serpunt, vitamque infami silentio consumunt. Tanti erat urbem relinquere: neque tamen cum aspera illa locorum diutius incoleret, mores inhorruere: comis & blandus inter amicos; ferocem acerbumque soli hostes experti sunt. Impetum & sævitiam sociorum clementiæ officio temperare solebat; ad gloriam, non ad prædam hortari: cum auctoritate, sine imperio erat. Itaque in longiori ac difficili exsilio, prius fortunæ, cum nullum à patre auxilium esset, mox famæ cura industriam acuit. Atque boni nominis fœcunda etiam semina per steriles rupes sparsa. Jam tum honesta quadam cupidine dominandi tentare animum cœperat, & fortunam quasi tardam accusare. Hactenus enim in umbra tantum militiæ arma, sacramento soluta, induerat, per publicum tumultum & ipse partes secutus: virtuti plenam occasionem bellum non dederat.

Interea Mediolani non una rerum facies. Vix sub Maximiliano Sfortia, Ludovici filio, Francisci nepote, civitas respirasse visa, & in Gallorum denuo potestatem cessit. Franciscus I. Valesius, post auspicia mox regni, in Italiam exercitum duxit, & feliciter ad Marinianum commisso prœlio, provinciam sibi vindicavit. Parum erat victum esse Sfortiam, nisi & abduceretur. Ludovici patris calamitas in filio Regi grata. Nam & ille antea post infaustam pugnam captus à Gallis, diem in carcere misere obierat. Sed hoc dedecus Maximilianus stolidæ mentis princeps, & à Majorum indole degener, amâvit; qui ut imperium, negligenter administratum, turpius etiam amitteret, hostem secutus est; liberque, ut sic dicam, paternam subivit ignominiam, pari fato, majori dedecore apud hostem moriturus. Unicum traditæ provinciæ præmium erat, ne egeret: sic quidem non sua tantum, sed patris fortuna dignus: nam quo ire voluit, meruit rapi. Galli deinde, tanquam in provincia armis subacta amplius liceret, violenter agere, victoria & clementia Regis sui abuti. Et dubites tamen, à civibus alibi, an à militibus plus mali; ab exteris, an indigenis.

Res novæ & nulla disciplina compositæ, occasione scelerum placent. Plures ergo Mediolanensium è nova mutatione rerum audaciam colligentes, quia Victoribus adhæserant, cum Patria debellatas quoque leges censere, omnia sibi permittere, aliena rapere; quasi injuriam facere, id demum esset libertate uti. Juventus ipsa annis ingenioque ferox, & turbido imperio læta, lascivire, turbare, vi agere. Atque in ista corruptela etiam qui juris potestate eminebant, posito patriæ virtutisque affectu, rebus suis studere, Justitiæ sanctissimam manum prostituere, noxiis faciles, insontibus graves, si emptori placuisset: pecuniæ cuncta obnoxia erant. Prorsus suis quoque vitiis Insubres Gallorum famam onerabant: ut non immerito dixerim, vetera tum vulnera omnia, partim vernaculo, partim externo scelere recruduisse, & velut unam plagam universum Reipublicæ corpus factum esse. Virtutis ingeniique cultus ludibrio erat, boni doctique odio. Sic ipsis malorum remediis amotis, audacissima quæque facinora impunitatem, atque

que adeo præmium inveniebant. Imperium crudele, impium, intolerandum: ambitio, avaritia, & demum libido, pro lege; jus & fas pro ludo: & jam poſt arma ſævior pax erat. Sed cætera dominantium vitia populus, tot malis ſubactus, tolerare utcunque potuit; cum libido acceſſit, univerſus urbis ſtatus, velut gravi procella, concuſſus eſt. Venus ipſa, furore armata, ſæviebat: ad obſcœnam fœdamque uſuram ſtupri palam matronæ virgineſque poſcebantur, è patriciis, & è plebe: ſi recuſarent, per vim rapi. Sic, quod extremum in tyrannide, ſanctiſſima thori jura violentâ libidine corrupta ac deleta ſunt; nec in ipſis privatorum ædibus laribuſque ultima libertatis umbra remanſit. Trucem & atrocem iſtam rerum ſcenam cum intueri bonus quiſque nequiret, & reprehendere capitale eſſet; alii, ut quam domi Rempublicam lege non licebat, foris ferro vindicarent, ſponte exſilium amplexi; alii, qui liberius aut ferocius ſe gererent, per Juſtitiæ ſpeciem pulſi & proſcripti: ita neque grave cuiquam exſilium, afflicta civitate; & frequens erat, cum furore quodam minimæ quæque culpæ tanquam maximæ plecterentur. Flos fere juventutis ac nobilitatis erat: hos Medicæus excipere, fovere, in armis habere: ac jam brevi temporis ſpatio robuſtam ſatis manum conflaverat, ad res Gallorum infeſtandas.

Hic publicus terror: ſed in urbibus occulta civium conſilia ad rebellionem. Auctor ſtimuluſque HIERONYMUS MORONUS erat, & nobilium animos continuis litteris ſollicitabat, vir prudens, & per id tempus Tridenti agens; ut Gallis obeſſet, Franciſco Sfortiæ Maximiliani fratri impenſe addictus. Franciſcum, qui in Belgis apud Cæſarem erat, pronis quiſque votis exoptabat: *Fratre meliorem eſſe, & jure in antiquæ fortunæ faſtigium evehi, ex quo ille turpiſſima pactione excidiſſet. Quem amplecterentur Principem, ipſo nomine moneri omnes; Franciſcum eſſe, avi ingenio & virtute ad imperium venire. Maximilianum nec mente firmum, nec rebus aptum, felicius in otio conſeneſcere: potuiſſe amittere provinciam, ut ad inertiam ſe reciperet; non perdere, cum verus Sfortia ſupereſſet, heres exſul, Princeps optimus, cujus & probitas & calamitas imperium mererentur. Cur igitur alienum adhuc potentiæ jugum ſuſtinerent? cur legibus moribuſque nuper hoſtis, nunc gravius domini uterentur? Non Regis hoc imperium, ſed gentis eſſe; omnium dominatu libertatem imminui; ac plures propemodum perturbato hoc rerum ſtatu regere, quam regi.* Ad ſummam, *Aſſciſcendum eſſe Principem, qui natalibus Inſuber eſſet, affectu Pater, tutelâ præſens; cujus indoles in majoribus placuiſſet.* Cum vero omnium arderent animi, imprimis exſules prompti paratique pro Sfortia fuere, partim odio in Gallos, partim ſpe recuperandæ Civitatis.

Interea Medicæus rem æterna dignam fama auſus eſt, & ut conſilia Moroni promoveret, fortis videri voluit. Quatuor itineris comitibus aſſumptis, Mediolanum perrexit: urbemque ingreſſus ſub meridiem, conjurationis teſſeram amicis detulit. Inde rediens in tabellarium Gallum, epiſtolarum ſarcina onuſtum incidit, fortuna velut ad novum facinus invitante. Digna diſcrimine præda viſa, arcana hoſtium penetrare. Ergo ut ſarcinam raperet, Gallum confodit; hoc quaſi cruoris libamento oppreſſis Penatibus vindictam libertatis coram pollicitus. Novum victoriæ genus, & pulchrum, quia fugere licuit. Epiſtolæ velut manubiæ erant, tanquam ab univerſa gente captæ; quibus mox luſit læſitque doloſe hoſtem, & gliſcentem conjurationem valide animavit. Maturuerant Inſubrum vota ad defectionem; & recuſabant omnes ſub alieno deinceps dominio miſeri eſſe. Summa conſilii erat, ſtatuto die per provinciam univerſam arma capere, pro

A Sfortia pugnare, ejicere Gallos, & quantum uſque malorum paſſi, ſummis viribus ulciſci. Itaque ad maturandum facinus Moronus cum paucis Tridento in Italiam profectus eſt, & è via unà Medicæum duxit. Neque celari tamen hoc iter potuit, aut ſuſpicione magni moliminis carere. Properantibus Rhegium Lepidi, quo frequentes jam exſules convenerant, Sfortiæ addicti, inſidiæ à Fuſio Præfecto Regio ſtructæ, & ægerrime vitatæ ſunt. Infelicior etiam exitus aliorum alibi pro patria conatum prodidit ac repreſſit. Comum, exiguo Gallorum præſidio munitum, Palavicinus & Mattius dolo tentarunt, collectis Germanorum Italorumque

B auxiliis. Sed caſu, an culpa proditi, cum circa mœnia hærerent, noctu à Gallis oppugnati, & cum terreſtri itinere fugerent, faucibus montium intercepti, in poteſtatem hoſtium venere. Palavicinus Mediolanum perductus, poſtquam detexit conjurationem, ſecuri percuſſus eſt. Mattius Comi, hoſtium ludibrio traditus, inter cruciatus exſpiravit, vir feroci ingenio, & apud Inſubres omnes bellandi audacia clarus: quem ita Medicæus luxit, ut armis affectum teſtatus ſit, parum amicus, niſi & vindex exſtaret. Sero cognitum, majorem jam Gallorum potentiam eſſe, quam ut domeſticis poſſet armis exſcindi: ubique in conjuratos ſævitum;

C & oppreſſa libertate, ſub graviori jugo provincia gemuit, ut Leo Pontifex, & ipſe Cæſar bellarent. Juſtis uterque cauſſis ſtimulatus, ferre diutius in Italia Gallos non potuit. Itaque percuſſo fœdere, ingentibus copiis Franciſcum Sfortiam per duces manu reducebant. Per Proſperum Columnam, & Ferdinandum Piſcarium Cæſar: per Fredericum Gonzagam Pontifex. Sfortia rerum ſummam Hieronymo Morono commiſerat, paulliſper ſpectator belli. Igitur junctis copiis viribuſque, etiam ſub libertatis ſignis agmen exſulum ſe movebat, Franciſco Morono duce, Hieronymi fratre, viro perquam ſtrenuo, & militari prudentia inſigni. Huic

D carus imprimis aſſiduuſque Medicæus, ob præfractum animi corporiſque robur; & è tota exſulum turba ad ardua patranda, velut in exemplum, ſæpius aſſumptus. Nam quaſi juſtis in armis virtus robuſtior eſſet, jam pro patria nihil formidabat: & ſic, ne ſolus in periculum iret, multi amore & ſimul æmulatione ſequi. Quæ facta, imo miracula! pro fabulis ſint, niſi publica & oculata fide obſignata durent. Neque tamen Medicæus in ſuam famam geſtis exſultare: ad Moronum velut auctorem & ducem, ut miles miniſterque fortunam referebat: ita virtute in obſequendo, verecundia in

E prædicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat.

Galli interim minime ſegnes aut trepidi; ſed ad repentinum belli nimbum excipiendum, Lautrecum ſequebantur. Primum certamen Abdua dedit, primumque ſanguinem hauſit, ut toti provinciæ propinaret. Cis flumen Lautrecus exercitum retraxerat, cunctiſque ad citeriorem ripam ſubductis navibus, hanc viris aggeribuſque munivit. Cæſariani ad flumen uſque ſecuti, per alveum vada fruſtra tentarunt. Tum Franciſcus Moronus, tranſlatis è Brembo vicino amne duabus ſcaphis, navique oneraria juxta ripam reperta, quam ſub virgulta frondeſque piſcatores abſtruſerant, tranſve-

F here ſuos noctis ſilentio ſtatuit, vallumque aggredi. Factum: inſiliunt, & prope pagum Vaprium evadunt. Contra Galli ſtrepitu excitati, ad ripam procurrunt. Primus in terram hoſteſque ſe Medicæus effuderat, quaſi ſolus pugnaturus; pæne temerario conatu, niſi plus fiduciæ in viribus, quam numero habuiſſet. Atque hoc ipſo audaciæ miraculo obſtupefactos omnes tenuit, liberioremque commilitonibus exſultum fecit. Acrior deinde pugna, excitis clamore periculoque auxiliis hoſtium: cum-



cumque major vis ingrueret, tumultuario consilio Medicæus fugam cum suis simulans, proximam in ripa domum occupavit: ergo dum eodem vim hostilem trahit, & virtute pertinaciam lacessit, jam trajectum naviculæ iterant, ac subsidium submissum est. Tandem Helvetiorum & Hispanorum copiis traductis, domum, vallumque ipsum fuga hostes deseruere. Nox & caligo terrorem auxerant. Itaque Lautrecus, mutato repente belli consilio, exercitum Mediolanum duxit; sive ut prœlium declinaret, sive ut armorum præsentia nutantes civium animos in fide teneret. Sic sero intellexit, *agitatum injuriis populum cupiditate libertatis incendi.* Sed Cæsariani, quasi fugientes sequerentur, ad urbem pariter advolant, rati civium auxilio expugnari posse. Primam aciem Piscarius ducebat, & ex ipso itinere mox in mœnia direxit, tanquam in urbe quieturus. Exsules, qui diutius ferre desiderium patriæ non poterant, ante reliquos festini, per vallum, recenti & interrupto opere hiantem, irrumpunt; ictus miscent, vi præsidium pellunt, sternuntque. Sic in urbem ipsam illatum prœlium, dum pugnando hostes cedunt; &, quod victoriæ omen erat, Trivultius, exercitus Veneti præfectus, capitur. Medicæus inter primos fortissime dimicans, in conspectu Larium Penatiumque tot annorum exsilium hostili sanguine expiabat. Ad armorum furorem cives quoque prosiluerant; sed, dubio etiam Marte, dubii ipsi anxiique, utri se parti jungerent. Qua fortuna rem daret vires inclinare, mali exempli erat: ac tametsi excutere Gallicum jugum gestiebant, in ipsa occasione trepidare. Dux auctorque libertatis deerat: & sic in caussa publica privatum quisque discrimen pensitabat; hinc memoriam injuriarum, istinc metum. *Militem utrumque esse: & insolentiorem, avidioremque novum. Hactenus si quid passi, non Regis culpa, sed Præfectorum vitio factum, qui natura avidi, Remp. tanquam prædam habent: illum, benignum justumque esse; hos, tyrannos, avaritia & superbia sævos: penes illum summam Imperii esse; hos moveri posse.* Cunctationem civium Medicæus non ferens, alios rogat, alios increpat, &, ut suspectos hostibus reddat, nondum sopitæ monet conjurationis. *Itane*, inquit, *libertatis oblitos ac fidei, æterni facinoris spectatores vos Patria habet? quis metus obsedit animos, quis torpor artus? manum, quam in auxilii fidem nuper porrexistis, nunc arma poscunt. Conjurare honestum fuit, si gloriosum nunc putabitis, aut necessarium pugnare. Vobis quidem hoc bellum geritur, hic sanguis funditur: & nonne vester? totum hoc agmen ex urbe vestra, & gente est; per vim & crudelitatem excisum & emissum. Recipite cives vestros, sanguinem vestrum: alius fratrem, alius filium, alius patrem, quisque civem: urbem urbi jungite. Illi, illi hostes sunt, quos in penetralibus aluistis: in hos sævite armis, qui vitiorum omnium tormentis in fortunas, conjuges, liberosque vestros sævierunt. Nobis quidem hæc patria est, in hac nati altique sumus: in hac si vivere non licebit, mori saltem licebit. Quid amplius? vivamus an moriamur, in vestra manu: sed vita libertatem ipsam, salutemque urbis; mors, servitutem, exitiumque una trahit. Expedite segne ferrum, & communes hostes exemplo meo ferite.* Hæc effatus, magno impetu in adversos fertur. Ardore juvenis correpti cives, cum nullo imperio tenerentur, pariter in Gallos magno fragore detonuere. Sic Medicæi auspicio, civium auxilio capta civitas, non sine nausea sentinam tot calamitatum effudit. Sed per provinciam major jam æstus belli, & pertinax armorum tempestas Sfortiæ incubuit: is in urbem, imperiumque accitus, magna pietate subditos tanquam pater complexus est: clemens, sollicitus, liberalis; quibus virtutibus potentiam auxit. Tanquam arma non impedirent, Rempub. ordinare cœpit, corrupta corrigere, inveterata mala sensim tollere, bonos fortesque laude ac præmio fovere. Hac occasione etiam Medicæi virtutem novus excepit honor & evexit, favente Morono; qui velut innata solertia fortium virorum æstimabat facinora, ut ingenia occuparet; ad splendidum otium neminem nisi ignavum traducere solitus, & cujus ad pompam duntaxat nomen aut potentia valeret. Trahebantur vero, ut dixi, graves adhuc belli reliquiæ, & cum his calamitates. Victi Galli, gravius jam nocebant, quia per provinciam sparsi; & qui prœliis non sufficerent, latrocinia exercebant, opidis passim arcibusque adhuc tuti. Lacum præcipue Larium cruentus partium furor agitabat: & his aquis velut refocillata lassitudo hostium, melioris aliquam fortunæ fiduciam admisit. Valida manu Guelfiorum factio grassabatur: litora omnia infestâ classe domita. Mussium Trivultiani, Leucum Galli, Minacium exsules & transfugæ tenebant: qui omnes locorum situ feroces, facilius viribus usi sunt, &, pronis in Regem Rhætis, Helvetiisque, crudelia ubique ausi. Medicæus igitur in Mattii suffectus locum, à Gallis paullo ante ignominiose necati, Præfecturam lacus accepit; munus egregium, & occasione belli æstimatum: quod cum plures ambirent, nemo tamen capessenti invidit: ita illum & favor publicus odio aut æmulationi exemerat: paremque jam honoribus maximis fecerat fama. Non potest insignis virtus auctorem abscondere; præmia trahit, & suavi pollicitatione inter labores blanditur. Sed non omnibus extra nubem fortuna ridet: multum consecutus est, qui egregia facinora ad gloriam sine invidiæ obstaculo promovit. Æstimabat provinciam suam Medicæus, primum, quia non ad quietem aut delicias, sed ad discrimina vocatus: deinde, quia ad munus amici; ut successor, & simul ultor esset: postremo, quia ad loca quæ amabat. Ivit igitur, & selecta stipatus amicorum manu, cum nullam in præfectura pompam affectaret, laborum omnibus socius esset cœpit: præcipere singulis, & ipse exsequi: in hostem milites ducere, & una pugnare: rapere prædam, & dividere. Initium muneris vindicta Mattii nobilitavit, non sine crudelitate sumpta: ita amici & successoris animum inulti adhuc manes stimulabant; & quam hostes exercuerant armorum truculentiam, passi: quasi non in præfectum, sed dignitatem peccassent, puniti sunt; & auctores atque consortes criminis, ut sine macula Præfectura esset, aut militis, aut carnificis sævitia exstinxit. Primum quidem exsules oppugnati, & Minacium exustum. Hinc favillæ latius sparsæ, vicina aliquot opida, passimque lacum corripuerunt. Crederes alibi, & ipsas quoque aquas ardere: sic quasi ferrum satis non esset, in reos hostesque ignis sævire debuit; & ut magis rerum natura turbaretur, elementa pugnaverunt. Sed Medicæum cum caussa absolveret, & ardens in Principem affectus, acriorem quoque pertinacia hostium fecit, & quæ invaluerat Guelfiorum factio, rebus adhuc Sfortiæ infesta. Hæc igitur armis retundi, & vi summa comprimi cœpta, quo spes Gallicæ conciderent. Victa tandem & prostrata, postquam terrorem crudelitas implevit. Atque Gibellinis tum animi viresque additæ, qui tali duce vim iramque effundere, & moliri toto lacu potuere, quicquid vincentibus militiæ votis fortuna solet indulgere. Medicæus, ut in solum hostem sævus esset, immenso humanitatis affectu suos complexus est, largus, facilis, familiaris, tam misericors Præfectus, quam acerbus Victor. Quin & Mattii matrem, fratres, liberosque, tanquam suos habuit, filius ipse, frater, pater. Quantum alibi natura solet, hic affectus præstitit: mortem Mattii

tii scire poterant, qui non luxissent: quibus perierat, superstes fuit. Hic veræ amicitiæ fructus est, benefacere, cum possis omittere; & amare, cum fructum nullum speres. Erga viventes plerique benigni sunt; qui in mortuos, rari omnino exsistunt. In conjuge, liberis, atque adeo propinquis amicus vivit, etiam cum desiit: in his amandus, ne temporis potius, quam virtuti affectus serviat. Medicæus autem, postquam ultione pariter & beneficio placasset amici manes, generosius in Gallorum reliquias, iterum crescentes, ivit, deductis ad benevolentiam Rhætorum Helvetiorumque animis. In ipso lacu classis adhuc obstabat, à Lautreco coacta; & foveri bellum poterat, quamdiu infestis navibus hostis veheretur. Visum est insidiis petere, quod vires negabant, & incendio delere rates, ut tempestatis officium flamma perageret. Pars classis in portu Mussiano consistebat: huc noctu Medicæus cum armata manu venit; clam penetrat, ignem navibus injicit, vi & strepitu incendium necdum adultum auget. Galli consternati, & jam flammis velut obsessi, arma corripiunt, in hostem & simul ignem confuso consilio pugnant. Quia inter somnum & trepidationem, pro portu & opido divisa erat opera, utrobique victi & fugati sunt. Opidani ejulatu magis quam armis fortes, Penates deflebant, quos tutari non poterant: felices etiam, si à tectis incendium arcuissent. Sed supervacuum Medicæo visum, in muros domosque sævire, cum prompta esset præda; aut ultra ferro hostes persequi, quos navibus exuisset. Armorum tumultu ac tempestate liberari lacus poterat, solus si Medicæus imperasset. Interea Moronus majore velut belli pondere res Gallorum depressurus, militiæ partem Bilacium misit, classem instruxit, & Præfectum Hermetem Vicecomitem addidit; sive ut auxilia Germanorum, quæ adventabant, sine impedimento lacu exciperet, effunderetque in Lautrecum; sive ut novis auspiciis, rem jam feliciter cœptam geri gloriosius perficeret, tanquam melioris ubique fortunæ auctor. Verum ista consilia in sequiorem eventum imperitia novi præfecti detorsit. Nam Lautrecus, pugnæ occasionem quærens, cum rudi adhuc classe decertare constituit. Ergo quicquid erat navium lintriumque Leuci armat, Præfectos militesque ad prælium concitat: *Fortes essent, ad gloriam & simul prædam irent; hostem victorem incedere, quamdiu non pugnaret, audacem sola fortuna esse. Aquas sibi vendicarent, quibus terra erepta esset. Si Alpes claudantur, nihil in armis præsidii fore; nec sine periculo fugam institui, qua sola salvi esse non possent, nisi ut ignaviam simul miseriamque testarentur.* Quos necessitas urgebat, levis sermo animavit. Eductæ sunt naves, & concitato remigio verberari lacus cœpit. Putares auspicium pugnæ cum ipsis undis esse. Juvit navigantium impetum spirans à Bruma ventus, quia scopulis angustiisque impeditus, nunquam non ferox, classemque totam paucissimis horis ad promontorium Bilacianum propulit. Hermes imparatus ad pugnam, & quod pavidis usuvenire solet, consilio fluctuans, cum instare hostilem cerneret aciem, & jam portui imminere, classem deseruit, ratus non infeliciter se cum fortuna pacisci, si militem in tam ancipiti discrimine servasset. Sic turpi fuga totum in uno portu hostibus lacum cedens, formidinis socios Comum reduxit. Galli strenue invecti sunt, & classe, ripa, opido occupatis, fugientium turbam insecuti. Retionio eo tempore Medicæus venerat, & terrestri itinere Bilacium tendebat, lacum trajecturus. In via igitur de prospero Lautreci progressu edoctus, & fuga Hermetis, magisque gloria hostis quam dedecore suorum stimulatus, in ipsa pæne Gallorum vestigia belli strepitum effudit, ferro ignique violentiam adumbrans: ad quem tumultum repente hostes conversi, intellexere tandem, vano terrore successium plenæ victoriæ interruptum. Usi tamen fortunæ beneficio, & quia abunde

A damnum Mussianæ classis pensatum, infesta navigatione vindicare lacum cœpere; cum pulchrum etiam, & ad speciem gloriæ, pugnare navibus, quas vicissent. Sic paulatim ad vires Lautrecus rediit, & ut in agrum Mediolanensem viam aperiret, tentare Comum statuit. Itaque Turnum copiæ ductæ, quod opidum lunato promontorio munitum, & opportuno situ bello movendo aptum, rebus Gallicis studebat. Quinque duntaxat passuum millibus Como disjunctum, littore & lacu infestum erat: & propemodum in conspectu Hermetis classis hostilis stabat. Galli nunc aqua, nunc terra ad mœnia Comensium effusi, crebris excursionibus violentiam explicabant. Sed

B territus Sfortia, & ab his scintillis novam belli flammam metuens, cum levi successu immensum sciret hostium animos erigi; reprimere insultum vi majori statuit, & quia infeliciter Hermetis imperitia cessérat, opera & ingenio Medicæi uti. *Huic temporum locorumque momenta in toto Orobiorum tractu, & rerum occasiones exploratas esse: nomen ad formidinem valere. Quin & Præfecturæ Larianæ hunc honorem merito adjungi.* In partem tamen oneris Bartholomæum Claravillium misit, & præesse Comensibus voluit, ut in urbe & in lacu vis auctoritasque valeret. Bis mille circiter pedites secum ille ducebat: sed perverso consilio moram rebus injiciens, cum Turno vi pellen-

C dum hostem censeret Medicæus, temeritati noluit cohortes committere; & tanquam opido parceret, expeditionem dissuasit. Sic honesto velo malignitas tecta; quantumque sibi Præfectus studuit, & obfuit militum votis, & Principem retardavit. Nam rem trahere, quo diutius imperaret, destinaverat; & vicinum habere hostem, utile arbitratus, ut armatus consideret. Urbem si liberasset metu, supervacuum munus videbatur: nec pellere Gallos poterat, nisi ut Collegæ potentiam augeret.

Medicæus contra, cui cunctatio hæc suspecta, omnia agere, ne otiosum munus haberet; & ut Gallis parem se ostenderet, suis viribus aggredi Turnum de-

D crevit. Collecto igitur undequaque justo militum numero, quos & desiderium prædæ; & fortuna Ducis promptos ferocesque reddebant, & quantolibet periculo pares, recta ad hostes advolat; quo nuncio ad novam calliditatem traductus Claravillius, sine mora eduxit copias: nec minus callide quæsivit prœlium, quam antea detrectarat. Etenim si vincerent Sfortiani, in partem veniebat gloriæ; rem quoque gesserat: si vincerentur, culpam removebat; secutus erat. Ita prout res eventum daret, aut velut auxiliator accedebat, ut temeritatem Medicæi corrigeret; aut velut pugnæ auctor, ut in laudem moram verteret, tanquam consilio ad occasionem usus. Jam

E ecce opido Medicæus imminebat, cum Claravilliani adessent: crederes ex compacto consilia fuisse, & ad hostem facilius terrendum, opidumque expugnandum agmina divisa. Tanto impetu irruperunt, cum & simul vincere Gallos, & præverti utrique suos conarentur, ut nulla vis irruentium ardorem sustineret. Cæde & sanguine cuncta impleta sunt: & duravit accensa rabies, donec & essent qui occiderentur, & in cineres tecta concidissent. Magna pars tamen primo statim tumultu ad portum effusi, & in naves recepti, dum miserabile opidi spectant fatum; in tutum evaserunt. Præda inter militem flammamque divisa: quicquid rapi non potuit, incendium

F hausit. Atque ad hunc modum Turnenses, Principi suo infensi, dum sive contumacius, sive constantius rebus Galliæ student, extremam belli calamitatem exceperunt.

Sed Medicæus, dimissis sine mora manipulis, quos post prædam alere grave erat, una cum satellitio familiari Herbam profectus est, ubi stationem suam eo tempore habebat. Non longo, sed clivoso itinere lassus, ad opidum, & ad novam pugnam venit: sic jam ardore vehementior, quia copias non duceret, & hostem præter opinionem in-

veniſſet. In ipſo introitu anus occurrit, immodico doloris geſtu querelas exulcerati pectoris exonerans. Tanquam turpiſſimam ſuo ipſa corpore injuriam accepiſſet, unicam deflebat filiam, promiſcua libidine à prædonibus conſtupratam. Intellexit Medicæus totam in opidum cohortem, & cum opima præda veniſſe, tanquam conſeſſuram. Itaque & querela motus mulieris, & magis audacia latronum incenſus, qui contubernii ſui penates violarent, ſigno potius quam ſermone pugnam comitibus commendavit, ſed ſuopte ingenio promptis. Irruere ſimul omnes, non ſine clamoris auſpicio, ac tanta vehementia primos aliquot partim ſternunt, partim vulnerant, rapto quoque vexillo, ut ingens omnes pavor oppreſſerit. Quia Medicæi nomen audiebatur, lætum opidanis, & in adventum Præfecti effuſis, tota illa latronum manus, armentis omnique præda relicta, diffugit. Inſubres erant, ſed pugnæ rudes, & ſola petulantia ſtrenui; quia in tam confuſo rerum ſtatu latrocinia militiæ nomine vigebant, ad ſcelus ſacramento, ad rapinas armis uſi. Hæc in lacu, & circa lacum à Medicæo geſta; ſed pulſi Turno Galli, mox Bilacii animos vireſque inſtaurarunt. Majori claſſe aquæ vindicatæ, infeſtam Sfortianis navigationem reddidere. Omnino alere militiæ reliquias vel in his latebris neceſſum erat, ut in fide præſidia tenerentur: ac jam provinciæ fines gravius atrociuſque quam bello cruciabantur. Diſperſi per litora rupeſque hoſtes, ingenium magis effundere & laſcivire, promiſcua rabie nunc ſpoliare quoſcunque & affligere, nunc vi & ſtupris militiam polluere: in omne fas nefaſque avidi, hoſtile cenſebant, quicquid alienum erat.

Interea Lautrecus, ut nova curaret rei gerendæ præſidia, per Helvetios in Galliam abiit, ſolam familiam ducens, Fuſio fratri rerum ſumma commiſſa. Is cum difficilem tandem, & ſine ſpe victoriæ moram Cremonæ traheret, ad conditiones induciarum deſcendit; arces, pauciſſimis exceptis, captivoſque Sfortiæ reddidit. Qua temporum neceſſitate, & Leuco, & reliquis lacus Larii caſtellis, opidiſque Galli exceſſere. Muſſium à Trivultianis retentum, Guelfiæ factionis reliquiis, exſulibuſque Comenſibus patuit: qui ad omnem mox violentiam producto ſcelere, plus jam quam Galli nocuerant, in lacu audebant. Sæpius vi ſumma à Medicæo rejecti, & tandem in latebras ſuas pulſi, furtivas tantum agebant prædas, cum & ſitu, & portu tutiſſimo uterentur. Conflata igitur peditum trecentorum manu, inſidiis experiri benignitatem fortunæ ſtatuit, & quia Chriſti Natalem Bruma reduceret, ea ipſa nocte, qua in opidum templumque ſacrorum cauſſa venturi erant, hoſtes opprimere. Sed non tam felix hic, quam audax Medicæus, ut funeſta compleret vota; quia Deum neglexit, & meliorem militia noctem occiſioni deſtinavit, bono ſucceſſu indignus fuit. Sic & latronibus impietas profuit: cumque pro ingenio profani eſſent, & annuam Dei in terris nati memoriam negligerent, caſu diſcrimen evitarunt. Pauciſſimi enim ad fanum deſcenderant: & ab his, ne ſacra turbaret Medicæus, vim cohibuit. Pari jam virtute, ne ad prædam quidem dilabi militem paſſus, cum invecta rerum omnium copia opidum inſtructum eſſet: non cædi, aut capi quemquam; ut parcere incolis, petere latrones videretur. Mirari plerique conſilium Præfecti, ſed imperium veriti, aviditatem ſuppreſſere: quiſque Ducis quaſi affectum induens, qua cupidine venerat, abſtinentia receſſit. Sed ille obſequio ſuorum laudato, ad verum decus omnium animos confirmavit: *Fortiter agerent, clementiæ famam opibus anteponerent: non præda onuſtos, ſed gloria incedere: plus eſſe ſervare opidum, quam diripere; imo direptum non eſſe, ad expugnandam quandoque arcem valiturum.* Et, *Cur*, inquit, *præſagæ mentis arcana premo? Hi lares, hi penates aliquando militiæ noſtræ erunt: his tuta præſidiis*

A *virtus, ad potentiam exſurget. Latrones tollite, nihil hic hoſtile. Si quid peccant opidani, patiuntur: caſtellum velut jugum habent, & triſtiſſima ſorte factioſorum hominum imperium ſuſtinent, non obſequio prompti, ſed ſervitio oppreſſi. Extra vim injuriamque habendum eſſe locum cenſeo, quem mihi, & ſic vobis videntur fata deſtinaſſe. Itaque negavi opes, quæ rapi non poterant, niſi ut perirent: quicquid relictum eſt, ſervaſtis, & in noſtra hoc totum poteſtate puto, quia potuimus occupare. Jam, quorſum hæc arma ſumpta? & in quos ductu meo iviſtis? Trivultianos, ſed latrones: arce ſublimi clauſos, & ignavia ſua munitos. Sed noſtra hæc conſilia quia eventu caruerunt, animi moderatione aſſerenda ſunt, ut laudem fidemque inveniant.*
B *Quos petierimus hoſtes, ignorare nemo poterit; opido potiti, prædam contempſimus; & quia incolæ, non latrones ad cædem objecti, ira ardorque ſubſederunt. Ergo jam ignobilis iſta ſceleſtorum manus, ut enſes, tela, roburque corporis; ſic magis virtutem & innocentiam veſtram timebit. Et vos ego majoris fortunæ, ſive miniſtros, ſive ſocios valido mihi ſacramento junxi: qui prædam potuiſtis ſpernere, & avaritiam vincere, nulli amplius hoſtium ſuccumbetis.* Longiori oratione opus non erat, Medicæus loquebatur: & miles quoque, cujus fortunam ſuſpiciebat, imperium æſtimavit; quia ſpolia non legerat, mulceri verbis potuit, & dicen-
C tis exemplo regi. Ille vero per amicos Sfortiam atque Moronum urgere non deſtitit, *Exercitum mitterent, arcem Muſſianam obſidione cingerent, & univerſum ſemel latrociniis lacum liberarent. Fruſtra ceſſiſſe Gallos, niſi Guelfii exſtinguerentur. Ubi Trivultiani eſſent, adhuc Gallos dominari. Pauciſſimorum hominum audacia & ſcelere commercia atque navigationem impediri, Inſubres à Rhætis Helvetiiſque, atque adeo à Germania Italiam dividi. Sed & magni momenti arcem eſſe, noviſque motibus, ſi quid Galli iterum tentarent, opportunam. Sola tormenta bellica reliquumque in arce apparatum his ſumptibus cenſeri, quæ non ſine maximo provinciæ damno, in hoſtium poteſtatem veni-*
D *rent. Denique non difficilem victoriam, non longam fore. Latrones eſſe qui oppugnarentur, & vel repentino terrore, vel ſi perſiſterent, levi mora cogi ad deditionem poſſe; quippe homines natura pavidos; quia & militiæ rudes, & rapinis tantum aſſuetos.* Ægre tamen inductus Sfortia, ut novis jam ſumptibus affligeret vires exhauſtas, aut ignobili tædio exercitum fatigaret. *In excelſa rupe arcem ſitam eſſe, animos defenſoribus fiducia loci creſcere: armis claudi, ſed ſola inedia expugnari poſſe. Moram igitur & victoriam ſi conferres, pari momento pretioque librari. Quod ſi veſtigio non lubrico perſiſteret Fortuna lætior, brevem laborem fore, & venturos ultro ad conditiones, qui plane hoſtes adhuc non*
E *eſſent. Sed, quod ſummum, nec debellari aut exſcindi jam poſſe, niſi Rhætis irritatis, à quorum tutela arx opidumque penderent.*

Cum magis inſtaret Medicæus, quem deſiderium loci ſtimulabat, non tam volente Sfortia, quam non prohibente, arma Proſper Columna movit; & tanquam ſuam adhuc victoriam ſequeretur, quatuor cohortes Hiſpanorum, & aliquot tormenta bellica miſit, quibus & ſaxa & mœnia quaterentur. Haud parum cœpta facilitas Rhætorum promovit: à quibus poſtquam impetrari potuit, ne latronum paucorum excidium impedirent, obſidionis fortuna majori apparatu tentata, etiam Sfortiam auctorem palam ha-
F buit. Dubiam interim obſidentium induſtriam machinaſque ſecuritas loci faciebat. Nam rupe freti Trivultiani, etſi inſtructam vim belli cernerent, & tormenta jam ſubrecta; hoſtem tamen, quem è ſublimi deſpicerent, irridere auſi; pervicaciores etiam, quia tanquam latrones haberentur. Acceſſit & ſpes ſuppetiarum, quaſi pro Gallis adhuc Rhæti ſtarent. Arx quidem vel parva manu laſſare magni exercitus violentiam apta, in verrucoſa crepidine velut univerſi lacus ſpecula erat, & à ſublimi faſtigio, quantum meminiſſe licet, triplici lorica, totidemque caſtellis mu-

munita & velut suspensa; ascensu difficilis, errore potius quam gressu per asperas angustasque ambages: si aquæ atque alimenta sufficerent, nulla vi aut ingenio expugnanda. Obsidionis totius, non munere, sed solicitudine director Medicæus erat, consilio, ope, industria tentans omnia & explorans, quæ ad compendium laboris bellique facerent. Sed clausi, vix adhuc territi hostes, vim quoque suam effundebant in subjectos; donec mora paulatim corrupit pertinaciam, & vires desperatione subsidiorum languescerent. Periculum erat, ne si traheretur obsidio, invictam arcem tormenta inediæ expugnarent; & ad turpissimas conditiones devoluta virtus, cum necessitate cogeretur pacisci. Sed Præfectum arcis avaritia imprimis ad deditionis consilia egit, ne congestam tot periculis prædam constantia perderet. Itaque vocatis in sermonem militibus, imminentem calamitatem exposuit. *De omnium hic salute agi, aquam deficere, annonam imminui, nec ullum jam subsidium a Rhætis sperari. Ut hostem sustineant, cum fame sitique pugnandum esse, & amplius cum natura negotii fore. Proinde triste, dum liceret, fatum averterent: corporibus, armis, sarcinisque salvis, arcem traderent, & meliorem prævenniendo facerent deditionem: non omnes perire opes, si quantum quisque dorso bajularet, suum faceret; nec victos videri, qui cum præda abirent. Pro suis quisque viribus opes ferrent; reliquum apparatum belli, vitæque onera fortunæ redderent. Non in una rupe virtutem habitare; eandem si militiam statuissent sequi, & rem nomenque augere, haud defuturum armatis locum.* Cæteri quidem sine mora deditionem annuebant: soli exsules, quibus enormia facinora gravi conscientiæ stimulo metum incusserant, defixis in terram oculis stabant, & jam nulla se fide tutos arbitrati, silentio simul & ipso pallore dicebant sententiam. Sed refragari frustra erat: plurium victi consensu, & nova ducis oratione deliniti, qui communem salutis pactionem suadebat, necessitatem amplexi sunt. In statione tuguriisque obsidentium turpioribus etiam consiliis victoria periclitabatur. Miles, rei moram injuriamque damnosi pertæsus cæli, & inter saxa horridasque cautes querulus, tribunos accusare, meliorem rei gerendæ occasionem poscere: *Quid ultra naturam fatigarent? cum petra, non hoste negotium esse; alis, non armis sterni in prærupta aditum. Securos in altissimo fastigio, & supra damnum latrones agere; se angustiis clausos, montiumque sterilitate septos, quicquid obsessi soleant, pati.* Cum serperet tumultus, & ipsi quoque tribuni potiundæ arcis spem abjicerent, legatus, penes quem summa rerum erat, retrahere ad lacum tormenta, & solvere obsidionem statuit.

Quæ res gravissime Medicæum afflixit. Dolebat ignavia paucorum pulcherrima vota destrui; labi è manibus præsentem fortunam, & in hostium potestate manere locum, qui tam difficulter vinceretur. Prævaluere tamen fata humanis consiliis, corrigente eventum casu; & quia jam arcem capi, latrones meruerant, tam felices non fuere, ut sua inertia non perirent. Nam Præfectus, ad deditionem præceps, & jam consensu militum alacer, nullam consiliis moram indulsit. Ea ipsa nocte, quam ultimam in obsidione statuerant Sfortiani consumere, tympanotribam, paullo ante à latronibus captum, cum mandatis mittit, *Se pacisci cum hoste, & tradere arcem velle; sed conditiones coram dicturum. Venirent igitur, quibuscum transigeret: ratam colloquii fidem fore.* Captivus è rupe demissus, & tympanum securitatis velut signum bajulans, jam nuncio etiam quam libertate felicior, caute celavit arcana, & ad solum agminis sui ducem properavit. Is tum forte cum Medicæo Adunci erat: quod opidum Mussio proximum, placida amœnitate adhærentem reducti litoris sinum occupat. Postquam accepta mandata,

A æstuare non una cogitatione Medicæus cœpit: sed animo obfirmato, cum fortunæ hactenus non fallaci crederet, obviam ire rebus tam repente faventibus statuit, & experiri facinus, quo unus omnium usurparet gloriam, ut obsidionis auctor, ita & victoriæ patrator. Conversus deinde ad Centurionem, *Virtutis negotium*, inquit, *sors tandem perficiet, ne fortiores militibus latrones videantur. Nec me fata fallunt: diutius esse constantes non poterant, qui prædæ, non gloriæ arma manciparunt. Sic & vincere nos jam infelicius videmur hostem, postquam turpissimo fugæ consilio invictum esse confessi sumus: pæne indigni eventu prospero, quia victoriæ fiduciam cape-* B *re nequivimus. Potentior tamen fortuna est, & latronibus extorquet arcem, ut nostram nobis inertiam exprobret. Verum si tam lente etiam paciscimur, quam vincimus, frustra ignavi hostes sunt, & perire cupiunt. Adscendere in rupem est animus, & latronum experiri fidem, postquam metum admiserunt. Sed tua aut venia utar, si fraudem suspicaris; aut opera, si comes esse non negas, & pulchro facinore nomen utriusque extollam. Hæc rupes, totusque adeo lacus celeritatis jam præmium est. Si deliberamus, & ab arbitrio pendemus legati atque tribunorum; aut moram fortunæ injiciunt conversa jam ad fugam consilia; aut ut agi cum hoste placeat, occasio gloriæ ad* C *alios transfertur. Ergo utamur nocte, & commune vincamus commilitonum dedecus, belli imperitia contractum. Quantum omnes desperarunt, nostra utriusque industria audaciaque perficiet: & quia milites præfectique desistere incepto & solvere obsidionem statuerunt, non jam obsessos, sed liberos ad conditiones deducamus.* Centurio, nullum ratus discrimen quod socio Medicæo subiret, laudavit consilium, & protensa dextera, comitem se, ut gloriæ, sic & periculi obtulit. Nec mora: famulo uterque sibi adjuncto, Mussium progressi sunt, & inde ad arcem noctis silentio tollentes gressum, viæ ducem tympanisten sequebantur. Ac facile erat fluctuantes D in obsidione fallere, quos disciplina solutos, tædium loci ad inertiam flexerat, ad hoc intentos unum, ut conditis armis, paratæ ad discessum sarcinæ essent. Facinus tamen Medicæi, eventu malim, quam ratione metiri. Creditur hosti, qui vi & fraude læsus, in consuetudinem scelus verterat: nec falli timet, qui crudelis fuit. In ipso jam auctore tot annorum vulnera cædesque puniri poterant, ac deinceps metus exstingui. Nam ut ad sævitiam hactenus Medicæi munus fuerat, sic ad terrorem nomen valebat. Plerique mortales quem timent, odisse solent; quem oderunt, dolo insidiisque captant: & E quam securitatem à latronibus exigas, gravi armorum injuria irritatis? Improbi cum vindictam moliuntur, fidem impendunt. Sed Medicæi audacia exitu reprehensionem effugit: sic ad causas cæci, felicitatem rerum prudentia insignimus; & cum temeritati sufficit auctor, in laudem vertit quicquid ausus est. Ventum ad mœnia erat, cum, signo dato, adesse qui ad colloquium venirent, sine obstaculo aditus patuit. E vestigio in primam arcem admissi, & stationariis septi responsum Præfecti præstolantur. Sermo interim de præsenti rerum statu nascitur; & è militibus unus qui adstabat, vehementius belli calamitatem incusans, Medicæum, de F facie quidem ignotum, ærumnarum omnium auctorem nominabat, *Factiosum esse, crudelem esse, & scelere evectum.* Audiit ille convitia, & tanquam infra iram duceret, ingenioso contemptu ultus est. Nam constanti animo vultuque militem intuens, sciscitatur an cujus mores accusaret, vultum nosceret? Miles negat. *Me igitur vide*, inquit Medicæus, *is ego sum: sed quia ignotus tibi, etiam surdus fui, & sic amicus. Mox, si quid dicturus es, audiam, nec arbitrium commilitonum tuorum defugio. Et ut scias, ultra vocem me audere fortemque*

esse, manu armisque, & in arena, cum voles responsum promam. Hac libertate pudor homini ignavo atque silentium incussum est, Medicæo auctoritas crevit: namque cæteri tam generosum admirati animum, conversis velut studiis, vultum præsentis verebantur. Rumor mox in superiorem delatus arcem, adesse Medicæum, pavore quodam, & Præfectum, & reliquam multitudinem detinuit. Conveniunt omnes: adscendit ille, & ut orationis illecebris ferociæ etiam reliquias deleret, tanquam salutis interpres, & ad non hostes verba fecit, *Abjicerent moras, veniam & securitatem admitterent: qua fide venerat, eam promittere. Robur, nihil pertinacia profuturum, melioribus fatis reservarent: plus acquiri libertate, quam pactione amitti: quamdiu obsidione premerentur, captivos esse, & in potestatem tamen hostium lapsuros: quia liceret, salvi, & sui esse vellent.* Sed facilis oratio victos jam necessitate animos impulit: deditio agitata est, & conditiones conceptæ, *Ut salvi abirent milites, arma sarcinasque ferrent: Præfectum integræ fortunæ sequerentur.* Quicquid pactus est Medicæus, in castris ratum fuit, ac postridie arx omnis in potestatem Hispanorum venit. Centum quinquaginta latrones erant, quos & victos temeraria industria Medicæi, & pacti fide servatos, varia deinde fortuna excepit, & consumpsit. In reliquo apparatu viginti duo tormenta bellica fuere, è quibus duodecim Mediolanum transvecta: Medicæus autem ad Præfecturam arcis ingenti cupiditate anhelans, cum dolo ageret, magis arduum deprehendit præfici, quam vincere; faciliusque latronum, quam militum animos expugnari. Ergo quia irrita vota, industriam ad saniora consilia convertit; & petere à Morono statuit, quod adhuc fortuna calliditati negaret. Mediolanum igitur venit, obsidionis successum, totiusque belli statum exposuit: *Hoc se laborum præmium exspectare, ut quam extorsisset hostibus arcem regeret; & è lacu in rupem Præfecturam transferret.* Neque rejecit petentis vota Moronus, sed distulit.

Interea cum Prospero Columna de Mussio actum: evocantur Hispani, qui magna jam ex parte dilapsi erant: mutatur præsidium, designato, & mox misso, qui vices Præfecti gerat. Sed aliam jam viam, sic volente numine, ad vota Medicæus invenit, ut periculo obnoxiam, sic nec à scelere, si rumori accedimus, remotam. Plerique tamen quod in gratiam Principis, & pro tranquillitate publica patratum, turpitudine liberant. Inter proceres urbis Astor Vicecomes, luce familiæ clarus; cæterum ingenio turgidus atque factiosus. Is, quod à Gallis pridem magno rerum momento desciverat, Sfortiæ inter amicos fuit: sed esse vile habuit, nisi emineret: parem ferre Moronum non poterat; superiorem oderat. Unde cum Principi primus non esset, plebi Princeps haberi voluit: per clementiæ speciem scelera protegere; de rebus summis graviter censere; nihil sibi, nihil cuiquam denegare. His studiis, mirum, quam facile ingenia omnium traxit. Sfortia indulgere primum, tanquam amico: mox, quia in novo adhuc imperio subditi audaciam timeret, donis arrogantiam frustra placare. Atque istis seminibus avaritia crevit, dum prodigum esse de alieno licebat. Ita Astor natura profusus, cui citius deficeret quod absumeret, quam quod peteret, liberalitatem Principis, mox amicitiam ipsam prodegit. Hinc ferocior, turbare Rempublicam cœpit, sævire, omnia pro libidine agere, novum statum criminari, odio, non tam Principis, quam Moroni, qui Principem flectebat. In hunc igitur obicem iræ & furoris machinæ omnes directæ; quo remoto, pervia omnia audaciæ & licentiæ essent. Sed Moronus, solertissimi ingenii vir, ut manifestis signis insidiarum periculum sensit, prævenire statuit: *Astorem justis criminibus invisum Principi, noxium urbi esse: quia invisum, impune; quia noxium, merito sublatum iri: ad id consilii non privato solum, sed publico etiam periculo se urgeri: addictam, & velut emptam largitionibus Astori plebem esse: hoc fomite novum urbis incendium ali.* Supererat, consulto, an inconsulto Principe tentaret: inconsulto malebat, ut impedimenta vitaret, quæ nasci poterant, & solus facinoris conscientiam periculumque sustineret. Sed interim Sfortia ipse, quasi iisdem cogitationibus agitatus, auctor ultro accessit, facinusque maturavit. Nec mora: quæritur strenuus aliquis, animo erectus, manuque promptus, qui gloriæ quodam illicio negotium Reipublicæ agat, & sancta silentii fide. Itaque placuit cum Medicæo agi. Huic in secretum sermonis advocato, Moronus suppresso imperio Principis, per ambages verborum insinuavit magis cædis consilium quam aperuit. Hærente etiam Medicæo, *Macte animo*, inquit, *quanti facias Patriam, quid Sfortiæ, quid mihi tribuas, jam intelligam. Qua arte, vi, dolo, expende: Astor tollendus est.* At ille ipso imperii fulmine ictus, ægre ad responsum animum expedivit. Metus & periculum utrobique: si Moronum respiceret, jam Principem verebatur; si Astorem, familiam Vicecomitum, & universam plebem. Namque si recusaret cædem, suspectus erat, ne proderet, si patraret, pro nobilissimo cive prompta vindicta. Sic dubius, Principem, an populum irritaret; pæne Principem maluit, & incruentus incurrere periculum, quam cruentus vitare. Evicit tamen generosum pectus Patriæ amor, ut in perniciosum civem hostiliter sæviret. Ergo silentium rumpens, *Arduum*, inquit, *& plenum periculi facinus: sed quia jubes, tua, & Reipublicæ caussa audebo.* Ille vero dexteram injiciens, audere prorsus jussit: *Suo patrocinio non inultum modo facinus, sed securum fore. Quicquid timeri posset, cum ipso Astore simul exstingui. Hunc ob superbiam aliaque vitia non minus familiæ, quam universæ urbi gravem esse.* Sic consilio sævus, quia suasit cædem, tantum non patravit: gravante interim Medicæum obsequii culpa. Ne præmium deesset, Præfectura Mussiana promittitur, quæ majoris etiam facinoris sive periculum, sive turpitudinem videbatur posse abscondere. Dicta & decreta cæde, opportunitas quæri cœpta. Sed cum difficile esset, clandestino ferro nobilissimi jugulum viri petere, frequenti satellitio domi forisque septi; violentia tentare facinus Medicæus maluit, quam in occasionem differre. Minus etiam turpe ratus, quod à fraude insidiisque remotum: tutius denique, quod moram non timeret. Sæpe enim per cunctationis ambages ducta consilia, priusquam ardua esse desierunt, detecta sunt. Sic vero, quia unius manu tanta res perfici non poterat, in societatem audaciæ veterem sibi amicum, virum fortem, & expertæ fidei, per sacramentum adjungit, Jo. Antonium Puteanum Insubrem, cujus in prœlio Picocensi virtus singularis exstitit. Is quoque auctor erat, sine dilatione fortuna suscepti operis tentaretur: tempus locumque, qui audet, facere. Postero die, cum per exploratorem nunciatum esset, prodiisse solita caterva stipatum Astorem, non tam ad cædem, quam ad pugnam se parans Medicæus, statuit redeuntem quocunque eventu aggredi: fæliciter cessurum, quod fortiter fieret: re patrata, consilia securitati non defutura. Jam crepusculum noctis erat, & ex ædibus Taurelliis se domum Astor recipit, mulæ insidens: amici famulique circumfusi, strepitu implebant viam. Ibi cum fidissimo illo facinoris socio, duobusque in subsidium famulis Medicæus erupit. Equo robustissimo subvectus, ense vibrato satellitium dissipat: mox in ipsum Astorem, velut publicum hostem, impetum faciens, vim effudit. Prœlium ori-

oritur. Dum alii pugnant, Astor plurimis vulneribus conficitur. Cæde commissa, tumultu magis, quam violentia vindicta quæritur: alii voce, alii ferro trepidantes, solum dolorem explicabant. Populus tristi spectaculo collectus, exprobrationem sceleris adjiciebat. Sed percussores, postquam corruisse exanimem videre hostem, fugam confestim ceperunt, & sine discrimine elapsi sunt.

Mors Astoris varie urbem affecit; & quasi ad sanguinem nova libertas exhorruisset, mœrorem publicum alius libero affectu, alius simulatione in gratiam Principis familiæ explicuit; quisque in sceleris auctorem, quia adhuc incertum, funesto judicio sævus. Sfortia ipse, qui Moguntiaci tum erat, eventum exspectans facinoris, ut suspicionis à se invidiam removeret, publice vultum vocesque doloribus induit, &, ne inulta cædes videretur, in Medicæum, sociosque inquiri jussit. Ille vero jam abierat; & pæne ut injustius periret. Princeps enim, quasi nullo silentio tutus, Morono mandaverat, novum jam hostem subito & ex urbe, & è vita amoliretur: *E Republica esse, unum illum cum universo sceleris onere clam tolli.* Sed qui cædem adornabat, discrimini proximus erat, & domestico scelere propemodum oppressus est. Mediolanum Moguntiaco redeuntem Bonifacius Vicecomes stricto pugione invadit, majori perfidia quam successu. Nam quia equo sublimis vehebatur, Sfortia autem humili sederet mula, infelicius ferientis manus lapsa, & à cervice aberrans, leve duntaxat vulnus humero intulit. Percussor consumpta post primum ictum audacia, & jam salutem circumspiciens, omne robur ad fugam convertit, satellitumque insequentium diligentiam vincens, evasit.


Interea vero Medicæus, tanquam ad Præfecturam arcis Mussianæ mitteretur, diploma accipit; & necis suæ imperium litteris insertum ad Præfectum ignarus defert. Sed ordinem Providentiæ quis pervertat? in itinere cum facinus animo expenderet, velut suspectam examinare fortunam suam cœpit; nihil Morono, nihil litteris fidere: *Callidum illius ingenium esse; & odiosum amicum, quem timeas, suæ fidei maximum facinus commissum esse: se vivo, superesse periculum, quod auctorem torqueat: primam crudelitatem hoc pudore ac metu esse, ut scelere scelus operiat: locum vicemque hostis, patrato facinore, percussorem subire.* Sic gliscente suspicione fraudis, cum Gemonium pervenisset, litteras Moroni in manus sumpsit, ceramque equino pilo dispescens, illæso sigillo, aperuit: porro, ut insidias legit, & tam vicinum fatum, contraxit sanguinem, & ad conspectum funeris sui expalluit. Nam etsi terrorem suspicio minuerat; fixit tamen injuria animum, & stupore perculit. Mox erectus compositusque in vindictam fraudis, non jam vitare discrimen, sed eludere statuit; dolum dolo tollere; suam arcem, vel cum periculo, facere; quasi vivere jam deinceps nollet, nisi ubi mortem inimici insidiis paraverant. Igitur consilium fratri (is in comitatu erat) approbat, & conquisita supellectile scri-

A bendi, manum Moroni feliciter sequens, ex animi sententia epistolam refinxit. Summa hæc fuit, *Præfectus, omni abjecta mora, Mediolanum veniret, arcem Medicæo committeret.* Parato dolo, quam ocyssime Mussium contendit, ut si quem forte Moronus submisisset, præveniret; & admissus ad Præfectum, magna vultus vocisque constantia litteras ac mandata prompsit. Ille signo delusus, nimioque obsequio peccans, epistolæ credidit, & ut pondus suum diploma haberet, consignata Medicæo arce, fecit quicquid scripsisse Moronum, jussisse Sfortiam putavit, & è vestigio Mediolanum profectus est. Atque ne hic quidem ab ingenio de-
B flexit Moronus, aut alieno errori succubuit. Nam fraudis damnum severitate corrigens, & increpuit Præfectum, tanquam incautum ignavumque, & jam culpa sua exauctoratum ab omni militiæ munere removit; ne Principis jussu tradita arx Medicæo, & præmium cædis Præfectura videretur. Sed validior jam famæ malignitas erat, quam ut his consiliis cederet: suum rumor negotium egit, & auctores invenit. Nemo Astorem luxit, qui novam tyrannidem non accusaret: & jam è familia cæsi temerarius vindex ferro ostenderat, cujus sanguine expiandum esset scelus. Sfortia vero, quia læsus, imminuere natam invidiam potuit, & jam sine pe-
C riculo ultionem in tutelam vertere, Justitiæ manu familiæ adversariæ objecta. Populus mutari facilis, affectum tempori accommodat: scelus detestari, imo suspicari desiit, postquam in Principe suo vulnus vidit. Amplius etiam Moronus egit: qua calliditate exitium Medicæo paraverat, innocentiam testatus est: *Nullius doli culpæ se obnoxium, non mentem, non manum sinistra & scelesta scriptione inquinasse: de aliena & occulta fraude queri, suum audacissimo facinore beneficium corruptum. Ergo litteras, priusquam traderentur, commutatas esse, præmium in pœnam transscriptum: id crederet; daturum*
D *se integerrimi animi pignus, si nunc quoque, deleta suspicione, & amicum & benefactorem vellet experiri. Curaturum pariter, ne, quoniam felici eventu insidiæ detectæ essent, auctor lateret.* Non minus libenter admisit excusationem Medicæus, quam egregie injuriam ultus erat: arcem possidebat: quia post facinus ambiguæ famæ tutus, ad majorem fortunam animum erigeret, dissimulare maluit, quam irasci. Itaque tanquam missus à Morono, famam sparsit: Præfecti munus sic aggressus, ut Sfortiæ quasi nomine auspicioque omnia ageret, resque suas securius firmaret. Tum vero ad præsidium è vicinis vallibus ripisque adscitis amicis, exemplo Romuli arcem asylum aperuit. Confluxere partim ex-
E torres, partim Gibellinæ factionis robustissimi quique: & novi ducis imperium amplexi, Lacum Alpesque militiæ terrore quodam impleverunt. Hostes vero Galli atque Guelfii erant, passim adhuc validi, aut quicunque opem his operamque ferrent. Sic Patriæ affectus famam novis belli molitionibus fecit.

ERYCI PUTEANI HISTORIAE CISALPINAE
LIBER II.

BREVIARIUM.

MEDICAEUS *ad majorem fortunam accinctus, ut strenuum promptumque haberet militem, disciplinam ordinavit. Etiam libidinis vindex, stupri violenter commissi auctores palam punivit; scelere atque turpitudine velut arcem expians, quam muniret: & muniit, vicina quoque rupe incisa. Inde in latrones hostesque communes acer, brevi ad arbitrium suum vicina & opida, & litora redegit: Sfortia, cujus hac auspiciis videbantur agi, non frustra tam strenuas callidasque molitiones timens, arcem, postquam blanditiis redimere non potuit, statuit extorquere. Sed vis jam novo è Gallia bello impedita. Tremebant Insubres metu; & Pontifex, Cæsar, liberæque Italiæ urbes fœdera faciunt, vires jungunt, pro Sfortia pugnaturi. Galli, duce Gauferio, in Italiam irruunt, feliciter ad Ticinum amnem rem gerunt; sed mox tanquam impetu consumpto, lenti, & circa oppugnationem opidorum occupati, elanguerunt. Comum Leucumque præsidio Medicæus firmat, Principi suo in occasione fidus. Gauferius interea Cremonam in vanum oppugnat, frustra Mediolanum obsidet, animis copiisque labantibus. Nova tamen auxilia Rhæti submittunt, in Regem proni: hæc à Medicæo lacu prohibita & oppugnata, pro itinere errorem habuerunt. Fines tum quoque Alpium igni & ferro vastati: quo terrore tota illa manus compulsa, ad domesticum incendium exstinguendum recurrit. Hinc propitia magis fortuna Sfortiæ, imminuit Gallorum reliquias, tandemque Italia prœlio expulit. Cum Rhætis mox fœdus. Cæsariani hostem in Galliam secuti, quod repulerant bellum, inferre properant, Massiliamque, sed irrito conatu, tentant. Per hoc otium Sfortia Medicæo molestus. Iterum ad Gallos Rhæti desciscunt: & ille fluctuat. Rex ipse Franciscus, Cæsarianis è Gallia dilapsis, cum novo in Italiam exercitu venit, Mediolanum capit, Ticinum aggreditur, obsidetque; sed hærente iterum fortuna. Medicæus fidei constans, patriæque addictus, conditiones à Rege oblatas respuit, novas à Sfortia admittit, & majori auctoritate Præfecturam obit. Ergo in Rhætos vim denuo movet: Clavennæ arcem stratagemate, opidum vi capit; nullam sine periculo victoriam esse, vulnere testatus. Ut suum faceret quod vicisset, Sfortiana subsidia, dum modica, admittit, & regionem depopulatur; cum nimia, callido consilio arcet. Demum insidiis hostium temerario ausu delusis, timeri incipit. Summo ardore ad arma consurgunt Rhæti, & Theganum cum copiis revocant: is relicto & enervato exercitu regio, Patriæ succurrit. Sumunt igitur animos Cæsariani, & excitatis ad pugnam militibus, fortunam tentant. Utrimque concurrunt copiæ, sternuntur Galli, & fortius quam felicius Rex dimicans, capitur.*

FACTO fortunæ fundamento, ad majora virtutem necessitas compulit. Arx dolo occupata, retineri armorum pertinacia debuit; cum palam Præfecti titulum Medicæus usurparet. Prima quidem circa disciplinam cura fuit, ut nihil nisi ex A lege fieret; apud omnes fama, apud militem auctoritas valeret. Sed facile obsequium, primo affectus fecerat: nam in novum ducem proni omnium erant animi: post affectum spes gloriæ atque præmiorum, quæ hoc potissimum loco parari poterant, denique & necessitas quædam: nonnullos enim exsilii calamitas ad arma & sacramentum stimularat, partim vindictæ caussa, quia præscriptos; partim egestatis, quia patriæ subsidio destitutos. Mirabili vero humanitate severissimam disciplinam Medicæus temperabat: non minus puniendo, quam ignoscendo gratus. Atque in ipso Præfecturæ auspicio, talem se exhibuit militibus, qualem & amare possent, B si boni essent; & vereri, si mali. Mox exemplum quoque exstitit. Nam neque hæc sine dedecore diu manus fuit: & quia corruptam aliqui turpi vita indolem novæ militiæ consecrabant; tanquam sceleribus libertatem nacti, & cum numero licentia cresceret, pro lubidine omnia agere cœperunt, & plane latronum more feroces esse. Vis illata virgini, ornamenta extorta, vindicem Justitiæ manum irritarunt. Querelæ apud Medicæum depositæ, & exauditæ: qui rei, expunctis è manipulo nominibus, in crucem palam acti. Percussit quorundam animos tam inopinatum rigoris exemplum, cum rudem adhuc militiam supplicia terrerent, & qui cul- C pæ exsortes, in parte sustinerent pœnam, quia spectarent. Medicæus igitur, ut sine periculo severitas esset, sine invidia terror, milites suos stricta ad verum decus oratione cohortatus est, & æstuantes lenivit. *Quantum ab ignavissimis scelus commissum sit, Commilitones, præsens disciplinæ rigor indicat; quod admiratione defixi statis, innocentiæ adscribo: stupetis ad supplicia, qui flagitia ignoratis: & quid attinet referre, quod dictu quoque fœdum est? illatum virgini stuprum, quam sponsam ego fortissimo vestrum destinaveram, monilia mundusque ereptus & absumptus, qui in dotem veniebat: vestra erat, quæ violata; in vos injurii, qui puniti. Sed nolo cujus-* D *quam cupidinem incendere: damnum exaggero, ut gloriosius feratis: probrum vero æternumque militiæ dedecus, nisi damnetis, locum virtus non inveniet. Etenim ut bene de omnibus mererer, severius statui; ne serperet malum, sustuli auctores: imo ut insontes ostenderem, quos gloriæ ardor ignavos esse non sinit, paucos punivi. Vestrum ab infamia nomen vindicandum fuit, ne impingeret omnibus rumor facinus, à paucis commissum. Date hanc veniam, mei non erant, qui imperium neglexerunt: nec poterant salvi esse, nisi ut iterum peccarent. Viam ad scelus impunitas sternit, reditque ad patratum facinus, quisquis remissam vindicis manum expertus. Ut semel cessit improbitas, au-* E *ctorem facit: audere incipit, quicquid evasit. Etiam cum severitate securitas conjuncta est: quem timere dux potest, disciplina non tolerat: sentes loliumque à segete vellit agricola, ne fœcunditas retardetur: urit secatque medicus, cum infectum depastumque gangræna membrum universo corpori perniciem ducit. Quam ignavos corruptosque sustulerim, scelus indicat: ne fortiter agerent, libidinem effuderunt; ut disciplinam corrumperent, virginem violarunt; cum hostis non esset, prædam rapuerunt. Et facite excusari voluptatem posse, avaritia detestanda est. Nemo mu-*

A *nus suum nescit: milites conscripsi, non latrones; ut virtutis, non sceleris socios haberem, ducem me constitui. Sui quemque officii sacramentum moneat: quicquid cum damno disciplinæ agitur, plectendum est. Deinde ut communis esset fortunarum conditio, sanguinem obstrinxistis: nisi gloriam expetitis, præda indigni estis; nisi strenui, ducem me habere non potestis. Hæc mœnia quæ defenditis, hæc arma quæ geritis, admonere omnes virtutis debent. Satis etiam mihi, si quem caussa dabit hostem, vincitis; gloria contentus, prædam omnem in laborum præmia absumam. Sic vero ut prompti sitis, affectum potius vestrum posco, quam obsequium: & ut omnia velitis,* B *amor faciet. Quosdam etiam necessitas adhortatur; ne quid indignum militiæ legibus admittant: omnes conditio. Qui extorres estis, necessitatem expendite; honestum nisi exsilium facitis, mereri patriam non potestis: qui cives, conditionem; suo quoque jure Penatum potestas fulcitur. Mehercle nusquam vivitur, nisi sub imperio: quia militia placuit, & experiri mecum statuistis quantum virtutibus fortuna largiatur, calcate scelera, & quos ex hoc ipso numero audax improbitas transversos agit, in hostium numero habete. Nunc ut quisque damnatorum feret necem, aut benignum in me affectum suum, aut infestum aperiet.* Quos oratio non potuit, vultus dicentis expugnavit; C & paullatim disciplina, quia sine crudelitate, auctoritas, quia sine superbia, Præfecti partim metu, partim reverentia vires accepit. Primum præsidii robur septuaginta circiter juvenes conflabant, plerique è nobilitate: qui stirpe vilior, strenuo agere, defectum sanguinis industria & vigilia supplere, egregii facinoris caussa vilem vitam habere.

Medicæus, ut qualem haberet militem, etiam locum faceret, munire castellum aggressus est, & hac opera velut jure sibi vindicare. Murorum hiatus sedulo labore expleti; telis, jaculis, & omni armorum genere turres instructæ; annona advecta. Tum rem plane arduam tentans, quod unum eousque D natura vitium arci objecerat, amoliri cœpit, & adhærentem marmoreamque diviso jugo rupem confringere, quæ æmula velut altitudine verticem efferebat. Tanquam novus Hannibal rupit Alpes, sed ut insideret: & ut tutum adversus vim omnem haberet domicilium, despicere debuit, quicquid in tota vicinia Alpium emineret. Tanti mirere difficultatem operis, nisi majus etiam, vastissimis conatibus pares sumptus invenire. Sed quid deesset, ubi qui extorquere poterat opes, rogabat, idque securitatis publicæ caussa? deinde ubi petentis tutelæ fortunas suas commiserant, qui rogabantur? Id enim summo conatu Medicæus nitebatur, ut proxima Mussio opida, totumque adeo lacum ab infesta E eo tempore exsulum violentia, & Guelfiæ factionis hominibus liberaret; quos nisi ad disciplinæ modestiam reduceret, rebus suis fautores, sævis ubique armis persequebatur. Hoc belli genere, qui hostes esse poterant, facti socii: subjecti populi, cum arma non vidissent; redacta in potestatem opida, quæ non oppugnata. Ut humanitas augeret militiæ auctoritatem, subditi tanquam amici habiti, nec vicini subditorum conditionem recusabant. Imperitabat omnibus Medicæus, tanquam debellatis; parcebat, tanquam amicis: qua clementiæ solertia, nominis virtutisque famam brevissimo tem- F pore immensum auxit. Sed cautissimo consilio texit potentiæ vota; ut in Sfortiæ gratiam agi cuncta viderentur. Ejus jussu militem augeri, arcem muniri, auxilia imperari, pecuniam corradi, facile omnibus persuasum: quicquid Princeps fecisset, Præfectus exsequebatur: illius auctoritatem hic assumpserat. Sed Sfortia cum tantam industriam, tam vastas molitiones retardare minime posset, intellexit suam arcem non esse, quam Medicæus teneret. Itaque ad nova consilia conversus, hostem experiri noluit, quem timere cœperat. Fraudem blanditiis tegens, munera misit: solenni auctoritate confirmat Præfecturam, erepturus. Astutia opus erat, ne fidem scena perderet: ac jam deleto offensæ vestigio, ad plenam Principis gratiam honorumque fastigium via Medicæo patebat, si magnus esse sine Mussio vellet. Sed ille dubio primum responso moras nectere; cum urgeretur, detrectare: *Recentem Astoris necem esse, durare audaciæ memoriam; multorum se ira & ferro peti, nec tutum esse, nisi difficillima rupe clauderetur. Jam nec ignavam hic operam suam fore, ad omne ducis imperium promptam. Fideret arcem, quam indulgeret: plus esse, judicio, quam beneficio Principis evehi.* Sic ubi irritæ vires & insidiæ fuere; qui cogi non potuit, nec exorari: spes fortunasque suas uno castello Medicæus æstimabat.

Interea novus è Gallia rumor belli. Rex infesto Italiam exercitu turbaturus, regni vires collegerat, & jam formidini nondum pugnantium apparatus erat. Exciti imminentis fragore tempestatis, novo fœdere Hadrianus Pontifex, Carolus Cæsar, Franciscus Sfortia junxere vires, & conspirantibus Florentinis, Genuensibus, Senensibus, Lucensibus, propugnare Italiæ fines & rejicere Gallos statuerunt. Dux eligitur Prosper Columna, qui etsi corpore minus valido, seduli munia imperatoris implet; copias & provinciam lustrat, & momentis loci temporisque expensis, castra ad Ticinum flumen locat, aquarum obice hostium impetum facilius propulsurus. Sed interim & fortuna negotium suum agit: Rex domestico Borbonii dissidio, ac deinde defectione impeditus, Guilielmum Gauferium, maris Præfectum, cum triginta peditum, quatuor equitum millibus in Insubres mittit: nec sine terrore primus incursus fuit, pulsis ad Ticinum Cæsarianis. Cæterum tantam capere fiduciam Gallus non potuit, ut primo eventu fortunæ crederet: cunctari cœpit, & cum in manu victoria esset, deliberare, quomodo vinceret. Columna auctis copiis, cum Mediolanensium pro Sfortia adhuc arderent animi, bellandi audaciam instauravit, ratus frangi hostem aut lassari brevi mora posse, si paucarum urbium pertinacia duraret, mœnia resisterent. Itaque dispartito exercitu, Antonium Levam cum valido militum numero Ticinum mittit: Cremonense præsidium mille peditibus auget: reliquas copias Mediolanum contrahit, urbem munit, commeatum convehit; quæ ipse adversa correptus valetudine non potest, per alios exsequitur, insigniter interim pro salute urbis Morono satagente.

Gauferius porro, cum in agro hostem non haberet, urbes aggressus est, & tanquam experimenta adhuc fortunæ faceret, minuta, vix munita aliquot loca cepit: mox allubescente magis successu, Moguntiacum, & Laudem Pompeiam adortus, adhuc sine impedimento vincebat. Timere hostem vicina opida, præsertim Comum Leucumque ceperant, justo adhuc præsidio destituta: sed Medicæus in tanto rerum tumultu, gnarus quid Patriæ deberet, & quo potissimum obsequio firmaret res suas, selectam de militibus nuper conscriptis manum in opidum utrumque mittit: cum rebus studere novis posset, Principem, etiam male de se meritum, antehabuit; gloria dignus & imperio, cui tanti fides fuit. Belli deinde fragor infelici turbine per provinciam universam provolutus est. Terribili majorum machinarum fulmine Cremona à Gallis quassata, expugnari tamen non potuit: Spartano exemplo atque robore, cum muri jacerent, hostes arcuit. Ut cælum favere crederes, non armis solum, sed repentino & infesto pluviarum quodam diluvio Galli impediti, propugnantium audaciam accendere. Nam intumescentibus quotidie nubibus, cum vis continua aquarum prorueret, ab

omni

omni oppugnatione cessatum est, & murorum ruinæ sine impedimento instauratæ. Accessit exercitui annonæ difficultas, cum è Laudensi duntaxat agro, & ora Transabduana commeatus esset. Diuturnam esse obsidionem cælum solumque noluere. Traductis igitur copiis, Mediolanum, sed irrito quoque molimine, cinctum est. Nil pertinax armorum contentio, nil solerti fraude empta proditio hostibus profuit: & longiorem hiems jam propinqua moram negabat; cum interea Prospero exstincto, summam imperii Carolus Lanoyus cepisset. Potuit & Mediolanensibus ab astris aereque libertas tribui: quippe tantum nivis exasperata subito frigore aura sparsit, ut relicta urbe in hiberna Galli compulsi sint.

Jam & frigere bellum incœperat, Abiato à Sfortianis & Gerlasco opidis vi receptis; cum nova peditatus fomenta ab Helvetiis, & mox Rhætis Gauferius petiit. Atque ab his jam copiis spes omnis victoriæ pendebat. Sed Helvetiorum, quia tarda, parum prospera auxilia: Rhæti, quia difficile invenere iter, ne pervenire quidem potuerunt. Quinque millia peditum Theganus conscripserat, & ut compendio profectionis uteretur, ad Larium ducebat. Medicæus, explorato Rhætorum consilio, impendentem belli flammam toto lacu arcere statuit: quia vires non poterat hostium, viam infringere; & virtutis famam pulcherrimo facinore propagare. Ita novo obsequio Principem demereri facile censuit: honestum autem, ut patriæ placeret, armis & ingenio uti. *Sed otiosam quoque arcem esse, qua imperium non extenderet: restringi potentiam, nisi omnia terrore litora possideret.* Nec mora, scapham expediri præcipiti jam die jussit, & noctis silentio adjutus, cum selectissimis aliquot militibus extremum percurrens lacum, quicquid circumquaque hostili littore cymbarum hippaginumque seu casus, seu tempestas collegerat, rapit, & pernici fuga Mussium abducit: quo facinore prima Rhætorum destinatio fracta, & qua facillimum iter erat, obicem impetus invenit. Itaque cum postridie ex Alpium faucibus stipato agmine copiæ descenderent, & quasi horroris hiemisque pertæsæ, ad delicias & ver Italiæ properarent, vernaculam subire asperitatem in alienis quoque montibus coactæ sunt: cum naves deessent, arduo ac lento per Trocias rupes circuitu Bellanum proficisci. Hic mora deinde sex dierum fuit. Bellanum insigne & naturæ artisque æmulatione pernobile opidum, obliquo litore adversum secretumque lacu Mussium respicit. Medicæus igitur, nullam rei bene gerendæ occasionem negligens, infesta hostes classe, & milite vexare cœpit, commeatum avertere, manum conserere, damna inferre: putares totum hic jam bellum geri. Movit se tandem hostium agmen, postquam cum clade prima statio fuerat, & vallem Saxinam subiit, amœna ruris felicitate opulentam, frondosisque inclusam montibus, è qua Turriani, Insubrum quondam Principes oriundi.

Et quia ad me quoque affinitatis jure sera magnitudinis hujus memoria spectat, Genium loci & simul familiæ veneror, generose evectæ; & varia tandem cum fortuna luctatæ, ut decideret. Sed in reliquiis Heroici sanguinis postuma adhuc vivit indoles, & majores suos spirat, digna fortunæ fastigio, quo dejecta. Turriani ut semper viverent, exstingui, etiam cum crudeliter victi, non potuerunt; nunc iis quoque fatorum inclementia pares, à quibus attriti. Quippe Vicecomitum potentiam cum excepissent Sfortiæ, represserunt. Sfortias Galli secuti: inde Austriacæ mansuetudini fasces provinciæ subjecti, & simul Italiæ securitas refulsit. Nunc tamen originis suæ dignitatem Turriani repræsentant: &, ut sciret posteritas, quanti fuissent, signa magnitudinis atque vestigia in ruina servant; misera, si nihil fortunæ concedamus; gloriosa autem, si meminisse virtutis decora pulchrum sit. Plures eadem infelicitate familias populosque humani generis fatum involvit, quos extulerat: nec quicquam omnino fuit, quod in culmine opum viriumque constantiam sibi promitteret; aut sublime esset, & casui non obnoxium. Solem ipsum dies unus evehit, & lucis cinctum majestate medio sistit cælo, ut præcipitet iterum, & in noctem silentiumque mergat. Nimirum oriuntur omnia, ut occidant; incipiunt, ut desinant; rebusque cunctis vices agnatæ. Sed præcipue circa magna & alta fortuna ludit, & cum potentiam indulget, minari incipit, in ipso fastigio lubrica, & mox præceps. Tamen respicere majores laudabile est, & memoria generis atque magnitudinis ad pulchra & honesta erigi. Ex hac igitur stirpe & sanguine, frustra tot stragibus imminuto, castissimam suavissimamque vitæ consortem bona mihi fata adjunxerunt; datis quoque felici thalamo liberis, qui, cum magnarum rerum exempla in materna origine admirabuntur, patris adjuti nomine præsidioque, magnos virtuti (sic voveo) applicabunt animos, & majorum si non fortunam, certe indolem possidebunt.

Sed Rhæti, ut ad seriem argumenti revertar, per fragosas montium reliquias eluctati, in agrum Bergomatum descenderunt, jam sine obstaculo transituri Abduam, Gallicisque jungendi copiis, cum molestissimo fessos circuitu novus labor excepit. Nam Sfortia occurrens, & præsentes militiæ vires objiciens, velut agger influentem excepit undam & stitit. Variæ ultro citroque velitationes erant: ac deliberare de eventu communis adhuc Mars videbatur, cum totam rerum faciem suis armis Medicæus convertit. Atque hoc brevioris belli momentum fuit. Vix Bellano hostes discesserant, & cohortes ille suas educens, fines Rhætorum fulminis instar simul & terret, & invadit: Triplebem occupat, vallemque totam populatur. Bello igitur nivosi Alpium calles arsere, cum hostis nesciretur: quia defensores aberant, ad restinguendum patriæ incendium Theganus cum copiis revocatus. Sic labascere magis vires Gallorum cœpere, & animi: opida aliquot à Cæsarianis capta: hostilis exercitus primum variis minutisque prœliis accisus; ac demum, ut summam rebus iniquis manum fortuna imponeret, pulsus, vix reliquias copiarum domum remisit. Ultima ad Sessitem amnem clades accepta, qua & Petrus Bajardus, & Joannes Cabanæus fortissimi equitum ductores ciderunt. Ac nisi jam victus fuisset Gauferius, discere infelicitatem suo ipsius vulnere poterat: nam graviter in brachio sauciatus, è prœlio, & simul Italia excedens, ad fugam suis iter ostendit.

Rhæti interea temporis fines suos occupatos armis repetunt: cumque parum feliciter vis procederet, pactio placuit, & conditionibus pacis patriam vindicare. Missi ad Medicæum, & inde ad Sfortiam legati, qui amicitiam peterent, fœdus ferirent. Statutum est, *Ne in Ducem, aut Mediolanenses deinceps arma sumerent, aut hostibus auxiliarentur: contra Medicæus naves & opida restitueret.* Atque ille dum Sfortiæ obsequitur, res suas firmat; magisque obsequio fœderis Rhætos sibi conciliat, quam armis exulcerarat. Amicitia imprimis Thegani profuit, quo in viro proceram & pæne giganteam corporis molem invictus, & ad omnem fortunam belli strenuus animus insigniter commendabat. Hujus consuetudine quamdiu Medicæus usus, subsidia expertus est: nec divisit hoc virtutis vinculum, nisi communis iterum caussa.

Cæsariani recenti victoria feroces, quasi satis non esset, pepulisse Italia Gallos, belli vindictam in Galliam transtulerunt, auctore Borbonio, duce Piscario:

rio: prospera sperare militum quoque fiducia jubebat. Prorsus felicitati proximi erant Insubres, nisi gravissima pestis liberatam tantisper bello Metropolim afflixisset. Interea tamen Laus Pompeja, & Alexandria, quæ à Gallico adhuc præsidio tenebantur, receptæ. Sfortia cum lætiori rerum statu frueretur, minus ferre Medicæum cœpit, jamque posita simulatione, arcem Mussianam repetere: & quia post nuperas insidias vis reliqua erat, minari. Non deerant enim, qui bello agendum censerent, Principemque impellerent: *In subdito hostile crimen esse puniendum. Sed pro hoste Medicæum censeri, qui & benevolentiam Principis & minas juxta habeat: munitissima arce foveri consilia, quæ in provinciæ damnum erumpant. Denique, ut periculum exsulet, tollendum exemplum, quo scelestissimorum audacia hominum accendatur.* Sic Medicæum ad res novas infestus Principis animus compulit, & qui extorquere arcem conati, perdiderunt. Ardor ille & ignis ingenii quiescere non potuit, irritatus. Ac plane periculum erat, ne si externa in Sfortiam cessarent arma, Sfortiæ in Medicæum verterentur. Igitur securitas peti ab hoste debuit: missusque in Galliam Theganus, solicitatis à Rege Rhætorum animis, qui societatis fide Gallis Medicæum jungeret, gentisque suæ auxilia ad novum bellum sponderet. Atque tum audaci obsidione Massiliam Piscarius & Borbonius urgebant; sed quia in hostili pugnabant solo, non pro voto felices, quæ inferre voluere damna, experti sunt. Urbs valido præsidio munita hostium viribus par erat; & fides civium militumque integra, præcipuam victoriæ spem incidebat obsidentibus, cum nihil ad pervertendos Gallorum animos nomen Borbonii valeret.

Rex ipse vindictæ cupidinem induens, & suppetias misit, & cum dilaberentur hostes, cum ingentibus copiis fugientes insecutus est, perque Peninas atque Cottias Alpes in Italiam irruit, melioribus auspiciis infelicem ducum suorum fortunam correcturus. Sic exigua admodum interposita quietis mora, cum deliberare de Sfortiæ imperio & felicitate fata viderentur, malorum omnium tempestas acriori bello insævit. Regis nomen quantum potuit! Urbs ipsa Mediolanum furorem hostium non ausa excipere, quia patuit, clementiam experta est. Sine cæde aut rapina victoria fuit: quippe sine labore. Nam Piscarius præsidium eduxerat, cum ineptam bello urbem infrequentia civium fecisset: Sfortia autem rebus suis diffidens, per provinciam, quasi nullo loco tutus, errabat. Deinde quam inferre stragem Mediolanensibus Gallus posset, ubi omnia propemodum sævissima lues straverat, quinquaginta hominum millibus proxima æstate absumptis? Miserrimus urbis status, non crudelitatem modo hostium, sed & avaritiam cohibuit: nemo aut sanguine, aut præda manum inquinavit. Pauci quoque præter eos, qui ad arcem obsidendam missi erant, intraverant: cæteros in castris Rex continuit, ut præsente exercitu de summa rerum statueret; cum Metropolim nisi devicta provincia nollet visere. Missi interea qui Comum, præsidio destitutum, occuparent, viamque per lacum Larium Rhætis patefacerent, nuper non sine damno impeditis. Nam hi jam palam à Sfortia iterum alieni, cujus fortunam despicerent, societatem adspernari; & jam nova auxilia Regi Theganus addixerat, operam quoque fidemque Medicæi. Sed ille in tanta rerum hominumque conversione consilia sua suspendit, periculosum ratus, ad primas fortunæ blanditias flecti: *Non captum Mediolanum, sed relictum; potentem quidem Regem esse, sed impetu magis, quam consilio bellum geri; munitissimas à Cæsarianis urbes teneri: ancipitem adhuc Martis esse aleam, quamdiu pro Cæsare Piscarius, Leva, Borbonius bellarent.* Quod

A caput consilii, *Principem deserere, cum præceps spes victoriæ esset, nefas visum: quem metuere desiisset, jam dignum auxilio: virtutis invidiam, explorata sæpius fide, exstingui.* Decrevit igitur nutantibus opem rebus ferre, quantum armis ingenioque posset, juvare Sfortiam, & Mussium, totumque adeo lacum Gallis objicere. Vires pecunia collectæ sunt, & hanc necessitas severius extorsit. In tanto dissidio, civium hostiumque discrimen arma confuderant, laxiusque habitus miles, ut præda illectus, pugnam appeteret; belli vitio corraderet nummos, quos virtute mereretur. Quantum quisque raperet, unum ærarium capiebat; inde stipendia, præ-

B mia, rerumque subsidia prompta. Sic quantum omnes debebant patriæ atque Principi, Medicæus impendebat: Fortunarum cujusque minister, rem curabat publicam, suis velut auspiciis, sed omnium viribus hostes propulsurus.

Primum igitur cum aliquot è Regio exercitu cohortes Comum peterent, ingenti fiducia in subsidium civium, fratrem Baptistam cum insigni agmine jussit proficisci, hostemque arcere. Galli jam rati Insubrum urbes solo terrore capi, quia non pugnantes Mediolanum admiserat, directis ordinibus, tanquam sine obstaculo pedem & simul violentiam illaturi, signa produxere. Sed postquam

C præsidio teneri muros deprehendunt, & intenta in adversos arma, gradum retulerunt. Rex Metropoli potitus, nihil adhuc profecerat: quia sine hoste pugnatum, nulla victoria erat. In fuga adhuc fortes Cæsariani, etsi territi, meliori occasione bellum parabant. Castra deinde Regia Ticinum, sed inauspicato incœpto promota sunt: cujus urbis defensionem Antonius Leva cum Germanis susceperat. Ille in promptu milites suos habere, excubias stationesque per mœnia disponere, ipse circumire, & hortari, strenue se gererent; &, ut omnia diceret, *Germanos se esse meminissent, quos armis & fide mortalium omnium primos sæculorum consensus habuit.* Sed

D facile fortia pectora sermo virtutis accendit: ardere omnium animi desiderio pugnæ, hostem ultro lacessere, nullum periculum recusare: læto urbis vultu obsidio excepta est. Galli contra omnia agere, quæ aut vires Cæsarianorum, aut animos labefactarent. Machinæ admotæ sunt, muri concussi, stratæ ruinæ, cumque amplus satis aditus pateret, & Regis jussu signa canerent, instructa cœpit acies fossas transire, vallum ascendere, tam clamore quam armis pugnare. Totum hiatum prœlium implebat, & promiscuo sanguine madefacta terra lubricum pugnantium faciebat statum. Sed facilius Gallis fuit terrere, quam vincere: quem straverant aditum, occupare non po-

E tuerunt: & quia robustiora militum Germanorum pectora, quam urbis mœnia erant, summa vi & strage hostes rejecti. Rex ingenti suorum damno motus, protinus mutata belli ratione, claudere urbem statuit, & cruentam victoriam mora redimere. Prima industria in avertendo à muris fluvio consumitur, qui è summis Alpibus per Lepontios lacumque Verbanum vectus, & jam proximus urbi, in duo cornua scinditur, alteroque mœnia alluens, post breve iterum divortium, coit. Ergo summo ostio jaciuntur moles, ducitur agger, ac tandem ripa ripæ jungitur. Sic uno alveo vis aquarum coacta, totum urbis latus nudaverat, cum spissæ humore subitaneo

F nubes, vehementem cœpere aquarum vim effundere, terramque velut imbribus flagellare. Ticinus nimia colluvione tumidus, & quasi obicem indignatus, vasto impetu perrupit molem, & effractis compagibus disjecit. Actum de urbe erat, nisi fluvius pugnasset. At Cæsariani periculo moniti, neque satis jam aquarum præsidio tuti; quippe quæ novo subduci diverticulo poterant, totum secundum ripam murum vallo & fossa muniunt. Durat tamen obsidionis pertinacia, novumque aggerem incredi-

A biii opere & ſumptu hoſtes orſi, extrema minabantur.

Atque per id tempus à Rege Theganus redit, conditiones etiam voto majores pactus, & quales dare Franciſcus poterat. Sed animum ſeveriori jam conſilio Medicæus mutaverat, & ſpernere potuit, quantum Theganus paciſci. Is ingentibus abnuentem promiſſis ſolicitans, quem amicum, etiam fortunæ ſocium exoptabat. Blandus igitur fuit, iter commemorat, moram excuſat, & communem facit ſocietatis fidem. *Addicta jam Regi Rhætorum auxilia, in armis provinciam eſſe, tremere Inſubres: ne repugnaret occaſioni invitanti, admitteret conditiones, quas petierat, Alpium præſidio imperium, adhuc infirmum, ſtabiliret: ſine periculo fœdus eſſe, cui univerſa ſimul Rhætorum gens ſalutem committeret; honeſtum eſſe, quod ad liberandam ſemel bello patriam feriretur. Cum maximo Regem exercitu adeſſe, nuperis non dejectum cladibus, ſed ſtimulatum; armis vindicari provinciam, ad Aurelianos olim Principes jure devolutam: nuſquam niſi in fuga aut latebra tutos Cæſarianos eſſe, Metropolim captam, Ticinum clauſum, totam terrore regionem obſeſſam. Belli cauſſam è ſucceſſu diſceret: in res novas, langueſcente cum armis fœdere, Pontificem Venetoſque propendere. Igitur ne ſperneret porrectam fortunæ manum, quæ ſumma promitteret; ſtabiliret aliena potentia partum patria virtute decus, odiumque Sfortiæ, quia nullo leniri obſequio potuiſſet, bello exſtingueret: Principem eum eſſe cui fortunam debeas.* Atque ad hunc modum, rerum ſtimulo ſermonem acuens, conſilia Sfortianorum exaggerat, & injuriarum ſeriem longa verborum acrimonia extendit. Medicæus nihil dicentis conatu motus, libero & profuſo affectu animi ſententiam prompſit: *In rebus*, inquit, *conſiliiſque humanis niſi pœnitentiæ locus ſit, conditionis noſtræ immemores, divinam uſurpamus. Deliberare ex uſu, ſtatuere ex honeſto, pace belloque olim licuit, & quamdiu turpitudinem utilitas excludit, cœpta proſequi. Nulla adhuc neceſſitas ſacramentum meum flagitat: tuli conditiones, nondum pactus ſum; & tuus ſi affectus me abſolvit, ille in communi cauſſa ſuſceptus itineris labor, damnare deſtinationem meam poſſum. Fruſtra vero mutatam rerum faciem, fruſtra nuperas Sfortiæ molitiones producis. Quid ais? ſpretus fui? calamitas Principis injuriarum jubet oblivisci. Læſus fui? meruiſſe odium videar, in afflictum nunc & preſſum ſi inſurgam. Extra periculum nulla eſſe vindictæ cauſſa debet, nulla offenſarum memoria. Nocent ignavi, animoſque ſumunt, cum impune graſſantur. Jam vero præſens felicitas Regis blanditur quidem, ſed intempeſtivas conditiones facit: non ſine infamia defectio, quæ juſta cauſſa deſtituta eſt. Quamdiu trans montes exercitus Gallorum erat, Italia libera; excuſari conſilium poterat; nunc occupata provincia, in partes fortiſſimi ſi tranſeam Regis, ſequi fortunam vincentis videar, victi cauſſam deſerere. Tam fœdam igitur ut à nomine maculam amoliar, vel infeliciter pugnandum eſt. Succumbere, ne turpiter vincas, glorioſum. Hanc manum, hæc arma conſtanti militiæ fide Principi meo, Cæſarique devoveo.* Multa ad hæc iterum Theganus: neque tamen obfirmatum virtute animum orationis potuit ſuadela flectere. Ergo militaris & opportuna alioqui Medicæo amicitia, quæ vitæ, morum, & armorum ſimilitudine coaluerat, conſeneſcere non potuit; etſi in diſſidio publico ſemina privati affectus durarint. Theganus ad ſuos reverſus, ſtrenue exſequi cœpit, quicquid Regi patriæ nomine promiſerat, & quia ſuo ductu rem gereret publicam, auxilia maturare.

Strepitus iterum armorum ſaxeas convalles impleverat, & ab agro ad ſigna Rhæti reverſi erant, cum toto vix anno initæ cum Sfortia ſocietatis fides ſtetiſſet. At Moronus ea tempeſtate labentem paſſim fortunam omnibus fulcire auxiliis aggreſſus, inſigniter pro Principe ſuo nitebatur. Milites alibi, urbeſque ad ſeditionem præcipites prudenti facundia compeſcuit: Cæſarianos, cum ob pecuniæ defectum de provincia deſerenda cogitarent, retinuit: denique Germanis Ticini obſeſſis ſolerti ſtratagemate per media Gallorum caſtra partem ſtipendiorum ſubmiſit. Rebus adhuc deeſſe Medicæus videbatur, grande momentum, ſocius, aut adverſus: quippe qui Lario velut habenas injecerat, & Rhætis vicinus, prout inclinaſſet, fiduciam victoriæ eſſet allaturus. Auctor igitur Sfortiæ Moronus fuit, *Ut novis conditionibus Medicæum pelliceret: uteretur ſtrenui bellatoris virtutibus, quibus ut iraſci merito poterat, ſic generoſe ignoſcere: non periiſſe Muſſium, quamdiu vel ſuis in Gallos auſpiciis imperioque Præfectus pugnaret.* Nec ſpreta conſilia, cedentibus periculo odiis. Miſſus ad Medicæum Gerardus Archianus, & hoc interprete conſtantis amicitiæ conditiones agitatæ. Nuperas ſimultatis cauſſas ſepelire ſilentio placuit; favoris obſequiique vices amico fidei pigriore ordiri. Faciliorem etiam concordiæ nexum rumor jam de Rhætis fecit, in partes & caſtra Gallorum tranſgreſſis. Nam verſa indignatione, totum Sfortiæ odium in deſertores erupit. Medicæo perpetua Caſtelli præſidiique Muſſiani, & utriuſque ripæ Larii lacus, valliſque Saxinæ Præfectura, item Clavennæ, ſi ea potiretur, conceſſa; adjecto quoque ſtipendio, ut rerum anguſtiæ erant, luculento. Neque is otioſum aut inutile munus habuit: milite & pecunia uſus eſt, certamque ad victoriam Cæſarianis viam aperuit. Ut frangi Rex poſſet, Ticinenſi jam obſidione laſſus, auxilia divertenda erant. Qui ſuo paullo ante milite fortis, alienis bellum viribus trahebat. Sed Medicæus occaſionis momenta ponderans, ut Rhætos laceſſeret, vim inferre agris ſtatuit: *Imparata domi arma eſſe; ad Patriæ periculum mox Theganum cum copiis recurſurum.* Communi conſilio depopulatio deſtinata, & quia vi majore opus erat, ſubmiſſi in auxilium à Sfortia pedites quadringenti, ad prædam cædemque pariter prompti, qui in homines atque adeo rupes ipſas ſævirent. Agmine inſtructo, cum magno digna facinore virtus militum videretur, & quorum audacia regioni ſufficeret, ampliorem præda victoriam concepit: *Semel igni & ferro vaſtatos eſſe fines; capi & occupari poſſe: glorioſas eſſe divitias, quas ubi rapis, ſimul poſſides: non armenta jam, ſed mœnia placere; populari, ut conſiſtas, pulchrum eſſe; ſed ignava ſpolia, quæ fuga ſervat.*

Clavennæ igitur arcem opidumque tentare dolo, velut auſpicio placuit, & hinc, quid arma auderent, experiri. Clavenna in reducta & patente valle ſita, radicibus montium, qua Sol oritur, adjacet, & quadrato murorum cinctu munitur. A capite lacus decem millibus paſſuum remota, Meram amnem, varia fontium rivorumque ſcatebra collectum, latere uno excipit, & amœno anfractu in Larium emittit. Arx gemina, in tutelam velut opidi, proximam modico intervallo rupem occupabat: altera ſublimis, & ſupra vim omnem repentinam poſita, faſtigium extulerat; nec adiri, niſi anguſto & utrimque exciſo centum quinquaginta graduum aſſcenſu poterat: altera inanis, & prope otioſa, ad radicem montis velut procumbens, continuo muro ambulacrum in turrim oppidi pervium ſuſpendebat. Ut ſpatium loci æſtimares, veteris ſtructuræ ruinas robuſto adhuc ambitu mœnium complectebatur, viam in crepidinem præbens. Inſubrum olim hoc opus fuit; & dignus caſtello mons, qui intra fauces ſuas niveſque Rhætos coërceret.

Sed

Sed tam vicinum limitem ferre gens Alpina non potuit; quia libera, indoleque ferox, jugum putavit, quicquid ante oculos urgeret: adeo verum est, exasperari populorum animos, si constringi metuant. Quæcunque homines terra dedit, mater est; omnibusque Patriæ affectum natura indidit. Sed nulla gens majori contentione delicias, & fertilissimi soli glebas, quam ista cautes & sterilia saxa propugnavit. Non loco, sed ingenio libertatem Rhæti metiuntur, & adspernari locorum squallorem angustiasque incipiunt, quoties claudi. Si recte tamen naturæ dotes arbitreris, etiam rigentibus vallium campis, asperrimisque montium jugis sua amœnitas est: in ipso horrore invenias quod placet. Ubi cuncta deesse censeas, maxima varietas est. Æternum alibi nivium onus vertices sustinent; alibi vernaculum candorem frondosa distinguunt juga. Jam calvities rupium summa æstate, canities adulta hieme, venerandam senii quandam dignitatem repræsentant. Altissimis deinde scopulis cadentes, & elisæ in spumam aquæ, cum strepitu ruunt, & impactæ saxis velut irritamentis incitatæ, rursus subsiliunt, donec leniori paullatim alveo receptæ, injuriam vincunt loci, coloremque, posita violentia, vindicant, & in limpidissimos rivos effunduntur. Surgunt hinc inde marmoreæ montium moles, murorum turriumque velut imagines, & structuræ quædam miracula mentiuntur. In vallibus sparsæ villæ, & opimæ alibi glebæ; in sterilitate fertilitas, in horrore amœnitas, in solitudine frequentia: oculorum delicias hic pictura invenit, & omnem tamen artificis industriam natura vincit. Jam rupium fauces, callium anfractus, fontium scaturigines, torrentium nunc impetus, nunc ignavia, pontium fornices, lacuum æquora, pratorum colores, arborum proceritas, denique nova ubique telluris cælique facies spectantium rapit oculos & moratur. Accedit itinerum securitas; ut tota provincia, tanquam una in urbe peregrineris. Ut scias deorum hic quoque Penatum religionem esse; pro Patria, quoties incurrit hostis, pugnatur: & soli pretium æstimari; inveniat miles, quod ferro & igni vastet: etiam in abdita & conclusa excelsissimis montibus loca aurum congessit avaritia, tanquam securius possessura. Nulli prorsus sine opibus mortales agunt; & ne hostis desit, cumulant omnes quod ad rapinam avaros animos accendat. Divitiis florere Rhætos, virtus & vetustas indicant, & libertas ab origine gentis adhuc superstes. Atque ut veterem rerum memoriam revolvam, Victi olim, non domiti à Romanis, sudore & sanguine vires atque fortunas instaurarunt: strenui quidem, quod rapere ab hostibus manubias potuere; opulenti, quod amittere. Ergo quorum animi omni bello majores erant, concludi postea libertas non potuit: etiam Insubribus restiterunt: & ne provinciæ limitem suo arbitrio hostis tam vicinus figeret, structam & objectam sibi à Mediolanensibus arcem Maximiliano Sfortiæ ademerunt. Omnino quasi situ loci & opportunitas cogeret, produxere terminos; cum ab una hac arce aut timere Rhæti possent, aut timeri; tuti ac securi suo præsidio, hostili & alieno obsessi.

Sed Medicæus, ut universam regionem concuteret, arcem petere insidiis statuit. Cohortes in promptu erant, consilia in expenso, quibus, si fortuna faveret, nomen & potentia crescerent. Selecti è toto numero novendecim, fide & robore præstantissimi; & his ductor, invicta indole juvenis, origine Rhætus, nomine Riccius, rerum & locorum gnarus, quem peculiari affectu Medicæus pridem sibi junxerat, magnis aptum rebus, & perenni dignum fama, nisi Patriæ charitatem civis violasset. Gentis suæ oblitus, strenui laudem quam A boni maluit; & nullum soli natalis beneficium censuit, modo militem se præstaret. In damnum popularium fortis, hanc tamen veniam impetrat, quod Medicæo obsecutus. Summa hiems erat, & cæli rigore aspera omnia atque concreta gelu, cum paullo ante continuis imbribus Mera auctus, cursuque violentus, præcipiti impetu murum juxta turrim straverat, quæ ex urbe in arcem clausa ac suspensa via transitum pandebat. Riccius explorato in antecessum situ, noctu cum suis ad opidum venit, & vadato amne, qui nulla aut tenui adhuc glacie sternebatur, summo cum silentio per murorum hiatum scandens ambulacrum, in arcem inferiorem e- B vadit. Ruinas igitur milites subiere, ut & in occulto, & extra injuriam rigentis cæli laterent: sed quia madidi, asperrimo per quietem frigore vexati, ærumnosam & felici dignam luce exantlabant noctem. Summa consilii erat, aut in arcem erumpere, aut Præfectum capere, & deditionem extorquere. Summo mane è rupe descendens satelles, claviumque fascem bajulans, per arcam & Hypæthrum ad opidum pergit, ut jussu Præfecti, & ex more portas reseraret. Riccius ad omnia intentus, quia superiorem arcis aditum animadvertit non sine custodia esse, & ex re sua putaret opidum aperiri, suos continuit. Suspicari etiam cœpit, ea nocte C Præfectum in opido cubasse. Ergo sine obstaculo satelles transit, munere suo fungitur; & mox Rhætis nonnullis comitatus redit, qui salutatum Præfectum venerant, officii quoque caussa deducturi. Fabulis intenti, incaute incedebant, cumque jam proximi ruinis essent, è latebra Medicæani strictis pugionibus exsiliunt, Præfectum rati adesse. Errore deprehenso facinus tamen peragunt; manus & mox vincla non repugnantibus induunt. Ac silentium quidem primum stupor, deinde vis imperavit. Ne carcer deesset, iisdem ruinis & capti & liberi latebant. Præfectus, ignarus eorum quæ acciderant, etsi accusare moram famuli poterat, ultra D investigare desiit, à suspicione infortunii alienus. Nam quod periculum, ubi hostis non erat? Finibus tuti, in Italiam & bellum & simul metum Rhæti effuderant.

Ex arce igitur ipse Præfectus descendit: iturus ad opidum, filium adhuc puerum ducit, quem satelles sequebatur. Dies solennis erat, & partim animi, partim rei divinæ caussa maturius ibant. Quis ubique fortunæ ludus! Inferioris adhuc castelli mœnibus septi, & tamen hostili impetu repente obruti, scire non poterant, in quorum venirent potestatem. Riccius sine mora Præfectum raptans, infesto jugulum gladio petiit; &, *Istud*, inquit, E *tibi nunc ferrum fatale vibro, nisi præsentem mortem castello redimas: periisti, nisi confestim fortunam agnoscis, aditumque pandis. Quid cunctaris? hostis, & armatus adsum; crudelis quoque, nisi vitam æstimas. Iterum, quid cunctaris? aut anima, aut Præfectura ponenda est: tu elige: nobis quod audacia tentatum est, vis perficiet.* Sed temnente minas Præfecto, qui mortem honestam turpi vita potiorem duceret, magis urgere Riccius cœpit, & furoris personam vultum induens, *Vincet*, inquit, *sævitia pertinaciam; sed vos commilitones, ferrum una stringite, una ferite; ut omnium cadat manibus, qui cunctos spernit. Non satis unum vulnus, nec mors* F *una satis, toties modo perire possit, quoties cædi.* Sic ille, cui parcere statuerat, minas & arma intentabat. Ductis igitur sub ipsa arcis mœnia captivis, cum ficta crudelitatis scena lanienam Medicæani adornarent, ingenti armorum strepitu Præfecti familiam conterruere. Uxor è murorum pinnis dispiciens, cum subjectum mucronibus minantium charissimum videret maritum, tristi ejulatu lacrymisque manantibus deprecari vim cœpit: *Crudele inhiberent ferrum, neu unius cæde duos perimerent:*

suam in mariti corpore animam vivere; se tum maxime haurire vulnera, cum spectaret: nec lædi virum posse, nisi ut in mulierem sævi essent. Si latrones venissent, prædam spectarent, non sanguinem: sin milites, annis captivi parcerent, lytro contenti. Vocem contra Riccius tollens, *Milites*, inquit, *sumus, non latrones: sed vis & crudelitas in hostem permissa. Arcem poscimus: tu vide, pluris maritum, an domicilium facias. Quod iste negat, tu præsta: una hac rupe amores tuos redimas. Id unum captivi pretium est.* Sed Præfectus generosum promens animum, uxorem ad constantiam adhortatur: *Negligeret maritum, quem sine scelere servare non posset; imo quem servatum iret, ut occideret. Vincula, mortem, æternumque à Patria sibi probrum imminere, si arx dedatur: periturum se turpius, si vitam deberet latronibus, fide projecta. Mori in malis non esse, omnibus contingere: si pereundum, referre tamen qua caussa, aut culpa; militis, an carnificis manu: se paratum, quamcunque hostibus crudelitatem scelus dictaret, intrepide excipere: proinde non vitam modo spectaret mariti, sed famam; tueretur arcem, qua salva, nihil amitteret.* Riccius, quia ex sententia minæ non procederent, & cum periculo mora esset; acrius urgere cœpit, leviterque, quem proximus impellebat miles, Præfecti filium vulnerans, hoc velut ultimo immanitatis ludibrio paternum maternumque affectum stimulavit: &, *Senties igitur*, inquit, *qua mercede pertinaciam extollis: ut sæpius occumbas, spectabis pater filii funus, priusquam moriaris, & utrumque occidet diviso nomine uxor materque, quia non servabit.* Simul vero truces componens oculos, imbuendum innocenti sanguine ensem sustulit, tanquam percussurus. Non diutius naturæ stimulis repugnare Præfectus potuit. Victus & pallentis pueri discrimine, & mœstissimæ conjugis planctu, arce salutem pactus est, & necessitatem æstimavit. Ut pius esset, peccare in patriam sustinuit; difficiliusque in gemina ærumna patri fuit, spectare mortem filii, quam occumbere. Haud mora, intra mœnia Medicæani recepti, tantisper in custodia Præfectum familiamque habuere, dum lustrarent penetralia, & felici jam audacia insidiarum calliditatem sequerentur. Nam quasi ampliorem successum fortuna promitteret, victoriam absconderat; cum minor intervallo strepitus, prodere hostes opidanis non posset; & viæ facinorisque arbitros novus adhuc dies arcuisset. Dispositis, qui ingressum aditumque custodirent, paullisper in arce cum suis Riccius tanquam in ruinis iterum latuit. Etsi tutus, sciri tamen victor noluit; ut imparatiorem Medicæus hostem jam adventans reperiret.

At in urbe publica pietas populum collegerat, & sacrorum solennia mysta adornabat, cum nec pro more, nec pro die Præfectus veniret. Mirari omnes, & adversæ valetudini moram adscribere. Missi igitur quatuor è primoribus, qui exploratum irent. Hi funguntur officio, gressum ad arcem dirigunt, scanduntque: mox, tanquam ad Præfectum admitterentur, introducti sunt, vinculisque extemplo mancipati. Sequuntur & alii, pluresque eodem dolo delusi, qui partim ex urbe, partim aliunde ventitabant. Tradunt, quadraginta quatuor in arcem & vincula venisse, stirpe & fortuna præcipuos: & hæc velut belli pignora idem carcer detinebat. Civium si numerum sortemque æstimas, jam magna ex parte opidum quoque Medicæani ceperant: vinculis hactenus, non armis pugnabatur, & quod pulcherrimum victoriæ genus est, nemo occumbebat. Non potuere tamen diutius fortunam suam opidani ignorare. Fraus statim à meridie detecta, quia nemo rediret. Ergo quod in tumultu solet, arma nemo non corripuit: alii per urbem discurrere, alii, quos furor & propinquorum ærumna stimulabat, ad arcem contendere, clamore fremituque hostes provocare, & verbis proscindere. Nec ulterius aut ferre ludibria vociferantium Riccius potuit, aut arce ferociam claudere. Ut pares dolis vires ostenderet, in subjectos sparsosque cum paucis aliquot suis erupit. Facinus, etsi temerarium atque intempestivum, tamen, quia successu non caruit, haud indignum gloria fuit. Atque hoc ipsum adversarios terruit, quod tam pauci pugnarent, audacia in suspicionem insidiarum deducta. Ergo dum in discrimine de prœlio opidani deliberant, animos hostibus addidere. Nihil facilius, quam perculsos rejicere. Medicæani autem, cum stravissent proximum quemque, reliquis in fugam dilapsis, etiam spolia cœperunt legere. Sic vero natus injuriâ pudor virtutem revocat, & renovata audacia majorem colligit hostium manum ac reducit. Quia pulchrum putant omnes, defendere Patriam, gloriam æstimant; & quia facile paucos vincere, confluunt undique. Ergo & numerus vires facit: ac diceres velut impulsam ventorum vi procellam, in adversos multitudinem agi. Quî resisterent? cum fessi omnes pugnando, & duo gravissime vulnerati, in arcem se receperunt: quam armis sustinere vim non poterant, rupe arcuerunt. Res ad obsidionem spectabat, & quia alimentis arx destituta, expugnari statim fame poterat. Satis igitur, aditum claudere: & tamen ne exercitus deesset, ante Solis occasum mille quingenti pedites è vicinis vallibus ad opidum convenerunt.

Medicæus, relicto in arce Mussiana fratre, ea nocte agmen suum movit, quod ad septingentos jam pedites creverat, & Clavennam versus iter instituit; etsi remoram validam aer cælumque objicerent. Ipse milites exemplo suo trahens, viam pedibus ingressus est, cum ne sic quidem frigidissimæ rigorem noctis posset vincere. Sed terra quo asperior gelu, magisque vestigio euntis resisteret, amplius obdurabat ad iter animum. Ardor autem gloriæ algorem omnem mitigabat: nam occupatam à suis arcem in via intellexerat; *Sed nisi confestim cum copiis adesset, pulcherrimam è manibus victoriam labi: aliquot jam vallium incolas in uno cum armis opido esse, nullam in castello annonam, atque adeo auspicium pugnæ cum fame cœptum.* Perrexit igitur, felici eventu gestiens: & ducis alacritate milites incaluere, cum turpe quisque putaret non sequi. Sic vero paucis horis & parvo itinere totam hiemis injuriam emensi, ad Clavennæ mœnia pervenere, non minus pugnæ avidi, quam prædæ. Ut prævius pavor hostes percelleret, cum strepitu & clamore cohortes jussæ incedere. Plura toto agmine pulsata tympana, arma concussa, & cuncta ad simulationem magnarum virium instituta. Nec parum apud rudes fallacia terroris valuit, exercitum aliquem mentita. Metu consternati, cum suspecta essent omnia, fugere maluerunt, quam experiri, quos timerent. Igitur tumultu magis magisque gliscente, pauci ad pugnam se parare, alii latebras quærere, & periculo vitam subducere; nemo in commune consulere; quod quisque metueret, nolle. Tanquam in opido nequaquam tuti, montes suos petituri, & penetralia Alpium, excessere. Sed Medicæus, intrepide irrumpens, extremum fugientium agmen adoritur, & militum libertati iram indulsit. Sic non sine strage, qui fugiebant disjecti; & ut experirentur quæ timuerant, coacti repugnare. Sed virtus semel fracta impar deinde discrimini fuit; satisque armis profecerat, quisquis evasisset. In hoc quoque conflictu vim suam casus ostendit, objecitque vincentibus quod formidarent. Nam magno animo in hostes invectus Medicæus, cum pugnaret ipse, militisque simul & ducis impleret munia, discrimen subiit,

subiit, & victor, ut omnem fortunæ vultum suspectum habeas, aliquam victi conditionem sustinuit: glande plumbea vulneratus, subsistere cohortes jussit, & ad opidum, inciso velut successu, reverti. Ne mollius referret gradum, quam protulerat, vehiculum recusavit; virtute formidolosior, quod læsus rediret. Vulnus examinatum, & quia periculo caruit, tum quidem neglectum. Nihil igitur de vigore remittens animi, ipso dolore & cruciatu fortis, tantum sibi otii non permisit, ut decumberet. Hostem pepulerat, sed reversurum: & tali ingenio Rhæti sunt, ut nisi omnes victi, non quiescant. Tanquam tota in membris provincia vivat, vires habet; & ut sæpius pugnet, robur colligit. Alibi cladibus mitescunt incolæ, & submittunt animos; hi partim indole, partim situ ferociunt.

Sed Medicæus arce & opido potitus, ab eventu vota auxit, omnemque majori violentia perturbare Rhætiam statuit; non exspectare hostem, sed lacessere. Simul munire opidum cepit, & instauratis ruinis, Meram robustiore muro coercere. Arx vero & milite & commeatu instructa. Diffudit mox fama lætam aliis, aliis tristem victoriam, ut partes erant, & in eas Insubres inclinabant. Sfortia & frangi Rhætos hoc tempore, & occupari Medicæum, utile arbitratus, suis asscripsit rebus, quantum aut isti amitterent, aut ille acquireret. Ergo ut magis utrosque collideret, & hæsuras irarum caussas acrior injuria daret, fulcire vires Medicæi novo subsidio decrevit. Ratus quoque, quod caput erat, *Pressis domi Rhætis, revocatum cum auxiliis Theganum iri; Regem tam firmo destitutum robore, pelli Ticino posse; aut certe sponte discessurum.* Nec mora: selectum peditum Cremonensium agmen Clavennam Franciscus Mattius duxit, numerum Medicæanorum Sfortiano milite aucturus. Atque opportuna hæc subsidia, cum universa pro aris focisque Rhætia moveretur. Medicæus, ut nova clade animos hostiles & vindictæ apparatum frangeret, effudit terrorem suum, & in vallem usque Bergellensium excurrens, cuncta populatus est. Quicquid rapi potuit, militi cessit; atque ille prædæ dulcedine illectus, & ex eventu spem sumens, longius etiam bellum exoptabat.

Interea Mussium cum tertiis copiis Archianus appulit, à Sfortia affligendis penitus Rhætis submissus: de cujus adventu Medicæus accepto nuncio, jam (ut caute quascunque explorabat fortunæ insidias) suspecta habere cœpit auxilia, quæ abundarent: atque ut nova expeditione in hostem diverteret, & consilia sua metu liberaret, occurrere Archiano, adhuc amico, statuit; & maturo remedio moram properanti injicere. Itaque quinquaginta subito equitibus instructis, quos è toto militum numero selegerat, celerrimo itinere obviam ire cœpit. Cum Suricum pervenisset, ripam opidumque deprehendit frequenti milite impletum. Monitus igitur Sfortianas istuc copias appulisse, equites suos mox redire Clavennam jussit; ne diutius infirmior præsidii manus esset: ipse cum puero opidum intravit, ad Archianum venit, & quantum designaverat callide moliens, magno affectu hoc egit, ne tam pulchra dictu, quam usu necessaria, & quæ maxime spectarent Principem, loqui videretur. Verborum hæc fere sententia fuit: *Præsentem fortunam pulcherrimis ausis annuere: satis hoc tempore præsidii Clavennæ esse: majoribus etiam in uno loco copiis alimenta non suffectura. Opidum arcemque viribus Rhætorum parem. Itaque augendam nova irruptione victoriam, quæ nisi incrementum sumeret, securitate destitui. Recenti adhuc plagæ si vulnus accedat, dolorem crescere. Hostem, majori etiam injuria quam damno irritatum, iterata clade percelli debere: animis devictis, vires labi.*

A *Nihil utilius, quam divisis copiis uti. In partem gloriæ & ipse veniret, occupatos atque districtos vinceret. Prorsus ferro & igni agendum esse, & quicquid furor atque avaritia militis suadet. Frustra in cineres tecta labi, nisi Alpes nivesque arserint. Frustra ali incendium, spargi debere: duraturum si longe lateque flamma sæviant. Proximam Volturenam cogitaret vallem, ut gleba fœcundam, ita injuriæ opportunam. Vastandam esse, ut erepta hosti videatur: in damnum relinqui, quicquid aut non rapuerit miles, aut non consumpserit. Atque in his præcipue campis pascuisque vires Rhætorum sitas esse: frangi porro animos posse, si miseri esse hic incipiant.*

B Cogitaret etiam, *In Rhætis jam Gallos vinci; in Alpibus ipsis exercitum Regium enervari; Theganum cum copiis rediturum.* Addit, *Sine sævitia quoque jam ambiguam felicitatem esse. Terruisse hostem, partem victoriæ esse; caussam cladis, si ultra nihil timeat. Majoris momenti apud Rhætos fore non amittere fertilem irriguamque convallium planitiem, quam rupis unius arcem recuperare.* Archianus persuaderi sibi passus quicquid destinaret Medicæus, agmina per lacum transvexit, & in Volturenam ducturus, Morbonium petiit: atque inde Medicæus modico præsidio stipatus ad summum lacum pervenit: tum remissis militibus, sive

C contemptor periculi, sive quia tutius visum, fallere hostem, quam perfringere; tanquam vilis ignotusque iter ingressus est, Thoma Bossio Mediolanensi, egregiæ & antiquæ stirpis viro, quem familiarem olim habuerat, velut comite assumpto.

Rhæti interea moniti Morbonio discessisse cum præsidio Medicæum, Clavennamque redire, valida instructa manu, viam insidiis occuparunt, ut incautum interciperent. Sed dum in latebris hærent, & summo cum silentio hostile aliquod agmen operiuntur, Medicæus Bossiusque vili jumento uterque insidens transeunt, aut non visi, aut neglecti; ut fallere, sive etiam latere potuerint, qui sic

D soli vehebantur. Hostes igitur dum insidias tegunt, vim armatæ multitudini objecturi, inermis è manibus præda elapsa est. Prorsus in potestatem Rhætorum Medicæus venisset, si quis putasset ausum sine præsidio proficisci: quia maxime capi potuit, evasit; & quia comitatum sprevit, extra discrimen fuit, insidiæque sive fortuna, sive calliditate audentis delusæ. Sed frustra consilium facinoris ad examen deduco: tam feliciter elabi meruit, qui periculum contempsit. Quo gaudio, etiam admiratione à suis exceptus: & virtutem præ fortuna æstimantibus amplius propemodum erat, solum, quam salvum rediisse. Nam de consilio hostium

E certiores facti, insidiarum nuncios miserant; sed illi partim intercepti, partim metu in diversas partes dilapsi, indicium nullum pertulere.

Interea vario tumultu provincia æstuabat. Rhæti, cum & Clavennam Medicæus muniret, & Volturenis immineret Archianus, novam calamitatis facem accensurus, summis viribus propulsare bellum aggrediuntur. Litteræ igitur ad Theganum missæ: *Morem illico gereret, castrisque relictis Regiis universas domum copias reduceret. Claustra Alpium à Sfortianis, duce Medicæo, reserata esse, viscera provinciæ gravissimis vulneribus obnoxia: nisi properent, patriæque auxilium ferant laboranti, extrema timen-*

F *da esse. Agros uri, opida capi, omnia ferro & clade deformari. Non subduci Regi militem, aut sacramento solvi; sed ad incendium commune restinguendum tantisper occupari. Firmatis domi rebus, & è sinu hoste summoto, auxilia ad Gallos reditura.* Adeo apud Theganum reliquamque juventutem imperium valuit, ut sine mora signa, Regiæ militiæ oppignerata, è castris extulerint, neglecto stipendio, pro fortunis domi periclitantibus dimicaturi. Discrimen ante oculos erat, ne dum alienæ po-

potentiæ urbes adjicerent, suas ipsi amitterent, & majori damno quærerent conducti prædam, quam à finibus hostem non arcerent. Illa quoque cogitatio subibat: *Aris focisque jus omne cedere, arma obstricta esse: nullam foris victoriam fore, si domi interea vincerentur.* Sic honesta velut avaritia, affectuque Penatum commendata, gloriæ iter retardat; quasi & pietas criminis patiens, & cesset sacramenti nexus, ubi patriæ necessitas fidem interpellarit. Non mittere auxilia satius fuerat, quam revocare; & Sfortiano fœdere colere pacem, quam, mutatis armis, in novam partium fortunam transire. Nunc utrobique jactura est: quem nuper deseruerant socium, hostem faciunt; & majori inconstantia inimicant, quem secuti. Igitur è castris, Rege nequicquam obnitente; sex millia Rhætorum excessere, robur exercitus, unicumque victoriæ præsidium atque columen. Qua defectione concussis reliquorum animis, à metu & torpore ad spem novam fiduciamque Sfortia erectus, pugnandi cogitationes instauravit. Lanoyum reliquosque duces Moronus incitabat. Quia belli aleam tentare placuit, exploranda jam militum quoque voluntas erat, qui stipendia nuper flagitarant, per inopiam obstreperi, & ad tumultum proni. Piscarius igitur gloriæ desiderio maxime flagrans, in unum undique copias contrahit, & conficiendi belli occasionem commendans, magnis promissis variaque oratione omnium animos implens, obnoxios sibi reddit, & ad pugnam capessendam animat: *Ne recusarent fortes esse, aut summam bello manum imponere. Se virtute eorum fretum, qua pluris semper gloriam, quam pecuniam fecissent, nunc, cum maxime stipendia numeranda essent, ad discrimina adhortari. Sed Cæsarem esse, qui deberet: ejus nemini unquam militiam fraudi fuisse: brevem dilationem æris liberalitate pensaturum.* Adjungebat, *Certissimis se nunciis admonitum, ingentem pecuniæ vim ex Hispania jam transcriptam esse: ne ambigerent, potentiam maximi Imperatoris etiam fide vinci: ut bella sunt, impedimenta quoque objici: in angustiis autem rerum amplius esse, moram ferre, quam stipendium meruisse. Hæc se illis dicere, quos sciret famæ desiderio duci: sed si fructum militiæ spectarent, suavius post victoriam æs fore. Præda necessitatem explerent, mercedem in fortunarum ornamentum deinde admitterent. Belli igitur conficiendi certissimam spem affulgere: arma nunc caperent, paullo post stipendia. Ut amplius possiderent, ferro aurum rapi posse, nec periculum esse, modo auderent vincere. Notum & infelicitate sua contemptum eviluisse hostem: superari & fugari posse, nuper virtute ipsorum victum atque Italia expulsum. Ipsum quidem jam adesse Regem, post tot clades, non præsidium virium, si fortes essent; sed augmentum prædæ, si vincerent. Circa muros unius urbis desidere, lente agere, & victi imaginem induisse. Exhaustum robore exercitum; abiisse Rhætos: cum reliquiis tantum copiarum rem fore; & has obsidionis tædio potius, quam otio elanguisse. Nihil se de ingenio hostium dicere, omnem in primo impetu vim esse: hunc sustinerent, facilem successum fore. Ut flammæ quædam è palea aut stupa plus lucis quam ignis habent: sic terrorem omnem esse, ostentari magis, quam inferri; effundi iram, ut deficiat; quemadmodum & animalia quædam amisso aculeo torpent: mox in pavorem minas commutari. Itaque animos sumerent, Cæsaremque cogitarent: pro tanto nomine fortunam fore.* Facilis ardor Hispanos corripuit: & horum exemplum Germani secuti, pollicentur operam, generosum rati, trimestri obsidione obsessis popularibus opem ferre.

Sed amplius quoque fata destinarant: præcipitare Gallorum vota, & prostrato atque exciso exercitu Regio, novis dissidiis armisque Italiam distringere. Ut fallax fortunæ vultus est, repentinam rebus mutationem una dies unumque prœlium attulit, cum magna pecuniæ inopia duces Cæsarianos premeret, & non pugnare quoque clades esset. Egestatem seditio sequitur, & hæc corrumpere spem relictam poterat. Sic vero Piscarius, quæ in promptu non erant stipendia, rapere statuit; & quicquid miles flagitaret, hosti extorquere. Universum exercitum in duo equitum, quatuor peditum agmina distinxerat. Primum ex Hispanis, Germanis, Italisque; secundum è solis Hispanis; tertium quartumque è Germanis conflatum erat. Rex contra, cum audisset adventare hostem, copias omnes citra Ticinum amnem contraxit. Castra à fronte, à tergo, & sinistro latere præaltis fossis valloque munita erant: dexterum muro Circi satis tutum videbatur; præsertim Mirabelli, quod in meditullio palatium erat, olim venationis caussa exstructum, præsidio equitum peditumque ad tutelam disposito. Media nocte, cum in pugnam duces omnes denuo consensissent; agmina promota sunt; &, ut ad hostem via sterneretur, muri partem repentino impetu fabrorum militumque manus demolitur. Tum in Circum effusus exercitus, hostem infestis signis petiit. Primum peditum agmen Mirabellum ab introitu petiit: atque ibi, præsidio strato, felicem pugnam Cæsariani orsi. Reliquæ acies in castra Regia diriguntur. Fit prœlium, auspicio ipso atrox; & primo Galli, qui in peditatum Hispanorum incurrerunt cum strage rejecti sunt. Succedunt è Castris Helvetii, velut irritati, & à fuga suorum iras sumunt: simul à latere equites Galli tanto impetu invecti sunt, ut valida illa Hispanorum acies retro cesserit; sed tanquam spiritus colligeret, & mox acrius irruptura: non sustinuisse impetum, irritamentum magis pugnæ, quam damnum erat; & jam aut vincere, aut perire omnes decreverant; si spolia non raperent, cum gloria occumbere. Sistunt igitur gradum, & ad vulnera jam immobiles, cum, incitante Borbonio, in cuneatam frontem acie exporrecta, subsidio Germani veniunt, acriterque victoriam moliuntur. Gliscit pugnantium ardor, ac primum equites hostium confecti sunt: Helvetii quoque post cruentam cædem profligati. Rex suorum strage perturbatus, ad reliquias exercitus circumtulit oculos, & nobilem illam selectamque ultimæ fiduciæ manum, qua stipatus erat, compellans, *Frustra*, inquit, *verba consumo, Amici & Commilitones, nisi amplius jam virtus vestra, quam rabies hostium possit. Quid facto opus, tristior fortuna monet, vi & ferocia paucorum corrigenda. Neque animum cujusquam otioso imperio onero; facturus quod exigo, ad prœlium hortor; & ne solus pugnem, vestram imploro opem, & simul fidem exigo: nunc enim non tantum an strenui sitis, sed an Regem ametis, sive felicitas mea, sive calamitas intelliget. Atque communis hæc jam caussa est; quia non de imperio, sed pro salute dimicandum. Hoc agite, irruite, & ab ultimo dedecore nomen vindicate gentemque Gallorum. Me quidem segnem posteritas non dicet; & si quid tristius accidet, scient omnes, non virtutem, sed fortunam defuisse. Ut omnia dicam: aut vincendum, aut cadendum est: fuga & ignominiam & ruinam majorem trahit. Sprevisse mortem initium victoriæ est. Ac sane si robur æstimamus, pares adhuc hosti sumus. Ille vero jam fugam nostram operitur, imo ferocia fessus, & prædæ inhians, quos straverit, non à quibus sterni potest, numerat. Sed nihil adhuc egit; quia vestris jam dexteris feriendus, superari potest. Præeo ecce, & ut commune periculum pares excipiat, posita velut majestate, miles fio; experturus, an ut sceptrum, sic & ensem geram. Vestro mox beneficio Rex iterum ero, aut non ero. Longiorem orationem nec vestra patitur virtus, nec necessitas permittit: sed tanquam omnes*

omnes incitem, & dispersos colligam, exemplo pergam loqui. Simul vero equum concitans, in hostem fertur. Tota nobilitas, oratione & simul fortuna Regis mota, impetum una facit, omneque infra virtutem discrimen habuit. Atque jam in rupto ac pæne victo exercitu vigor iterum erat, quia Rex pugnabat. Hunc integri sauciique sequi: quo cæso, aut capto, nec volebant incolumes esse, nec poterant. Omnis igitur equitatus Cæsaris acriori in Gallos impetu conversus est, & vi magna universam aciem confudit. Cadunt ex hostibus plurimi; & tanquam stragi sufficerent, gradum servant. Instat miles Cæsarianus, & jam vincendo sævit. Ubique clamor, horror, & morientium gemitu calamitas tristior. Sanguine madebant campi, vix primo adhuc colore veris vestiti; & strata atque congesta cadavera sævitiam quoque occidentium retardabant. Vacillantem adhuc Gallorum fortunam Antonius Leva impulit: is eductis ex urbe Germanis, & pugnandi avidis, hostes à tergo adortus est, valideque pressit: nec finem ante cædendi fecit, quam turbata & dissipata undique acies Gallorum succumberet. Regem fortiter dimicantem, equus labore fatiscens destituit, tandemque vulneribus confossus, & provolutus pugnantem effudit. Putares exercitus totius robur simul concidisse. Sed ille dum se erigit, à Cæsarianis comprehenditur; & mox agnitus, in potestatem Lanoyi venit. Tum cædi omnes, aut capi maluerunt, quam fugere; & quisque morte turpius censuit, gradum sine imperatore referre. Solus tamen Alenconius, rebus desperatis, fugæ dedecus sustinuit, agmenque equitum postremum, cui præerat, discrimini subduxit. Cecidere eo prœlio octo mil-

A lia Gallorum, aut qui pro Gallis pugnarant, flos regni & nobilitatis. Paucos ad flumen usque rejectos aquarum gurgites hausere. E Ducibus Gulielmum Gauferium, Thomam Fusium, Jacobum Cabanæum, Ludovicum Tremellium, Galeatium Sanseverinum, aliosque mors invicta nobilitavit. Quæ summa cladis, Rex captus, humanæ fragilitatis exemplum dedit. Sed tanquam rebus afflictis majestatis indulgeret speciem trux fortuna, pari belli ludibrio optimates reliquos Galliæ involvit. Trahebantur & in eandem calamitatem Navarræ Rex, magnus Allobrogum Nothus, Summi Pontificis Clementis Legatus, & capto Francisco velut B pompam faciebant. E Cæsarianis vix septingenti desiderati. Duces omnes copiarum, præter unum Castriotum, Scanderbechi pronepotem, ab ipso rege interfectum, victoriæ superstites; sed plerique saucii, virtutis indicia ipso sanguine ostendebant. Piscarius vultu, ventre, & sinistra tibia hostile ferrum exceperat, & sic vulneribus in vindictam ferocior, magna victoriæ caussa exstitit; formosior quoque deinceps, qui quoties faciem proferret, & miles & fortis appareret.

Reliqua Italiæ bella si conferas, vix ævo nostro nobilior clades. Tanta è captivis castrisque præda fuit, ut avaritiæ sufficeret; vilisque videri sanguis C effusus poterat, comparatione divitiarum, quibus paupertatem miles evasit, gloria quoque non intermoritura opulentus. Amplius tamen Medicæus fecit, tantæ victoriæ non minus ingeniosus, quam strenuus auctor: quippe, ut feliciter pugnarent Cæsariani, sex millia Rhætorum fugarat. Sic uno prœlio bellum confectum est, & gravi hoste Insubres liberati.

ERYCI PVTEANI
ANACEPHALAEOSIS
MEDICAEANA,
TANQVAM FVSIOR EPITOME,
IN CONSPECTVM VNVM CONGESTA.

ANACEPHALAEOSIS
LIBRI I.

VERVLVM *de natura sua genus humanum, & inertia blandiens, præsentia fastidit, rémota quærit, quasi meliora. Sed Rerum & Ingeniorum vicissitudo est: nec deficit, aut desinit virtus, sed latet, invidia aut ignorantia septa. Sic & Historia impeditur, tanquam vilis, aut ambitiosa; sed ab ignavis. Hi, ut nesciantur, vivunt, otio immortui: quisquis recte agit, æternus est: & natura talis, atque indefessa, viros omni ævo produxit, virtutesque; etiam nostro, siquis describat. Ego id audeo, in* Historia Cisalpina, *& pro munere injuncto. Opus hoc ipsum bellicum est: Vir, qui celebratur, nuper magnus; nunc ut famæ aptus, ita veritatis testimonio dignus; nec sejunctus ab Insubrum fortuna, qui in bella sua pæne Europam traxere, ut provinciæ tandem unus Cæsar potiretur: id vero auxilio quoque* Jo. Jacobi Medicaei, *qui hic dicitur; odio quorundam jactatus, cum elogia non am-* D *biret; imo oblivione propemodum mersus, cum majora fide gereret. Nunc in lucem redit, etiam veteris militiæ miraculis adscribendus: in exemplum Historiæ & Posteritatis; ut sciant omnes, qua industria fama constet, & fortuna corrigatur. Si compendium placet:* Medicaevs *stirpe nobilis, indole militaris, exsilio honestus, manu fortis, ingenio callidus, audacia felix, militia clarus: voto sapiens, mediocrem fortunam maxima præposuit, & familiam illustravit, frater Pontificis* Pii Qvarti, *avunculus* D. Caroli Borromaei. *Gens* Medicaei *Mediolani inter primas. Pater Bernardus, Vir egregius, & equestri dignitate manceps: mater è Serbellonis.* E *Fratres quatuor: sorores duæ. Claritas prodigio significata, sed in familia non permansura. Pater, circa educationem diligens, non segnem filiorum indolem expertus.* Jo. Angelvs *togam armis præfert, Jurisconsulti titulum capit, in Collegium Mediolanense adoptatur, fit Pontifex Maximus.* Jo. Jacobvs *arma togæ anteponit, egregie se gerit & exercet; & hostes invenit. Circumventus, graviter vulneratur; sed evadit, & contemnit plagas, dolore major. Nondum percuratis vulneribus, adversarium conficit, & exsilium amplexus, ad lacum Larium*

rium secedit, Gibellinis adhærens. Amicos facit, ad omne robur corpus animumque durat: suos retinens, aliorum mores corrigit. Vivere satis non erat, innotescere voluit, atque imperio eminere. Sed occasio adhuc deerat: ea è mutatione rerum nascitur. Franciscus Rex provinciam armis subigit: hostem victorem Maximilianus Sfortia in Galliam sequitur, patris fortunam voluntario dedecore adumbrans; velut captivus, quia vivendi subsidia suppetunt. Provincia violenter administrata; & tam indigenæ, quam Galli nocent, impunitate audaces. Juventus ferox: Præfecti juris avari. Suo scelere aliena infamia Insubres Rempub. lacerant. Imperium promiscuis vitiis quassatum, libidine eversum. Plerique boni B *nobilesque in exsilium vel sponte eunt, vel pelluntur: à Medicæo excepti, arma in Gallos sumunt. Simul urbes ad rebellionem pronæ, incitante Morono, & Franciscum Sfortiam principem cupiunt, Maximiliano neglecto. Omnium ardorem vincunt exsules. Medicæus Mediolanum intrare ausus, conjuratos adit: item tabellarium hostium interficit, & epistolas rapit. Rebellio decernitur. Tridento Moronus venit, cum Medicæo Rhegium Lepidi se confert, & vix insidias evadit. Sfortiani, & alibi infelices, frustra Comum tentant. Conjuratio à Palavicino detecta: is supplicio vitam finit; item Mattius, pluresque conjurati. Pontifex & Cæsar pro Sfortia in Gallos con*C*surgunt. Belli duces, Prosper Columna, & Fredericus Gonzaga: exsulibus Moronus praeest, is inter omnes Medicæum æstimat, quia fortem, & simul modestum. Galli, duce Lautreco, bellum capessunt, Abduæ ripam muniunt; à Medicæo nocte oppugnati, & impediti, cedunt hostibus, & Mediolanum se recipiunt. Insequuntur Cæsariani, sine mora mœnia tentant, primique exsules penetrant. Trivultius capitur: in urbe Medicæus pugnat. Cives ancipiti consilio hærent; quippe capite destituti: utrinque fortunam pensitant, & in Gallorum partes inclinant. Prohibet Medicæus, oratione, & simul exemplo; urbisque captæ velut auctor fuit. Sfortia imperium* D *capit, adhuc bello districtum: Rempublicam ordinat, viris fortibus præmia donat; etiam Medicæo, sed Moroni callido instinctu. Galli urbe, non provincia pulsi, belli fortunam sustinent, circa lacum Larium feroces. Hujus Præfecturam Medicæus capit, favore suffragioque omnium, & virtutis occasione æstimat. In administratione strenuus, & simul severus, Mattii mortem ultus est. Minatium exurit, in hostes ubique sævit, sed justa caussa stimulatus. Ergo crudelitate vicit Guelfios; atque contrariam factionem virtute erexit: in suos benignus, in amicum defunctum pius. A Gallis Rhætos Helvetiosque avertit: Lautreci classem insidiis petit, & in portu Mus*E*siano incendit. Gallos repugnantes superat, & in fugam conjicit; vim & flammam opido abstinet. A Morono major apparatus, & cum classe Hermes Vicecomes mittitur, infausto eventu. Lautrecus pugnæ avidus, naves contra instruit, militesque cohortatur. Educit classem, Bilacium venit, & imparatum Hermetem adoritur. Is navibus desertis, turpius fugit, quam non pugnavit: pæne captus, ni casu superveniens Medicæus, terrore Gallos perculisset. Lautrecus igitur lacum vindicat, acriusque ad bellum accingitur: Turnum copias ducit, Comensibus infestus. Sfortia surgentem è lacu tempestatem reprimere statuit, imperio Medicæi usurus, itemque* F *Claravillii; qui Comensi Præfectura ornatur, & maligne expeditionem trahit, in rem suam callidus. Ergo Medicæus, collega neglecto, militem undique congregat: Turnum, hostesque petit. Claravillius, ne à victoria excludatur, eodem advolat; tam pugna astutus, quam mora malus. Hinc gravior impetus, æmulatione irruentium. Victi Galli; opidum excisum, contumaciæ pœnam dedit. Medicæus, milite dimisso, stationem suam petit, à latronibus oc*A*cupatam. Hos adoritur parva manu, & expellit. Galli à strage animosiores, lacum turbant, omniaque infesta habent. Lautrecus, auxilia adducturus, in Galliam abit. Sed interea induciæ à Fusio cum Sfortia initæ: arces traditæ. Mussium Guelfii, exsulesque retinent, & scelere vim exercent: repressi à Medicæo, tamen latrocinantur; novas etiam insidias impietate declinant. Medicæus igitur Mussio parcit, & à præda suos continet: quin & gloriæ virtutisque memores reddit. Miles obsequens, dicentis exemplo fortis est. De obsidione arcis Mussianæ cum Sfortia actum à Medicæo; rei necessitas exposita, sed rejecta. Urget ille tamen, & Columnam impellit: ab eo milites missi, & tormenta. Quia Rhæti obsidioni favent, subsidia Sfortia addit. Latrones tamen intrepidi, loci fiducia; & obstinati, quia tanquam ad pœnam obsessi, quia arx montis & munitionis beneficio inexpugnabilis. Agit tamen satagitque Medicæus, etsi modico eventu. Mora tandem lassantur hostes; quia subsidia deficiunt, & inedia obrepit, destruente paciscendi tempestivitatem pertinacia. Præfectus avaritia expugnatus, milites ad deditionem adhortatur. Hi prompti, præter exsules, pœnæ metu perturbatos, frustra tamen ausos refragari. Sfortiani interim deliberant de discessu, & tumultuantur. Seditio ad ignava consilia Legatum cogit; sed Medicæum affligit. In fatis erat, arcem capi. Præfectus deditionem per captivum insinuat. Is Aduncum properat ad centurionem suum, & mandata explicat. Medicæus nuncii consors, animum erigit, & spem obtinendæ arcis concipit, audaci consilio ad victoriæ totius gloriam anhelans: centurionem excitat, ut in arcem una ascendat, & cum hoste paciscatur. Audet centurio: pariterque eunt, ab arbitris securi: an ausu laudabili? certe successu felici. Medicæus in prima arce sermonem cum stationariis miscet, adhuc ignotus: conviciis proscinditur, nec movetur. Responso fortis intrepidusque, confundit calumniatorem, animosque omnium vincit, & percellit. De deditione agit, & peragit; atque apud Sfortianos pacta valuerunt. Arx traditur, Latrones discedunt. In munitionibus XXII. tormenta inventa. Medicæus frustra dolo præfecturam captans, ad petitionem descendit: sed vota suspensa sunt, aliusque interim missus, qui vicario munere arci præsit. Fata vero aliam viam sternunt. Astor Vicecomes, Sfortiæ inter amicos, Morono infestus, plusculum sibi sumit, & favorem populi captat, dissimulante primum Sfortia, deinde remedia frustra quærente. Beneficio Principis audacior, Remp. turbat, & insidias Morono struit. Hic prævenit, cædem deliberat, & consilio Sfortiæ confirmatus adornat. Huic facinori Medicæus delectus, tanquam fortis fidusque. Rei magnitudine attonitus, animo responsoque fluctuat: sed Patriæ necessitate expugnatus, cruentam addicit operam, stimulante interim Morono, qua verbis, qua promissis. In præmium arx Mussiana venit. Medicæus omissis insidiis, vim parat; consilii facinorisque socium assumit, quo auctore moram quoque damnat. Exploratur occasio, Astor invaditur, conficiturque. Hinc tumultus dolore confusus, quem populus auget. Percussores elabuntur. De cæde Astoris varia judicia. Sfortia ad simulationem vindictæ compositus, dolorem præfert, & in percussores inquirit: atque interim altiori consilio Medicæum jubet è medio tolli, cum domestico ipse ferro petitur, idque in itinere. Leve vulnus fuit, & ad fugam percussor celer. Sed Medicæus Mussium mittitur, occidendus: tamque funestum imperium litteris, & ignarus nunciat: eas maturo examine pensitans, suspectas habet, imo reserat. Motus exitii vicinia, dignam vindicta injuriam censuit, & audaci dolo ad vota assurgit. Refingit litteras, fert, tradit; arcemque obtinet. Callide à Morono Præfectus excipitur, & exauctoratur. Sed rumor cædis manet, Sfortiamque onerat; mox*

lenior, quia læsum. Hæc populi natura est, velut ad auram flecti: pluris periculum Principis, quam crimen facit. Moronus cui perniciem non attulit, se amicum fingit: talemque Medicæus admittit, injuriæ immemor, ut res stabiliat. Præfecturam igitur Sfortiæ velut nomine administrat, in auxilium undique collecto milite, & simul terrorem.

ANACEPHALAEOSIS
LIBRI II.



VIRTUTI *necessitas stimulus est. Medicæus arcem dolo captam, armis tueri cogitur: Lege & disciplina militiam firmat; & obnoxiam sibi juventutem facit, lenis, nec auctoritatem emolliens; severus, ut magis ametur. Nosci vult, & sic timeri. Sed in omni numero aliqui mali. Hic stupro ingenium produnt, & mox puniuntur. Alios inopinato rigore territos pari affectu & facundia Medicæus alloquitur, & ipso vultu vincit. Ergo disciplina confirmatur; omniumque animi pulchra æmulatione ad virtutem surgunt. Arx quoque muniri cœpta, & proxima rupes incidi, difficili conatu, majore sumptu. Medicæus pecuniam humanitate invenit: cum rapere potuit, rogat. Sedulo pro publica quiete lacus excubat, rigidus in exsules Guelfiosque. Sic dum aliis pugnat, sibi vincit. Subjicit, quos defendit; & amicos habet, quos subjicit; dominus omnium, quia defensor: Sfortiæ tamen nomine, quo ad potentiam abutitur. Ille obstacula parat, & à fraude orditur. Confirmat Præfectum, tanquam amicus: deinde magnis promissis evocat, sed tergiversantem, imo renuentem: plus arci, quam Principi Medicæus fidit. Mox novum à Gallis bellum, pro Sfortia Cæsarem, reliquamque in novum fœdus Italiam excitat. Prosper Columna copiis dux datus, diligenter se gerit, positisque ad Ticinum castris, hostem opperitur. Ille copiosus venit, Gauferio duce, & terrorem adfert, cladem infert: hinc cunctantior. Redeunt Sfortianis animi: muniuntur urbes. Has Gauferius aggreditur, Moguntiacum & Laudem Pompejam capit. Comum Leucumque, quia periclitantur, Medicæus præsidio firmat, sua quoque militia Principi utilis, tametsi læsus. Cremonam porro hostes petunt, tormentis verberant, & oppugnant frustra. Nam pluvia repente effusa impediti, ac deinceps detenti per plures dies; cum interim ab obsessis ruinæ implentur. Mox in exercitu penuria obsidionem solvit. Ergo Metropolis petitur, sed infelici quoque molimine: pro Mediolanensibus hiems pugnavit. Deserunt inceptum Galli, Abiatum & Gerlascum Sfortiani recuperant. Et tamen vires instaurat Gauferius, & auxilia petit, ab Helvetiis, quæ tarda fuere; à Rhætis, quæ impedita. Nam Medicæus, velut explorator omnis fortunæ, ut Principem sibi obstringeret, & vim magis suam quoque extenderet, adventantium incidit iter, navibus è lacu undique subductis. Rhæti, quia uti lacu non potuerunt, per rupes viam quærunt, Bellanum veniunt, adversum Mussio opidum, & hic infestum quoque Medicæum experiuntur. Inde vallem Saxinam subeunt, amœnam illam, & origine Turrianorum claram. Horum non alienus memoriam colo. Fuere principes olim, & in reliquiis tamen majestatem nominis servant. Idem fatum Vice-comites, atque deinceps Sfortias imperio exuit: ne miseri videantur qui dejecti sunt: magnasque alibi familias atque populos concussit. Ne quid æternum aut firmum in rebus humanis esset, vices finesque Deus esse voluit. Verum meminisse Majorum, ut virtutem imiteris, pulchrum est. Mihi è Turrianis conjux, ex hac liberi: ut boni sint & origine sua digni, votum est.*

A *Progressi deinde Rhæti, à Sfortia oppugnantur; sed dubio adhuc eventu. Nova igitur industria rebus Medicæus consulit, Rhætorum fines depopulatur: qua necessitate Theganus copias reducit. Invalescunt mox Cæsariani, rem feliciter gerunt, hostesque prœlio ex Italia depellunt. Sed Rhæti ad pacem conversi, fœdere Patriam vindicant, Medicæo magis addicti; ut ipse Theganus, vir corpore animoque magnus. Translato in Galliam à Cæsarianis bello, Mediolanum peste affligitur, & post arma infelix est. Sed Sfortia Laude Pompeja & Alexandria receptis, Arcem quoque Mussianam à Medicæo urget, & ad bellum movendum excitatur, non bono consilio. Ille* B *enim ut violentiæ resistat, in partes Gallorum cum Rhætis inclinat, misso ad Regem Thegano, qui conditiones ferat. Obsidio Massiliensis frustra eo tempore à Cæsarianis tentata, bellum Italiæ reddidit. Rex ipse cum exercitu Alpes transit, Mediolanum à Piscario relictum capit, nec violat: videre quoque differt. Militum manum ad capiendum Comum mittit, Rhætis per lacum viam straturus. Hi in auxilium adventabant. Sed Medicæus Fortunam expendens, & nupera consilia damnans, Gallis se opponit. Ad hanc rem pecuniam partim colligit, partim extorquet; & quia Principi impendit, excusatione dignus. Fratrem cum præsidio Comum ire jubet, &* C *Gallos arcere: id factum. Rex Ticinum aggreditur, sed munitam Præfecto Hispano, milite Germano urbem: & hic illius exemplo atque sermone animatur. Galli strenui, muros quatiunt, aditum sternunt, & vi invadunt; sed cum strage rejiciuntur. Obsidio ergo placet, & fluvius ab urbe avertitur, murique nudantur. At repentina vis aquarum aggerem rumpit, & fluvium reducit. Interim Cæsariani vallo & fossa ripam muniunt: novumque aggerem hostes moliuntur. Theganus redit, conditiones pactus: alienum jam Medicæum, affectu & oratione mulcet; sed frustra. Contra Medicæus consilii rationem constanter exponit; à sententia vero non ab-* D *ductus, amicitiam illam diremit. Theganus auxilia Regi promissa instruit; & ad terrorem omnia agit. Moroni vero tum industria enituit: is seditionis pericula avertit, Cæsarianos abiturientes retinet, Ticinensibus pecuniam submittit, denique Medicæo Sfortiam conciliat, constanti deinceps amicitia; tanquam in odium Rhætorum; & conditionibus benignis, Præfectura vallis Saxinæ adjecta, & stipendio assignato. Medicæus ad omnia intentus, agros Rhæticos depopulari statuit, volente Sfortia, & subsidia mittente: quibus ferox, attollit vota, occupaturus quicquid ferro vastaret. Auspicium à dolo est, & Clavennæ arx petitur, incitante situ; quem olim Insubres æstima-* E *runt, ut Rhætos coercerent. Sed frustra: in præsidium cessit, quicquid tanquam obstaculum positum. Gens Patriæ amans, & libertatis, constringi recusat. Atque in hoc horrore Alpium natura ridet, & amœnitatis miracula habet: æternas nives, frondosa juga, calvas rupes aut canas, elisas aquas, marmoreas moles, valles opimas, oculorum delicias, fauces, anfractus, fontes, torrentes, pontes, lacus, prata, silvas, securitatem ubique. Pro his omnibus Rhæti pugnant; Penates defendunt, divitiasque ab origine vernaculas, ipsi olim victi, nunquam domiti; fortes & opulenti, & sic postea Insubribus feroces, quibus Clavennæ arcem eripuere; timendi, quia se-* F *curi. Hanc suam insidiis facere Medicæus cogitat. Seliguntur milites, & negotii summa Riccio cuidam committitur, fido & strenuo juveni: is Meram amnem noctu cum suis transit, & per murum ruptum in arcem inferiorem penetrans, in insidiis latet, ut aut in rupem evadat, aut Præfectum capiat, arcem extorturus. Etiam dubio consilio fortuna favet: errorem audacia corrigit. Præfectus cum filiolo capitur, hostes adhuc suos ignorans. Jussus arcem tradere, aut occumbere, mortem eligit.*

Hh hh Sed

Sed amplius Riccius minatur; sociosque ad crudelitatem excitat. Ducitur sub mœnia Præfectus, tanquam victimæ casurus. Uxor ex arce periculum mariti cernens, vim deprecatur, lytrumque offert. Sed arcem hostis poscit, non alio pretio captivum dimissurus. Ille contra temnens mortem, uxori constantiam commendat: Arcem servet, maritum negligat: amplius Reipublicæ, quam matrimonio deberi. Ultimæ circa puerulum minæ, non sine vulnere: quibus permotus Præfectus, & necessitati succumbens, arcem tradit. Scandunt Medicæani, & victoriam abscondunt, majora etiam molientes. Aditum silentio & custodia muniunt; ipsi latent. Quia Præfectus ad oppidum non venit, ad arcem oppidani eunt, & capiuntur. Plures eadem fraude detenti, jam carcerem implebant. Re detecta, arma Rhæti capiunt, ad arcem advolant, strepitu & conviciis agunt, hostemque eliciunt, nec sustinent. Aucto deinde numero, ingruunt iterum, & in arcem Medicæanos pellunt, obsidentque, tanquam fame debellandos: Medicæus subsidio venit, difficillimo itinere, milites exemplo suo ducens, ad pugnam prædamque avidos. Clamore & strepitu hostium perculsi Rhæti, fluctuant, & salutem in fuga ponunt. Insequitur Medicæus, stragemque infert. Sed ipse vulneratus, reducit agmen, & ad bellum excipiendum se parat; atque adeo inferendum: opidum munit, arcem instruit, & varia fama inclarescit. Sfortia natum incendium alens, nova subsidia Medicæo decernit, imo mittit; atque ea opportuna, provincia jam commota. Quem militem in agrum hostilem Medicæus emittens, præda initiat. Veniunt & tertia subsidia, ducente Archiano, sed Medicæo suspecta. Hoc agit igitur, ut divertat. Cum selectis obviam Archiano it, Suricum venit, quo ille jam appulerat; & callide consilium promens, suadet, divisis copiis utendum esse: has novas in Volturenam vertendas. Persuadet quoque. Nova agmina Morbonium ducta. Medicæus Clavennam redit, & à summo lacu sine præsidio iter ingressus, insidias fallit hostium, & salvus ad suos, quia solus venit. Rhæti gemino districti malo, & hoste, bonum factum censent, Theganum revocare. Scribuntur litteræ; morem ille gerit, & è Castris Regiis copias suas educit. Tanti Patria erat; quam servare, primam victoriam putavit, summumque sacramentum. Sed hæc caritas cum turpitudine fuit, imo cum damno, quia cum offensa Regis. Sex millia Rhætorum abiere, magnum momentum rerum, cum & animis caderent Galli, & Cæsariani erigerentur. Moronus reliquis Ducibus pugnandi auctor est. Instat & Piscarius apud milites, quos flagitantes pridem stipendia lenit, & alloquio promptos reddit. Hispani addicunt operam: item Germani, popularium obsessorum necessitate moti. In fatis erat, vinci Regem, & novis dissidiis viam aperiri. Tantum una dies, unumque prœlium potuit. Exercitus Cæsaris in duo equitum, quatuor peditum agmina divisus. Rex suas quoque copias contrahit, & munitionibus fidit. Media nocte Piscarius aciem movet, & parte muri diruta, in Circum involat. Mirabellum occupatur: prœlium accenditur. Gallos Hispanicus peditatus; hunc Helvetii, & in latus invecti equites rejiciunt; sed reversurum. Contra Germani in cuneatam frontem explicant aciem, gnaviterque pugnant, cæduntur equites hostium: item Helvetii. Rex non deficiens animo, generosa oratione suos fortes esse jubet; & simul in pugnam ruit. Omnes tum extrema tentant, & pro Rege omnia. Hic impetus ab equitatu Cæsaris frangitur, cum multa strage. Reliquus miles vincit vi ferox. Sed Leva magnum rebus pondus addidit, in terga hostium Germanos inducens, & inhærens. Rex equo graviter icto effusus, capitur. Cæteri aut cæsi, aut capti; præter Alenconium, qui cum suis evasit. Octo millia Gallorum, partim in prœlio, partim in flumine absumpti. Plerique Duces interfecti. Inconstantem esse fortunam Rex edocuit, in miseria tamen speciem majestatis servans. E Cæsarianis septingenti perierunt. Duces fere omnes salvi, sed saucii, imprimis Piscarius, tribus vulneribus pulcher, & victoriæ magna pars. Prœlium clade, & præda nobilissimum: sed industria Medicæi felix: is cum non pugnaret, vicit.

VIRI
STRENUI ET MILITARES,
QUORUM OPERA ET VIRTUTE PECULIARITER MEDICAEUS USUS EST BELLO LARIANO.



BAPTISTA MEDICAEUS, Jo. Jacobi frater, totius Militiæ consors.

GABRIEL MEDICAEUS, item frater, juvenis supra quam dici potest, strenuus, qui prœlio navali victor occubuit.

GABRIEL SERBELLONUS, Medicæi amitinus, robore & virtute animi egregius, postea bello quoque Senensi clarus.

LANFRANCUS MANDELLUS, cui nupta erat Lucia Serbellona Gabrielis soror.

ANTONIUS MARIA NIGER, Medicæi cognatus, contra fidem ab hostibus datam trucidatus.

ALOYSIUS BORSAERIUS Comensis, Vir bellica virtute præstantissimus, classi Medicæanæ Præfectus, cui & vitam impendit.

RICCIUS Rhætus, arcis Clavennensis Præfectus, quam insigni stratagemate ceperat.

JO. JACOBUS PORRUS, Centurio.

NICOLAUS PELLICIONUS, Centurio, verus Martis pullus.

ANTONIUS CRIMINALIS, Pellicioni Signifer.

N. CRASSUS, Centurio, à Rhætis interemptus.

DOMINICUS MATTIUS, Centurio.

BAPTISTA GORDONUS, Centurio.

N. PORINUS, Centurio.

DOMINICUS RIATUS, Centurio.

PEDRACIUS HERBANUS, Centurio.

BABTISTA MEDA, Centurio.

CASPARINUS SARDUS, Miles.

GIBERTUS CASTELMURUS Rhætus, è primariis, qui ultro capi à Medicæo voluit, ut adesset & adhæreret.

Accesserunt his:

CAESAR NEAPOLITANUS, Chiliarcha, in Historiis clarus.

GEORGIUS CAPUCIANUS, Equitum Ductor.

N. ELVERA, Centurio egregiæ virtutis inter Hispanos.

N. CARAVACCA Hispanus, Corycæus atque Explorator ævi sui solertissimus.

Multi præterea, quos fama obscura recondit.

STEM-

STEMMA TRIPLEX:

I. JO. JACOBI MEDICAEI.
II. DUCUM MEDIOLANENSIUM.
III. REGUM GALLIAE.

IN PRIMO vides, LECTOR, quem describo: ejus Avum, Patrem, Fratres, Sorores, reliquosque nunc benignæ, rursusque iratæ Fortunæ Heredes atque Posteros: & vides duo præcipua stirpis lumina Jo. JACOBUM Marchionem Mariniani, & Jo. ANGELUM Pontificem Romanum; illum sago, hunc toga maximum; quorum alter ALTEMSIAE, alter BORROMAEAE familiæ addictus fuit, ut gemino velut fulcro Domus MEDICAEA niteretur. Sic igitur in ALTEMSIIS jam, & potissimum BORROMAEIS inclyti MEDICAEI sunt, quos & D. CAROLUS, & perfectissimum ejus hodie simulacrum FREDERICUS Cardinalis BORROMAEUS, Archiepiscopus Mediolanensis, Bibliothecæ Ambrosianæ Auctor, illustrant.

IN SECUNDO Duces Mediolanenses sunt; qui præcipuam Historiæ Cisalpinæ partem faciunt, & sciri hic imprimis debent, ut bellorum motuumque caussæ & origines appareant.

IN TERTIO Reges Galliæ, sed à VALESIIS censentur; & qui arma Mediolanensibus moverint, provinciamque occuparint.

STEMMA JO. JACOBI MEDICAEI, AB EJUSDEM AVO,

QUI *fuit* Jo. JACOBUS MEDICAEUS *Mediolanensis, prisco familia splendore clarus. Uxor è* RAINOLDIS, *quorum illustris quoque & nobilis ab antiquo stirps est.*

BERNARDUS MEDICAEUS, *Vir in Reipub. negotiis ad senium occupatus. Uxor*, CAECILIA SERBELLONA, *è cujus fratre* Jo. ANTONIUS *Cardinalis titulo S. Georgii, & ut alios omittam*, GABRIEL SERBELLONUS, *vir bello strenuus*, MEDICAEI *nostri alumnus, qui Comites deinde* SERBELLONOS *dedit. Sed* BERNARDO *è tredecim liberis quinque filii superstites fuere, dua filia.*

FILII ISTI:

1. Jo. JACOBUS MEDICAEUS, *Marchio* I. *Mariniani. Uxor* MARTIA URSINA *è Comitibus Petiliani: qua sororem habuit matrem Alexandri Farnesii Cardinalis, & Octavii Ducis Parmensis. Obiit ἄπαις.*

Jo. ANGELUS, *Pontifex Maximus* PIUS IV.

BAPTISTA, *cum fratre* JACOBO, *& pro eo militavit.*

2. AUGUSTUS, *Marchio* II. *Mariniani. Uxor* BARBARA MAINA, *neptis Comitis* MAXIMILIANI STAMPAE.

- CAECILIA, *nupta* OCTAVIO GONZAGAE *Ferranti filio. Supersunt liberi.*
- 3. Jo. JACOBUS, *Marchio* III. *Mariniani. Uxor* CASTALDA, *Alphonsi, strenui in Hungaria bellatoris, Filia.*
  - 4. FERDINANDUS, *Marchio* IV. *Mariniani. Uxor filia Senatoris* MERZAGORAE. *Fratres, & sorores plures etiam sunt.*

GABRIEL, *qui navali prœlio in lacu Lario Victor occubuit, adhuc adolescens.*

FILIAE
BERNARDI MEDICAEI,
CLARA ET MARGARITA.
Quas ipse Frater JO. JACOBVS, cum Mussium teneret, in matrimonium elocavit.

VTramque enim Sororem, & simul LVCIAM SERBELLONAM, *amitinam suam, duasque cognatas, egregia forma & pudicitia præditas, ad radicem rupis Mussianæ domo in formam monasterii structa, solicite & tanquam Vestales habuit, occasionem nuptiarum exspectans. Amitinam igitur* LANFRANCVS MANDELLVS *duxit: cognatam alteram* JO. BAPTISTA CRIBELLIVS, *alteram* NICOLAVS CASTILIONAEVS.

CLARA MEDICAEA, *nupta* WOLFANGO THEODERICO *Comiti Altemsio, Marci Sittici Clarissimi bello viri filio.*

MARCVS S. R. E. *Cardinalis: unde Duces Galesii.*	ANNIBAL, *militia strenuus, qui sub Avunculo* JACOBO *adolevit, postea Ecclesiastici exercitus summus Præfectus. Uxor* HORTENSIA BORROMAEA, *Comitis Giberti è secunda uxore filia.*	GABRIEL.

GASPAR, *Comes Altemsius, stirpis virtutisque avitæ felix propagator.*	MARCVS, *Archiepiscopus & Princeps Salisburgensis.*	WOLFANGVS THEODERICVS, *Comes Gallarati, Vir elegantiis addictus, quicum suaviter aliquando partim Mediolani, partim Gallarati in otio Litterario vixi, cujus & suasu primum inductus sum, ut* MEDICAEVM *describerem. Ad hunc, & obiter de familia est Epistola* XXXI. *Promulsidis meæ. Cœlebs & adhuc juvenis obiit.*

ALTERA
BERNARDI MEDICAEI
FILIA,

MARGARITA MEDICAEA, *nupta* GIBERTO *Comiti* BORROMAEO, *viro ut stirpe nobilissimo, ita vita moribusque integerrimo; qui Patruus fuit mei jam Musagetæ* FRIDERICI *Cardinalis* BORROMAEI, *Antistitis optimi doctissimique, & bono Reipub. atque litterarum nati. E Margarita duo filii nati, tres filiæ.*

FILII ISTI:

FREDERICVS *Comes. Vxor Virginia de Ruvere, filia Guidobaldi Ducis Vrbinatium.*	CAROLVS, S. R. E. *Cardinalis, Virtus ipsa & pietas, à* PAVLO V. *in Divorum numerum relatus.*

FILIAE ISTAE:

CAMILLA, *nupta Cæsari Gonzagæ Ferranti filio, Principi Malfectæ & Vastallæ.*	HIERONYMA, *nupta Fabricio Jesualdo Principi Venusino.*	ANNA, *nupta Fabricio Columnæ M. Antonii filio.*

FERRANTVS II. *Princeps. Vxor* VICTORIA AVRIA, *Jo. Andreæ Principis filia.*	N. JESVALDVS *Princeps. Uxor ex Avalorum familia.*	MARCVS ANTONIVS II. *Comestabilis Regni Neapolitani. Vxor, Soror Cardinalis Montalti.*	PHILIPPVS *Comestabilis. Vxor Neapolitana.*	JOANNA *nupta* ANDREAE AVRIAE *Principi.*

CAE-

CAESAR. *Vxor filia Virginii Vrsini Ducis Bracciani.*	N. JESVALDVS. *Vxor Bohema è nobilissima stirpe.*	M. ANTONIVS III. *Comestabilis obiit adolescens.*

Illustrissima hæc, ut vides Lector, propagatio est; quam sic utcumque opera & directione Clarissimi V. JULI NIGRONI S. I. designavi. Pleniorem nomenclaturam alii dabunt.

STEMMA ET SERIES
DVCVM
MEDIOLANENSIVM.

1 JOANNES GALEATIVS VICECOMES, I. *Dux Mediol.* ∞. CCC. LXXXII. *Vxor* ISABELLA CAROLI V. *Gall. Regis filia: qua sine liberis defuncta*, CATHARINAM *patruelem suam duxit*, BARNABAE *filiam. Ex hac nati*,

2 JO. MARIA, II. *Dux Mediol. à domesticis trucidatus. Vxor è* MALATESTIS.	3 PHILIPPVS MARIA, III. *Dux Mediolan. Uxor* BEATRIX TENDA; *ac deinde* MARIA SABAVDA, *utraque sterilis. E concubina* AGNETA MAINA.	VALENTINA *natu maxima, Duci* AVRELIANENSI, CAROLI V. *Gall. Regis filio nupta.* Vide num. 53, ubi est asteriscus *.

BLANCA, 4 FRANCISCO SFORTIAE *nupta, bellorum deinceps caussa exstitit. Franciscus*, IV. *Dux Mediol. fuit*,

5 GALEATIVS MARIA, V. *Dux Mediol. Vxor* BONA SABAVDA. A LAMPONIANO *occisus.*	7 LVDOVICVS MORVS, VII. *Dux Mediol. Captus à* LVDOVICO XII. *Gall. Rege, in carcere periit. Uxor Beatrix, Herculis Ducis Ferrariæ F.*	ASCANIVS MARIA SFORTIA, S. R. E. *Cardinalis.*

6 JO. GALEATIVS, VI. *Dux Mediol. Vxor* ISABELLA ARAGONIA, ALPHONSI *filia.*	8 MAXIMILIANVS SFORTIA, VIII. *Dux Mediolan. In Gallia obiit* ἄπαις, *ubi liberalitate Regis* FRANCISCI *alebatur.*	9 FRANCISCVS SFORTIA, IX. *Dux Mediol. Uxor* CHRISTIERNA, CHRISTIERNI *Daniæ Regis F.*

Post LVDOVICVM MORVM *Provinciam tredecim annos* LVDOVICVS XII. *Gall. Rex armis occupatam tenuit. Post* MAXIMILIANVM SFORTIAM *aliquot item annos* FRANCISCVS *Rex. Post* FRANCISCVM SFORTIAM X. *Dux Mediol.* CAROLVS V. *Imperator Provinciam sibi vindicavit, Posterisque tradidit: qua post* PHILIPPVM II. *nunc sub optimo maximoque Regum* PHILIPPO III. *floret, cum Italiæ quiete. Longa, imo æterna ea sit!*

STEMMA ET SERIES
REGVM GALLIAE,
A VALESIIS.

49 PHILIPPVS VALESIVS *Caroli Comitis Valesii filius, Galliæ Rex* XLIX. *Anno* ∞. CCC. XXVIII. *Uxor Joanna Burgunda.*

50. JOANNES *Gall. Rex, victus captusque ab Anglis. Uxor Joanna Comitissa Bononiensis.*

51. CAROLVS V. *Gall. Rex, primus Delphin. Uxor Joan. Borbonia.*

LVDOVICVS *Andegavens. Dux.*

JOANNES *Ambarrorum Dux.*

PHILIPPVS *Audax, Dux Burgundiæ.*

52 CAROLVS VI. *Gall. Rex. Uxor* ISABELLA, *filia Ducis Bavariæ.*

* LVDOVICVS *Aurelianensium Dux, Lutetiæ à* JOANNE *Burgundiæ Duce interfectus. Hujus uxor* VALENTINA GALEATII F. *in dotem tulit* ATESTAM *urbem, & sub conditione Provinciam Mediolanensem, si sine liberis frater uterque decederet.*

53. CAROLVS VII. *Galliæ Rex. Uxor Maria Andegavensis.*

CAROLVS *Aurel. Uxor* MARIA *Clivensis.*

JOANNES *Angolismorum Comes. Uxor Maria Burgunda, deinde Margareta Ducis Brittanniæ* F.

PHILIPPVS *Virtutis Comes.*

54. LVDOVICVS XI. *Gall. Rex. Uxor Carlotta Sabauda.*

56. LVDOVICVS XII. *Gall. Rex, Dux quoque Mediol. Uxor Caroli* VIII. *vidua.*

CAROLVS *Angolismorum Comes, uxor* LVDOVICA *Sabauda.*

55 CAROLVS VIII. *Gall. Rex. Uxor* ANNA *Ducis Brittaniæ F.*

CLAVDIA, *quæ* FRANCISCO I. *nupta.*

57. FRANCISCVS I. *Gall. Rex, Dux quoque Mediol. Ingeniorum Litterarumque summus æstimator, & fautor, delicium sui seculi.*

58. HENRICVS II. *Gall. Rex. Uxor* CATHARINA MEDICAEA.

59. FRANCISCVS II. *Gall. Rex. Uxor* MARIA *Regina Scotiæ.*

60. CAROLVS IX. *Gall. Rex. Uxor* ISABELLA *Maximiliani Imperat. Filia.*


61. HENRICVS III. *Gall. Rex. Uxor* LVDOVICA LOTHARINGA, *Comitis Vademontii Filia.*

Hinc ad BORBONIOS *sanguinis jure venerunt sceptra, & post* 62. HENRICVM MAGNVM, *æterni nominis virtutisque Regem,* 63. LVDOVICVS XIII. *Diadema sustinet; quem Matre* MEDICAEA *nasci Deus voluit, ut Italiæ splendor Galliæ felicitatem augeret.*

CENSVRA.

HISTORIARVM hi libri, à Cl. V. ERYCIO PVTEANO, Serenissimorum Belgii Principum Consiliario, & Historiographo Regio conscripti, non mediocrem cum voluptate conjunctam utilitatem habent: ut qui ea contineant, unde Reges ac Principes, Præfecti & Milites, Magistratus ac Populi, meliores vel cautiores reddantur, quem vel præcipuum Historiæ fructum esse M. Tullius testatus est, cum VITAE MAGISTRAM eandem appellavit.

GVILIELMVS FABRICIVS *Noviomagus, Apostolicus & Archiducalis librorum Censor.*



FINIS.



ALEXANDRI DVKERI
COMI VRBIS
BREVIS HISTORIA ET DESCRIPTIO,
EX VARIIS AVCTORIBVS CONCINNATA.

VT ET

CAMILLI GHILINI,
ROMANI,

TELINAE VALLIS
AC
LARII LACVS
PARTICVLARIS DESCRIPTIO.

NEC NON

PAVLI JOVII,
NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI,

LARII LACVS
(hodie COMENSIS)

DESCRIPTIO.

AD FRANCISCVM SFONDRATVM.



ALEXANDRI DUKERI
COMI URBIS
BREVIS HISTORIA ET DESCRIPTIO,
EX VARIIS AUCTORIBUS CONCINNATA.




A Comum, Galliæ Transpadanæ urbem, non longe à Mediolano, Coronellus in *Insulario* vult conditam fuisse jam anno MDCCCL. ab orbe condito à quodam *Comero Gallo*, aut secundum alios ab *Orobiis*, anno ejusdem epochæ MDCCCC. Sed hoc quidem neutiquam est verisimile, cum illis jam temporibus, hoc est, jam ante Abraami ætatem, Italiam vicinasque terras adeo fuisse incolis frequentatas, prorsus ab omni ratione sit alienum. Veruntamen antiquissimam sane esse B ejus originem, tum ex variis *Inscriptionibus*, quæ ibidem fuerunt inventæ, colligitur, teste Andrea Scoto in *Itinerario Italiæ*, tum vel inde apparet, quod ejus initia non satis sunt certa. Addit Coronellus, Orobios deinde à Tuscis Como fuisse expulsos, Tuscos à Gallis, eosque ampliavisse hanc urbem, mœnibusque cinxisse. Livius *lib.* XXXIII. ejus facit mentionem, ubi M. Claudium Marcellum, consulem Romanorum, cum Galli Boji circumjectas terras perpopularentur, protinus Padum flumen transiisse narrat, & cum legionibus, quas secum habebat, in Comensem agrum perrexisse contra Insubres, qui & ipsi pars erant Gallorum, & C quibus se Comenses etiam adjunxerant. Inde Marcellum, ingenti victoria ab hostibus potitum, Comum urbem obsidione cinxisse, eamque paucis diebus post cepisse refert. Postea eam Cn. Pompejus Strabo, L. Porcius Cato Coss. cum aliquandiu ante ab Rhætis devastata esset, restituerunt anno ante Servatoris ortum LXXXVI. missis eo novis colonis, quibus deinde Julius Cæsar V. millia colonorum adjunxit. Atque adeo hanc ob causam ex illo jam tempore ipsa urbs *Novi Comi*, civesque ejus *Novocomensium* nomine cœpti sunt appellari.


Augusto imperante, ut ex Strabone colligitur, illa mediocris erat fortunæ colonia. Aliquanto post D Augusti tempora Sancti Apostoli, Marcus & Barnabas, Comensibus prædicavisse euangelium, multosque eorum ad Christianorum sacrorum communionem perduxisse traduntur. Deinde autem labefactato Romanorum Imperio, Comum una cum aliis vicinis urbibus in Gothorum potestatem pervenit, quorum rex Theodoricus anno epochæ Christianæ CCCCXC. multa Comensibus privilegia & immunitates concessit. Hinc Longobardis, qui post Gothos ea loca tenuerunt, subjecta fuisse; exstinctoque Longobardorum regno in Italia, seculo post Christum VIII. victoris Caroli Magni, ejusque successorum imperio paruisse videtur. Insequentibus E temporibus, ut in *Historiis* suis indicant Merula & Corius, eadem in Mediolanensium potestatem concessit, quæ res illi excidii causa fuit. Nam cum eligere sibi atque recipere Comenses episcopum quendam nollent, quem ipsis commendaverat & obtrudere nitebatur Anselmus Pusterla, Mediolanensis Archiepiscopus, cruentissimum utrinque bellum est exortum, quo ultra centum millia hominum periisse dicit Coronellus in *Insulario*. Sed cum Comenses viribus inferiores essent Mediolanensibus, denique Pusterla ipsam Comum urbem expugnavit, eamque funditus evertit a. d. V. Cal. Aug. anni post Christum MCXXVII. ut vult idem Coronellus; cum prius omnes incolæ ipsius jussu excessissent urbe. Itaque miseri Comenses, patrios lares deserere coacti, in vicinas se valles contulerunt, ibique nova sibi cœperunt exstruere domicilia, quæ paulatim in urbem coaluere ista forma, quæ hodieque Comi urbis apparet, figuram cancro non absimilis. Coronellus eam Friderici Barbarossæ auspiciis anno MCLII. de integro conditam fuisse, & ab ejus successore Henrico VI. inter alia privilegia hoc quoque juris accepisse scribit, ut ipsa suos sibi consules eligeret. Ceterum ille de ipsa urbe in alium locum translata nihil omnino addit, etsi hanc in rem plerique scriptorum consentiunt.


Sed neque hac gravi pœna expiari potuit Mediolanensium in Comenses odium. Nam anno MCXCIII. denuo illi bello aggressi sunt Comenses non sine horum clade, & anno MCCXXVII. totum Comensem agrum devastaverunt. Exinde per Guelphorum & Gibellinorum factiones in Italia exortas, quarum partium infesto pertinacique inter se odio pleræque Italiæ civitates misere sunt afflictæ, & ipsa Comensis urbs per aliquod tempus intestinis discordiis varie jactata fuit, magnisque damnis affecta. Duæ erant apud Comenses nobilissimæ familiæ, Ruscarum sive Rusconum, & Vitanorum, quorum hi Guelphicas, illi Gibellinas partes sectabantur. Primus civium patriam potestati suæ subjecit Lutherus Rusca anno MCCLXXXIV. ut vult Corius, ut vero Merula lib. IV. *De Vicontiis*, anno MCCLXXXVIII. licet Coronellus jam ante annum MCCXLIV. Ruscones tyrannidem in patria occupavisse scribat. Mox Rusconibus ejectis Vitani patriæ urbis imperium ad se traxerunt, quibus vicissim expulsis illud receperunt Ruscones. Deinde Philippus Turrianus Vitanorum opera Rusconibus denuo ejectis, Comum occupavit. Anno MCCCXXXVIII. Azo Vicontius, à Rusconibus in auxilium vocatus contra Vitanos, eorundem opera Comi imperio potitus est, adque posteros suos illud propagavit. Sed post mortem Joannis Galeacii I. Ducis Mediolanensis, sævissimo, ut nunquam alias, conflagrare cœpit bello intestino civitas Comensis, ita ut dimidium fere urbis una cum suburbiis devastaretur, & ad DCCC. homines occiderentur, interque eos Balthasarus Rusca, caput gentis ejus, etsi ad ultimum Vitani pulsi fuerunt urbe. Deinde Philippus Maria Vicontius, Dux Mediolanensium, iterum Comum occupavit, & post ejus mortem Franciscus Sfortia. Et ex hoc tempore Comum una cum aliis vicinis urbibus usque in hunc diem ad Mediolanensem Ducatum pertinuit, & modo Sfortiarum, modo Galliæ regum paruit imperio, usque ad Carolum V. ejusque successores, Hispaniarum reges. Ab ejusdem Caroli V. Imperatoris exercitu misere direpta est hæc urbs anno MDXX. ob receptas Gallorum copias, quas inde expulerunt Cæsariani.

Atque hæc de Comi urbis historia summatim dixisse sufficiat. Nam de turbis quidem intestinis, & Ruscarum Vitanorumque inter se contentionibus, in quibus exponendis potissimum Franciscum San-




C. Bamuello.
S. Carpofaro.
S. Abbondio.
S. Marta.
S. Giovanni.
Collegio Golia.
S. Teresa.
Golia.
S. Margherita.
Pasque.
S. Pietro Celestino.
P. Sala.
S. Chiara.
Borgo S. Rocco.
Borgo dell Ospitale.
Ospitale.
Fiume Cosa.
P. Torre.
BORGO DI P. TORRE.
S. Francesco.
LAGO DI COMO.
Portello.
COMO
P. vander Aa, exc. Lugd. Batav. cum Privil.
D. Stoopendaal Fec.





Sansovinum *De illustribus Italiæ urbibus* sequi visum fuit, adeo sunt diversæ Scriptorum narrationes, ut plura de illis in medium afferre, aut paucis illis, quæ de hoc argumento diximus, certa assignare tempora, religio fuerit, atque adeo jejunus videri maluerim, quam lectoribus dubia pro certis obtrudere.

Jam vero ipsa urbs sita est in amœna planitie, quæ montibus fere cincta est. Et in hanc illa per priscæ urbis eversionem à Mediolanensibus factam, de qua supra diximus, est deducta, cum antea in editiore loco fuisset. Vicinum habet lacum Larium, cujus satis amœna, plurimisque villis ad voluptatem ornata est ora, quique ab ipsa urbe hodie *lacus Comensis (lago di Como)* appellatur. Octo portas habet, & ad Septentrionem portum elegantissimum, cui *il Molo* nomen: & insuper satis valida munimenta, inter quæ primum locum obtinet castellum, quod *Turris rotunda* nomine dicitur, ab Joanne Vicontio, Archiepiscopo & principe Mediolanensium, exstructum. Præter majus sive *cathedrale* templum alia XXII. templa seu parœciæ in hac urbe numerantur, & insuper multa alia ædificia, ad pios aut publicos usus destinata, quæ post restitutam urbem variis temporibus exstructa fuere. Cives ejus morum elegantia & ingenuitate notantur, nec minus industrii & ad opes quærendas sunt apti: unde fit, ut ipsa satis sit nobilis atque opulenta.

Ex veteribus hanc urbem nobilitavere Cæcilius poeta, & Plinius junior. Hunc Comensibus suis donavisse statuam operis Corinthii, ingenti pretio Romæ emptam, scribit Coronellus, eamque in templo Jovis positam fuisse, deinde autem anno post Christum CCCCLXV. eversam, ad abolendam

A Gentilium superstitionem. Cæcilium poetam patria Novocomensem fuisse, Catullus indicat hoc *carmine:*

Poetæ, tenero meo sodali,
Velim Cæcilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque littus.
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare si sapiet, viam vorabit.


Idem probatur ex marmore, quod olim Comi inventum est, & hæc verba habet:

B L. CAECILIVS. L. F. CLIO. IIII. A. P. QVI TESTAMENTO SVO IIS. XXXX. MVNICIPEVS COMENSIBVS LEGAVIT QVORVM REDITV QVOTANNIS PER NEPTVNALIA OLEVM IN CAPO, ET IN THERMIS, ET BALINEIS OMNIBV Q. SVNT COMI POPVLO PRAEBERETVR.
T. F. I.


Ex recentioribus Benedictus Jovius, vir Græce & Latine doctissimus, cujus magnificum sepulcrum exstat in templo majori; ejusque frater Paulus Jovius, Nucerinus episcopus, & Historiarum scriptor
C perceleber, hanc patriam suam eruditionis laude illustraverunt. Præter hos ex nobilibus apud Comenses familiis maxime viri illustres prodiere, Innocentius XI. Pontifex, ex gente Odescalcorum, & hi Cardinales: Petrus Rusca Georgius Rusca, Ptolemæus Gallius, Octavius Paravicinus, Franciscus Mantica, & Augustinus Cicerus, qui etiam inter cives suos episcopatum gessit.

F I N I S.





CAMILLI GHILINI TELINAE VALLIS AC LARII LACVS PARTICVLARIS DESCRIPTIO.



Post imperii migrationem non consuevere Cæsares, nisi raro admodum & propter graves causas, in Italiam descendere. Itaque operæ precium visum est Cæsaris Maximiliani (quem nos post factum à Ludovico Sfortia cum Gallis ad Novariam pacem venisse in Italiam vidimus, & cui operam dare contigit) adventum ejusque causas, & quæ egerit, non perpeti in oblivionis caligine tecta manere: non minus B etiam è re communi fuerit, particulatim regionem, qua veniens iter habuit, ostendere; ut regio, quæ in Italia hactenus præter vini famam nihil habuit, unde celebris haberetur, hujus magnitudine Principis, cujus vestigiis calcata fuit, inter alia celebria loca nomen habere incipiat.

A

Alpes, quæ Italiam à Germania dividunt, ab ortu solis in occasum porriguntur, alio aliis locis nominatæ. Earum saltus, quo Dux Mediolanensis Cæsarem Maximilianum adivit, & quo idem Cæsar paulo post in Italiam descendit, vulgo nunc mons Bralius vocatur: Adulam putant esse, qui vetera nomina sectantur. Is in altum surgit longo spatio, propter cœli inclementiam sine cultoribus, ac propter nivium magnitudinem hyeme aliquot menses invius: qua ad Italiam vergit, Burmio imminet. Ab eo inter Meridiem & Occasum Telina vallis extenditur. Ita nomen est, sive quia in teli speciem porrigitur, sive quod à Telio vico accolæ sic appellaverunt. Ab æstivo Solis ortu Brixiensis, ab hiberno Bergomensis agri fines attingit, à Septentrione & Occasu iis, quæ in Italia Grisani (de quibus dictum est) gens Germanica possident, contermina. A summo Adula amnis Adua cadit, qui totam vallis longitudinem cursu suo emensus in Larium procurrit. A dextra lævaque præalti montes, atque inter eos, quod planiciei est magna in parte soli feracis.

C

D

Montes autem quantum eos meliore anni parte sol inspicit, non coluntur modo, verum optima vina quoque ferunt. Ubi situs cultores non patitur, pecus alit, aut materiam alendo igni aut ædificatione præbet. Metalla quoque his montibus Natura, quin etiam marmora non negavit. Patuit hoc præcipue Ducis Ludovici Sfortiæ tempestate, defectis in magnarum columnarum atque tabularum usum lapidibus viridi colore, aliisque, qui gemmarum fulgorem nitentes, etiam carbunculos variis in locis ostendunt. Quod mortalium multi perspexere, & nos, qui hæc tradimus, quia rem vidimus, nisi vero testimonium subtrahere velimus, pro explorato ponere debemus. Populi per hanc vallem frequentes, & longe quam pro loci spatio majores divitiæ. Hæc summaria Vallis descriptio.

E

At Larius primo à Septentrione in solis ortum hibernum simplex procurrit. Inde in duo brachia diffunditur, altero Comam Urbem inter Occasum & Meridiem, altero ad Orientem Leucum petit, ubi Aduam ab initio acceptum emittit. Lacus non piscatione modo, & quod navigatione commodum se ultro citroque à Germania atque Italia commeantibus præbet, verum etiam populorum frequenti numero & hominum industria admodum insignis. Ad ripam marginis frequens est olea, nec minus vitis. Fert etiam Laurum, atque alias arbores maritimis locis calidioribusque plagis assuetas.

F

Ad Telinam igitur redeundum, ut distinctius nunc cætera enarrentur. Ejus longitudo ab Alpibus ad Larium in sexaginta passuum millia porrigitur. Mons Bralius, sive (ut ante dictum est) Adula vallis initium, inter Rhætorum partem (*Agnedina* dicitur) & Burmienses surgit. Ejus aquæ Septentrionem versus Athesis primordia, ad Meridiem Aduam effundunt. In ejus montis radicibus, qua Italiam spectat, calidæ aquæ multorum generibus morborum salutares putantur. Inferius vicus Burmium planiciem inter præaltos montes triquetri figura explicat. Montes ab æstivo Ortu proximiores duobus anfractibus, altero ad Tridentinorum fines pertinent, altero Camonicam vallem agri Brixiensis partem atque Olii amnis fontes aperiunt. Vallis Camonica longo se cum Telina tractu porrigit, donec Bergomensi agro excipiatur. Eadem etiam Olio perluitur, quoad in Sebuinum lacum se condit, atque ab eodem etiam emittitur. Ab alia Adulæ parte montes ad Germanos Rhætos sive Grisanos pertinent, in duas lacerati valles: primam sine nomine Burmiensium juris, altera Venusta dicitur, quæ Rhætorum possessionis est; à Burmii fronte Meridiem versus in Arctum planicies restringitur, nisi quantum coeuntes inter se montes Adua repellit. Hunc Fredulsus amnis auget, qui ab Ortu solis Burmium cingit. Hujus ager frumenti aliarumque frugum, quas Alpina ferre regio potest, præterquam vini, ferax. His commodis, atque re pecuaria simul, sed multo magis etiam hominum industria adjuti Burmienses magnas olim congessêre opes: & qua à Germania atque Lario iter ad ipsorum vicum per angustias patet, olim ædificatis pilis loca munierant, ut nisi pacato petere Burmium non liceret. Liber olim fuisse dicitur, sed cum luxuriante fortuna suorum non contentus Vallem infestam faceret, Vicecomitum armis libertatem amisit, ancipiti malo oppressus. Nam cum ad Grossum, ubi Vallem clauserant, Burmienses Vicecomitum exercitui resisterent, dum eo in loco acriter pugnatur, per occultam Vallem, quæ post Venustam ad Grossum porrigitur, copiarum partem Vicecomites miserunt, quæ vicum sine ullo præsidio nactæ, populatis omnium tectis, arcem quoque in Adula ad vicum tuendum positam ceperunt, cujus ruinæ in hanc quoque diem duravere. In Burmiensibus montibus id etiam insigne, quod in eis inventa proximis annis rubentis atque cælestis coloris pigmenta, haud dubia (ut permulti putavere) signa dederunt, argento atque auro montes illos gravidos esse. Post angustias, ubi Burmiensium coarctari planiciem diximus, vallis ad Larium benignius aperitur. Frequentiora hinc tecta, frequentes etiam vici, in quibus propter numerosum populum referendi Sondula, deinde Grossum. Hic aperti montes ad Germanos

nos Brusium atque Busclavium ostendunt, qui cum diripiendam hostibus vallem præberi consuevissent, effecerunt ut Vallis fauces duplici arce munirentur. Utriusque etiam integri conspiciuntur muri. Additum huic aliud munimentum, ducta per transversam vallem mole, quæ ab inferiore parte, utpote locupletiore, hostes penitus arceret. Sed hanc quoque molem Rhæti cum temporibus nostris intulissent, subverterunt. Ab his faucibus Croatius amnis in Aduam se condit. Post Grossium non latius modo verum etiam lætius vallis patet. Vici in eo Matium & Asparagus, Tovum post, deinde populi numero Tovo majus Loverum. His minus inclemens frigoribus regio: itaque etiam vineta alit. Sequitur Tiranum Telinæ totius firmamentum. In eo non frequens solum populus, verum magnæ quoque opes. Immunitum superioribus temporibus, Dux Mediolanensis Ludovicus Sfortia valido muro sepsit, atque à Solis ortu arcem imposuit. Idem etiam Petræ malæ munimentum auxit, cum turris antiqua ad arcendos Germanos à Pulsclavio parum valida putaretur. Tirani ager admodum ferax. Ejus colles ante alios vini copia insignes, qua Sol eos plurimus irradiat. Nec vero vini copia colles ipsos magis quam bonitas memorabiles facit. Invenitur ultra sexagesimum annum si cura adhibeatur; perdurare, auctis viribus, quæ alioquin senio nisi in optimis minuantur: tunc quoque odore magis quam potu ad excitandam in affectis corporibus valetudinem inter efficacia remedia numeratur. Post Tiranum pagi sunt in montium radicibus ad Germanos pertinentium, Villa & Bienzonum, & in parte adversa alius pagus Slationa. Inde rursus à parte, quæ Germanis est contermina, in mediam vallem collis erumpit, in cujus summo Telium vicus, idcirco referendus quia frequens est populus, & multæ ejus opes, & quod ab eo nomen sumpsisse vallem putant. Omnia in hoc colle culta, sparsæ in Aduæ marginibus casæ permultæ magis quam pagi. Telium prætergressis occurrunt vici Giaca & Curium, interjecto torrente, qui illic in Aduam cadit. Ab eadem parte alius sequitur pagus spatio divisus, Pons nomine, accolarum divitiis atque elegantiore cultu maxime memorandus. In parte iis adversa & pauci & ignobiles pagi, atque sterilitate parum læti. Inde iterum in collibus ad Germanos pertinentibus *Trisivium, mox Pendulasta montana, Grumellumque, inter montium juga atque radices medii, adeo omnium frugum copia læti atque feraces, ut regio, quæ alioquin abundans est, hic se ipsam superare frugum copia & bonitate videatur. His succedit Sondrium arce insigne, in cæteris ab iis, quæ dicta sunt, minime dispar: medium intersecat fluvius Mala, qui se illic in Aduam condit. Ab eo loco saltus patet ad Rhætorum partem, quam Malengum vocant. Telina ab eo loco minus culta, ac minus plana, & nihilominus non expers vitium, & qua ad Germanos pertinet, quantum cadentes à proximis montibus aquæ coli loca patiuntur, ut in montana planicie non prorsus infœcunda. In parte adversa pagus Cajolus propter ordinem solum referendus. Ab eo ad Camonicam vallem saltus pervius est. Nec aliud ea in parte memoratu dignum. Cæterum ex adverso post Sondrium vici sunt Castilonum, deinde Pons à proximo fano Sancti Petri dictus: ideo referendus, quia lapideo opere. Aduam jungit, & Verbeno amne, quem illic Adua accipit, alluitur, & quod decimo anno ante Cæsaris adventum eo in loco Ludovicus Sfortia, cum nepotis rem gereret, facta pace Rhætorum incursiones coercuit. Inde Ardemus vicus, & ignobiles casæ sparsim positæ, magnis flexibus Adua planiciem secante, donec à montibus, quæ in dextra parte sunt, collis Tartaro à Bergomensium montibus in Aduam ca-

* Tervisium.

A denti ceu se oppositurus occurrere velle videtur. Is torrens longo tractu planiciem occupat, atque infœcundam facit. Tum ab ea parte Telamon pagus late tecta sua spargit. Ex adverso in colle, quem diximus, Camsanum vicus, & morbis salutares, ut in Aduæ radicibus calentes aquæ. Adua tum late se diffundit, in cujus margine, unde Sol oritur, Morbemum. Is populus & numero hominum & divitiis ante alios in Telina insignis. Sed cultiores quoque mores atque ædificiorum elegantia longius ab Alpina duritie quam cæteros abiisse ostendit. Medium secat vicum torrens Bithus, in præceps ab altis montibus ex Bergomensi agro cadens, nonnun-
B quam accolarum tectis infestus. Loco nomen cæli intemperiem, late agrum occupante Adua, fecisse fama est. Hinc ad Larium solus pagus Delebium. Nec plura in Telina valle referenda. Hinc enim in Larium Adua nomen suum relinquit, & pro valle lacus esse incipit. Larius ad hæc initia in dextra parte ab Adua venientibus Alpes versus cuneatur. Illic per Clavennæ vallem in Larium Mera amnis decurrit, & turris posita Mozolæ cognomento. In valle vicus Clavenna idcirco insignis, quod Barbarorum incursionibus sæpe infestatus, sæpe etiam gravibus eos prœliis afflixit. Cum ad arcendos hostes non sufficere sola in monte arx posita videretur,
C valido muro multis in locis egregie turrito Dux Ludovicus, regnante adhuc nepote, cinxit. Introrsus magis in Alpibus vicus, plurium hominum numero nequaquam Clavenna inferior. Ultra ad saltum Bregaliam S. Jacobi vallis, Curiensis Episcopi (qui unus Grisanorum Procerum habetur) finibus contermina.

Larius ad hæc initia sinuatus, quo magis ad Meridiem tendit eo latius patet. In latere ejus ad Occidentem prima à Meræ hostiis Oloniæ turris occurrit. Arx est in mediis aquis posita. Hinc vici, Glarea, Suricum, Domasium, deinde Grabedona, & Doncum. Ab his Musoccum atque Bellincionam per montium culmina itur.

D Sequitur Mussium fodinis & candore marmoris insigne. Tum Arciona, & ultimum in ea parte Menasium, in promontorio situm. Ab ejus tergo ad Proletiam via patet, in ultimo Lugani lacus sinu positam. In Larii parte huic, quæ dicta est, adversa post Aduæ ostia pagus Collium, inde Sancti Nicolai fanum, vulgo Pionæ Prioratus nuncupatur. Post vici Corenum, Delphus, Bellanum, Varena; à tergo Vallis Saxina, atque in ea Bajedi Arx Bergomensi agro, ubi Sancti Martini vallis appellatur, contigua. Usque ad Menasium Varenamque Larius simplex rectusque procedit. Neque eadem ipsius latitudo: ubi major, ad quatuor se pas-
E suum millia pandit: ubi minor, ad duo millia; ac quibusdam etiam in locis angustius coarctatur. Tum à Menasio atque Varena in duo se ceu brachia diffindit, ut ante ostensum est. Alterius ad Occasum finis urbs Comum: alterius oppidum & arx Leucum. Inter hæc duo Brachia à Meridie in Larium, tanquam Isthmus, collis Bellasium nomine procurrit. A Varena ad Leucum sunt Fons Lacteus, & eodem nomine amnis, quamvis brevi cursu, nomen à candore fractarum per saxa aquarum assecutus. Tum oppida Mandellum atque Leucum; hoc loci munimento insigne, nec minus quod sub Duce Phi-
F lippo omnes Venetas vires sustinuit, egregiaque virtute ac fide præstita æternam sibi perlatæ fortiter duræ obsidionis famam comparavit. Illic tanquam Laurii partus Adua emittitur, lapideo ponte junctus. In adversa Larii parte vicus Malgratum, & Vallis quæ ab eo nomen accepit, inde Onum, Civenna, Vasenna, Limonta. Tum Bellasium collis, qui (ut ante dictum est) in medium Larium procurrit. In ejus radice ad occasum solis eodem nomine vicus. A vertice tres ipsas prospicit partes, in quas Larius se expandit, & propterea magni tur-

bulentis apud Laurium rebus momenti semper habitus. Ita fuisse ostendunt ruinæ magnæ olim arcis in summo positæ, & quod mortuo Duce Philippo pertinere ad publicam quietem visum est arcis munimenta demoliri, nec perpeti, ut à reliqua continenti, ut cogitatum fuerat, collis rescinderetur. Hinc fuit quod sine cultore diu mansit, quoad præsens loci dominus fretus Principis gràtia arcem quidem restituere non tentavit, sed magnis in æquiore colle excitatis ædibus consitisque arboribus, atque adjecta hortorum amœnitate, loco veteris famæ nitorem restituit. A Bellasio Comum tendentibus primo Lassenum occurrit, nulla re magis quam austeri vini infamia notum. Tum pagus Nexum, eodem nomine duplex populus. Haud longe ab eo fons est non semper scatens: stata dicitur habere tempora, atque opinio invaluit religioso die, quo pro hominum salute Christus in ligno pependit, dum sacra mane peraguntur, aquas hunc fontem ante arentem ea anni parte primum emittere. Vis etiam medica cohibendis impetiginibus & scabiei, eidem inesse putatur. Hinc pagi inveniuntur, Palantia atque Molendina. Huic molendi usus nomen invenit, & ut molere possit aquæ efficiunt pluviani fontis, quas non solum auctoris nomen fecit insignes, verum etiam illud, quod dictu mirum, non statis horis (ut in vulgo est) sed per incerta temporis intervalla ut ex fonte evomantur, mox se ipsas etiam contrahunt atque resorbent, ut maritimam in Alpibus undarum reciprocationem edere videantur. Ultra vicus Tornum lanificio insigne, & Parlassa, tum obliquante se lacu in eminenti dorso sancti Nicolai fanum ultimus in Lario locus ea parte Comum euntibus.

Superest nunc in Lario dicenda pars huic adversa, à Menasio se Comum extendens. Igitur post Menasium vici sunt ordine, quo referuntur: Griantum egregia vini fama insigne, inde Tremetium, Lenum, & in Leni tergo Aquæ frigidæ monasterium, nomen loco scaturientes frigidissimis aquis fontes dedere. Tum surgens in Lario dorsum peninsulam facit, in cujus vertice sacellum, cætera sine cultoribus: oleis tamen vitibusque vestiuntur. In continenti patent campi, & in eis vicus Insula, ita appellandi dorsum (quod diximus) parvo annexu continenti adhærens causa fuit: populus veterum malorum fama memorabilis. Nam cum locus fiduciam faceret natura atque manu munitus, conspirantibus propinquis populis, non infestare modo, sed etiam in potestate sua Larium totum continere, ac urbem Comum navigatione prohibere ausus est, quoad Comensis civitas indignitate atque incommodis simul permota, communicatis viribus atque consiliis cum iis populis, qui superne lacum incolentes paria cum urbe incommoda atque mala patiebantur, adversus Insulanos à fronte tergoque eodem tempore arma movit: sed inimicum populum non contenta oppressisse, victis leges imposuit, ne imposterum unquam locum munirent.

Post Insulam Sala Colona, tum Arzenna atque Briona pagi. Inter duos posteriores Intellefi amnis ad Lugam Lacum vallis porrigitur. Inde sequuntur Alium, Coratumque, deinde Moltrasium, atque Cernobium. A Moltrasii tergo mons surgit Bisbinus, à cujus vertice futuras prænosci tempestates accolarum opinio est. Hinc ad Meridiem sinuatur

A lacus, & in ipso flexu Vicus, ita pagum illum incolæ vocant. In eo nunc sacræ virginis fanum Humiliatorum ordinis. Hic quondam Ruffi villam fuisse à Plinio celebratam fama est: & gemmeus euripus, aliaque nonnulla ita fuisse spectantibus fidem facere conantur. Cernobium inter ac Vicum Bregia fluvius in Larium decurrit, ponte insignis, Longobardorum Reginæ id opus, ut fama est. In intimo sinu urbs Comum, & vetere fama & præsenti fortuna inter Italas urbes minime negligenda.

Lario duo sunt peculiares venti, quotidie non simul, sed vicissim ac statis horis spirantes, tanquam navigationis ultro citroque adjutores ac magistri, Tivanum vocant à Septentrione flantem, à Meridie B venientem dicunt Brevam. Hæc ad Larii initia naves propellit: Tivanus inde venientium navium implet vela. Alterius flatus, cum aurora surgit. Breva post meridiem incipit, & cum sole vires plerumque amittit. Larius pisces fert bonitate atque magnitudine insignes. In eis præcipui Trotta atque Persicus, & iis nequaquam conferendus Agon, toto tamen Lario frequentior.

His quæ dicta sunt, haud alienum fuerit regionem annectere inter Aduæ cursum atque Comensem viam, quo ad in colles ad Meridiem surgere desinit. Nam & Cæsaris itinere lustrata est, & à C tergo imminentes Lario montes habet. Hanc plagam à Lario in Meridiem tanquam limite sub Lambri nomine fluvius dividit, & quo Lario vicinior, altius in montes surgit. Ad Meridiem minus editis collibus aut potius tumulis suspenditur. Pars, quæ ad Aduam pertinet, Briantius mons nuncupatur, in eo magnus hominum numerus, & frequentes vici: gens ipsa armis gaudet: quod longo tractu Bergomensi agro contermina, cum sæpe hostes essent, minus eis armorum usu fuit interdictum: vino tamen & propter copiam & propter magnas vires celebrior. Inter ejus vicos notiora nomina, Clivate, & eodem nomine lacus cum Sala Galbiate, Ogio- D num atque Annonum. At occidentalior pars, quæ ad Larium vergit, sub nomine est Vallis Assinæ: ei major vicus Assium nomen dedit: minus quam Briantius mons fertilis, quia inter saxa minus etiam coli potest. Post Assium vici Cantium, Casalinum, Scarena, ut minus ignobilia numerantur.

Quæ à Lario pars magis in Meridiem tendit fertilior, nomen est ei Incini Plebs: media Lambro amne perluitur, qui à montibus Lario imminentibus cadit. Eum Eupulus excipit lacus: recentior ætas à vico proximo pro Eupulio Pusianum nominat. Huic amni proximiores pagi ad Briantium montem, Luragus, Inverigus, Mongutius, atque E in editiori parte Peucianum, & unde Lacui præsens nomen Pusianum: tum Boxisium atque Cornellum. Sed Lambrum inter ac Comensem viam notiores vici, Canturcium, Fabrica, Brucianum; tum Cassianum, Albesium, Coracanum, Herba, Orzanigum, inter multa, in quibus etiam Lacus, ut minus ignobilia.

Eupulio emissus amnis, quem ab eo diximus exceptum, inter colles labitur, nulla re quam molendo regioni commodior, donec Moguntiam attingat. Tuno plana jam regione etiam irrigationi servire incipit, neque ante desinit & molendo & irrigando utilis esse, quam in Laudensi agro Padus F eum excipiat.

F I N I S.

NICOLAO SFONDRATO,

COMITI RIPERIAE, REGIOQVE SENATORI AMPLISS.

DIONISIVS SONENTIVS

S. D.



Cvm proximis superioribus diebus Larium mihi lacum adire contigisset, illuc ab amplissimo ordine vestro tui gratia missus, ut quorundam maleficorum hominum, homicidii reorum ditionis tuæ causam cognoscerem, magna animi voluptate viridem illum, & vere gemmeum lacum inspexi, pulchritudinem ejus, totiusque oræ illius amœnitatem, crebra oppida, frequentesque populos admiratus, inter alia ad adspectum Bilatii, ejusque altissimi promontorii, duos vel potius tres lacus prospectantis, obstupui. Adeo tenet animum, variisque modis afficit, & delectat longissimus ille tractus aquarum, dextra lævaque jucundissimum oculis spectaculum præbens. Quid dicam de magnificentissimis ædibus ac Regiis, quas ad medium fere collem habes, quantumvis numerosæ familiæ capaces? quid de perenni saluberrimaque in superiore montis parte aqua? quid de pulcherrimis hortis à citreorum & medicorum pomorum amœnitate beatissimis? Quid de toto colle, ficu, olea, cujusvis generis fœcundis arboribus, viteque in primis generoso vino exuberante, vestito atque ornato? Ut præteream mirabilem illum aditum, adscensumque ab imo lacu ad summum montis per scalas, quæ per octingentos amplius gradus miro artificio è durissimo lapide fabricatos facilem adscentibus viam præstant. Ad summam nunquam alias jucundiorem vidi locum: quem tu per jocum, cum me satietas humanarum rerum ceperit, gratissimam mihi sedem, laborumque quietem destinas, ac offers. Munere illo functus domum cum rediissem, tibique quid mihi de regione illa visum foret, percunctanti, quantam cepissem voluptatem, exposuissem, dixisti, velle te mihi delectationem eandem renovare, oculisque loca eadem sine ullo viæ labore subjicere, proferrique statim ex bibliotheca tua Pauli Jovii libellum quendam jussisti, quo ille jucunde simul & eleganter totius Larii lacus amœnissimum situm, locorum ac hominum utramque ripam habitantium, nomen ingeniumque describit. Hunc ille libellum in gratiam patris tui, viri clarissimi, & nunquam satis laudati, olim scripserat. Avide paucis horis totum perlegi, visusque mihi dignus est, qui publice cunctis legendus præberetur, pulchrumque in primis tibi, & honorificum esse judicavi, si in manus hominum exiret. Magna enim ex parte in describenda ditione tua est occupatus, quam ad Larii dexteram ripam magnam amplamque summa cum dignitate obtines, & justissime regis. Recte itaque judicio meo feceris; remque tibi ac nobilissimæ familiæ tuæ honorificam, si tam elegantis opusculi copiam orbi quamprimum impertieris. Quod te facturum summa prudentia tua, amoreque erga cuncta studiorum genera mihi facile persuadeo. Vale. Mediolani, Calendas Junii MDLVIII.

PAVLI JOVII,

LARII LACVS

(hodie COMENSIS)

DESCRIPTIO.

AD FRANCISCVM SFONDRATVM.



Comensem Lacum, Francisce Sfondrate, Senator amplissime, ab Etruscis Larium, uti omnium Italiæ principem, antiquitus appellatum fuisse, Cato in *Originibus* tradit. Ad quod Virgilius Maro, antiquitatum eruditissimus, quum in *Georgicis*, Te Lari Maxime, diceret, allusisse videtur. Ejus oram, in qua eximiæ nobilitatis tetrarchiam tibi & posteris tuis virtute quæsivisti, perjucunda navigatione percurrimus, annotavimusque diligenti commensuratione utrinque litora lambendo, sinus, promontoria, peninsulas, fontes, sigillatimque oppida & vicos, ac in his, quæ literarum memoria & laude digna videbantur; ut id, quod à me proximis diebus optimo jure postularas, cumulate, nec sine celeritatis gratia solveretur. Efficit autem Larium, aut certe in immensum adauget Abdua, limpidissimus amnis, qui ab Abdua monte, à quo nomen accipit, excelso Rhæticarum Alpium jugo delapsus, raptis secum

A multis torrentibus in Larium per Volturenam vallem evolvitur. *Adulam* pro Adua corrupte legimus apud Ptolomæum: nam & ea vox Græce *inaccessum* significat; ita ut hinc liquido constet, montem à Græcis nomen accepisse. Is enim & hodie *Grajus* appellatur, maximorum amnium fontibus nobilis: siquidem Danubii Rhenique origines in adversa Aduæ regione referuntur. Adjacet Graji radicibus Burnium oppidum, ad urbis effigiem maxime turritum, aquarum calidarum balneis ad pituitæ morbos percelebre: nec multum inde absunt Abduæ

B fontes, argenti fodinæ, secturæque ferrariæ, & in rigentibus gelu cautibus crystallus, pari periculo, quæstuque à montanis hominibus colligitur. Has Aduæ rupes Claudianus Poeta, quum Stilichonem adversus Gothos armato exercitu in Germaniam penetrantem celebraret, jucundissime descripsit his versibus [1]:

Protinus umbrosa vestit qua littus oliva
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parva puppe lacum prætervolat ocyus, inde
Scandit inaccessos brumali sidere montes.

C

1 *De Bello Get.* v. 319.

Et alio in loco [1]:

—— sublimis in Arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia silvæ,
Quæ se Danubii jactat Rhenique parentem.

Et alio in loco [2]:

Sed lacus [3] Hesperiæ, quo Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit astra jugis, panditque tremendam
Vix æstate viam: multi ceu Gorgone visa
Obriguere gelu: multos hausere profundæ
Vasta mole nives: cumque ipsis sæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plaustra baratro.
Interdum subitam glacie labente ruinam
Mons dedit, & trepidis fundamina subruit hastis [4],
Pendenti malefida solo; per talia tendit
Frigoribus mediis Stilicho loca.

Ab his Alpibus Abdua sexaginta millium cursu in Larium decurrit, mediam Volturenam vallem proscindens, adeo multis mæandris tortuosus, ac ingentibus impeditus saxis, ut nec tuto rates sine remige profluenti committantur. Eam vallem celebritate insignium oppidorum & præstantissimi vini fœcunditate ditissimam, C. Sempronio, vetustissimo Italicarum rerum scriptori, notam videmus. Id vinum facile inveteratur, & in multos sæpe annos perdurat, fitque odoratius, quum maxime canescit, tanta potestate ut ab honore mensuram in varios medicinæ usus transferatur, melleo utique liquori, quam perspicuo vino similius. In infima vallis parte ad ostium Abduæ, Larium influentis, Volturenam urbem florentibus Etruscorum rebus ædificatam fuisse, Paulus Longobardus asseverat, de cujus situ, ruinisque suo loco dicemus. Decet enim à Como patria, unde ei hodie nomen, descriptionem lacus exordiri. Nam portu urbis egressi ad lævam enavigavimus usque ad extremum lacum, ut inde per adversa demum littora confecto circuitu reverteremur.

Orobiorum stirpem esse Comum, Cato in *Originibus* tradit. Nam Græcos, qui coloniis suis terrarum orbem compleverunt, auctore Cornelio Alexandro, magnam Italiæ partem imperio tenuisse constat. Hi crescentem à parvis initiis urbem, Græco nomine Comum, id est, vicum appellavere. Cæterum à Gallis Senonibus, qui Etruscos, Græcam gentem, victricibus armis summa Italiæ parte depulerant, Comum adauctum, & plane conditum fuisse, Trogus Pompejus auctor est, eo fere tempore, quo Mediolanum & Bergomum, & Brixiam ab iisdem Senonibus ædificatas legimus. Verum Comenses, supra vetustatem originis, Cæsaris dictatoris magnificentia & patrocinio nobilitantur, quando incomparabili judicio vir, opportunitate, amœnitateque situs, ut credi par est, invitatus, in eam urbem novos colonos deduxerit, in queis ad quingentos nobiles Græcos fuisse Appianus & Suetonius tradunt: unde & Græcorum familia honestissimi nominis apud nos adhuc viget: & id Græcis literis inscripti scilicet abunde testantur. Verum non aliunde magis claritatem appetimus, quam ab ipsis Romanæ magnificentiæ monumentis, quæ passim & in urbe, & in agris vel nihil tale indagantibus occurrunt. Ea diligenti eruditoque studio Benedicti Jovii fratris excerpta, relataque in justum volumen, quum historiam patriam scriberet, apud exteras gentes lectitantur. In ædes quoque nostras nuper transtulimus ingentis epistylii fragmenta, Cæsariani, uti arbitror, theatri titulum cubitalibus literis longe pulcherrimis exprimentia, ejusque triumphi marmore candido cælata effigies in amplissima tabula è ruinis emersit: & ad nos quoque summa cum voluptate delatum est Cæsaris dictatoris caput, colosseæ propemodum statuæ, habitu pontificis maximi, infula velatum, uti persi-

1 Ibid ℣. 329. 2 Ibid. ℣. 340. 3 Lege latus. 4 Repone Austris.

A milem videre licet in numismatibus argenteis: ita ut aliquando speremus, ad publicam dignitatem, ex eodem loco statuæ truncum, & non multis quidem operis eruturos.

Orta igitur à Græcis urbs nostra, condita à Gallis, à Romanis illustrata, duos Plinios æternæ dignitatis viros protulit, & paulo ante Cæcilium poetam, Catulli sodalis sui carmine celebratum, Attiliumque Grammaticum, Plinii Cæcilii laude, & marmorea base apud nos illustrem. Promeruerat enim ille virtutis & pietatis ergo à gratissimis civibus, quum liberaliter artem professus, ex testamento universam substantiam suam ad Rempublicam pertinere
B voluisset. In ejus basis latere & hoc quoque præter titulos suavissimum distichon incisum est,

Morborum vitia & vitæ mala maxima fugi:
Nunc careo pœnis, pace fruor placida.

L. quoque Fabati, qui Plinii Cæcilii prosocer fuit, eximiæ magnitudinis elogia visuntur. Is fortuna & dignitate amplissimus, auctore Cornelio Tacito, adversus Neronem orbis portentum, vel hoc uno consilio illustris, generoso spiritu conjurarat. Et ejus Caninii quoque liberalitatis marmorea monumenta exstant, qui sub Trajano bellum Dacicum Græco poemate exorsus, crebris Plinii cohortationibus accendebatur, ut aliquid ederet, quod esset perpe-
C tuo suum. Neque mirum est, Cæsarem hunc potissimum deducendæ coloniæ situm delegisse, inhabitasseque eam, aut frequentasse summæ claritatis viros, quum Plinius Cæcilius & Cassiodorus ad copiam rerum omnium præcellentem, ad incomparabilem subvectionum commoditatem, ad cœli temperiem, & denique ad ipsas humani generis delicias constitutam fateantur. Quicquid enim mirum in modum excultæ montium radices ferunt, quicquid sylvosa, excelsaque nemora humanis usibus præbent, quicquid in herbidis ac insertis cœlo Alpium jugis armenta progenerant, subjectus & serviens lacus excipit, urbique dominæ facili con-
D vectione dilargitur; qui demum undique piscosus, & passim olea, vite, lauro, citreisque nemoribus litora redimitus, lætissima facie navigantibus arridet. Quatuor montes quadrata facie planiciem includunt, in qua urbem ipsam fluviatili cancro persimilem positam, ab alto conspicimus. Duobus enim suburbiis, Coloniola scilicet, & Vico influentem, lunato sinu Larium duabus veluti chelis amplectitur. Ab adversa vero parte suburbium, quatuor ferme stadiis inter Orientem atque Meridiem exporrectum, molliter inflexam extendit caudam. Ubi vero coeuntium inter se montium fauces itinera coarctant, pinnatæ quadrati lapidis ingentes por-
E tæ, singulos aditus præcludunt, opportunæque totidem in excelso arces ingressus militares tuentur. Ab Ortu Castrum novum apparet, fatiscente jam subtus tota rupe, ruinæ modo collapsum. A Meridie Baradellus, Luitprandi regis opus, Turrianorum Principum carcere insignis, in edito jugo conspicitur saxosæ viæ, quæ tendit ad Helvetios. Ab Occasu insidet Carnesium castellum, cujus conspicua turris in privatæ villæ peristerium abiisse vidimus. A Septentrione autem Larius consumpto cursu in urbem diffusus, veluti mole sua, summotis late montibus, ipso portu subjectæ urbis excipitur.

F Intra hæc circumeumtium montium septa, campi aliquot stadiorum urbem circumdant, aut segete nobiles, aut virentibus pratis jucundi, aut hortensibus deliciis florentes, quæ omnia ad ocii voluptates, & hippodromon, & gestationes, & amœna ambulantibus spacia præbent. Montes ipsi castigatis apicibus, & compresso ad æquissimam planitiem dorso vel in summa juga carris permeabiles, ab aprico litore vinetis & frugiferis arboribus exculti, ornatique frequentibus villis & templis, spe-

ſpectantium oculos mire implent, nec tamen exſatiant: quin ad ſalubritatem ventos arcent, Boreamque præſertim flexuoſis obicibus frangunt, ita ut mirum videatur, nivoſis incluſos montibus mitiorem experiri hyemem: & diverſa pariter ratione, neque æſtuoſos ſolſtitii dies, ingentibus protecti umbris, neque per noctes ardentis Caniculæ veſtigia, ſed aerem ſuavibus auris mitigatum ſentiamus, quando Mediolani tam prope per hybernos dies rigidiore matutina aura, uti ab expedita planitie rapidius incidente, gelata ora hominum abradantur, & in refertiſſima urbe immodicis æſtate fervoribus torreamur. Porro ab adverſa parte, qua in ſeipſos objecti ſolibus cadentes umbras excipiunt, B præalta nemora oſtentant ad venationes, ad aucupia opaciſſimoſque receſſus, ita ut paſſim veluti æſtivis voluptatibus arridente natura, & frigidi fontes ſubſiliant, & aviculæ decantent, & umbroſa diverticula ad quieſcendum viatores alliciant.

Sed ne dulcedine patriæ fuſius laſcivire videamur, ſubjiciemus Epiſtolam Caſſiodori, qui hæc poetico more jucundiſſimis tractibus celebravit. CASSIODORUS *Gaudioſo, Theodorici Regis Epiſtolarum magiſtro, ſalutem dicit. Cum multis itineribus Como civitas expetatur, ita ſe ejus poſſeſſores præ veredorum aſſiduitate ſuggerunt eſſe fatigatos, ut equorum nimio curſu ipſi potius atterantur, quibus indul-* C *tu regali beneficium præcipimus cuſtodiri, ne urbs illa poſitione ſua libenter habitabilis rareſcat incolis, frequentia læſionis. Eſt enim præter montium devia & laci puriſſimi vaſtitatem, quaſi murus quidam planæ Liguriæ, quæ licet munimen clauſtrale probetur eſſe provinciæ, in tantam pulchritudinem perducitur, ut ad ſolas delicias inſtituta eſſe videatur. Hæc poſt tergum campeſtria culta tranſmittit amœnis vectationibus apta, & victualibus copiis indulgenter accommodata. A fronte ſexaginta millibus dulciſſimi æquoris amœnitate perfruitur, ut & ejus recreabili delectatione ſatietur, & piſcium copia nullis tempeſtatibus ſubducatur. Merito ergo Como nomen accepit,* D *quæ tantis lætatur compta muneribus. Hic profecto lacus nimis ampliſſimæ vallis profunditate ſuſceptus, qui concharum formas decenter imitatur, ſpumei litoris albore depingitur, circa quem conveniunt in coronæ ſpeciem excelſorum montium pulcherrimæ ſummitates: cujus oræ pratorum liminibus decenter ornatæ, quaſi quodam cingulo Palladiæ ſylvæ perpetuis viriditatibus ambiuntur. Super hæc frondoſæ vineæ latera montis adſcendunt. Apex autem, quaſi quibuſdam capillis caſtanearum denſitate criſpatus, ornante natura depingitur. Hinc rivi niveo candore relucentes in arctam laci altitudinem præcipitati deſcendunt, cujus finibus ab Auſtro veniens Abduæ fluvius faucibus* E *apertis excipitur. Qui ideo tale nomen accepit, quod duobus fontibus acquiſitus, quaſi in proprium mare devolvitur, qui tanto impetu vaſtiſſimi æquoris incidit, ut nomen retinens, & colorem ad Septentrionem obeſiore alvei ventre generetur, putes quamdam lineam fuſciorem in aquis albentibus eſſe deſcriptam, miroque modo influentis diſcolor natura conſpicitur, quæ miſceri poſſe ſimili liquore ſentitur. Hoc & in marinis quidem fluctibus fluviorum inundatione contingit. Sed ratio ipſa vulgariter patet, ut torrentes præcipites limoſa fæce corrupti, vitreo ſint æquori diſcolores. Hoc autem jure putabitur ſtupendum, quod ſimile tantis qualitatibus elementum per pigrum ſta-* F *gnum vides ire celerrimum, ut amnem per ſolidos campos putes decurrere, quem ſe peregrinis undis non videas colore poſſe miſcere. Quapropter incolis harum rerum jure parcitur, quando amœna omnia delicata ſunt ad labores, & facile onus afflictionis ſentiunt, qui uti ſimilibus deliciis conſueverunt. Fungantur ergo munere regali perpetuo, ut ſicut gaudent nativis epulis, ita eos exſultare faciat munificentia principalis.*

Hanc urbem beatam deliciis, florentem opibus, A & libertate, fortunaque ſua gaudentem, conſpiratione quatuordecim civitatum Mediolanenſes abhinc annis quadringentis, imperante Lothario in cineres redegerunt, auctore & principe Jordane Clivio eorum antiſtite. Is tribus caſtris poſt diu obſeſſam oppugnatamque urbem eo Comenſes, ab inſulanis ſociis deſertos adegit, ut deſperatis rebus cum liberis ac uxoribus claſſe profugerent, & urbs deſerta, ſpectante civium claſſe, cremaretur. Cujus diri belli hiſtoria inepto, ſed robuſto carmine decantata, in archivis Comenſium religioſe cuſtoditur: cujus auctor eſt M. Cumanus, qui bello interfuit, & pleraque alia pedeſtri demum ſtylo in B tanta ejus ſeculi Scriptorum orbitate, nobis gratiſſima ſcriptitavit: ſic enim tumido verſu opus orditur:

Bellum, quod geſſit populus cum gente ſuperba.

Annis ab ea clade viginti tribus, quum ingruenti in Italiam Federico Ænobarbo Cæſari, Comenſes vindictæ libidine, præſto fuiſſent, in quota ſolatii parte Mediolanum Barbarorum ſævitia deletum viderunt? Tum vero Cæſar, ut ſociis gratiam referret, Comum reſtituit: immunitate, libertateque donavit. Eam vero liberalitatem Cæſar Auguſtali diplomate ex latiſſimis membranis, quæ adhuc incorruptæ ſervantur, benigne teſtatus eſt: ejus quoque C auſpiciis, quæ videmus, mœnia, & turres eximii operis Comenſes ædificarunt, auctaque demum eſt opibus civitas, mercaturæ, lanificiique præſertim induſtria, quum laneos pannos in Orientem uſque tranſmitteret. Induſtria ergo opulentiam fecit, è qua mox ſuperbia orta eſt, quæ inteſtina bella peperit: atque ita inſanis factionibus ſervientes Vicani, Ruſconique familiæ principes, alternante fortuna partium ſucceſſus, urbem everterunt. Eo modo attriti mutuis cladibus, urbe late incendiis deformata, tædio calamitoſæ libertatis, ultro in ditionem Actii Vicecomitis conceſſerunt. His ab Actio ducentis annis bis urbs noſtra redivivis opibus D reſurgens, direpta eſt, ſemel à Pandulpho Malateſta, imperante Inſubribus Joanne Maria, cui inhumana crudelitas dignum vitæ exitum paravit, iterum ante ſexdecim annos ab Hiſpanis, quum ſincere deditis aviditate prædæ fidem violaſſent. Secutum demum eſt exſecrabile id bellum inter Cæſarem & Franciſcum Sfortiam, quod toti Italiæ fatale fuit, ut omnium ſimul fortunæ conciderent: quo tempore Petrus Arias Hiſpanus inuſitata tyrannide ita Comenſes afflixit, ut ſub hoc prægravi tributorum pondere fatiſcentes, quo nunc premimur, nihil jam de ſalute ſperemus, niſi hoc Gallico bello Cæſar aut optimam pacem, aut optimam E victoriam ſibi & nobis attulerit, ſed cum hæc amariores nos reddant, ad Larii delicias revertemur.

Igitur ad lævam è Vici ſuburbano ſolventibus, ubi opaciſſima Plinii Platanus olim fuit, Epiſtolis ejus celebrata, in cujus memoriam honoremque Muſarum, & Apollinis, jucundiſſimi proſpectus Muſeum noſtrum ædificamus, occurrunt quinque villæ ad radices Olympini montis, qui contra portum reſpicit, Grumellia, Succota, Ceraſia, Tabernula, Gerentiana, æquis fere ſpaciis inter ſe diſtantes. Hinc vertente ſe in orbem Olympino in Larium effunditur Bleſia flumen, & lapideo ponte F oblongo, & frumentariis molis, & in oſtio Troctæ piſcis captura inſignis. Eum piſcem antiquitus *Lupum* appellatum fuiſſe, in libro *de Romanis piſcibus* abunde monſtravimus: datur enim ei palma, qui Majo menſe in oſtio Bleſiæ ſit captus. Ultra pontem cœnobium, oppidulum ex ambuſtis ædificiis, & ſtructura interrupti portus paucis ante annis opulentum. Paulo ſupra cœnobium, ad ſecundas excelſi Busbinii montis radices, viſuntur Platea, Rubenna, Toldinium, rara, ſed eximii tritici fruge

ge gaudentes. In summo cacumine cum templo Deiparæ Virginis specula est admirabili prospectu. Inde Larii fluctibus alluuntur Garinia, & Speciana, honestissimorum civium villæ. Sequitur nobile ficetis, & tegulari lapide Multrasium in valle algida sonantis amniculi umbrosis cotibus impositum. Inde recto itinere sequuntur Furii geminæ sacræ turres, & mox Caractum, lapicidis & navalibus fabris frequens. Hinc paulum sese Larius terris insinuat, & dum rursus refugit, Lellium exigua cuspide in undas porrigitur, oliveta passim & in primis Curtianas elegantes villas ostentans. Inde demum lunatis utrinque ripis Turregiæ promontorium excurrit, adeo ut à Careno oppositi littoris non amplius decem stadiorum spatio distet: neque alibi Larius angustior reperitur. Is vicus agrum habet acclivi, & ob id gradata, planitie, vite, olea, lauris, & fontibus peramœnum, ita ut is situs toto lacu mihi potior videatur, qui ab aliquo priscæ elegantiæ & arridentis fortunæ viro luculentis ædificiis debeat exornari. A Turregia rursus litora sensim curvantur, prolatatoque sinu visitur Biennium in ardua & aprica montis radice propendens. Inde duodecim ferme stadiis adest Arcennium, in intimo recessu perampli sinus positum, ædificiis, arce, privatis turribus, & lapideo ponte nobilis vicus. Interfluit enim medium amnis ex umbrosa valle delapsus: qua iter est octo millibus passuum ad Lugani lacum, per Intelevinam vallem multis frequentem pagis, venationeque & aucupiis jucundam. Ab Arcennio stirpem ducunt Lavizarii, vigente olim Vicana factione Comi opibus potentes: quorum unus hodie Arcennii Georgius multa hospitalitate nobilitatis nomen tuetur. Dum Arcennii sinu evehitur, ad lævam in arduum montem, & subamaro quidem adscensu, unde illi Græcum nomen, suspicitur Picra oppidum cum arce, frumenti candoris & magnitudinis eximiæ ferax. Gloriatur & rapis Nursinis æque similibus. In ora cum fornicato ponte, qui regiam viam sternit, Camogia torrens, atque inde Colonium ignobilis pagus: tum vero fons largus, frigidus, perennis, ab olivetis inumbrantibus nomen accipiens. Is saxeo naturali cratere tantisper retentus, dum viatores & nautæ potant, in lacum effunditur. Sala demum pagus occurrit, cum vetusta arce in edito, negotiosis piscatoribus frequens. Hinc enim incipit Euripus ille Gemmeus Cæcilii Plinii, à multa intercurrentium piscium captura pernobilis. Contra id Salaniani litoris spatium porrigitur Insula, protenso in longitudinem dorso, cadaver antiquæ urbis decreto Comensium navigantibus ostentans, ut ejus pœnæ exemplo Lariani populi parentem suam Comum urbem fidelius colere moneantur.

Fuit hæc clara Gothorum temporibus, qui tantum in ejus urbis munitione confidebant, ut in ea totius gentis thesauri conderentur. Paulus Longobardus in *Historiis* scribit, Comacinam Insulam in Lario lacu ab Ariperto, Longobardorum rege, captam eversamque fuisse, quum forte in eam Ausprandus, Luitperti pueri regis nutricius & tutor, prœlio ad Novariam victus profugisset. Cæterum post Caroli Magni adventum, qui Longobardicum regnum evertit, instauratam Insulam invenio. Ab hac Joviorum familia nostra originem trahit, exstantque opulentiæ majorum nostrorum monimenta, divæ Mariæ Magdelenæ templum, in Stabio vico contra Insulam per Euripum brevissimo duorum stadiorum trajectu distans. Ei majores Jovii agros ex fundis suis in alimenta egenorum viatorumque liberali pietate contribuerunt: & per sexcentos annos manet apud nos incorrupta dicendi præfecti & sacerdotis prærogativa. Propterea & hodie quoque in gentilitio insigni, ad argumentum originis, castellum Insulæ ambiente Lario, impo-

A situm gestamus, addita Romana Aquila, qua Federicus Ænobarbus domum nostram honestavit: sicut & dudum columnas Herculeas, munere Caroli Quinti Cæsaris, studiis nostris impense faventis addidimus.

Post deletum vero Mediolanum, Comenses, Ænobarbi opibus adjuti, recentem Insulanorum perfidiam vindicantes, Insulam funditus everterunt, Insulanis Varenam migrare jussis, ad publicam severitatem decreto adjecto, ne quis unquam in Insula ædificaret: ita ruinis ingentibus deformata, quadringentis annis permansit: hodieque durante tantum templo, quod religione inviolatum fuit, solis B cuniculis habitanda relinquitur. Contra Insulam Spuranum, Stabiumque, & ulterius Canonica vocatum templum archisacerdote & reditu celebre. Inde Balbianum, quod Insulæ suburbanum fuit, ubi majorum nostrorum reliquias, fundum scilicet & ruinosas magnificentiæ singularis ædes possidemus. Balbianum à Campo vico, interlabente Perlana, infestissimo torrente dirimitur. Is à valle prærupta defluit, in qua antiqui monachi in sylvestri admodum loco divi Benedicti templum posuerunt, non longe ab Ossucio vico, largissimi fontis & olearum copia celebri. Cæterum à Campo oppidulo Isthmus incipit, quo promontorium Lanactum, C nemoroso dorso & excelsæ arcis vestigiis superbum, terris innectitur. Id magno ambitu adeo in diversa litora porrigitur, ut superioris Larii tractus, & ipsi Insulæ, & iis, quæ notavimus, quinque pagis penitus abscondatur. Humani capitis effigiem id Lanactum præbet, ita ut Isthmus cervicis locum obtineat: distant vero litora minus stadiis quinque, intercedente per amœna planitie, cujus jugera propter eximiam rerum omnium fertilitatem viginti aureis avide coemuntur. In angusta cervicis margine turris Vacania visitur, Aquilonibus hyeme perflata, sed æstate umbris jucundior. Sequitur concavo litore Lennum, templo, & sacerdotibus, æ-D dificiisque pluribus, & priscæ antiquitatis monimentis memorabile. Ad Lennum proculdubio villam Plinii fuisse judicamus: quam ille Lario incumbentem, à depresso littore *Comœdiam* appellare solebat, atque inde facile è fenestris & è lectulo piscabatur. Supra suspicitur cœnobium, ab algido fonte *Aqua frigida* nuncupatum, unde ab excelsa peramœnaque porticu cuncta litora, & navigantium cursus despectare licet. In extremo vero promontorio divi Joannis templum fluctibus alluitur, è quo per turbidas tempestates noctu, tanquam è Pharo, sacerdotes navigantibus lumen præbent. Inde rursus litora recedunt, efficiturque Larius lato pelago E similis. Nec multum abest à Lenno Buzanicum, & mox divi Laurentii templum ad litus. Hinc molli flexu terreni colles, consiti vinetis, paulum excurrunt, donec producta cuspide ad lævam recedant introrsus. A Tremetio pago Griantei vini præstantia, & fœcunda planitie percelebri, aliud promontorium, nequaquam scopulosa, aut montuosa collium prominentia, sed plana, redimitaque oleis, & vitibus, in Larium procurrit. Hinc Catenæ Apiæ nomen nautarum temulentia fecisse videtur: qui ibi, veluti expleto mediæ navigationis cursu, à remigii labore libentissime conquiescunt, quum nullibi liberalius, aut meracius caupones præ-F ternavigantibus propinent.

Inde se litus ad Occasum recurvat, sinumque efficit, in quo positum est Minacium, Francisco Calvo poeta nobile, & maxime clarum, marmoribus priscis, quæ Minicii flaminis Titi Vespasiani titulos ostendunt: memoria nostra honestissimis viris, atque divitiis florebat: nunc factionibus & bellorum incommodis diu quassatum, exusta magna tectorum parte, pene funditus interiit. Minacianis finitimi sunt Caneriones, qui vallem incolunt ad Lugani lacum

cum pertinentem. Id genus hominum ingenio factioſo, ſagaci, & maxime cruento, perpetuas diraſque in ea vicinia contentiones exercet. Sequitur Nobialius vicus, atque inde abruptæ cautes, quæ Saxa raucida vocantur: per eas inciſa eſt via militaris, quæ in Germaniam ducit, & Regia vocatur. Illac, ad ſagittæ jactum, nemo ſanus eques tranſit, quum fallente veſtigio in ſubjectum à præalta rupe lacum, horribili deſpectu vertente oculos, facile provolvantur. Inde Cajeta acclivi & aprico ſinu gaudet, patrum memoria conſito Creticis vitibus, his etiam nunc dignitatem originis prædulci ſapore tuentibus. A Cajeta ſtatim illæ rupes, ſed jam nemoroſæ, nec jumentis omnino difficiles, in Larium exeunt timido quodam procurſu, donec Aquæ Seriæ profluentis impetu frangantur: ita Saxa raucida deſinunt. Supra Seriæ vallem ejuſdem nominis, & paulo editius poſita viſitur Breja. Inde recto litore Calaguritani Ordinis cucullatorum cœnobium aditur, cum Deiparæ Virginis inſigni templo, in veſtibulo populetum habens, quod fluctibus alluitur, hortoſque citreis & medicis arboribus longe lætiſſimos. Ibi vetuſtæ ingentis arcis radices videre eſt, quibus opportune ſuperædificatum eſſe templum animadvertimus. Duobus inde ſtadiis, æquiſſimo, peramœnoque litore, Rhætionicum abeſt, oppidum viris ac ædificiis frequens, & copiis multarum rerum abundans: nam montes, qui ſupra ſunt, egregie percoluntur ab indigenis hominibus maxime laborioſis, & faciendæ fabrilis operæ longinquas regiones magno quæſtu petentibus. Commendatur & id oppidum Turrianæ familiæ antiqua ſtirpe, è qua nomen ducit Paulus contribulis noſter, à lectiſſimarum literarum elegantia medicus inſignis. Oritur ſtatim à Rhætionico ejuſdem nominis promontorium, turrita arce conſpicuum, atque inde litora ſinuoſo tractu ad Muſſium oppidum reflectuntur: in medio ſinu duo templa, quæ inter ſe paucis ſtadiis diſtant, faſtigiatis eleganter ſacris turribus conſpicua Vito & Martino divis dicata. Porro Muſſium, ab ſævæ infeſtæque arcis memoria cunctis fere Larii accolis exſecrabile, portum habet quadratis ſilicibus exſtructum. Adſurgit vero ſupra adſcenſu multis gyris & flexibus verrucoſa rupes, in qua ſita erat ſumma arx & ſpecula totius lacus, trinis per gradus caſtellorum munitionumque Coronis circundata. Eam paucis ante annis exſtruxerat Trivultius, bello clarus, & demum Jacobus Medices Inſuber, per occaſionem bellorum cuſtodiæ impoſitus occuparat. Hunc demum gravi bello domitum inde expulit Franciſcus Sfortia, adjutus Helvetiorum Rhætorumque auxiliis, qui eas arces finitimis funeſtas, cum ingenti ruina tantorum operum radicitus everterunt. In Muſſiani promontorii latere majores noſtri candidi marmoris fodinas invenere, quo templum maximum Comi, magnifice conſtructum exornatumque unius ſeculi labore, conſpicimus. Ea vero rupes, uti diximus, in oſtentationem tot caſtellorum exporrecta, alterum ſinum aperit, Muſſio adverſum intervallo, per convexa montis mille paſſuum. In hoc Aduncum oppidum cubat, & ipſum multis vicis exiguis, per latera montium ſparſis, opulentum. Rurſus ab Adunco, quod ab effigie litoris nomen accepiſſe videtur, æqua planities, vinetis conſita, proſciſſaque aratris, terrenam linguam ſenſim effert, abſconditque Grabadonam, quæ ſecundum Bellanum, de quo mox in dextro litore dicemus, toto Lario ſummam obtinet claritatem. In prominentia ſunt geminæ ſacræ ædes conſpicuis turribus, & paulo altius à litore Auguſtiniani Ordinis cucullatorum cum eximio templo cœnobium. Inde ipſa ſinuatis ripis Grabadona in longum producitur. Ibi nuper Curtonum familia domeſtici apparatus lautitia, honeſtiſſimis opibus, & clarorum virorum hoſpitiis florens, inteſtina rabie per mutuas cædes ſe ipſam ad non dubium interitum confecit. Sequitur in proximo Domaſium, Grabadonæ par, ſi utriuſque agri dotes æſtimemus. Inde rurſus planum & arboroſum litus paululum prominet, occultato Geræ vico, ad quem paucis inde ſtadiis Suricum ſuccedit, quod ultimum conſummati curſus portum navigiis gravioribus præbet.

E regione Surici Volturena vallis petitur, breviſſimo trajectu, ſed maxime vadoſo, propter Abduæ ſupra irrumpentis impetum. Suis enim vorticibus, nihil prope commiſtus, ſed diſcolor Larianis aquis, arenæ cumulos trahit. Propterea avorum noſtrorum memoria Picininus, clariſſimus Imperator, quum acie dimicaturus cum Venetis copiis, exercitum trajicere properaret, tardantibus navigiis, ſubitarii operis ſublicium pontem incredibili celeritate conſtituit, atque inde mox provectus, inſigni parta victoria, hoſtes cæcidit. Earum ſublicarum exeſi ſtipites adhuc apparent apud Oloniam turrem, quam nuper Rhæti diruerunt. Non longe ab Olonia Volturenam urbem antiquitus fuiſſe conſtat, quæ Valli nomen dederit: viſunturque hodie veſtigia dirutæ urbis ad Burgum Franconem, unde foſſa navigabilis ad Delebium uſque perducitur: ſed ea per æſtatem tabanis & culicibus infamis ſtagnante ibi Lario, & inclementem reddente aerem. Exiſtimant id fuiſſe opus Francilionis, qui Mauricii Cæſaris auſpiciis, cum Longobardis ad Comum, & in Comacina inſula, Volturenaque valle bellum geſſit. Ab Olonia turre ad Livionem excelſum montem, recta margine deſinens Larius paludes relinquit, quæ Volturenæ vallis frontem aperiunt. Ea in dextram inter Aquilonem & Orientem ſolem, ut diximus, ad Abduam montem Burniumque oppidum extenditur. A proximo autem Larii litore octo millibus paſſuum diſtat Morbonium, ab intemperie earum paludum nomen accipiens. Id magnitudine, & divitiis urbi perſimile, nundinis, & frequenti mercatu celebratur. Medio ferme itinere montibus adjacet Delebium, ut diximus, Venetorum clade & templo, quod in ipſa victoria dux voverat, inſigne. Cæterum de Volturena aliis ſit peculiare negocium: nos ad Larium convertimur.

Abdua tota valle demiſſus, nequaquam recta per campos in Larium diſcurſus habet; ſed ad lævam in ſaxa Coderiæ montis diſtortus invehitur, devoratiſque radicibus tandem ingentium cautium obice refractus in Larium pellitur, adeo irato & contumaci curſu, veluti indignatus, ut permiſceri nolit, & inter vitreas & liquidiſſimas undas ſpumoſus & turbidus deferatur. Ab ejus oſtio excurrit Larius ad Boream, alio veluti alveo per octo millia paſſuum inter altiſſimos montes uſque ad eum vicum, qui è re nomen habet *Summolacum*. Ibi dextrorſus excipitur Mera fluvius, qui Clavennam oppidum præterlabens, octo millium ſpacio per vallem curſum intendit. Hæc per interiora Alpium iter habet ad Curiam Rhætiarum. Porro à læva, redeuntibus Suricum non longe ab oſtio Meræ amnis, Metiola vicus, & Novatum materiæ copia & diſſectoriis machinis notum. Coderiæ enim montis juga, quibus Volturena & Clavennatium valles dirimuntur, & larice, & proceris abietibus ſunt referta. In aſperrimis autem ſaxis caprearum & ibicum greges viſuntur, & ejus generis ſylveſtris caper, cui *Stambuco* nomen eſt: is colore & magnitudine, vel procerum aſinum æquat, oblonga & fulcata in humeros cornua demittens, quibus admirabili naturæ ſubſidio, morte ſe eripit, quum à venatoribus in extremam rupium oram compellitur; contractis ſiquidem pedibus, inſertaque pectori cervice, in orbem ſe convolvit, atque ita cornuum abſide protectus terga, no-

nobili decreto præceps rotæ modo illæsus per derupta provolvitur. Hujus generis esse putaverim capreas, quas in tetricæ Sabinæ jugis Rotas appellari M. Varro prodidit. Cæterum à Novato Rhæti dudum per latera cautium, ultra Abduæ ostium præcisis, excavatisque cautibus viam duxerunt, ut inde pedibus Volturenam intrent. A dextro vero latere, petentibus Suricum, Dacium ignobilem pagum videmus. Igitur descripturis adversam è Surico regionem, interjacente Lario, Lineonis montis cacumina spectantur. Is altissimus omnium perhibetur, à quo ferunt reliquorum montium seriem perpetua veluti catena usque in Dalmatiam extendi. Sub Lineone sunt uberes campi, à capite lacus nomen sumentes, accipitrum aucupiis (nam coturnicibus abundant) ad oblectationem aptissimi.

Cæterum tria omnino promontoria ab his campis in Larium efferuntur, quæ totidem piscosos sinus efficiunt. In his piscatores vimineas caveas per autumnum in profunda vada demittunt: & quum hyeme in his pisces stabulentur, ad prima veris signa omni piscium genere plenissimas funibus educunt. In primo castellum cum turre conspicitur, & introrsus sinu in medio situm est Colecum vicus. Secundum vero promontorium ædificiis caret. At tertium cæteris amplius, ac amœnius, humani pedis similitudinem repræsentat, veluti per extremam tibiæ partem litoribus adjuncti, ita ut talo Comum, planta Aduncanum litus, digitis vero superiora duo promontoria respiciat, tanta litoris enormitate, ut à digitis ad tibiæ juncturam oblongo & angusto sinu lacus irrumpat, pene effecta insula in Euripum abiturus, si præcisa cervice paucorum passuum Isthmus æquaretur. In ejus promontorii digitis cœnobium, quod *Plonam* vocant, ædificiis agrisque opulentum visitur, cum viridariis perpetuo muro præcinctis, & peculiari ad eas delicias exstructa mole, quæ portum efficeret: sed ea per contemptum Christianæ religionis avarissime neglecta, direpta penitus obsolescunt.

Ab hoc vero Plonæ promontorio regna tua panduntur, in quæ pervenimus. Incipiunt enim ab Isthmo statim Dorensium vineta Mussiano promontorio adversa, sicuti Plonæ cœnobio è regione Grabadona conspicitur. Inde stadiis ferme duodecim saxo adjacet Corenum cum arce, unius Sigismundi Medici jucundis ædibus clarum: nam ex perenni & largissimo fonte, qui in hortis multo cum murmure muscosa è caute prosiliit, hilariter potat, & è fenestris, hamis & arundine piscatur: ita ut eam villam non ineptis conjecturis esse arbitrer, è qua ille apud Plinium fœdissimi morbi ulcere consumptus, vitæ tædio in Larium se projecit, sequente viri casum admirabili charitate uxore fortissima. A Coreno sensim littora cuneantur, & in campos abeunt: in his situm est Delphinum, fertili planitie oppidum, in proximo monte arcem vetustam ostendens. Inde Varro defluit amnis, qui campos intersecat. Aperiunt sese montes paulo supra arcem, atque inde est iter in Introciam vallem. Sequitur Bellanum ad parvæ pernobilis urbis effigiem, omnibus eruditæ artis ornamentis, & naturæ dotibus admodum illustre, quod veluti in ditione tua Metropolis, portum habet è quadrato lapide classium capacem, insigneque prætorium juri dicundo, atque item augusta facie templum, quæ Actius Vicecomes, & Joannes patruus Mediolanensis Archiepiscopus, pari magnificentia & religione condiderunt. Adjacet Bellano Cultonius ager, generoso vino percelebre: quem demissus è præalta valle, ubi arx est, Pluvierna fluvius inundat. In tergo sunt nemorosi montes cum opulenta Saxina valle, è qua Turrianos, Insubrum Principes, oriundos fuisse constat: qui postea à Vicecomitibus pulsi, imperio deciderunt. Bellanenses hyeme plurimum algent: sed eorum frigora propinquitate sylvarum facile luculentis ignibus superantur. In eo oppido cæteris præcellunt, quum salubri admodum cœlo æstates verna temperie lætissimas traducant Hieronymus, & Dantes Stupanii fratres, à multo splendore urbanæ vitæ elegantissimi senes: famamque oppido ingenii dotibus affert Nicolaus Boldonius, in gymnasio Ticinensi medicinam docens: quo comite, monstratoreque tetrarchiæ tuæ oram descripsimus.

A Bellano Varenam petentibus in medio fere cursu, promontorium Murca: ad id Cultonius ager finitur. Inde Saxis in circulum sese flectentibus imposita occurrit Varena: cujus oppidi vinetis nihil generosius, nihil hortis à citreorum & medicorum pomorum amœnitate beatius. In aprico enim, & erecto litore odoratæ sylvæ perpetuo virent, ita apte exceptis in orbem solibus, ut Varenatibus Bellanensium, alterna sorte, autumnus prælongus, & suo tempore suavis, contusa duritie hyemis, cum verna temperie conjungatur. In ea saxa coloniam Varenam ducere coacti sunt Insulani, Comensium proditione infames: qui & sacra secum tulerunt, quum illi uni ejus tractus, Ambrosianos ritus non sequantur. Ædificavere nova in sede binas arces, alteram in humero dextro ad Larium, alteram in edito montis jugo, imminentem ædificiis, & speculam toto à lacu præbentem. Ibi enim maxima Larii latitudo, trifariam se in diversa proscindentis, ad Pythagoræ literæ similitudinem, uti mox in descriptione Bilacii referemus. Negat se ortum ab Insulanis, quum genus suum altius deducat, Joannes Maria Scotus, Jurisconsultus inter Varenates facile princeps. Porro in Meridiem molli flexu, circumacta Varenæ saxa peramœnum sinum aperiunt: in quo sacratarum virginum templum, & mox Lacteus amnis, qui statis temporibus oritur, & deficit. Effundunt medii montes ingenti occulto specu, per tubum magnæ fenestræ persimilem, spumosum & propterea adspectu lacteum amnem adulto vere. Sistitur vero totus paulo ante brumam, adeo exhaustis, ut credi par est, interraneis cavernis, ut sine humoris vestigio, arduus ille in acclivi alveus penitus inarescat. Cupivere nonnulli periculosa curiositate, cum funalibus per fauces intrare antrum, ut ejus profluentis admirabilem ortum, atque obitum deprehenderent: sed in tenebris ad multum spatium progressis reverberatus in ora spiritus cum sibilo faces exstinxit. Ferunt autem pastores, in illa nascentium Alpium congerie, ingenti amphitheatro parem, inter montes depressam, & concavam planitiem reperiri, in quam vernis solibus liquatæ nives veluti subjecto cratere excipiantur, poroso quidem fundo, & sensim conceptas aquas in profundos specus instillante, explenteque obiter occultas quasdam mensuras: unde postea redundantibus labris expansus, & præcipiti momento temporis decidens effundatur. Lactei amnis aquæ natura est, ut evecti pisces in ea demersi durante rigore in triduum serventur, vivi autem, vel dudum capti, contracta lympha, celeriter expirent: propterea ad litus infra molas frumentarias, quas suo impetu decidens convolvit, ædificata sunt morientium vivaria, ut inde pisces jumentis ad fora Insubrum exclusa tabe deferantur. A Lacteo, sub perpetuis vinetis, Veternianum exile promontorium, & post id, paucorum stadiorum intervallo, aliud ejusdem nominis multo minus, navigantibus occurrunt. Tum vero prominet Lierna: & peninsulam in Larium extendit, in qua vestigia muniti olim castelli, & privata item ædificia videmus. Hic ager culturæ nequaquam ingratus, adspe-

ſpectu & fertilitate ſingularis videtur. In eo enim tractu, quum hinc Larius, atque inde ſubducti montes certatim recedant, planitiem oleæ & vitibus pulcherrimam relinquunt. Inde ſequitur Oleium olei ferax, nec lapicidinis ignobile, è queis nigerrimus lapis exciditur, quo pilares columnas in templo maximo Comi majores noſtri adfabre fecerunt, quum nondum Muſſiana marmora repeXiſſent. Ab Oleio vico ſtatim abrupta illa cautes ad Larium intumeſcit, ita ut contegat ex propinquo Mandellum oppidum, poſitura, cœlo, campis ubertate nulli poſtferendam. Deſpectat ſubjectum portum eximii operis quadrangula turris: quam tu integere, ornareque inſtar prætoriæ domus cogitas; ſed meo judicio rectius & luculentius feceris, ſi deſignatam in id opus pecuniam feliciore ſumptu in alium locum facili inſtauratione tranſtuleris.

A Mandello longe maximus eo tractu ſinus oritur, ad Roboreum uſque promontorium pertendens. Introrſus ſunt divi Georgii templum, mox Teolum, atque inde Laurentiana ædes, Abbatiaque vicus, & juxta prominentiam cœnobium Serviliani ordinis. Hinc ultima cuſpis ſex tantum ſtadiis ab adverſo litore diſtans, è qua Sfortiani duces nuper inito ſucceſſu, catenam in adverſum litus protendere cogitarunt, ut hoſtilium claſſium excurſiones impedirent. Reflectit ſe ſtatim Roboreum, panditurque lacus in ſuam latitudinem. At in intimo cubiti flexu divi Martini templum eminet, & in alto procul à litore Dorbinium oppidulum cum torrente, qui in duas partes Roboreum diſcindit: inde aſperæ glabræque cautes viam militarem ad litus coarctant, ita ut propugnaculo, & porta aditus præcludatur, qui dicitur Calodrius. Sequitur Ceſſimia regio, vino ſubauſtera jucunditate admodum clara: deſinit ea in præciſas Ludovici Sabellii cautes, miſerabili interitu infames. Is Calendis Maji, quum in excelſis montibus, feſta hilaritate, frondoſæ ad ornamenta domorum arbores de more à Leucenſium juventute ſucciderentur, fallente veſtigio prolapſus in ſinum excelſiſſimæ cautis decidit, ſuſpenſuſque exili ramuſculo tamdiu hæſit, donec, nunciato à præternavigantibus caſu, qui pendentem conſpexerant, ad ferendam opem ab univerſo oppido concurreretur: verum infelix, quum nec demiſſos funes occupatis manibus deprehendere, nec ardentiſſimum ſolem diutius ferre poſſet, quinque horarum cruciatu ſuperatus, inter ſuſpicientium parentum, amicorumque lachrymas animum deſpondit, & corruit, fruſtra ante ſubſtrato ſolo, quum pene prius, quam illideretur, vi ipſa proſciſſi aeris exanimatus concidiſſet. Circumvecti eas rupes Leucum adimus, munitionis fama & fori celebritate frequentatum: à Clarentio & Calendono amnibus includitur. Cingitur muro, & propugnaculis, arceque turrita ad portum opportune firmatur: nam in proximo ſunt Veneti imperii limites. Inde Abdua è Lario auctiores undas trahens ſe ipſum rapit, pervenitque ad incomparabilis ſtructuræ pontem: quem tribus inter ſe diviſis exemptili ponte caſtellis & turribus, totidemque cuſtodum fidei commendatum Vicecomites animi magnitudine priſcis Romanis comparandi, ab hinc ducentis annis ædificarunt. Inde Abdua, pluribus anguillarum excipulis ſtrangulatus, inſulam efficit ad Peſcarenum vicum, rurſuſque arctis faucibus erumpit, & in lacum contento curſu diffunditur.

A ſummo lacu, Meræque oſtio per Varenam, & inde ad exitum, ad Abduam triginta octo milliarium menſura colligitur. Contra Leucum montis Barri excelſa cacumina aſſurgunt. In dextro Barri humero, Michaeli templum conſtituit Deſiderius, Longobardorum Rex ultimus, ſicuti & alii

A ſuperiores Chriſtiana pietate memorabiles, divæ Mariæ fanum in jugo, quod hodie pro ſpecula viſitur, & cœnobium Clivatenſe in proximo opulenta cum dote condiderunt. In ea montis parte, quæ vertitur ad Occaſum hybernum, Barræ vetuſtiſſimæ urbis veſtigia ſpectantur, non longe à Galbiato pago: de Barræ interitu Plinius memorat. At emiſſo jam Abdua, Larius molliter aſſurgentis Barri ipſius radices fluctibus alluit, & ad Malgratum vicum paulatim latiore pelago ſe inſinuat, ſed mox excurrente promontorio caſtigatur: in eo caſtellum eminet. Sequitur autem in cavo fluxu contra Malgratum per Iſthmum nomine Parietes vicus, veteB ris oppidi ſpeciem præbens. Inde radices in fertiles campos æquantur, pertinentque à Parietibus fauces peramœnæ ad Eupylim lacum, qui, uti alio loco oſtendimus, ſubito tremore, quaſſata tellure, cæco aliquo telluris hiatu repente hauſtos, in minores aliquot lacus abiit, altioribus ſcilicet vadis ſubſidente aqua, quum eminentiores deſereret. Ex his maximus eſt Puſianus tuæ ditionis, ab eo Clivatenſis & Annonius fere conjuncti, demumque Serius ipſe, qui piſcoſo oſtio Lambrum emittit, omnes Percarum præpinguium captura notabiles. Plebis Inſini lacus, corrupto vocabulo, hodie dicuntur, quum ibi nobis civitas fuerit Licinoforum, C quam Plinio notam videmus.

Cæterum Larius, ubi camporum margines lambendo præteriit, latera demum regalis montis fluctibus pulſat. Is eſt editiſſimus, contra Roboreum adverſi litoris promontorium, ubi breviſſimum trajectum eſſe, ſuperius oſtendimus. Inde recto, nemoroſoque, & nuſquam vite conſito litore Ovium ſub rupe exeſa, monoſyllabo nomine vocatum, unde aperitur vallis Aſinæ regio, Lambri fontibus, & familiis ex vetuſtiſſima Romanorum nobilitate inſignis. In illa enim florent Curiones, Carbones, & Billieni, qui omnes imperio tuo late parent. Id, intercedente lacu, apricam Mandelliani agri D frontem reſpicit. Sequitur Vaſſenna agro ſylvoſo, & vinetis Ovio melior. In ejus portu quadrata facie ſcopuli pedamentum ingentis turris ad nobilitatis indicium oſtentant. Inde Alimonta Ambroſianorum cucullatorum ſeceſſus, Liernæ oppoſita. Moxque Piſcalium cum ſacratis virginibus, atque è modico ſinu erumpens Bilacium promontorium: quo nihil ſpectatius, jucundius, ſalubriuſque reperitur. In jugo Pliniana fuit villa, quam ille *Tragœdiam*, quod grandibus ſcopulis, veluti ſocculis ſuſtineretur, appellare ſolebat, quum inde duos lacus, veluti duo maria deſpectaret. Condita demum fuit in eo cacumine arx nobilis è lapide quadrato, E quam uti aſylum maleficorum hominum, ante centum & quadraginta annos Joannes Geleacius Vicecomes, Philippi pater, ſalubri conſilio diruit, decreto adjecto, ne in poſterum inſtaurari poſſet. Propterea Marcheſinus Stampa, quum Ludovici Sfortiæ, è ſummo gratiæ loco, fortunis uteretur, non in ſummo, ſed media montis regione, ad Meridiem verſa fronte Regiam villam conſtituit: quam nefaria Cavernionum libidine incendio deformatam aliquot annis videmus. Infra ad Occaſum Bilacium oppidum undis alluitur, totius Larii præfectura, & nobilitate ædificiorum, moliſque peramplæ ante inteſtina bella clariſſimum. Eo promontorio LaF rius defluens ab Olonia turre, veluti ingenti roſtro diſcinditur, exitque in longe maximam æquoris planitiem, tribus in diverſa diſcurſibus Pythagoræ literæ figuram repræſentans. Triquetro ſiquidem intervallo, & ferme æquali, Bilacium, Varena, Minacium, ſex millium paſſuum occupante pelago, dirimuntur. Inde ad lævam in adverſo Piſcalii litore, Lopia vicus cum templo æmulatione religionis ſacratarum virginum domo inſigni. Inde ſancti Joannis pagus, cucullatis divi Dominici uberri-

 mas

mas vindemias reddens. In cervice quoque Bilacii promontorii, quod pene prӕterieram, quum à litore distet, cœnobium Augustianorum cucullatorum conspicitur, medicis arboribus & cultissimis vinetis refertum, ita ut sacratӕ virgines Piscalianӕ, Lopianӕque horum cœnobiorum severitate atque prӕsidio pudicitiam commodissime tueantur.

Inde sexdecim ferme stadiis Grosgallia Saxa crebris repulsi à Lanacto Larii fluctibus verberantur: ea Saxa ingentes habent specus, in quos burburi pisces, staturӕ hominis magnitudinem ӕquantes, ӕstate se recipiunt, spectanturque tantum, vitreo in fundo captantes umbram, quum retia vehementi impetu effringant, gravique squamarum serie thoracati sagittas vitent. Sequitur Lecenum, in quinque tenues divisum pagos, quos inter densissima vineta directa litore conspicimus. Aquosa inde vina, sanӕ vappӕ proxima, agris expetuntur: quibus famam auctoritatemque attulit Ludovici Sfortiӕ gustus probantibus medicis, qui ӕstuosis visceribus, calidisque podagris aptissima judicabant. Nos autem Grianteo, aut Vareniano, cum musta fervent, ad medietatem Leceniana nobili temperamento permiscemus, quӕ demum delicatas vires spirant, & nitido cӕsio colore salienti in poculis sitientibus arrident. Succedit Cavaneolӕ promontorium Arcenniano sinu, quem diximus, ad interloquenda litora avido procursu insertum. In eo templum est cum uberrimo fonte, & quadrati lapidis parva mole. Ӕdituus laternam cum lumine, prӕbentibus oleum nautis, ad subsidia tempestatum, paucis ante annis protendebat, ut corrivarent qui à Lanacteo pharo turbidis noctibus descendebant. Hinc ille sinus maxime incurvus ad Turnium usque promontorium per quadraginta stadia distenditur. In quo prӕcipuam Nessium oppidum, in algida caute suspensum, ad ӕstivas voluptates obtinet claritatem. Id prӕcipiti, frigidissimoque amne divisum, lapideo ponte conjungitur: ibi captare perennes auras, & conspectu Larii, frondosorumque montium placide frui, festiveque item ad marmoream mensam cœnitare pingui eo secessu gaudentibus licet. Non procul à Nessio recurvi montes cubitum ostentant, in quo fontem à fuga Seria nuncupatum, multo murmure strepentis aquӕ nautis frequentatum incumbentes supra castaneӕ arbores connexis inter se ramis decenter à solibus defendunt: nec postea toto illo sinu ӕdificia ad litus visuntur, prӕter exiguas ad stationes navium domos, quӕ superioribus pagis certis tramitibus respondent. In conspectu enim sunt Carenum, Quartianum, Pomponiana, & cӕteris fortunatius sita Palantia, eximiarum cӕparum fertilitate pernobilis, atque item Lemna, Molinaque. Supra hӕc nequaquam ardui & pabulosi montes in acutos apices attolluntur, per quos pastoribus sӕpissime agmina cervorum occurrunt. Hinc ad pauca stadia fons ille duorum Pliniorum prӕconio & admirabili fluxus & refluxus varietate memorabilis, quem descriptione attingere, non ineptum modo, sed nefas esse putaverim: ne ӕmulatione parum ingenua, aliquid recte addere videamur: quando illi, divino florentes ingenio, cuncta, quӕ hodie nihil immutato naturӕ miraculo contemplamur, incomparabili styli jucunditate nobis expresserint. Succedunt inde sylvӕ, vinetaque Turnensium, & supra ea in edito mons Platus, sacratarum virginum templo & prӕalta specula longe spectabilis, & mox ipsum lunato litore Turni promontorium: in quo oppidum per gradus ӕdificatum, nova instauratione reflorescit. Quum enim afflicti adverso belli successu Gallicum nomen contumacius, vel, uti videri volunt, constantius coluissent, incendio patriӕ intempestivi studii sui pœnas dederunt: eandem quoque fortunam tulit Parlasca, paucis ante annis oppidum insigne incolarum nobilitate, & excelsis domorum structuris, quod modo singulari cum dolore luctuosӕ cladis prӕteriimus. Inde sequitur Blenum, & ipsum vinetis suis, quoniam orientem solem non videant, apud languentes stomacho, dignitatis & gratiӕ famam inveniens, quum vina levitate quadam innoxia à tenui innatoque vigore refractis & dilutis prӕferantur. A Bleno pervenimus ad uberrimӕ scaturiginis fontem, quem ab aquarum copia jure optimo Magnum appellant. Inde sequitur Mirabella domus pendenti imposita scopulo, & mox duobus inde stadiis Genium promontorium, in quo vastӕ amplitudinis ӕdes cum templo, & viridariis, Decurionum decreto pestilentia morbosis reservantur. Inde statim flectentibus sese ad lӕvam ripis: urbs ipsa Comum undique turrita conspicitur.

Nos vero ad suburbana Coloniolӕ vertendo proram, vineta, villas, hortos legimus, & sexto die completo universӕ adnavigationis cursu, qui per oram centum & viginti millibus passuum conficitur, unde solveramus intra portus fauces navem intulimus. Tu vero, qui harum rerum prӕclarus es ӕstimator, qua fide scripserimus, facile videbis. Nihil enim tributum est fabulis, ita ut hinc dissolutӕ, vagӕque narrationis veniam impetrare non desperem: quando etiam abs te jussa efflagitataque non meo quidem, sed alieno potius stylo tractaverim. Nec tamen dispudet tantisper ab historiӕ severitate discessisse, ut studium nostrum vel hac una erga te liberali comitate testaremur: nam qui tanto ore raptam Helenam cecinisti, remissiore fortasse musa Larium decantabis, vel uno Bembi exemplo, qui Benacum Giberto, Mœcenati nostro, jucundissime descripsit. Tabulam quoque huic joculatorio labori nostro conjunximus, ad locorum mensuras exactissime delineatam: quӕ fortasse erit ipsis Commentariis, lenocinante pictura, jucundior. Sed hoc imperiti viderint. Tu certe intelliges, mutas & inanes fore tabularum figuras, nisi literarum lumen accesserit.

F I N I S.



GALEATII CAPELLAE
DE
BELLO MVSSIANO
LIBER ADOPTIVVS,
E BIBLIOTHECA AMBROSIANA.



ERYCIVS PVTEANVS LECTORI

S. D.



IN omni Hiſtoria quicquid legis, ſerie Lector, partes ſunt: totam nemo ſcripſit: alibi tempora, alibi loca & populos deſideres. Etiam qui omnia complecti voluit, futura omiſit: adeo nihil in rebus humanis perfectum eſt, magiſque finiunt opera ſua mortales, quam abſolvunt. Non patiar tamen animum tuum hic ſuſpenſum eſſe: quia poſt Duos jam Libros MEDICAEVM etiam quæres, depromam quod Fortunæ ejus reliquum eſt, DE BELLO MVSSIANO: ſed depromam verbis non meis. GALEATIVS CAPELLA, laudatus rerum Mediolanenſium nuper Scriptor, hanc ſubivit operam, & mihi velut præripuit. Liber brevis eſt; quem è Bibliotheca ſua Ambroſiana, illa Æternitatis officina, FREDERICVS Cardinalis BORROMAEVS, vir ſummus ac prope divinus, in hoc volumen * adoptari paſſus eſt, ut publicum faceret. Lege igitur; & in anteceſſum hoc à me nunc Breviarium. Scripſiſſe quodammodo BELLVM & ipſe videbor MVSSIANVM, quia ſic adumbro.

* Hiſtoriam Ciſalpinam *intelligit, cui adjectus erat iſte Libellus, quem ob materiæ convenientiam hoc loco poſuimus.*

DE MVSSIO.

MVSSIVM *opidum, in ſiniſtro lacus Larii litore, inter Rhætionicum & Grabadonam ſitum, Arce, promontorio, & fodinis candidi marmoris inſigne, portum quadrato lapide exſtructum habet. Arcem, à Trivultio paucis ante annis ædificatam, Rhæti Helvetiique, poſt bellum Muſſianum, cum ingenti pulcherrimi operis ruina exciderunt.*

GA-

GALEATII CAPELLAE
DE
BELLO MVSSIANO
LIBER ADOPTIVVS,
E BIBLIOTHECA AMBROSIANA.

BREVIARIVM.

Vltimum fortunæ motum MEDICAEVS *excipit, adversus Rhætos, Sfortiamque pugnaturus. Belli ejus caussæ, & consilia: sed auspicium ab expeditione in Volturenos; & tanquam Sfortia connivente. Igitur cum Rhætis conspirant Helvetii: nec contenti finibus ejecisse hostem, insequuntur: arcem Mussianam obsident, subvectis in proximum montem tormentis. Hæc à Medicæo expugnata, & per præcipitia rupis dejecta sunt. Belli deinde onus Sfortia suscipit, inito cum Rhætis Helvetiisque fœdere: milites navesque mittit, & terra ac lacu vim infert. Medicæus nova velut tempestate pressus, trahere bellum statuit; & ut sumptus imminueret, auxilia Hispanorum dimittit: satis arbitratus, classe infestare lacum, Mussium Leucumque commeatu ac præsidio munire. Contra Sfortiani, Duce Bentivolo, arma expediunt; sed diviso belli munere: arcem Monguttianam Gonzaga tentat: Ocellum Cribellius deditione capit: naves Medicæo Vistarinus objicit. Monguttium acriter Medicæani propugnant, magna virtute hostem rejiciunt, & mox evadunt. Hinc expugnatio lacus à Sfortianis adornatur. Sed Medicæus astu & virtute tentans omnia, Legatos ad Cæsarem mittit, ejusque auctoritate pacem quærit: alios in Galliam, qui ad novum bellum Regis animum invitent, Leucum, Mussium, classemque addicant: sed frustra. Quemadmodum à pace Sfortia alienus; sic à bello Rex Franciscus fuit. Ergo Sfortiani Lacum classe claudunt, Leucum circumvallant, pontem Abduæ, gemino castello munitum, occupant; & mox remisse iterum agunt. Medicæus primum libero excursu Lacum vindicat: deinde castra hostium noctu invadens, metu, cæde, & fuga omnia replet; Gonzagam capit, munitiones disjicit, tormenta avehit, simul pontem Abduæ recuperat. Castra tamen Vistarinus reficit, & nova obsidione Leucum urget: quid nisi Medicæum irritans? Surgit acrior, copias auget, Sfortianos cædit, & jam velut victor grassatur; cum frater pila ferrea ictus, & paullo post Borsærius, Classis Præfectus, pari casu læsus occubuit: magnum uterque momentum belli. Sic variante exitum fortuna, ipsi Sfortiæ pax placuit. Conditiones scriptæ sunt, præ quibus vicisse Medicæus nollet. Mussium, Leucumque tradidit: sed in vicem Marinianum opidum, & grandem pecuniæ summam accepit. Sic Marchio creatus est, & virtutis fortunæque insignia maximis deinde rebus per universam Europam applicuit.*



NNVS agebatur, intra quod temporis spatium in Bononiensi restitutione conventum erat, ut Comum civitas, arxque Mediolanensis Francisco Sfortiæ redderetur. Quocirca Hispani, qui ambobus locis præsidio positi fuerant, cum à Sfortia impetrare non potuis-
A sent, ut ipsorum opera in aliquo militari munere uteretur; ne absque stipendio remanerent, JOANNEM JACOBVM MEDICAEVM secuti sunt: qui per superiora bella occasionem nactus, præter Monguttium & Leucum, totum ferme Larium lacum occupaverat; ac Ocellum cum ejus jurisdictione ab Antonio Leva traditum possidebat: & cui oportunum erat, milites paratos tum habere. Jamdudum enim animo agitabat, quomodo Volturenam vallem, armentis vinoque ditissimam, in potestatem redigeret: quod quando in expeditione Clavennæ parum successerat, (quoniam Cæsariani debellato & capto apud Ticinum Gallorum Rege noluerant bellum per ipsum
B inchoatum adversus Rhætos persequi) nunc adjunctis ad eos, quos antea diversis in locis delegerat, noningentis lectissimis peditibus (tot enim erant Hispani, qui præsidio arcis Mediolanensis & Comi impositi erant) & tribus millibus Germanorum, quos Pandulfus Sitticus, ipsius sororius, vir opibus & gratia apud Ferdinandum Romanorum Regem pollens, mittere in auxilium promiserat; sperabat eam vallem, antequam quisquam suppetias ferre posset, percurrere; opida & villas diripere; è captivis ingentem auri summam extorquere; postremo quodpiam ex opidis ejus vallis,
C quod magis idoneum videretur, vallo & fossa statim munire, præsidioque firmare: ita ut si Rhæti tantum in numerum venissent, quibus ipse patenti acie par non esset; ii, quos introduxisset, munitionibus tuti esse possent. Atque ita ubi hostes pecuniæ, aut commeatus inopia in bello perseverare (quod brevi fore sperabat) nequivissent; ipse denuo villas & opida circumjacentia invaderet, & tandem sive vi, sive belli tædio totam vallem victor possideret. Hac igitur spe ductus, etsi non ignoraret sibi à Francisco Duce timendum esse: quippe cui necesse esset, conditionibus pacis frustra cum eo tractatis, honoris utilitatis-
D que caussa rerum suarum redintegrationem armis tentare: tamen existimans ipsum ob ingentem pecuniam, paulo ante Cæsari numeratam, ita exhaustum esse, ut non nisi post multum temporis ad bellum gerendum necessaria in promptu habere posset; expeditionem in Volturenos ulterius differre noluit. Quin ut majorem hostibus terrorem incuteret, quocunque proficiscitur, varios rumores jactat, impulsore & auctore Francisco Sfortia bellum se moliri: quod quidem Rhætis atque Helvetiis (ut utraque gens est ad suspicionem proclivis) tanto magis persuasum est, quan-
E to id verisimilius erat: cum Rhæti Clavennæ & Volturenorum valles temporibus Ducis Maximiliani Sfortiæ nullo legitimo jure, sed quia ipsis ob vicinitatem & locorum fertilitatem utile erat, occupaverant.

Accessit insuper ad confirmandam hujusmodi opinionem mors Martini Baulini, eorum Oratoris, qui tunc ad Sfortiam missus erat, ad percunctandum, An vera essent, quæ Medicæus de bello ipsius jussu nato jactabat: & dum Mediolano

no Comum versus rediret, de via à quatuor ex iis, qui præsidio Mongutii stabant, tractus in proximum locum virgultis & dumis consitum, una cum filio itineris comite, crudeliter occisus fuerat. Ita ut crederent in ditione Mediolanensi non sine ipsius Sfortiæ voluntate tantum facinus patratum fuisse. Quamobrem Princeps, ne aliena culpa sibi impingeretur, homicidii veritate explorata, nuncium ad Rhætos confestim mittit, qui hujusmodi suspicionem purgaret: & ut declararet qualis esset erga eos animi, omnia referret quæ antea per Martinum de explorato Medicæi adversus eos belli apparatu referri mandaverat. Quibus illi ita credendum responderunt: si per Ludovicum Vistarinum, quem cum magna militum manu Comum intrasse ipsius Sfortiæ nomine intellexerant, aut per alium quempiam, loca, quæ à Medicæo tenebantur, nudata præsidio invaderet; & eum rebus suis metuere, ac ab incœpto adversus Volturenos bello desistere cogeret.

Per id tempus Medicæus ad lacus summum pervenerat, statimque vallem ingressus, Morbonium (opidum est à capite Lacus octo millibus passuum) occupat: quod coacta ingenti fossorum manu vallo & fossa, quam celerius fieri potest, munire, & quicquid commeatus ibi prope reperit, introducere properat. At Voltureni, qui illo infensiorem hostem non habebant, continuo in armis fuerunt; & ad opidum Sondram, quod supra Morbonium est, sese recipiunt. Ita ut Medicæus longius cum suis progredi non ausus sit; præsertim cum Germani, quos eo evocatos diximus, nondum venissent, quos postea Bernardus Cardinalis Tridentinus, pro Ferdinando Romanorum Rege agens, in Sfortiæ Ducis gratiam, ad illum transire prohibuit. Interea Rhæti, audito bellico Medicæi apparatu, coacto domi concilio, non amplius tolerandam esse ejus audaciam decernunt: neque satis esse existimant, ab injuria suos tutari, nisi hostem perpetuum, eundemque infensissimum, usque ad extremum excidium persequantur. Et propterea ad Helvetios opem in bello adversus Medicæum gerendo imploratum mittunt; quorum octo Pagi, Turregium scilicet, Berna, Clarona, Basilea, Apzel, Scaffusium, Friburgum, & Solodorum, comprobata Rhætorum sententia, electis Ducibus, & delectu statim habito, magnum numerum peditum conscripsere: quos ad bellum una cum Rhætis progredi adversus Medicæum jusserunt. Reliqui, videlicet Vrania, Lucerna, Zurich, Suith, & Underualdum: quod superiores octo pagi amplius quam necesse esset auxilii misissent, bello sese immiscere supervacaneum duxerunt. Atque ita in hanc expeditionem præter Volturenos Rhætorum & Helvetiorum supra quatuordecim millia profecti sunt.

Quocirca Medicæus, qui nunquam crediderat, eos propriis sumptibus bellum moturos, falsa spe se ductum agnoscens, coacta præda, quam in valle pluribus ex locis fecerat, ad lacum cum suis omnibus, præter eos quos præsidio Morbonii cum Gabriele fratre reliquerat, regressus est: primumque Mussium rebus omnibus, quæ ad sustinendam oppugnationem obsidionemque tolerandam pertinent, firmavit. Mox classem denuo conscendit, ut ad unumquemque locum, quo belli opportunitas exigeret, occurrere posset. Jam Helvetiorum & Rhætorum phalanges Sondram applicuerant; primaque acies Morbonium usque præcurrebat. Quod sentiens Gabriel Medicæus, cum opidum nondum esset communitum, & milites, qui intus erant, ad propugnandum contra tantum hostium numerum sufficere non possent, depopulata omni opidanorum supellectile, antequam iter sibi ab hostibus præcluderetur, lacum versus iter dirigit. Itaque ab his, qui in classe erant, procul visus, cum plerisque suorum in navibus exceptus est. Defuere tamen nonnulli, qui prædam quærentes ad diversa montis loca diverterant, & tardius agmen hostium adveniens conspicati, pars dum discedentes suos insequitur, in manus hostium devenit: inter quos fuit Crassus Centurio, qui in odium Medicæi à Rhætis laqueo suspensus, vitam finivit: pars meliore consilio, quoniam totam vallem jam hostes tenebant, per ardua montium abscedens evasit. Expulsis è valle undique Medicæi copiis, Rhæti unaque Helvetii iter capessunt ad arcem Mussii: quam primum circuire, mox loci munitionem diligenter lustrare cœperunt, si qua spes esset expugnationis: cumque arci montem oppositum conspexissent, ex quo mœnia quassari poterant, eo tormenta & machinas, licet difficillimis subvectionibus adduxerunt. Sed cum ea oppugnatio in dies remissius fieret: hinc occasione facta, Medicæus navibus Mussium profectus, culmen ascendit; expugnatisque hostibus, machinas per montis præcipitia devolvit.

Dum hæc agerentur, Franciscus Sfortia, qui decreverat non modo Rhætis & Helvetiis suspicionem, cujus supra mentionem fecimus, non relinquere; sed etiam occasionem oblatam non amittere, Ducatus sui redintegrandi; alium Oratorem ad eorum in exercitu duces mittit, qui significet, etsi nullius magis quam sua intersit, Medicæum exturbari; tamen bellum sibi inchoandum visum non fuisse, nisi prius de ratione belli gerendi, & de locis per Medicæum occupatis convenissent. Proinde Oratorem conditiones afferre, super quibus quid in hujusmodi re cum ipso agendum sit, deliberare possint. Rhæti unaque Helvetii tunc primum Medicæi vafre factum agnoscere, & de Sfortiæ erga ipsos optima voluntate non amplius vereri. Quare octo ex primoribus, qui in exercitu erant, deligunt, qui Mediolanum proficiscantur, & quomodo melius eis videatur, fœderis adversus Medicæum percutiendi potestatem tradunt: quod postea iis conditionibus initum est; ut Franciscus Sfortia tot milites conscribi curet, qui numero & virtute Medicæi copiis superiores sint; naves quoque tam onerarias, quam ad celeritatem aptas, quæ Comi erant, quamprimum esse instaurandas, aliasque insuper fabricandas; curandumque imprimis, ut remiges non desint: ita ut non minus in navali, quam in terrestri negotio res secundos exitus habere possit. Reliqua etiam, quæ ad prosequendum bellum pertineant, per ipsum Sfortiam esse præparanda. Rhæti autem & Helvetii duo millia tantummodo peditum cum eorum ducibus deligant, qui usque ad finem in bello perseverent, illique pareant, qui per Sfortiam Ducem toti rei bellicæ Præpositus fuerit: quorum mille & ducentis stipendium ab ipso Sfortia, reliquis octingentis à Rhætis & Helvetiis numeretur. Cæterum quicquid locorum ante præsens bellum à Medicæo tenebatur, Sfortiam recipere debere: modo tamen Rhenensium triginta millia intra triennium æquis portionibus persolvat, pro sumptibus hactenus per ipsos in bello factis: ac Mussii arcem post confectum bellum statim diruat, tanquam ipsis odiosam & detestabilem, ac propter quam toties de rebus suis periclitati sint. Quibus peractis, Sfortia, ut suos adversus Medicæum magis irritaret, publice edicit, Ne quisquam ex ho-

hostibus captivus fiat: magnaque proponit præmia, si quispiam Joannem Jacobum Medicæum, aut aliquem ex fratribus occiderit, vel vivum comprehenderit; quod tamen nemo inventus est qui patrare ausus fuerit.

Per eos dies Carolus Cæsar, qui in Belgica inferiore tum agebat, certior redditus, Helvetios & Rhætos, exceptis paucis, domum remeasse, ut & ipse incœpto bello fomenta adimeret, Medicæo scripsit, ut Hispanos quamprimum dimitteret. Hispanorum autem ducibus, ut nulla interposita mora discederent; nec se amplius hujusmodi bello immiscerent. Quod quidem jamdudum ipsi cupiebant. Nam cum se magna spe dejectos perspexissent ex parum felici belli principio, legitimam causam discedendi ex Cæsaris jussu eis habere visum est: neque id tamen Medicæo molestum fuit: quippe qui mutata rerum gerendarum ratione, nil nisi quomodo bellum trahere posset, meditabatur. Quod facile successurum sperabat, si classe, qua tum superior erat, hostes in dies infestare non intermitteret: & Leucum ac Mussium, quæ parvo præsidio contineri poterant, tueretur. Hac igitur facta deliberatione, instructis duabus & viginti navibus, totum lacum Larium percurrit: & quicquid commeatus in unaquaque regione lacus reperit, partim Mussium, partim Leucum mittit: homines etiam quotquot nanciscitur, comprehendit ad usum remorum. Interea Joannes Baptista Specianus à Francisco Sfortia delectus erat, ut huic bello assisteret, provideretque, ut naves quæ Comi erant, armarentur; remiges, fabri, operarii, commeatus, arma, tela, vecturæque, & alia ad bellum opportuna non deessent. Atque ita Comum veniens, quinque peditum cohortes cum suis Centurionibus ad arcem Mongutii adduxerat, ex qua præsidium ab hoste deductum fuerat, ut Leucum & Mussium cum toto lacu commodius tueretur. Sed postea inopinato exercitus Helvetiorum & Rhætorum discessu rebus suis magis Medicæus confisus, iterum præsidium introduxerat, nihilque magis laborabat, quam ut commeatu quoque arcem muniret. Quod quidem difficillimum erat: tum quod eo anno in tota Cisalpina Gallia maxima fuerat annonæ caritas; tum quod maturæ in agris nondum erant segetes, & circumjacentium villarum accolæ metu Helvetiorum, qui usque ad ea loca venerant, cum jumentis & omni supellectile, in diversas regiones abierant: ita ut subvectionum usum aliunde habere opus esset. Sfortiani igitur, quoniam arx præsidio firmata erat, in villa ad duo milliaria propinqua substiterunt, donec oppugnationi necessaria pararentur. Cæterum Sfortia, ne Vistarinum à negotio lacus dimoveret, Alexandrum Gonzagam tribunum peditum deligit, qui expugnandi Mongutii curam gerat. Mittit insuper Comum Alexandrum Bentivolum, ad quem totius belli gerendi summa referatur. Apud Ocellanos vero, summarum Alpium incolas, cum præter Præfectum & sex aut octo ad summum in arce nullum alium esse cognovisset, eo cum mandatis Franciscum Cribellum, unum ex aulicis suis ire voluit; qui misso intra arcem tubicine, Præfecto nunciari præcipit, nisi statim Francisco Sfortiæ Duci arcem reddat, omnem salutis spem, cum in potestatem ejus venerit (quod haud diu poterit differre) illi esse relinquendam. Quamobrem Præfectus diffisus auxilium sibi ob longinquitatem itineris missum iri, arcem Cribello reddidit: qui postea tota ea regione Francisci Ducis nomine potitus est.

A Interea Vistarinus cum classe, quæ Comi erat, Minatium opidum, in sinistra lacus ripa situm, ad circiter viginti milliaria proficiscitur: eoque etiam Helvetiorum & Rhætorum duo millia, quæ ad gerendum una bellum remanserant, per adversum montem terrestri itinere ire contendunt. Et quamvis & numero & robore navium Medicæum æquare non posset, tamen Sfortiana classis præsidio suorum, qui juxta lacus ripam stativa habebant, tuta erat: & Medicæi naves, ut antea, divisim opida & pagos tuto adnavigare ad agendam prædam non poterant. Nam si quam Sfortiani ex eis prospexissent procul à reliquis, in eam invehebantur, statimque postquam conata perfecissent, Minatium ad suos revertebantur. Per eos dies cum Mongutii oppugnatio redderetur difficilior; quoniam hostes aggerem quindecim pedes latum, qui muros altitudine æquabat, ante fossam arcis exstruxerant; ita ut tormentorum ictus mœnia contingere non possent: Gonzagæ & Sfortianis visum est, ipsum aggerem operariorum manu suffodere, donec effosso fundo totus rueret. Quo in opere, cum multos dies consumere necesse fuisset, Medicæus occasionem nactus, omnes segetes, quæ jam maturescebant, ad multa milliaria circumjacentes, intra Leucum comportari jussit.

B (margin mark beside "liquis")

Interea Comi quamplures naves refectæ erant, novæ etiam ædificatæ, atque plura minora navigia ex Verbano lacu carris imposita Comum advehebantur, & remigum coactus erat ingens numerus, nihilque Sfortianos, quin lacus aggrederentur expeditionem, demorabatur, præterquam Mongutii expugnatio: quam quidem Bentivolus sedulo procurabat; & ferme quotidie in castra commeabat ad urgendam hostilis aggeris demolitionem. Qua tandem perfecta, cum omnes Gonzagæ copiæ, quibus additæ erant duæ Rhætorum cohortes, in armis essent, ad arcem corona invadendam, ipseque Bentivolus spectator & hortator operis adesset, ferreis pilis arx peti cœpta est: jamque fortissimus quisque Sfortianorum aggerem è regione arcis erectum conscenderat, parsque ingentibus scutis, pars cratibus terra oppletis tecti, hostes è muro totis viribus summovere conabantur; dum alii ex suis murum suffoderent, alii per quassata tormentis mœnia iter sibi intra arcem facerent. Sed hostes obducto intus vallo, à telis nostrorum tuti, ingentia saxa, sudes, rotasque plaustrorum, & quamplura magni ponderis ferramenta, tanta vi demittebant, ut Sfortiani, ter irrumpere conati, ter coacti sint gradum referre. Igitur cum supra octuaginta è fortioribus cecidissent, multi etiam essent saucii, reductis in castra militibus, visum est, rem in alium diem differre. Sed Nicolaus Pellicionus arcis Præfectus, cui satis erat, dum hostes Mongutium oppugnarent, spatium Medicæo dedisse communiendi Leuci, perrupto arcis muro, ab ea parte qua Rhæti stationem agebant, per noctem cum suis omnibus tanto silentio evasit, ut ne ab excubitoribus quidem strepitus quispiam abeuntium fuerit auditus. Medicæus derelicto à suis Mongutio, cum minime dubitaret, quin hostes ante omnia lacus expeditionem aggrederentur, sine qua Leucum, aut Mussium tentare non possent, antequam Sfortiana classis Comi instructa esset, navibus Minatium adversus Vistarinum contendit: sed cum paratum invenisset, populatus quicquid in villis juxta lacum repertum est, Leucum redit.

Dum hæc agerentur, jam classis è portu Comensi, instructa omni belli apparatu, exierat: &

loca ad ripam lacus posita imperata Sfortianorum faciebant. Quocirca Medicæus, ne quidpiam, quod sibi auxilio esse posset, intentatum relinqueret, nuncios mittit ad Carolum Cæsarem, Ferdinandumque Romanorum Regem, qui significent, nunquam per ipsum stetisse, nec stare, quominus res cum Francisco Sfortia Duce honestis quibusvis conditionibus componeretur: orareque etiamnum ipsos Reges, ne onus tractandæ compositionis adspernentur: conducere enim tum ad honorem ipsorum, tum ad Italiæ commodum, hujusmodi bellum terminari. Alios insuper nuncios in Gallias ad Franciscum Regem cum mandatis ire jubet; qui edoceant, quanto ei usui sit futurum, si arma in Mediolanenses transferre voluerit: habere se Leucum & Mussium, duo munitissima loca, quæ ei exhibeant cum classe in Lario lacu, non negligenda. Et quamvis non deessent qui Regi suaderent, ne oblata sperneret; tamen hujusmodi postulatis nunquam auscultavit. At Cæsar, qui omnem novandarum rerum in Italia occasionem tolli cupiebat, postulata ipsius Medicæi ad se missa, ad Franciscum Sfortiam porro remittit; hortaturque etiam atque etiam inspiciat, ne qua honesta compositio respuatur. Quod quidem tum ob alias caussas, tum imprimis ut Cæsari obsequeretur, Princeps libenter effecisset, si per oblatas conditiones, & honori suo, & fœderi cum Helvetiis inito, fuisset consultum. Itaque quando necesse esset bellum prosequi, decretum est, ut Vistarinus ad opidum Orobiorum in ripa Larii, Mandellum nomine, quod quatuor passuum millibus à Leuco abest, cum classe se recipiat, provideatque, ne Medicæi classis superiora lacus loca petere possit. Alexandro vero Gonzagæ negotium injunctum est, à terra Leuci circumvallandi: paucisque diebus pontem lapideum, quo amnis Abdua in fine lacus conjungitur, duobusque Castellis ab utraque ripa munitum est, Sfortiani per vim expugnant. Postmodum, quoniam paullo ante Medicæus armamentis plerasque exsuerat naves, remigumque & militum bonam partem dimiserat, Sfortiæ visum est, quando omnia ad trahendum bellum tendere viderentur, ob rei nummariæ penuriam, jam circumsesso hoste, aliquam partem classis & militum suorum absque periculo posse dimitti. Quod quidem postea male cessit. Nam cum nonnulli Centuriones & Duces Sfortiani stipendia militum fraudarent, lucrumque in proprios usus averterent; brevi contigit, ut, Medicæus, præter eas naves, quas intra portum Leuci armatas retinuerat, alias etiam, quæ extra religatæ ad mœnia remanserant, (quoniam portus omnium non esset capax) armaret; militumque opera, pro remigibus in eis uteretur: quibus Mussium & ad pleraque lacus loca rursus proficiscitur, & partim vi, partim obsequio homines ad parendum cogit. Nec satis ei fuit, lacu potiri, nisi etiam terra cum hoste decertaret. Vistarinus, ut supra diximus, cum Italis peditibus circiter quadringentis, ac manu Rhætorum & Helvetiorum Mandelli stativa habebat, classemque suam non modo curabat, sed observabat etiam, si occasio daretur qua hostili noceret. Gonzaga vero cum reliquis copiis castra posuerat quingentos ferme passus à Leuco, quæ fossa & vallo quotidie muniebat: noctuque non solum, sed etiam interdiu una ex cohortibus ad munitiones semper excubabat.

Cæterum quemadmodum natura fit in omnibus rebus, ut ad res peragendas nemo sit, qui in principiis majorem diligentiam quam postmodum inchoato opere non adhibeat: ita excubiæ Sfortianorum, in quibus primis diebus milites & duces erant diligentissimi, remissiores postmodum fiebant. Quod ubi per speculatores Medicæus cognovit, audendum ratus, cum suorum manu per noctis silentium navim longam conscendit; cumque juxta ripam lacus è regione castrorum hostium constitisset, jussis remigibus in anchora cum navi stare, ipse cum militibus in terram desilit: forteque Gonzagæ excubitores, quos habuit obvios, tam celeriter obtruncat, ut spatium non habuerint suis adventum hostium significandi. Quocirca parvo negotio munitiones hostium transgressus, tota castra metu, cæde, & fuga replet. Ipse recta ad hospitium Gonzagæ pergit; quem statim comprehendit intra cubiculum. Audito tumultu, plurimi ex Sfortianis ad Gonzagæ hospitium protinus accurrerant: quod ubi hostium plenum senserunt, nemo fuit qui non potissimam salutis spem in fuga poneret. Quare Medicæus, trucidatis nonnullis, qui intra tabernacula & domos reperti sunt, non insequendos per noctem ratus eos, qui in fugam se conjecerant, tormenta hostium Leucum versus hominum manu agere instituit. Et quia id difficillimum præ eorum magnitudine & gravitate erat; ut prope opidum perventum est, in fossam, ne ea hostibus relinquere cogeretur, præcipitari jussit. Recepit etiam per hujusmodi tumultum pontem Leuci lapideum, de quo supra diximus, iis, qui in præsidio erant, adeo ex clamore & strepitu nocturno perterritis, ut neminem suorum è cæde superfuisse rati, fuga salutem quæsiverint. Hoc successu Medicæus non minus à terra quam à lacu obsidione solutus erat; nisi Ludovicus Vistarinus, qui Mandelli stativa habebat, cognitis quæ per noctem ab hoste gesta essent, relicta suorum parte ad classis custodiam, ipse cum reliquis prima luce ad castra Gonzagæ accurrisset; quem ubi captivum intra Leucum adductum fuisse intellexit, plerosque ejus milites, qui in diversa loca nocturno tempore aufugerant, iterum coegit. Mox castra & munitiones, si quæ ab hoste dissipatæ fuerant, refici jussit: imprimisque duo tormenta, quæ usque ad fossam opidi agi propter temporis brevitatem non potuerant, reduxit in castra. Atque ita eodem die obsidionem prout antea erat circa Leucum restituit; & post paucos dies pontem etiam Leuci per vim recepit.

Itaque Medicæus nullam levandæ obsidionis commodiorem viam existimans, quam numerum militum suorum augere, quibus hostes summovere posset, cum Cæsare Neapolitano, qui in superioribus bellis peditum Chiliarchus cum Antonio Leva fuerat, convenit, ut quotquot nactus esset pedites è regno Neapolitano, qui in exercitu Cæsareo plurimi tum militabant, Leucum ad se deduceret: qui quidem intra paucos dies supra quadringentos venerunt: neque eorum adventus inutilis fuit. Siquidem eorum opera post paucos dies Accursinum Laudensem cum cohorte Sfortianorum peditum in vico Malgrato, qui in altera lacus ripa, è regione Leuci est, noctu per proditionem cæcidit. Quo nuncio accepto, Franciscus Sfortia statim Hieronymum Cribellum cum peditum cohorte, equitumque turma mittit ad locum Clavate, qui non inde abest amplius quam duo millia passuum, ad occludendum aditum, ne hostes per eum locum Comensem, ac etiam Mediolanensem agrum invadere possent. Itaque cum ea via Medicæo quærendi commeatus, quo tum plurimum egebat, spes concidisset; classe Lacus opi-

opida populari aggreditur. Sed quia loca montana & sterilia erant, & quibus res familiaris domi erat jamdudum ob incursiones militum abierant, nullum ferme commeatum præter castaneas, panicum, & pauca hujusmodi reperiebat intra domos pauperum, qui in alienas terras abire cum cæteris ob egestatem non potuerant. Dum autem nonnullæ Medicæi naves Mandellum prætervcherentur, Vistarinus quando classe sua hosti transitum prohibere non valeret, tormentis saltem eminus hostium naves infestare non intermittit; forteque pila ferrea Gabrielem Medicæum, ipsius Joannis Jacobi fratrem, qui in navi erat, interficit. Paucos etiam post dies cum Aloysius Borsærius Comensis, cui gubernandi totius Medicæanæ classis munus injunctum erat, è superioribus lacus locis, lembi celeritate, quo vehebatur, fretus, nullo alio præter remiges comite Leucum rediret, in nonnullas Vistarini naves paulo supra Mandellum incidit: è quibus cum plures scloporum & tormentorum ictus excussi essent, trajecto lembo Borsærius grave vulnus in crure accepit. Quod ubi remiges perspexerunt, metu perculsi, abjectis remis, ipsum jam semianimem, & qui paulo post vita excessit, seque ipsos in manus hostium tradiderunt. Utrunque casum gravissime Joannes Jacobus tulit. Nam Gabrielem supra cæteros fratres amore prosequebatur: & Borsærio, ob summam rei navalis peritiam, unice confidebat. Nec desunt, qui existiment eum adeo animo consternatum fuisse, ut amissis iis duobus, quorum potissimum opera in bello usus semper fuerat, nullum nisi tristem rebus suis exitum accidere posse postea crediderit.

Interea dum hæc agerentur, Augustinus Ferrerius Antistes Vercellensis, qui sæpius ad Franciscum Sfortiam Ducem venerat, hujus rei componendæ causa, denuo ad eum rediit: cumque plurimas adduxisset rationes, quare non minus ipsi, quam Medicæo expediret rem aliquibus ho-
A nestis conditionibus componi, neque ad id alienum offendisset Principis animum, Jo. Angelum Medicæum, ipsius Joannis Jacobi fratrem, Mediolanum ad se quamprimum venire curat, qui in initio belli, quod armis tractandis minime assuetus esset, in Taurinos abierat, & à fratre discedens habuerat mandatum, totius controversiæ, si qua daretur occasio, cum Sfortia componendæ. Is igitur quamprimum Mediolanum venit, adhibito Marino Caracciolo, qui Caroli Cæsaris Legatum Mediolani agebat, evocatisque è castris duobus Helvetiorum Rhætorumque Ducibus, ut in re communi adesset, cum Francisco Sfortia ad
B has conventiones devenit; ut Joanni Jacobo ipsius fratri quinque & triginta aureorum millia exsolveret: è quibus decem millia in præsens, reliqua æquis portionibus in annos duos numerarentur: & ne quod debitæ pecuniæ solvendæ impedimentum afferri posset, sponsores darentur idonei extra ditionem Mediolanensem. Præterea Princeps eundem opido quopiam donaret, cum reditu annuo saltem aureorum mille. Tormenta insuper bellica, & res omnes ipsius & fratrum non solum exportari sineret, sed etiam jumenta & vehicula, quibus id fieri posset, præberet: bona quoque jam publicata restitui juberet, & præteritorum
C oblivio esset. Joannes autem Jacobus intra decimum diem, nisi interea insignem aliquam occasionem rebus suis faceret, arcem Mussii Leucumque redderet. Cumque uterque ad pactorum observationem scripto, & jurejurando sese obstrinxisset; pro iis, quæ ad Sfortiam pertinerent, Caracciolus & Maximilianus Stampa arcis Præfectus spoponderunt: Jo. autem Angelus tanquam obses fœderis in custodiam traditus est: ita ut ipsi luendum esset, si frater promissa rata non haberet.
D Re igitur in hunc modum composita, Medicæus, cum bellum ad decimum mensem protraxisset, Leucum, arcemque Mussii Francisco Sfortiæ reddidit: cujus jussu arx ipsa Mussii, quæ tantorum malorum occasio fuerat, post paucos dies excisa est.

F I N I S.




LODOVICI CAVITELLII,

PATRITII,

CREMONENSES ANNALES:

QVIBVS RES GESTAS MEMORABILES A PATRIAE SVAE ORIGINE VSQVE AD ANNVM SALVTIS MDLXXXIII. BREVITER ILLE COMPLEXVS EST.

AVCTIORES ET EMENDATIORES.



PERILLUSTRI VIRO

PE. MARTYRI PONZONO,

APUD CATHOLICUM REGEM SOLERTISSIMO REGENTI, AC SENATORI INTEGERRIMO DITIONIS MEDIOL. CASTELLETTIQ. COM. OPTIMO,

CAESAR CAVITELLIUS

S. P. D.

Hoc opus, Perillustris Vir, Auctor sub tui nominis tutela edere decreverat, ut ab Historico cive civica historia civi historiarum amatori donaretur. Ejus voluntatis, ut rei familiaris, hæres esse volui, quod igitur à patruo summa ratione expetitum fuerat, & Cæsar nepos summo jure donat, tu summa animi hilaritate accipias, & foveas. Vale. Dat. Cremonæ VI. Kal. Mart. 1588.

LECTORI.

Candide Lector, hic Chronographus, quoniam senex erat, quanto magis elegantiorem scribendi stilum neglexit, tanto veraciorem edere studuit historiam. Id ut adimpleret, nullis sumptibus in perquirendis, nullis laboribus in evolvendis annalibus pepercit. Unde antiqua monumenta tam facile sermone familiari referebat; ut si eum audisses, Nestorem revixisse dixisses. Vale.

JOSEPHI OLIVAE,

PRAEPOSITI SANCTI MICHAELIS VETERIS CREMONAE.

Quam veri color exornat, non illita fuco
Pulchra Cavitelli est hæc senis historia.
Nuncius hic veterum referens præclara, senilis
Mira est sedulitas, mira erat integritas.
Vidisses hominem culta non veste nitentem
Sileno similem, cui nitor intus erat.
Palliolo sæpe obtegitur sapientia vili;
Aurea subque rudi cortice forma latet.

JO. JACOBI TURRESINI,

J. C. CREMONENSIS.

Dum fuerat fœlix, multos numerabat Alumnos,
Quos sibi, quos Patriæ gens Cavitella dabat.
Hinc tot ubique Duces, Equites, & Jura professi
Orbe peragrato sydera celsa tenent.
Occidit illa tamen: mirumque ex stipite tanto
Cæsare progenitam vix superesse domum.
Cæsarides Lodovicus adest, & junior alter
Thoma ex fratre nepos, nomine clarus Avi.
Quis Lodovicus adest? Imo simul occidit ille,
Inque viri Eridanus funere signa dedit.
Sum memor. Ergo mori credis, quos cernis abire?
Vos obiisse rati, quos abiisse liquet.
Vivit adhuc; vivetque diu, quo ad pignora certa,
Quæ tibi supposuit, fida Cremona leges.
Hactenus hæc pressit, ne quis sibi tunderet aures,
Quod dicenda silet, quodque tacenda refert.
Cæsar item superest, aucto quo prole sequaci
Extollet rursus gens Cavitella caput.
Auguror. Ecce iterum Padus agros Taureus ambit,
Atque iterum, atque etiam, fractus inundat agros.
Citra, ultra; supra, infra; late, alte; intus, & extra;
Dum fluit, & refluit, stirps Cavitella viget.

EJUSDEM

DE PE. ANTONIO TOLENTINO, LIBRI EDITIONEM PROCURANTE.

Vade Tolentini genio suffultus, & aura
Docte liber: tanto Vindice tutus eris.

CLAUDII BURGII,

JURIS CONS. CREMONENSIS.

Justitia, atque senis par est industria; solers
Hac quasi Thesaurum repperit historias.
Quasque effodit opes priscis de annalibus ultro
Pulchra tuis, has vult esse Cremona tuas.
Adjecitque etiam multum, ceu forte talentum
Qui sibi curarit, multiplicetque datum.
Tam navo, justoque seni quæ denique laudes?
Ossibus illius quæ satis apta quies?

HECTORIS ALEGRI,

CREMONENSIS.

Aetherea si forte plaga dum lumina torques
Despectans urbemque tuam, clarosque nepotes
Exsultas, pater Alcide, quæ gaudia mentem
Nunc rapient? antiqua tuæ primordia gentis
E tenebris cum jam videas educta sub auras
Hujus ope, & notas pugnas, celebresque triumphos,
Præclarosque viros, æternæ nomina quorum
Commisit famæ æternum victura per ævum.
At vos Herculei cives gaudete, Cremonæ
Perlegat hæc populus, majorumque inclyta discat
Facta sequi, & latos laudum percurrere campos.

EJUS-

EJUSDEM.

Majorum hic pugnas, & dextro ut Marte phalanges
Fuderit hostiles sæpe Cremona, docet.
Atque urbes bello captas, partosque triumphos,
Maximaque in ripis fixa trophæa Padi.
Eloquio, ac bello insignes in luminis oras
E priscis referens evocat è tumulis.
Quantum huic posteritas debet, qui stemmata patrum
In lucem cæcis eruit è tenebris.

ALFONSI MARNII,
CREMONENSIS.

Vis ne cibo perquam lauto saturarier emptor?
Emere ne pigeat te caput hoc vituli.
Mira si nescis pinguedine diffluit; atque
Conditum multo jam sapit ecce sale.

JO. BAPTISTAE TURRESINI,
CREMONENSIS.

Impressus tantum liber hic erat; obsitus annis,
Scribendo, & fessus cum Ludovicus obit.
Luce liber fruitur, quæ vivo auctore carebat,
Atque diem functo donat habere dies.

EJUSDEM.

Annales, Ludovice, tuos tua funera ad usque
Duxisti: exactum mortuus edis opus.
Non hoc ira Jovis, non ferrum, flamma, nec unda,
Non aquilo, tempus non abolebit edax.
Congressus hominum vitasti vivus, & usus:
Mortuus evolitas docta per ora virûm.
Non te plebeio vexit Libitina sepulchro,
Nec rapuit nomen nigra favilla tuum.

DIONEI MUSONII,
CREMONENSIS.

Quid foret claræ soboles Cremonæ
Aucta Romanis ducibus, nisi Orco
Invidens lucem Cavitellus illi
Et sibi ferret?
Cui fides, nullisque adoperta pannis
Veritas cordi est; malefícta ne laus,
Dedecusve ulli noceat decoro
Fraudis amictu.

EJUSDEM.

Priscum Cremonæ sustulerat decus
Dies, colendus ni Cavitellius
Scriptis in incultis notato
Tempore tempori opem tulisset.
Tanto labori par quia deficit
Merces, benigno nulla prior seni;
Quam tali ut exemplo decoris
Si patriæ sua cuique cura.

INCERTI AUTHORIS
AD CIVES.

Accipite ô cives propensi fronte benigna
Signa animi, vivus quæ vovi, en defero vota.
Spectate ereptos pura sub imagine vivos
Majores, spectate genus, spectate triumphos,
Sunt hæc grata senis, sunt civis pignora nostri.
Æquis ergo animis, æqua perpendite lance.

ALIUS INCERTI AUTHORIS
AD LUD. CAVITELLIUM.

Surge, ô magne senex, & tuum decora alta tuorum,
Res gestas, genus & nomen, meritosque triumphos
Majorum, & laudes omnes circumfer; & illos
Mortuus ad vitam revoca, teque eripe morti.
Quis vetet hoc, quando revoces tu tempus ad annos
Præteritum nostros? tibi stent labentia sæcla?
Mortua jam per te non interitura resurgant?
Fœlix, o senior, vives qui mortuus, atque
Nunc Æson alius veniens juvenescis in ævum.

FRANCISCI ZAVAE,
CREMON.

IN CLARISS. LUDOVICI CAVITELLII ANNALES
EXAMETRON.

Exit, non exit Cavitellius arce locatus,
Quæ capit heroes, semideosque beat.
Hujus dum visent volitantes agmine denso
Æra sublimem, fama superstes, aves.
Sic igitur cavit patriæ Cavitellius iste
Cum patria ut vivat, clarus ubique loci.

MATHAEI CATANEI,
CREMONENSIS.

Tempora dum patriæ hæc Annalibus eruta servas,
Sæclaque ne pereant tot prius acta caves.
Cura tibi, Cavitelle, cavet tua, sæcla Cremonæ
Nunquam deficient, ipse perennis eris.
Præmiaque illa feres, Patavi quæ gloria magnus
Jam fert Romanæ conditor historiæ.
Fælix Roma minus quam filia, namque Cremona
Auctorem peperit, non tulit illa suum.
At non læta minus, quia tecum æterna Cremonæ
Sæcula non poterunt hac sine matre legi.
Nec tu aliam mercedem inhias; nec te æquius ullam est
Accipere hac, merito quæ tibi certa manet.
Tempora te ut servent, per te servata nec obsint
Tanto ingrata operi, nec satis æqua sibi.

EJUSDEM.

Ne lector hospes semper esses, aut puer,
In qua urbe natus tandiu vivis senex,
Cavitellus unus cavit officio, & fide
Plenus, suorum nec parentum degener.
Vides sub uno quam prope aspectu locat
Velut in tabella, quicquid & sago, & toga
Tot pene ab ipsa sæculis origine
Gessit Quiritum nobilis Colonia.
Quæ cur Cremona dicta sit mox videris
Contra, aut secundum vota susceptum sua,
Sive huic secundæ, sive res fluxæ forent?
Vides locorum, & temporum passim notis
Ut cuncta sunt insignia abterso situ?
Hesterna dicas, imo hodierna, sic palam
Spectantur acies, prælia; eventus boni;
Tristesve paces, tum sequestræ, tum ratæ;
Theatra; ludi; feriæ; cantus; sacra;
Hæc dum obsoletis evoluta annalibus,
Et pene ab orci vindicata faucibus
Spectanda lector elaborat optime
Proferre, quantos hic labores pertulit?
Quantum dierum & noctium absumpsit volens
Tui juvandi cupidus, oblitus sui,
Suàm senectutem ocio fraudans, tuum
Dum te ocioso conficit negotium.
Tamen hic colossos, æreasve imagines
Jam non moratur, nec sibi tantum arrogat;
Satis relatas gratias putat, sua
Si pro virili profuisse hunc publice
Putes, & ipsi compreceris ultimæ
Partem senectæ, nec inhonestam, nec gravem,
Et post senectam reditum in æthereas domos.

ANGELI BARONIS, CREMON. DECASTICHON.

Filia matre prior genitricis jura fidelis,
Seque tuens armis icta ter occubuit.
Æmula sed patriæ virtutis strata resurgit
Firmior, & rutilum tollit ad astra jubar.
Omnibus offundat tenebras ne annosa vetustas,
Ecce senis cauti provida cura cavet.
Qui varios gnatæ casus sermone parentis
Explicat antiquo, verus, ubique brevis.
Fælix ingenio, pietate beatior ista,
Qui patriæ illustrat tempora cuncta suæ.

EJUSDEM.

Phœbigena Hippolytum superas revocavit ad auras
Morte obita, Triviæ victus amore Deæ.
Æsona Cholciacis Medea recoxit ahenis,
Illi pubentes enituere genæ.
Lubricus apricis coluber juvenescit ab herbis,
Corpore cum veteres excutit exuvias.
Vi propria è tumulo Senior pubescis in ævum,
Non Marathro, aut Cantu, non ope Pœonia.
Nam tuus hic animi fœtus te subtrahit umbris,
Teque suo ætatis flore virere facit.
Alcides, cujus sobolem sic tollis Olympo,
Sensit in Octæis gaudia tanta jugis:
Completis quando fatis, post mille labores
Invicto est Hebe florida juncta Deo.
Dii vestrum Elysiis campis effundite enectar,
Quod turpi æternum servet utrumque situ.

FABRICII BURGI DECASTICHON.

Non Jovis hic auctor, Veneris non ludit amores;
Non meminit Daphnes pulcher Apollo tuæ.
Teque procum pedibus volitare Atalanta sequentem
Non memorat; victor quisve fuisset amor.
Non Vulpem narrat fraudem in te Corve patrantem;
Merge & ut exspectes turgida vasa diu.
Illa suo dulci cecinit jam carmine Naso;
Hæc Phrygius summa finxerat arte senex.
At celeri brevitate refert memoranda Cremonæ;
Ortus: ærumnas: templa: trophæa: viros.

EJUSDEM OCTASTICHON.

CREMONA.

Sydus forte præest mihi, fortis condidit author
Me, cui forte tegit tergore terga Leo.
Rege regor forti; me fortem flumina reddunt;
Fortibus & dicor non caruisse viris.
Et me fortis avis Turri tutatur ab alta;
Arce tegor forti; fortia facta mihi.
Et ne forte cadam fortis, hæc temporis iram
Fortem scripta premunt, quæ mea facta notant.

EJUSDEM EXASTICHON.

Nunc properent quercus densa frondescere silva,
Ut detur merito multa corona seni.
Nam si qui civem servasset, Roma solebat
Civi glandifera cingere fronde caput,
Non generosa minus, sic, matre Cremona parari
Qui multos servat, plurima serta jubet.

EJUSDEM TETRASTICHON.

Invida mors nostram rapuit cum corpore linguam
Quod patri eriperem civica gesta suo:
Hæc sibi sed tantum nocuit, quingenta resurgunt
Mi victura diu fortibus ora typis.

EJUSDEM DISTICHON IN LAUDEM CAVITELLII.

CREMONA.

Dum scribis, Cavitelle, meæ sis laudis amicus;
Nam tu me servas, quem peperisse scio.

SONETTO DEL SIGNOR TRUSO TRUSI DOTTOR DI LEGGI CREMONESE.

Ecco dall'ampio sen del cieco oblio,
Dove le cose il tempo involve, e asconde,
CREMONA, che ti tragge, & ti diffonde
All'alma luce illustre spirto, & pio:

Mira quel, che t'innonda, antico Dio,
Come tutte inargenti, e imperli l'onde
Di gioia & si disperga, & d'acque abbonde,
Versando il gaudio in valle, in campo, e in rio:

Per questo degno spirto il tuo Natale
Fuor de più tenebrosi & atri horrori
Estratto, illustre, & immortal rimiri:

Tu, se non voi maggiore, almeno uguale
Rendigli gratia, & con eterni honori
Fa, che morto immortal viva, & respiri.

SONETTO DI M. CESARE DELLA PORTA CREMONESE, IN LODE DEL S. LODOVICO CAVITELLO.

Dal fosco sen del pigro Vecchio edace,
Che col Sol nacque à un parto, e, mentre vola
Di par col Sol i nomi, ei pergi invola;
E immergergli in oblio sol si compiace.

Dotto scrittor, cui l'Indo, il Mauro, e'l Thrace
(Tua fama si da longe al Ciel sorvola)
Ammira, ò como in bella luce, e sola
Tratto hai tant'opre fatte in guerra, e in pace.

Più che à i marmi di Fidia, e, ch'ai colori
D'Apelle, e Zeusi, a le tue carte illustri
L'Afro, il Perso, l'Hiber deue, e lo Scita;

Che, se ne lor egregi alti lavori
Viver fer mille tombe essi più lustri:
Tu ad infinite dai perpetua vita.

SONETTO A BISTICCIO DEL SIG. OTTAVIANO CANTULLO CREMONESE, IN LODE DEL S. LODOVICO CAVITELLO.

Il degno d'ogni lode LODOVICO,
Che dotto in dotti detti espon, e detta
Con spirto esperto in presa prosa eletta
Da Tito, il tanto tuo natal antico,

CREMONA, merta morte, e fuor d'intrico
La fronde, che non sfronda la saetta:
Ma sempre illesa, non illisa, alletta.
Chi la mira; e non mor nel gel nemico.

Estoli adunque il CAVITEL, che tolle
Con la felice luce de'suoi scritti
La nebbia dal tuo volto involta, e oscura;

Ei tuoi gran Marti morti avivar volle
In fogli, à Figli tuoi discreti scritti;
Onde t'ammirin Mori, Mari, e Mura.

LODO-


SEVILLA


S. Perdengo.
Strada che va a Milano.
Strada che va a Piacenza.
Strada che va a Crema.
Cremonella Naviglio.
Strada che va a Brescia.
Strada che va a Rebecco.
Strada che va a Vescovato e Ostiano.
Palosco.
P. S. Luca.
P. d'tutti Santi.
P. Nova.
Il Castello.
P. della Mosa.
P. del Po.
Cerca Canale.
PO FLUVIUS.
CREMONA.
Castel Vetro.
D. Stoopendaal Fec.
P. vander Aa, Exc: Lugd: Batav. cum Privil:





LODOVICI CAVITELLII,
PATRITII,
CREMONENSES ANNALES.
DEI IGITVR OPT. MAX. AVXILIO INVOCATO.



QVO omnis ſcientia, & intelligentia procedit, & ſine cujus gratia quid fieri non poteſt, & quem ſummopere deprecor, ut mihi adſit, quo hoc opus incipere, & perficere valeam, meque tueatur ab invidis, & malignis, quorum ſtudium eſt alienis laboribus, & famæ invidere, & detrahere, illud inchoando dico.

CREMONAM inclitam civitatem Galliæ Ciſalpinæ Tranſpadanæ, Cænomanorum, ſeu Inſubrum, nunc Longobardiæ, conditam fuiſſe (ut reperi) in Valle Padana, & juxta ripam fluminis Padi, ubi nunc exſtat, anno mundi 3825. ſecundum Euſebium, ſed ſecundum Hebræos 2578. & poſt primam Trojæ deſtructionem, & ante adventum Dominicum annis 1375. vel, ut aliqui ajunt, annis mundi 3954. Jano commorante tunc Genuæ. Qui, cum ibi opes ſuas repoſuerit, eam Crumenam nominavit, illic in foro tunc parato repoſitis ejus ac uxoris ſuæ ſtatuis marmoreis, & ſeu ab Hercule filio Jovis ex Alcmena uxore Amphitruonis Thebani, & ſocio Jaſonis Theſſali. Dum tempore, quo judicabantur Hebræi per Deboram Prophetiſſam de Tribu Ephraim, & Baruch de Tribu Nephtalim, ab Hiſpania, inde abducendo boves Geryonis, facto receſſu deſcendiſſet in Italiam, profecturus in Latium, ubi mox condita fuit Roma, & ſe recepiſſet in vallem Padanam tunc à latronibus occupatam, & ſingulari certamine congreſſus cum uno ex illis ſtaturæ giganteæ, & qui pro telo utebatur pilis tribus ferreis librarum tercentum, eoque proſtrato, & occiſo juxta ripam Padi, ab ipſis liberam reddidiſſet eam regionem, in unum poſtea eo conductis ibi accolis, & ſparſim inter ipſum flumen, ac Abduæ, & Olii, condita tunc ibi tantum arce prope templum Deæ Februæ, ubi nunc eſt porta ſancti Michaelis, quam denominavit Alcmenam à nomine matris ſuæ. Quæ Arx, dum poſt illuc multis confluentibus ob nundinas, quæ tunc ibi ſæpe fiebant, ampliata fuerit, & juxta illam conſtructis domibus, & aggere, ac foveis, & mœniis circundatis pro earum defenſione, ibi facta fuit civitas, ac nuncupata etiam Alcmena, Latino tunc in Latio Aboriginum Regi. Et hinc eſt, quod de more quotannis in mane diei ſolemnitatis B. Mariæ Virginis Aſſumptæ ad æthera Laniones cum Tauro, & Nautæ cum navi fora Cremonæ incurſare fuſtibus abſque ferro, & congredi ſolebant annis ſuperioribus more antiquorum, ad demonſtrandam & conſervandam memoriam, conditam fuiſſe Cremonam per Herculem congreſſum cum gigante eo occiſo, ut præfertur; ſed Taurum circumduci per Laniones adverſus Nautas opinor ob inſignem victoriam habitam per Cremonenſes, quorum inſigne tunc fuit navis, de Parmenſibus, eis ablato Tauro ipſorum inſigni ſecum commiſſo prælio, ut inferius ſuo loco referetur: quamvis & ludis ipſis poſſit adſcribi alia cauſa, eos fieri ad denotandum agros Cremonenſium eſſe ſoli feracis ob aquas fluviatiles, per illud, & prope civitatem ipſam labentes, & civitatem quoque eſſe rebus abundantem, & vel ut aliqui volunt fuit condita B à Gremone ei indicto ſuo nomine, &, ſeu ut alii volunt, à Bremone ſocio Palantis filii Euandri ex urbe Palantea Arcadiæ expulſi, & qui ſub Rege Fauno juniore in Latium mediocri turba ſe contulit, & ibi ſibi à Fauno conceſſis agris, & monte poſtea Palatino nuncupato urbis Romæ poſt conditæ habitavit. Et Breno ſedibus ſuis ad flumen poſitis ibi civitatem condidit, & de nomine ſuo appellavit Brimoniam. Et vel ad annos circiter octuaginta poſt excidium ultimum Trojæ, ut reperi ex quibuſdam fragmentis auctoris haud celebris, dum per Aſcanium filium Æneæ ex Troja demolita per Græcos, ut præfertur, multis Trojanis C appulſi in Latium ibi condito Lavinio, mortuo Ænea ſibi petita ope per Thelamonem filium Muſartis etiam proceris Trojani multis aliis etiam diruta Troja profecti in Italiam, & Galliam Ciſalpinam, & ibi per eum à Verganio ex deſcendentibus Saturni tunc dominante cuidam civitati nominatæ Vegræ, ſitæ ad fines agri Cremonenſis prope municipium Calvatoni per paſſus circiter mille, & inter ipſum, ac flumen Olii, mox demolitæ per Hunnos, & alios barbaros ſocios, Athila Rege ingreſſos Italiam anno circiter quadringenteſimum quinquageſimum ſecundum, impetrato ſolo pro ejus & Trojanorum, qui eum ſecuti fuerant, habitatione in territorio Vegræ, & condito oppido nominato Moſio, ſecus & ultra flumen Olii ad fi- D nes agri Brixienſis & Mantuani, dum bellum gereret cum Mantuanis, ægre ferentibus Thelamonem & Trojanos habitare ad eorum fines, deſtinatus fuerit Brino ex proceribus ſuis multis Trojanis ad opem Thelamonis, & finito bello Brinone una cum Soncino filio, & Thelamone profecto Alcmenam, ſeu Arteſiam, ut memoratur in ipſis fragmentis, ad Paſſimontem illi tunc dominantem, & ſocerum Thelamonis ei nupta filia, & Brenone, cum Soncino filio, ei nupta altera filia nominata Serena, ſecum ibi tento, & à quo Brinone ab ejus nomine mox ipſa civitas nominata fuerit Brinonia, Hebræorum tunc Judice † Labdone de Tribu Ephraim, & quæ dum mox condita Roma fuerit E demolita per Ezechiam Regem, & Judam Sicambrum, & Mediolanenſes invicem confœderatos, fuit inſtaurata, ut aliqui etiam volunt ad annos circiter ſeptemcentum quinquaginta à Gallis, dum Belloveſus, coacto exercitu ex Biturigibus, Avernis, Senonibus, Heduis, Avaris, Carnutibus, & Aulertiis tercentum millibus ex Gallia Celtica irrupiſſet per Taurinos ſaltus, ac Juliæ Alpis Italiam, vel Germanis, qui etiam Elitovio duce poſtea Alpes ipſas tranſcenderunt, & Italiam ingreſſi regionem ipſam occuparunt tempore Tarquinii Priſci v. F Regis Rom. anno ab urbe condita 164. dum Hebræi eſſent captivi in civitate Babyloniæ Aſſyriæ, & prophetarent Daniel & Ezechiel. Et mox Galli, dum duce * Brunone Senogalenſi anno ab urbe condita 407. per Romanos prælio apud Præneſte in Latio Gajo Sulp. Dictatore ſuperati, illinc, ac ex Hetruria abeuntes Cremonam applicuiſſent, ipſamque voluiſſent ingredi, eiſque obſtitiſſent Cremonenſes, utrinque prælio atroci commiſſo, in quo ex Gallis deſiderata fuerunt circiter quinque millia, facta in eam irruptione ipſam in ultionem occiſorum ſolo æquarunt: & deinde Mar. Clau. Marcel. & Gn. Cor. Romæ Conſulibus & Gallia Ciſ-

† Legendum, *Habdone*. * Is eſt *Brenno*.

Cisalpina expulsis Gallis capto Mediolano illorum metropoli post plures conflictus factos cum ipsis, tam in Insubria, quam apud Clastidium, ubi à Marcello fuerit interemptus eorum Rex Viridomarus, seu Britomarus, ac obsidionem, & demolitionem Azzerarum inter Alpes, ac Padum, & ad ipsum flumen tunc sitarum ducti fuerunt coloni ab urbe Cremonam, civitasque ipsa instaurata, & circundata fossa, muro, & propugnaculis, ut esset una cum Placentia etiam tunc Colonia Rom. facta adversus Gallos adhuc degentes trans Padum, Abduam, ac Olium flumina. Et si qua vis ingruisset ab Alpibus anno mundi tunc currente 4885. seu 3736. juxta computum, ut præfertur, & ab urbe condita 536. & primo secundi belli Punici, & ante adventum Dominicum 216. & Olympiade 140. Rom. Consulibus Pub. Corn. Scip. & Tib. Semp. & apud Hebræos Machabæis dominantibus. Et dum colonis ipsis tunc assignaretur ager Cremonensis, ac Placent. per Gn. Lucr. Au. Ser. & Mar. Aur. seu Quin. Acc. & Gn. Æredium, & vel Pub. Cor. Asin. & Gn. Pap. Nasonem Triumviros ad id munus electos, Ga. Flam. Trib. plebis auctore sub adventum Annibalis in Italiam, Galli tum ob veteres iras, tum quod ægre ferrent deductos fuisse colonos Rom. in has civitates, à Rom. defecerunt, & arreptis armis impetum fecerunt in Triumviros. Qui diffisi mœnibus Placentiæ confugerunt Mutinam, quam Galli obsederunt. Et dum mox Annibal delevisset exercitum Rom. eorum Coss. Tit. Semp. & Pub. Corn. Scipio. ad Trebiam prope Placentiam, Scipio ipse quietis Pœnis tacito agmine trajecto Pado Cremonam traduxit exercitum, ne duorum exercituum hybernis Placentia premeretur. Et anno proximo Gn. Servil. & Quint. Flam. Consulibus penes Trasimenum, & illinc ad biennium Lu. Pa. Æmi. & Ter. Var. Coss. ad Cannas temeritate Flam. ac Var. & astu Annibalis deletis exercitibus Rom. Dum eorum coloni requisiti forent ad mittendum sibi milites ex formula, Cremonenses fideles erga Rom. auctores suos sibi responderunt medio Mar. Sex. Fregellani, Fabi. Maxi. & Quin. Ful. Romæ Coss. habere milites paratos ex formula, & si pluribus opus esset, plures daturos, & quicquid aliud imperasset Po. Rom. enixe facturos, & ad id sibi opes esse, & animum superesse. Et anno tertio decimo ejusdem belli Punici Lu. Vetu. Phil. & Quin. Ceci. Met. Conf. Romæ, & jam Gn. Clau. Nerone & Mar. Liv. Salin. ibi Coss. eorum prudentia in Piceno ad Metaurum cæso Asdrubale fratre Annibalis, ejusque exercitu deleto, quo venerat in Italiam, ut jungeretur copiis Annibalis. Dum Cremonenses & Placentini missis legatis Romam conquesti forent agrum suum ab accolis Gallis quotidie incursari, magnamque partem colonorum dilapsam esse, & frequentes urbes habere, ac desertum ipsum agrum, mandatum est Mal. Præt. ut colonos Cremonenses & Placentinos ab hoste tueretur, & ex Sen. Conf. per Coss. factum edictum, ut qui cives Cremonenses & Placentini forent, ante certam diem in colonias ipsas reverterentur.

Et facto recessu per Annibalem ex Italia ad opem ferendamCarthagini patriæ suæ oppugnatæ per Pub. Cor. Scip. Et Rom. impeditis bello Macedonico. Galli Insubres, & Cænomani, & Boji trans Padum, Abduam & Olium degentes excitis Scelinibus, Iluaribus, & cæteris Ligusticis populis, Amilcare Pœno duce, cum Placentiam intrassent, eaque direpta, & magna parte incensa, vix duobus millibus inter incendia ac ruinas relictis, trajecto Pado ad diripiendum Cremonam peregissent, & quæ vicinæ urbis audita clade clausis portis, præsidioque per muros disposito, dum obsideretur, missis nunciis ad pop. Rom. se munivit adversus eos A Gallos ac Ligures, & cum Lu. Fur. Prætor Rom. ad eis opem ferendum exercitu fuisset profectus, inter eum ac hostilem coactum ex agris, per quos sub adventum exercitus Rom. passim vagabatur, nullo satis firmo præsidio ad castra sua relicto, factus fuit conflictus, in quo fuerunt superiores Rom. & Cremonenses egressi civitatem, & uniti Rom. cæsis, & captis ex hostili exercitu supra triginta quinque millia una cum septuaginta quinque signis militaribus, carpentis, multa præda onustis plus ducentis, occisisque Amilcare Pœno, & tribus Gallorum imperatoribus nob. & captivis ad duo millia Placentinorum recuperatis, & redditis eorum patriæ, & ex hostibus vix aufugerunt sex millia, & B Romæ de hoc allatis literis facta fuit supplicatio per triduum. Et Luc. Fur. Triumphum egit Pub. Sul. Gallo, & Gn. Aur. Cotta Coss. & locus, in quo factus fuit conflictus extra portam Mosiæ Cremonæ, & inde distans per mille passus usque in hodiernum nuncupatur *Battajonus* ex hoc conflictu, & Gallorum, & Ligurum cæde. Et Sex. Ne. Peto. & Tit. Quint. Flam. Coss. anno secundo belli Macedonici, & ab urbe condita 552. Cremonenses dissipati belli casibus coacti fuerunt eo toto anno per Ælium Consulem redire in eorum coloniam, & Tit. Semp. Lon. seu Fla. dum esset Consul Romæ una cum Pub. Cor. Scip. Africano, sexto anno belli Macedonici, conflixissetque cum Bojis prope Lituaniam C Sylvam secundo prælio ex eis occisis sex millibus, & reliquis in vicos suos atque agros dilapsis, exercitus sui stativa habuit Cremonæ & Placentiæ, restituique in eas jussit, quæ bello diruta fuerant. Et Lu. Cor. Scip. & Gn. Læl. Africano Coss. Romæ legatis Cremonensium ac Placentinorum introductis in Senatum per Lu. Aur. Prætorem querentibus inopiam colonorum, aliis belli casibus, aliis morbo assumptis, quosdam tædio accolarum reliquisse colonias, ex decreto Sen. & Gn. Lælii Africani consulis creatis Triumviris Mar. Acil. Ser. & Val. Gra. Mar. filio, & Lu. Val. Tacone Gaji filio, deducta fuere per eos Cremonam ac Placentiam sex millia familiarum Romæ conscripta. Et Lu. Æmilio Pa. & D Ga. Lici. Grasso Coss. Rom. anno quinto belli Macedonici adversus Persem in exercitu, quem habuerunt ad eam expeditionem Rom. & quo vicerunt, ac debellarunt Persem ad Petram sub Lu. Æmilio Pa. fuit cohors Cremonensis, quæ cum duabus aliis, scilicet Firmana ac Vestina, & duabus turmis equitum Placentinorum, ac Efferminorum stetit ad præsidium castrorum Rom. sub Mar. Elvio legato, dum Romani ac Macedones castrametarent ad Petram flumine tantum intermediante, unde aquabatur præsidiis utrinque positis, ut id tute facere possent, & ad præsidium pro Romanis exstarent duæ aliæ cohortes, scilicet Marucina ac Peligna, & duæ turmæ equitum, quibus præerat Mar. Ser. E Sextus eorum legatus.

Et Helvetii, & Rhæti Luc. Corn. Cinna, & Lu. Cassio Longino Ra. Rom. Coss. & ab ea condita anno 627. dum irrupissent Insubriam eis conterminam, ac regiones circumvicinas, & ibi Cremonam, ac multa alia municipia occupassent, eam diripuerunt, ac ferro & igne everterunt, & in illos ad ei opem ferendam ex urbe profectus Cinna, & firmatis castris in agro Cremonensi ad vicum nunc ob id vocatum *Casalemoranum*, cum Helvetiis ac Rhætis castrametantibus in alio ibi vico, distante à castris Rom. per tria millia passuum, nunc *Tribuli* vocato, commissa atroci pugna, eorumque duce captivato, ac ipsis fugatis multa cæde, ipsorumque F spoliis affixis ad vicum nunc etiam nuncupatum *Jovis Altæ*, ibi juxta illud templum jussit condi oppidum, ac nuncupari *Jovis aram*, & illinc per lapides quinque in vico tunc Aquaria nuncupato loco alius demoliti etiam tunc per Helvetios ac Rhætos aliud, & nominari Succinum, & mox Cremonam, illuc accedens

cedens instaurari, in eam conductis nonnullis ex ipsis, qui ex ea aufugerant, & se eripuerant ab hostibus, & cum fuerit cremata, Cremona nuncupata, & seu, ut aliqui dicunt, ita nominata, quia, dum de more sulcaretur ejus pomœrium aratro, ut ibi construerentur mœnia, illis reperta fuit crumena.

Et Mar. Ant. apud Mutinam, in qua obsidebat D. Bru. ex interfectoribus Ga. Jul. Cæ. primi Rom. Imperatoris, cum Aul. Hir. & Ga. Pansa Coss. Rom. & Ga. Octaviano, qui copiis militaribus D. Bruto opitulari volebant commisso prælio, in quo succubuit, reliquo suo exercitu aufugit Cremonam, & per ibi incolas uti fideles erga Rom. suos progenitores, quorum erat Dux, ac Proconsul, receptus fuit, & mox contracta amicitia inter Mar. Ant. ac Oct. pronepotem ac hæredem Ga. Jul. Cæs. & Mar. Æmil. Lep. adversus Mar. Bru. & Ga. Cassium, & alios homicidas Julii Cæs. eorumque partes sequentes, & alios sibi infensos, & ex illorum jussu occisis inhumaniter plurimis Senatoribus, patritiis, equitibus, & popularibus Romæ, & alibi ex eis, & devictis, & ab humanis sublatis Mar. Bru. & Gajo Cassio, commisso alio prælio inter eos, & Mar. Ant. & Octavianum apud Philippos oppidum, Pangæo & Symbolo montibus adjacens in Macedonia, & deinde inter Mar. Ant. & Octavianum suborta discordia, & commissa utrinque pugna maritima ad Actiacum promontorium Achajæ, & superato Mar. Ant. Octavianus victor Romam reversus indignatus in Cremonenses: quia Mar. Ant. receperant, ut præfertur, eis ex Cremona expulsis ipsorum fundos jussit dari aliquibus ex militibus suis, & olim Ga. Jul. Cæs. avunculi sui veteranis, & cum non sufficerent, partem agri Mantuani eis proximi anno ab urbe condita 724. & ibi Coss. eo Octaviano, & Ga. Sosio, ac Mar. Lu. Mar. filio Crasso.

Et mox assumpsit Imperium Rom. & Imperium ipsum obtinuit annis XLIV. cum dimidio. Et anno ejus XXX. per ipsum pacato toto orbe, & clauso Templo Jani, eo Augusto, & Pub. Vinc. seu Ga. Lent. Getulico Romæ Coss. & ab ejus primordio 752. & orbis 5200. seu 5210. vel 5199. aut 5196. vel 3971. & quarto Olympiadis 194. & Indictione tertia decima, natus est ex MARIA Virgine in Bethleem Judæ, & præsepio antri instar pauperis prima vigilia noctis præcedentis diem vigesimam quintam mensis Decembris D. Noster JESUS CHRISTUS ad redimendum genus humanum à peccatis, & è potestate Sathanæ. Et tunc Romæ à Taberna meritoria tota die fons olei effluxit, & in aere circa solem aureus circulus, & tres soles in unum convenire visi sunt, & Romuli statua, & templum Pacis corruerunt ex miraculo omnipotentis Dei.

Et ad perpetuam memoriam hujus diei Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, & unigeniti omnipotentis Dei, salutiferæ toti humano generi, facta ordinatione per sanctissimos Rectores Ecclesiæ ipsius annos numerari debere secundum eorum cursum post ipsam ab ejus fidei cultoribus. Iccirco, ut discernatur tempus, quo memorabilia per me exaranda in posterum in hoc opusculo contigerint, in eo notabuntur, & suis locis in ejus margine describentur anni.

Et ex Cremonensibus insignibus Romæ tunc cogniti fuerunt. Gneus Maggius, qui in bello inter Jul. Cæs. & Ga. Pomp. gesto fuit præfectus fabrorum in exercitu Pompeji, & in itinere prope Terracinam deprehensus per Cæsarianos, dimissus per Cæsarem ad Pompejum cum mandato ipsum alloquendi pro communi bono Reipublicæ, & sedando ipso bello.

Alpheus Varrus, qui fuit unus ex J. Cons. ex quorum responsis fuit conflatum Jus Civile, mox redactum in unum ex ordine Justiniani Imperatoris, & dum esset adolescens exercuit artem tonsoris Cremonæ, & Romam profectus sub Sulpitio J. C. Rom. doctrinam legum ac juris assecutus fuit, & ibi consul factus anno tertio nativitatis Dominicæ cum Pub. Veni. patritio Rom. & promeruit de publico jus sepulturæ.

Furius Bibaculus Vates. Et fuit Cremonæ gymnasium, in quo publice docebantur, & addiscebantur artes liberales, & omnes scientiæ, & ad eas addiscendas multi ex populis finitimis accedebant, & Pub. Virgilius Maro Mantuanus, celeberrimus Vates, accepit prima rudimenta Grammatices & Humanitatis.

Gajo Octaviano Cæsare Augusto igitur mortuo anno ætatis suæ septuagesimo septimo, & die decima septima Augusti Nolis, seu Attelis in Campania ex profluvio ventris Cla. Tib. Nero privignus suus successit, & qui imperavit annis viginti duobus, & mensibus septem.

Et eorum anno quintodecimo Dominus N. Je- A.C. 15.
sus Christus ætatis suæ trigesimo cœpit prædicare in Judæa & regionibus finitimis pœnitentiam & remissionem peccatorum, & baptizatus fuit in flumine Jordanis per divum Joannem ejus Præcursorem, & magnum Prophetam, & illinc ad annos III. & menses IV. ex invidia & accusationibus falsis Sacerdotum & Scribarum gentis Judaicæ per Pon. Pilatum ipsius pro Tiberio procuratorem ad mortem damnatus, & Cruci affixus in monte Calvario extra Hierusalem de mense Martii, sua nos ac totum genus humanum atrocissima passione à peccatis redemit, & tertia die resurrexit, & illinc ad quadraginta dies in Galilæa adunatis omnibus discipulis suis una cum B. Genitrice sua, eis videntibus ad cælum adscendit, & illinc ad decendium transmisit in orbem ad Apostolos suos Spiritum Sanctum ad eos docendum, & corroborandum in ipsius fide, &c.

Et mortuo Tiberio die quintadecima Martii, & A.C.
anno ætatis suæ septuagesimo octavo in villa Lucul- 38.
liana Campaniæ, dimisso successore Ga. Cla. Ne. Caligula filio Germanici, pronepote suo ex Druso Nerone fratre, omnium impurissimo, & nefandissimo, & qui vixit in Imperio annis tribus, & mensibus decem, & diebus octo, & ob illius tyrannidem die vigesima quarta Januarii, & anno ætatis suæ vigesimo nono à suis domesticis fuit interemptus, eique surrogatus Tiber. Cla. Drusus Nero patruus suus.

Et ejus imperii primo anno Divus Barnabas Cy- A.C.
prus ex discipulis D. N. Jesu Christi, & per Apo- 42.
stolos una cum divo Paulo electus comes ad prædicandum Euangelium, & religionem Christianam Gentilibus à divo Paulo facto recessu una cum Ga. Rom. & Anathalone Græco sectatoribus Christi accessit Mediolanum, & ibi, & in tota Gallia Cisalpina per annos septem, per eos divulgato verbo divino, & Anathalone facto Episcopo Brixiæ, Cremonenses receperunt fidem Christi ad eorum præ- A.C.
dicationem, & seu divi Apollinaris Antiochensis ex 43.
discipulis quoque D. N. Jesu Christi, dum anno secundo imperii ejusdem Clau. Ner. accesserit una cum divo Petro ex Antiochia, postquam ibi resedisset annis septem, & Galatiæ, & Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ ecclesias fundasset, Romam profecto oppugnandi gratia ibi Simonem magum, qui illic præstigiis suis circumveniebat Rom. & eo sublato ex humanis ibi gesto Pontificatu annis decem & octo cum dimidio, illinc interim transmisso divo Apollinare Ravennam, ubi religionem Christianam publicarit, & multis miraculis editis ex ejus incolis multos ad ipsam perduxerit, & mox per infideles inde expulsus in Æmiliam se receperit, & apud ejus incolas & Cremonenses, ei regioni finitimos, religionem ipsam ampliarit, & mox, dum redierit Ravennam, & illinc etiam rursus expulsus iverit in Thraciam, & Mysiam,

&

& illinc etiam expulsus per ibi accolas infideles remigrarit Ravennam, martyrioque ex jussu Vespasiani tunc Imperatoris ex instigatione Ravennatensium infidelium, Demosthene ex eorum patritiis judice, affectus fuerit apud Clasense oppidum Ravennæ propinquum, ubi ejus corpus sepultum fuit anno Domini octuagesimo primo.

Claudius Nero, postquam imperasset annis tredecim, & mensibus octo, agens annum sexagesimum quartum die tertia decima Octobris anno Na-
A.C. 55. talis Dominici quinquagesimo quinto boletis veneno infectis sibi in cibum datis obiit, & ex veneno sublato Britannico filio suo ex Messalina, dolo & opera Agrippinæ secundæ uxoris, factus fuit Imperator Cla. Domitius Nero privignus, & per ipsum adoptatus, & natus die tertiadecima Decembris in ortu solis ex ipsa Agrippina Germanici filia,& Gn. Domit. Ner. & qui imperavit annis quatuordecim, & mensibus septem, omniumque flagitiosissimus & crudelissimus, jussit ipsam occidi, & Lu. Æneam Senecam præceptorem suum veneno tolli, multosque alios Rom. diversi generis, ac concessa prima persecutione in Christi fideles cultores, Divo Pau-
A. C. 69. lo, qui primo anno ejus imperii captus Hierosolymis Rom. perductus fuit,gladio percusso, & divo Petro principe Apostolorum cruci affixo anno ultimo ejusdem imperii, eique substituto Lino de Mauris Volaterano, & dum Rom. incendio tollere tentasset, omnibus invisus ob illius immania flagitia ad evitandam mortem, quam ei optimates Romani dare decreverant, sibi manus conscivit anno septuagesimo
A.C. 71. primo Natalis Dominici, & die vigesima prima Maji, & ab exercitu Romano, qui erat in Hiberia fuit electus Imperator Sergius Sulpitius Galba, ibi rector pro eo, qui illinc profectus Romam, & ibi cum esset octuagenarius, & sine prole adoptato Pisone Liciniano die nona mensis Januarii, die quarta decima ejusdem mensis octavi Imperii sui fuit occisus per milites fraude & instigatione Mar. Sillii † Othonis per eos electi Imperatoris. Et dum, & tunc per alios milites, qui essent in Germania inferiori pro Imperio Rom. die secundaJanuarii apud Agrippinam electus fuisset Aul. Vitellius, eorum rector, Imperator Rom. & uterque contenderet imperare, Fabius Valens Anagninus exercitu quadraginta millium per Germaniam, & Aul. Cæcinna Vicentinus alio exercitu triginta millium pugnatorum per Galliam è Germania pro Vitellio adversus Othonem Italiam irruperunt. Et Otho electis exercitus sui ducibus Suetonio, Paulino, Marco, Celso, & Annio Galba, eoque sub ipsis destinato in Galliam Cisalpinam adversus Vitellianos, & ex ipso transmisso Vincio Spurina cum Prætorianis ad præsidium Placentiæ, Cæcinna prius appulsus exercitu suo in Galliam Subalpinam præmissis nonnullis ex ejus cohortibus, & per ipsas interceptis inter Placentiam & Ticinum centum equestribus, & mille classicis, & apud Cremonam Pannoniorum cohorte, reliquo exercitu eas subsecutus, & Placentiam progressus, eo ipsam obsedit, & oppugnavit, & illinc repulsus, inde ibi combusto amphitheatro vertit iter suum Cremonam, & ad eum ab Othone deficientibus, & secum conjunctis Turrino Ceriali cum pluribus Classicis, & Julio Brigantio cum nonnullis equestribus, & in ejus copias præmissas, & appulsas Cremonam destinatis gladiatoribus per Celsum ex ducibus Othonis deputatum ad præsidium Cremonæ, & trajectis ibi flumen Padi, & utrinque consertis manibus Vitellianis fusis, & affectis aliqua strage, ad eam ulciscendam dispositis in insidiis turmis equestribus velocissimis, ex magis electis in vico nuncupato Castro prope Cremonam per duodecim millia passuum inter sylvas ibi viæ imminentes, eisque repulsis prælio per Othonianos, illuc progressos Paulino & Celso ducibus,

† Lege *Salvii*.

A & supervento Fabio alio exercitu una cum eo firmavit castra in agro Cremonense; & cum Otho die quarta decima Martii ex urbe ibi constituto rectore Flavio Sabino abiisset ad exercitum suum, castrametantem ad vicum Bibriacum, seu Vitriacum *, etiam agri Cremonensis, & inter Cremonam & Veronam, & distantem à fluminibus Padi & Abduæ per sexdecim millia passuum, Cæcinna, & Valens inchoato ponte super flumine Padi, & eo trajecto exercitu ipsum Cremonæ admoverunt, & ponte ipso in ripa ulteriori fluminis Padi munito turre, cum Marc. constructa alia turre in adversa ripa ejus copiis occurrisset, & repulsus fuisset, & in ejus auxilium Velox ipse Spurina ex Pla-
B centia, parte copiarum ad ibi præsidium dimissa, reliquis supervenisset, substiterunt apud, & ultra ipsum flumen, & cum Otho Titiano fratre, Sabinio, & Licinio Proculo substitutis Paulino, Celso, & Gallo, eorum omnium consilio à vico Vitriaco secum ducta valida manu prætorianorum, spiculatorum, & equestrium ivisset Brissellum, inter reliquas copias suas, & Vitellianas intentas perfectioni pontis, prope ipsum consertis manibus, & in auxilium Vitellianorum superventis Batavis, Othoniani inobedientes & contumaces eorum ducibus sibi infensis succubuerunt plurimi ex ipsis, & Vitellianis tamen desideratis, & reliqui, cum pedem retulissent Vitriacum, Vitellianis eos insecu-
C tis prope ipsum per lapides quinque se permiserunt. Et Otho his auditis, licet haberet alias copias militum integras, & sibi fidas, & belli avidas, & alias exspectaret, quibus potuisset illud sustinere, ad evitandum Italiæ, & Reipub. Rom. excidium se ipsum pugione confodit Brisselli, die vigesima Aprilis annorum triginta octo cum dimidio, tamquam natus die vigesima octava Octobris, & nonagesima quinta Imperii sui, ejusque cadaver illinc de mense Octobris translatum Volaterras, ibi sepultum fuit, ave inusitatæ speciei apud Regium Lepidi die prælii conspecta, & quæ cum inde cœtu hominum, & circumvolatio aliarum avium
D abigi non potuisset, mortuo Othone evanuit.

Et ex Senatoribus aliquibus, qui Othonem secuti fuerant, & substiterant Mutinæ, illius audita morte profectis Bononiam, & mox reliquis Othonianis adhærentibus, Vitellius audita suorum victoria octo millibus armatorum, & aliorum qui se ei conjunxerant in itinere ex Germania per Galliam Alpibus Cotiis & Pontinis trajectis in Italiam properavit, & apud Ticinum, dum ibi substitisset, orto tumultu inter Gallos & Italos milites, facta lucta inter Gallum & Italum quartæ legionis, qui succubuerit, & utrinque commissa pugna, in qua multi occubuerunt, convertit iter Cremonam versus, & ibi viso gladiatorum spectaculo ibi
E edito per Cæcinnam accessit ad vicum Vitriacum, parte viæ latere, rosisque constrata, & etiam erectis aris, & cæsis victimis in morem regum per Cremonenses in ejus honorem, & ibi conspecta strage cadaverum Othonianorum, illinc flexit iter Bononiam, & ibi viso alio gladiatorum spectaculo illic facto per Valentem, illius exercitu sexaginta millium armatorum, cum triumpho progressus fuit Romam, dimisso in agro Cremonense, & prope Cremonam per triginta millia passuum magno numero lixarum, virorum, & mulierum imbellium. Unde loco ipsi, in quo consenderunt, impositum est nomen *Vitelliana*, ibi condito mox oppido, quod valde crevit, & est suppositum Gonzaghis Principibus Mantuæ, & olim per multos
F annos paruit Cavalcabobus ex primoribus Cremonensibus. Et est alius vicus ad fines ejusdem agri juxta flumen Olii, & distans Cremona per lapides viginti, *Calvus Otho* nominatus, &, ut creditur, ab Othone, qui erat calvus, quia forte ibi fuerit, seu

† Seu potius *Betriacum*.

A ſeu ejus exercitus conſederit, antequam concurreret cum Vitellianis.

Et Fabius Veſpaſianus Phalaris †, etiam Romanus, ſed origine majorum ſuorum Hiſpanus, & natus die ſextadecima menſis Novembris in agro Reatino ex Sabino & Veſpaſia Polla, in Ægypto apud Alexandriam, auſpiciis Tib. Alexandri, & Martiani rectoris Syriæ, per illic exercitum Orientalem, cujus parti pro Nerone etiam præerat, die prima Julii fuit electus Rom. Imperator. Et Martianus ex eo ſuſceptis tredecim millibus ex Syria direxit iter in Italiam, & Ant. Primus ex Tholoſis Galliæ Narbonenſis allectis in partes Veſpaſiani ſeptem legionibus Rom. quæ erant in Myſia, Pannonia, Illyrio, & Dalmatia, eis quoque illic properavit. B Et cum Cæcinna & Valente ex urbe adverſus illum exercitu deſtinatis Cæcinna parte equeſtrium tranſmiſſa Cremonam iviſſet Ravennam ad claſſem ibi degentem, & mox Patavium, Ant. eis legionibus appulſis Veronam, eam obſedit, & Cæcinna, dum cum claſſiariis adhæſiſſet Veſpaſiano, per milites ob id in eum indignatos captivato, ipſique ſurrogatis Fabio Sabulo, & Caſſio Longo, ipſi milites ex Hoſtilia, ubi caſtrametabantur, disjecto ibi ponte impoſito ſuper flumine Padi cum Cæcinna in vinculis properaſſent Cremonam, ubi erat ad præſidium legio prima Italica, & undevicesima Rapax nuncupata, cum nonnullis turmis equeſtribus, C dimiſſa Verona, illinc eos inſecutus, & agrum Cremonenſem ingreſſus, & ad vicum Vitriacum appulſus, ibi caſtra firmavit, & poſtera die cum legionibus ad ea munienda dimiſſis, & auxiliaribus cohortibus agrum Cremonenſem incurſantibus & depopulantibus, illuc progreſſus fuiſſet quatuor millibus equeſtribus ad octo lapides, eique Vitelliani equeſtres occurriſſent, & utrinque prælio inchoato victoria inclinante ad Vitellianos, & in eorum opem Rapace & Italica Cremona ad quartum lapidem egreſſis per eos dimiſſa victoria pedem retuliſſent, ſubſtitit, & cohortibus, & aliis copiis illuc appulſis, & ex legionibus caſtrametante tertia decima in aggere Poſtumiæ Viæ, & ad alam lævam ſeptima Galbiana, & ſeptima Claudiana ad pagum D agreſtis foſſæ, & à dextero latere octava per apertum limitem, & mox tertiadecima inter denſa arbuſta, & prætorianis firmatis prope tertianos, & auxiliaribus in cornibus, & equeſtribus latera & terga circumſtantibus, & Sidone, & Italico Suevis cum primoribus ex ſuis delectis ex Vitellianis legiones quarta Macedonica, dextero cornu, ac ſecunda, quinta, nona, quintadecima, & vigeſima Britannica media acie, & prima, ſextadecima, & duodeviceſima ſiniſtro cornu, & Rapace diſpoſitæ, & Italica cum manipulis eis mixtis eas præcedentibus, ſequentibus, primis excubiis ex Cremona adverſus Flavianos irrumpentes, eos tertia E hora noctis invaſerunt, illoſque urgentibus legione ſeptima à Galba conſcripta utrinque manibus conſertis fere uſque ad lucem diverſo Marte repulſæ fuerunt, & Flaviani eos inſecuti appulſi Cremonam vallum ibi ante mœnia erectum bello Othoniano oppugnarunt, proxima ex eo Vitriacenſi via tertianis, & ſeptimanis, & dexteriora octava, & ſeptima Claudiana, & tertia decima ad Brixianam portam impetum facientibus, & ex ipſis, & Vitellianis utrinque congredientibus quamplurimis cadentibus expugnarunt; & cum Vitelliani ob id territi, & diffiſi viribus ſuis, licet forent triginta millia, & ducentum ad præſidium Cremonæ, quæ haberet mœnia ardua, ſaxeas turres, ac ferratos portarum F obices, & ibi populum eorum fidei adſtrictum, & pro quibus, dum oppugnaretur vallus, occiſæ fuerunt nonnullæ mulieres, diſſoluto Cæcinna ſe eis permiſiſſent, eam quadraginta millibus armatis cum ampliori numero lixarum & calonum irruperunt, ibi tunc congregata parte Italiæ, ſtato in eos dies mercato, Luna deficiente, & obſcurata, & facta atra, ac ſanguinolenti, ſordidive coloris. Et cum Ant. Primus, qui pacato agmine ſe dedentibus Vitellianis timore percitis ingreſſus fuerat civitatem, ſe ad balnea recepiſſet, ut à cruore ſe ablueret, & incuſando teporem balneorum dixiſſet, ut ſtatim foret, quod ſe incaleſceret voce illa funeſta excepta per milites, quaſi eis datum fuiſſet ſignum diripiendæ & incendendæ urbis, ab illis ea fuit direpta ac combuſta, eam diſcurrentibus militibus armatis ex Germania, & Gallia, & aliarum regionum cum lixis & calonibus utriuſque exercitus, ut ex ea tamen fuerit ſervatum templum Memphytis, extra portam Brixianam ante mœnia, fato, ſeu numine, ex exercitu ipſius Antonii quatuor millibus quinque centum deſideratis, & ex Vitellianis & Cremonenſibus quinquaginta millibus, anno quo prius facta fuit colonia Rom. 286. & Nativitatis Dominicæ 70. & quæ habuit Romæ inſigne vaccæ lac leviter exprimentis, ejuſque incolæ habuerunt jus dandi ſuffragia in tribu Anienſe. A. C. 70. Et Vitellius ex Lu. Vitell. & Sextilia natus Agrippinæ die vigeſima quarta Decembris undecimo menſe, & die octava imperii ſui, & poſt mortem Othonis menſe octavo, & die tertia, & ætatis quinquageſimo ſeptimo per Flavianos ex palatio Romæ extractus ad ſcalas gemonias, & ibi turpiter excarnificatus periit. Et Fabius Veſpaſianus ſolus remanſit in Imperio. Quo adhortante populus Cremonenſis, qui ad urbes vicinas ſe à tanta clade vix ſe eripuerat, rediit in civitatem ipſam, & per eum fuerunt reſtituta fora ac templa munificentia municipum. Ceterum eum aſſidere ſepultæ urbis ruinis deinde tabo haud diu permiſit. Et deinde illuc rediit, eamque inſtauravit, & perſiſtit in fide Imperii Rom. cui plurimi præfuerint, & plerique Barbari, qui illuc occuparint favore & vi militum ejus ſtipendiariorum, multis ex eis occiſis, una cum Philippo Arabe, & Gallo Jul. Saturnino filio per eum Cæſare electo, quia una cum Serena uxore Philippi, opera Pauli præſulis Nicæni fidem Chriſti recepiſſent, & baptizati fuiſſent per Fabianum ſummum Pont. anno 249. A. C. 249. & Conſtantinus filius Conſtantii Clori cognominati ex Diva Helena Britannica, ejuſque ſucceſſor in Imperio Occidentali valde ampliavit, è medio ſublatis ejus perſecutoribus, & impiis tyrannis infidelibus Imperium ipſum ac Orientale occupantibus, ea recepta baptizatus per divum Sylveſtrum ſummum PP. anno 319. A. C. 319. & per ipſum ejus juſſu inſtaurato Byzantio in Thracia, & ſibi, & poſteris ſuis ſede electa, dimiſſa Roma divo Sylveſtro, & ejus ſucceſſoribus, conceſſis etiam indumentis, & ornamentis imperialibus, & admiſſis per divum Sylveſtrum præter diadema, & Conſtantino mortuo, & ſepulto Byzantii in æde ibi Apoſtolorum anno 343. A. C. 343. ſuperſtitibus altero Conſtantino, Conſtante, & Conſtantio filiis.

Ex quibus Conſtantius, Liberio ſummo PP. Conſtante anno 360. A. C. 360. annorum triginta, & imperii ſui quarto decimo in oppido Helenæ Aquitaniæ occiſo per Gailonem opera Criſpi, & Marcelliani, & juſſu Maguntii * ex Auguſta civitate Germanica, & per eum occupato Imperio in Gallia, & regionibus propinquis, dum ulturus Conſtantis necem, & repreſſurus Magentium †, & fautores ſuos omiſſo bello, quod gerebat cum Parthis, illinc exercitu ſeptuaginta millium armatorum per Illyrium & Italiam tranſiverit in Galliam adverſus Magentium, & cum illius exercitu commiſſo bis prælio, & ſcilicet ſemel in agro Lugdunenſe, ubi hinc inde occubuerunt circiter quinquaginta millia, & iterum ad Lugdunum, ubi Magentius habebat tri-

† Hoc eſt *Phalacrine* vico natus.

* *Magnentii dolis* habet Oroſius.

† Lege *Magnentium*.

triginta octo millia, quæ sibi ex exercitu suo superfuerant, & victus se ipsum gladio confoderit annorum quinquaginta die quinta decima Augusti, & Decentius frater suus laqueo se suspenderit, & Geruntius alius frater exsul factus fuerit, & Con-

A. C. 365. stantius ibi recuperato Imperio ex Gallia regressus Italiam Mediolanum iverit anno circiter 365. Cremonæ fieri jussit fabricam, cujus qualitatem percipere, aut conjicere nequivi ex historia Ammiani Marcellini, in qua hoc legi, aut alius auctoris, & nec quid aliud factum fuisse ibi & per ejus incolas memorabile post ipsius memoratum excidium.

A. C. 376. Et Valentinianus primus anno 376. Zozimo Cappadoce summo PP. ex Alemanis multis, dum ejus metu ex illorum regione in Rhætiam aufugissent, & illic vagarentur, in illos destinato Theodosio Hispano ex ducibus sui exercitus, captivatis per eum, ipsos illinc jussit duci in Italiam, & ibi eis agros fertiles ad ipsos colendum assignari secus flumen Padi, & ut opinor ex agro Cremonense, ex quo mox progressu temporis aliqui ex eorum descendentibus se receperint in civitatem Cremonæ, & ibi in parte ipsius vicus sanctæ Agathæ denominata Alemanorum ab eis habitarint.

Eusebius ex religiosis divi Hieronymi, & per eum valde dilectus, & ad quem sæpe scripsit, & dum ex humanis decesserit loco sui constituit Abbatem ob ejus vitam probam, & mores laudabiles, monachorum cœnobii per eum constructi apud Bethleem in Palæstina, & commendavit bibliothecam, & Eusebius scripsit ejus vitam, & anno circiter

A. C. 429. 429. obiit, & ejus corpus fuit sepultum penes corpus divi Hieronymi in eo cœnobio, Cælestino Cappadoce summo PP. & quia post mortem suam coruscavit miraculis, descriptus fuit in Catalogo Sanctorum Confessorum omnipotentis Dei, ejusque solemnitas quotannis celebratur Cremonæ die quinta Martii.

A. C. 452. Et anno 452. cum Athila Rex Hunnorum exercitu ex eis, & Ostrogothis, Sarmatis, Gelonis, Neuris, Rugis, Masagetis, Hutinis, & aliis populis Scythiæ, & Quadis, Tungris, Suevis, Marcomanis, Herulis, Turcelingis, & Saxonibus, anno superiori primo vere per Illyrium, & expulsis ab Alpibus Juliis Visigothis, Alarico & Athalia ducibus per Valentinianum ibi impositis ad præsidium, & Tragurio, Salonico, Belgrado, Jadera, Signia, Pola, Parentio, Ragusio, & Emona nullo præsidio firmatis, direptis, & solo æquatis, & sibi occurrentibus quinque centum equestribus Foreste Estense duce fratre Arcadii, & Emanuelis, & aliis Italis ad sinum Trigestinum, & fauces Italiæ, ex jussu præfecti in ea regione etiam repulsis Estense, & plurimis aliis occisis, progressus in Italiam Aquilejam obsedisset per multos menses, ac oppugnavisset, & diffisus ea potiri, cum ipsam voluisset deserere visis ciconiis ab ejus turribus mœnium asportare pullos suos in agros ibi propinquos, capto omine ipsam expugnasset, eaque direpta, & solo æquata summo cum terrore, & gravi strage iter suum prosecutus fuisset, & Etio exercitu Valentiniani Mincio transgresso in locis propinquis flumini Padi subsistente, Concordia, Altino, Opitergio, Patavio, Trevisio, Ateste, Vincentia, Verona, Brixia, Bergomo, & Mediolano direptis & eversis, Cremonenses ei progresso ad vicum Mozanichæ eorum agri una cum Mediolanensibus, Placentinis, & aliis populis finitimis ad reprimendum illius, & militum suorum ferociam, & impetum, & ulteriorem progressum occurrerunt, & ibi secum consertis manibus fusi fuerunt, & Athila Cremonam properavit, cepit, diripuit, ac subvertit una cum Vegra ad ejus, & Mantuani, & Brixiensis agri ultra vicum Calvatoni per mille

A passus versus flumen Olii, & inter ipsum, ac eum vicum situata, & Mantua, & mox converso itinere, & flumine Abduæ trajecto, Laude, Novicomio, Ticino, Novaria, Vercellis, Eporedia, & Taurino, & superventa hyeme trajecto Pado Placentia, Parma, ac Rhegio, & appulsus Mutinam ea omissa Etio exercitu eum subsequente, converso itinere ad flumen Padi, eoque trajecto progressus usque ad flumen Mincium, & Guliermum oppidum agri Veronensis, & cum Leo summus PP. in gratiam Valentiniani cum altero Consule, & multis Patritiis Romæ illi ibi occurrisset, ejus hortatu ac reverentia illinc, Roma, ac tota Italia sibi facta tributaria, digressus per No-

B ricos & Austriam, & ibi interpellatus per Honoriam amitam Valentiniani de contrahendo secum matrimonio regressus fuit Pannoniam, Joanne tunc Episcopo Cremonæ.

Et cum anno 476. Hilario summo PP. Odoacer Ruthenus, seu Saxo, è Pannonia etiam per Noricum egressus exercitu Herulorum, Suevorum, Turlingorum, ac Scirorum Italiam, & progressus per agros Tervinensium, Vicentinorum, Veronensium, Brixiensium, Cremonensium, & Laudensium usque ad flumen Lambrum adversus Orestem ipsius occupatorem alio exercitu ibi subsistentem, & cum dimissus per milites suos illinc aufugisset Ticinum, eum illuc insecutus occupato Ti- A. C. 476.

C cino, direpto, & everso, eo captivato, & ducto Placentiam, & ibi inspectante exercitu, & populo palam gladio confosso, & Julio Romulo, Monilio, seu Tornitio, & mox Augustulo nuncupato ejus filio, & per ipsum præposito Italiæ imperio ejus insigniis exuto ipsam occupasset, ex ejus agris per ipsum assignata tertia parte Herulis, & aliis militibus, qui eum secuti fuerant, Cremonenses ipsi suppositi fuerunt.

Et mox eo, & plerisque Herulis, & aliis illius militibus ex humanis sublatis, & reliquis relegatis in Galliam Subalpinam apud Augustam Taurinensium per Theodoricum Ostrogothorum Regem illorum exercitu etiam egressum Pannoniam, Italiam

D adversus Odoacrem, ac Herulos, & socios jussu Flavii Valerii Anastasii Imperatoris Byzantii ad illos illinc expellendum anno 490. Fælice Rom. summo PP. etiam per Theodoricum Ostrogothis assignatis agris concessis per Odoacrem, & sociis, Theodorico paruerunt. A. C. 490.

Et anno 499. Anastasio summo Pont. substituto Gelasio mortuo die vigesima secunda Septembris, anni septimi sui Pontificatus, Eustasius fuit Cremonensium Episcopus. A. C. 499.

Et anno 506. Vigilio summo Pont. Ostrogothis fere omnibus exstinctis in Italia per Romeos ex jussu Flavii Justiniani, eorum & Byzantii Imperatoris, Bellisario & Narsete ducibus, & ab Ostro- A. C. 506.

E gothis vendicata Italia per illos occupata, ejus facto Rectore Narsete, Cremonenses Justiniano ac Narseti suppositi fuerunt.

Et anno 568. Joanne summo PP. Longobardi exhortatione Narsetis ad instigationem nonnullorum Rom. invidentium ejus virtuti & gloriæ, & in gratiam Sophiæ uxoris Flavii Justini Justiniani nepotis, & successoris in imperio Byzantii, per eum depositi à regimine Italiæ, & revocati ad eum Byzantium Longino facto Italiæ Exarcho, in Justinum indignati, dimissa Pannonia, ex ea Alboino Rege viginti millibus Saxonibus, dum in Italia sævirent pestis ac fames præter modum, & infiniti homines amisso sensu audita nocte tu- A. C. 568.

F ba gravi sonitu sonante, & visis aciebus in aere militantibus, & illinc cruore defluxo, dimissis propriis laribus aufugissent ad loca sylvestria, Padusque & alia flumina ibi præter modum crevissent, cum uxoribus, & filiis, ac tota suppellectile curribus impositis, ac multa copia equorum,

rum, etiam ad fœtus concipiendos, dimissa Pannonia Hunnis Avaribus, illinc anno Domini currente 568. die prima Aprilis, & secunda Paschatis, per Noricum Italiam irruperunt, & ibi occuparunt Liburniam, Venetiam, ac totam fere Galliam Cisalpinam, obsessa Papia, Cremona, Patavio, Montesilice, Mantua, Vulturena, ac Brixello in fide Imperii Rom. persistentibus, ibi impositis præsidiis per Longinum. Et Ungaris, seu Ugris, ex Scythia ingressis Pannoniam, eaque illinc expulsis Hunnis occupata, & vastatis finibus Imperii Rom. per Persas, & Mediolani Duce Azone filio Ilduini, & eo mortuo Alexio filio, ex Catana urbe Siciliæ per presbyterum Cremonensem tabula Divæ Agathæ cum ejus humero fuit asportata Cremonam, & reposita in templo tunc erecto in ejus honorem prope portam Pertusii. Et cum multi ex Papiensibus, Mediolanensibus, Placentinis, & Laudensibus ad evitandam vim & impietatem Longobardorum, Papiam obsidentium, & illinc cursitantium, ac ferro, & igni, prædæque exponentium horum populorum agros, cum ipsorum mobilibus aufugerint in loca paludosa prope Abduam & Serium flumina ad fines agri Cremonensis, Laudensis, & Bergomensis, ibi ab ipsis una cum Cremonensibus illic finitimis, ad conservandum & tuendum semet, & eorum bona ab illis Barbaris, & aliis hostibus, qui eam regionem irrupissent, conditum fuit oppidum, & nuncupatum Crema in agro Cremonense, ut reperi exaratum fuisse per auctorem alicujus fidei, quod mox valde crevit aliis incolis, & auctum fuit opibus, & ex quo processerunt plurimi tum armis, tum scientiis, & artibus eximiis præditi. Alboinus recepta Papia obsessa per triennium, & mox Verona, ibi anno tertio, & mense sexto sui regni occisus fuit per Alchimedem adolescentem Longobardum, ope Peridei etiam Longobardi in gratiam Rosimundæ uxoris, ex odio concepto in ipsum, dum voluisset cogere eam ad bibendum in cranio Boemundi patris sui, olim Regis Gepidarum, & occisi per Alboinum, auro contexto ad usum poculi, ac in ultionem necis ipsius Boemundi, & Alchimede, & Rosimunda, ac Alsuinda filia suscepta ex Alboino, aufugientibus Ravennam ad Longinum.

A.C. 610. Et anno 610. Agilulphus illorum Rex, Bonifacio tertio summo PP. indignatus in Gallinicum Exarchum in Italia pro Phoca Imperatore Byzantii, sibi per Gallicinum occupata Parma, & ibi captivata Gilla Agilulphi filia cum Gondelascho illius marito, & Parmæ Duce Cremonam suppositam ex Gallia Cisalpina imperio Rom. una cum Vulturena, Patavio, Mantua, & Brixello tantum, exercitu Mediolani coacto ex Longobardis, Sclavis, & Bavaris per eorum Cachamum ad Agilulphum transmissis, eo die XXI. Augusti obsedit, & intra mensem cepit, diripuit, & solo æquari jussit, condito edicto, ne unquam habitaretur, sub pœna capitali, & quæ ob id diutius remansit inhabitata, & mox Mantuam illuc conducto exercitu die XXIII. Septembris redegit in sui potestatem, & permissis illinc abire militibus, qui erant ad ejus præsidium, mœnibus exsui jussit, & cum Vulturenses ob id territi, se ei supposuissent, & milites, qui erant Brixelli, demolitis propugnaculis, & vallis ibi erectis illinc abiissent, eo dimisso Longobardis, inducias fecit cum Longino Exarcho per biennium.

A.C. 622. Et anno 622. mortuo Agilulpho, Honorio Campano summo Pont. & Heraclio Sergio Imperatore Byzantii, heros Gallicus, ut comperi ex quodam fragmento, accessit Cremonam, & cum ad pedes ipsius, qui ibi hospitarentur prope locum, ubi nunc est forum majus, & turris altior, se prostrasset Leo gemebundus, ex cujus altero pede veprem evulsisset, & Leo mox inde abiens, illincque ad modicum rediens cum damula in ore, eam prostrasset ad pedes herois, eumque mox inde abeuntem Romam, & illinc redeuntem Cremonam secutus fuisset, & cum Cremonam pervenisset, ibi obiisset, detracta pelle ex eo, cum ipsa & illius ossibus, illinc rediit in Galliam Transalpinam, & mox illinc cum ossibus regressus Cremonam ea reponi fecit in basi ipsius turris, & in ejus summitate statuam ipsius Leonis ex ære conflatam ad perpetuam memoriam hujus facinoris versus plagam Meridionalem, qua adspicitur versus Parmam, & Cremonensibus adhuc post devastationem Cremonæ factam dispersis, in unum coactis illuc conductis, eam permittente & auxiliante Theudelinda r. Agilulphi instaurari ac habitari jussit, & nomen, & cognomen, & unde fuerit iste heros adhuc reperire non potui.

Et anno 646. Theodoro Græco summo PP. in ea civitate erecta fuerunt duo templa invicem propinqua, unum scilicet ad memoriam sanctorum Cosmæ & Damiani, & alterum Divi Vitalis martyrum, sumptu & opera familiæ Equestris eorum de Ribaldis Longobardæ, ex eis mortuo Lantelmino die XXVIII. Januarii an. 676. ejusque corpore tumulato in templo sanctorum Cosmæ & Damiani. A.C. 646. A.C. 676.

Et anno 772. Carolus Francorum Rex requisitus per Adrianum summum PP. ad opem ipsius, & Ecclesiæ Rom. quibus infestus foret Desiderius Rex Longobardorum, ex dominio Ecclesiastico per eum occupatis Ferraria, Faventia, Comaclo, Senogalia, Eugubio, Blera, Spoleto, & Vinculo, ac obsessa Ravenna ob indignationem per eum conceptam in summum PP. quia, dum Berta relicta Caroli Mani fratris Caroli invidens Aldegrandi filiæ Aldegrandis Ducis Sueviæ uxori Caroli, ex consilio cujusdam Adovarii ex suis consultoribus, cum filiis, & eo Adovario ex fuga prolapsa è Gallia Ticinum ad Desiderium, Desiderius cum ipsa, & filiis profectus Spoletum petiisset ab eo summo Pont. ut eos filios Caroli Mani ungeret in Reges Francorum. Summus Pont. id recusavit facere, & Desiderius transmissis ad eum legatis per Carolum Gregorio Episcopo, & Fulgoldio Abbate, & Alboino cubiculario suo exhortatum, ut per illum occupata Rom. Ecclesiæ ei dimitteret, sin minus in ipsum exercitu transivisset, & quod sponte nollet facere, ad id armis cogeretur, coactis copiis suis militaribus, quas divisas habebat, in unum, adversus Carolum se accinxisset, comparato per Carolum exercitu ex Gallis, & aliis populis sibi suppositis, eo ex Gallia descendit, & occupatis Alpibus Jovis, parte ipsius Anselmo patruele, seu Bernardo patruo duce, reliquo per montem Zinisium, aliis Alpibus occupatis per Longobardos coactos apud Augustam Prætoriam ac Taurinum comitatus Rolando Cœnomanense, Oliverio Gebennense, Aminta, & Aurelio Burgundionibus eadem die natis ac baptizatis, Namo Duce Bavariæ, & multis aliis proceribus Gallicis, Anglis, & Germanis. Et cum Franci & Longobardi sibi invicem occurrissent in regione Sylvæ Bellæ prope Novariam in Gallia Cisalpina, & utrinque facto conflictu Longobardi succubuissent, multis hinc inde cadentibus, unde mox locus ille fuerit nuncupatus *Mortaria*, & cum Desiderius reliquo exercitu pedem retulisset Papiam, & illic se munisset, illinc transmisso Aldigisio filio suo, cum Berta, & filiis, ac Adovario Veronam, Carolus Yporegia, Vercellis, ac Novaria, & aliis intra Ticinum receptis, eum insecutus, & parte exercitus obsessa Papia ducibus Anselmo, Rolando, & Oliverio reliquo profectus Veronam, eam quoque obsedit. Et cum non multo post Berta & filiis inclinantibus in partes suas, & Aldigisio illinc fuga prolapso Byzantium ad Constantinum Quintum, Copronymum nominatum, ibi Imperatorem, Veronen- A.C. 772.

ſes ſe ei ſponte permiſiſſent, brevi tempore ſuppeditavit omnem oram Transpadanam, Bargilone ſtaturæ giganteæ prope Veronam ſingulari pugna occiſo per Oliverium, & converſis armis in Rachiſium Ducem Beneventi, generum Deſiderii, eoque debellato, & per ipſum ſibi datis duobus filiis obſidibus pro fide ei ſervanda, ac Benevento & in foro Julii conſtitutis rectoribus, ſupervento Paſchate una cum Ildegrande uxore, ac Pipino, Ludovico, & Carolo filiis ivit Romam, & ibi Pipino & Ludovico baptizatis per ſummum Pont. ab ipſo ei quoque conceſſa auctoritate eligendi in futurum ſummum PP. Rom. & alios ubique Epiſcopos, omniaque, quæ Eccleſiæ Rom. conceſſa fuerant per Pipinum patrem ſuum, confirmavit, ac conceſſit Ducatum Spoleti & Beneventi, una cum Sicilia, Corſica, Sardinia, territorio Sabinenſe, & Ducatu Hetruriæ, & Papiam rediit, eaque obſeſſa terra & aquis, habitis viginti triremibus à Venetis, Joanne filio Mauritii eorum ducis earum præfecto, potitus fuit, ipſamque, ut aliqui dicunt, everti juſſit, habito in ſui poteſtatem Deſiderio, & ibi occiſis Aurelio & Aminta eadem die, & dum ſeparatim ſepulti fuiſſent, invicem mirabiliter conjunctis, & profectus Mediolanum illud expugnavit, ac quoque everti juſſit, illicque exportata jure coronæ Modoetiam ibi die XV. Auguſti ſe coronari fecit, & conſtructa civitate Barri apud Clivate, & cum ex Ravenna voluiſſet conduci facere Regiſolem in Galliam, & nec potuiſſet, eo dimiſſo Papiæ, Brixiæ rectorem conſtituiſſet Namum Ducem Bavariæ, ex Italia una cum uxore ac filiis, ſecum quoque ductis Berta, ac filiis, ac Adovario, & Deſiderio cum uxore & filiis præter Aldigiſium, rediit in Galliam, & Lugdunum, ſeu Aquiſgranum, relegavit Deſiderium, ac filios anno Regni XVIII. & Longobardorum in Italia 204. A. C. 773.

Et cum durante eo bello inter Carolum, & Francos, ac Deſiderium, & Longobardos multi ex Cremonenſibus, & Placentinis, ac Brixienſibus ſalutis ſuæ gratia ſe recepiſſent ad fines agri Cremonenſis Mantuano propinquos per paſſus circiter decem millia, & ſecus flumen Padi intermediantis eos agros ab agro Parmenſe, & ibi conſtructis ædificiis pro eorum habitatione, ſubſtitiſſent per Carolum finito eo bello, dum Cremonenſes & alii populi Tranſpadani ejus dominio ſuppoſiti remanſiſſent illic, eis dimiſſis vicus ipſe uti habitatus per plures populos fuit nuncupatus *Caſale majus*.

Et Stephanus Cremonæ præſul conſtitutus, ante quem Stephanum dum Gothi & Longobardi dominati fuerint in Italia, fuerunt Cremonæ Epiſcopi Griſogonus, Fœlix, Creatus, Sixtus, Sabinus, Bernardus, Euſebius, & Zeno, ac Silvinus, qui ob ejus probam vitam eſt connumeratus inter ſanctos confeſſores, & ejus ſolemnitas celebratur Cremonæ quotannis die XVII. menſis Februarii, & Griſogonus, & alii, dum adhuc Cremonæ non eſſet eccleſia, in cujus domibus reſidere poſſent, & Gothi, & Longobardi omnes Chriſti religionem non ſuſcepiſſent, & qui ſuſcepiſſent in ea nec firmi forent, ſed plerique infecti hæreſi, catholicos, & præſertim religioſos, & eo magis ſupremos ubique inſequerentur, inventoſque occiderent, habitarunt coacti, ut ſe aſſervarent incolumes ab impiis religionis Chriſtianæ perſecutoribus extra Cremonam, & in ejus ſuburbiis ibi conſtructis ſacellis adhuc ab eorum nominibus nuncupatis, ubi aliis orthodoxis clam miniſtrabant ſacramenta eccleſiaſtica, ipſoſque documentis optimis ac exemplis in ea religione conſervarunt. Nec tempora, quibus fuerint Epiſcopi, & quis eorum primus, & qui eum ſeriatim ſecuti fuerint, adhuc apud aliquos reperire nequivi, & ut audivi ante eos circa annum 422. fuit Siſinius, qui martyrio fuit affectus ob religionem Chriſtianam.

A. C. 799. Et anno 799. dum Leo Rom. ſummus Pont. celebrando Romæ, cum ibi clero & populo rogationes per eum inſtitutas fieri per triduum ante Aſcenſionem Dominicam imitando Divum Gregorium olim ſummum PP. apud ædem divi Sylveſtri, fraude & opera Paſchalis Primicerii, & Capuli presbyteri, & exſutus veſtibus pontificalibus adeo cæſus, ut crederetur lingua & oculis privatus, & carceratus in ædibus monaſterii divi Eraſmi, illinc opera Alboini cubicularii ſui evaſerit in Vaticanum, & ex eo per Vitigiſium Ducem Spoleti Spoletum incolumis perductus fuerit, & inde acceſſerit ad Carolum conventum apud Pambrunum in Saxonia, Paſchale & Capulo domibus Pontificiis, & Alboini, cum in eos ſævire non potuiſſent eorum opera, per ipſorum ſequaces direptis & everſis, ipſum inſequentibus, ut eum Carolo accuſarent, Carolus ipſum ſummo cum honore ſuſcepit, & datis ſibi comitibus reduci juſſit Romam, ubi ei clero & populo occurrentibus ſuſceptus, & reductus fuit in ædes Lateranenſes die XXIX. Novembris: & Carolus debellatis ac compulſis ad fidem Chriſti Saxonibus, & Saracenis in Hiſpania repreſſis, & Baſilone Bavariæ Rege, & Rachiſio Duce Beneventi generis Deſiderii, novis motibus in ipſum concitatis in jus ſuum compulſis, & mortuo Rachiſio per Childebrandum & Grimoaldum ejus filios moto bello Romeis Apuliam & Calabriam pro Imperio tenentibus, ac in Gallia dimiſſo Rectore Ludovico filio Aquiſgranum abiit, & per Moguntiam, Viennam, Noricum, & Hiſtriam profectus fuit in oram Fori Julii Italiæ, & cum ibi comperiſſet Henricum Præfectum ſuum apud Tarviſium fuiſſe occiſum per ibi accolas, ſumpta pœna de eis homicidis, & ibi conſtituto Cacodoreſo rectore, illinc navigio maritimo acceſſit Ravennam, & cum Longobardi Beneventi Grimoaldo ibi Duce, ac Algidiſio filio Deſiderii per Græcos ibi accolas ſolicitati biennio exacto in Romanos, eos bello agitaſſent, juſſit Pipinum ejus filium in illos ac Græcos exercitu proficiſci, eiſque per ipſum prælio profligatis, & capto Aldigiſio, & tormentis affecto, & mortuo, acceſſit Romam die VIII. Octobris, & ibi diſcuſſa accuſatione Capuli & Paſchalis in ſummum Pont. ejus juramento, ac Pipino, per eum depopulatis Beneventanis, & ne quid adverſi molirentur in Rom. dimiſſo adverſus eos Vitigiſio Duce Spoleti copiis ſuis, quibus uſus fuerat adverſus Luceriam, profecto quoque Romam, ibi dum adſtaret miſſæ, quam celebrabat ſummus Pont. in templo, & ad reliquias Divi Petri, per eum habito voto populi Rom. ibi congregati, ac interrogati, effuſiſque precibus ad omnipotentem Deum, fuit declaratus Imperator Rom. & unctus, & inſignitus Imperiali diademate, & Pipinus ejus filius Rex Italiæ, ac corona Regia decoratus, ibi magna cleri ac populi adſtante multitudine alta voce ter clamantis, A. C. 801. *Carolo, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori vita & victoria in mane diei Natalis Dominici*, ſibi quoque conceſſa auctoritate creandi in futurum ſummum PP. Rom. & alios Epiſcopos ubique, & habitis quæſtionibus de Paſchale, & Capulo, & aliis conjuratis in ſummum Pont. eductis è latebris, in quas ſe receperant, eis data venia, & relegatis in Galliam Tranſalpinam, conceſſaque habitatione Longobardis in Gallia Ciſalpina, & cum Hirene Imperatrice Byzantii miſſis utrinque legatis contracta pace, & poſitis finibus inter utrunque Imperium in Italia, ex qua pars, quæ ad dextram Neapolis, & ſiniſtram Manfredoniæ ſupero & infero mari clauditur, ceſſit Imperio Orientali, & reliqua Imperio Occidentali, exceptis locis Venetorum, ac Beneventanis, eiſque, quæ ſubjecta forent Eccleſiæ. Et Hirenes, dum intenderet Carolo nubere, die prima Novemb. fuit intercepta, & relegata in In-

Insulam Lesbi per Nicephorum patritium Byzantii, qui ibi imperium occupavit, & cum Carolo ad eum transmissis legatis pacem firmavit.

A. C. 802. Et Carolus ex urbe die XXIV. Aprilis abiit Spoletum, ubi nocte sequenti ex terræmotu illuc prope multa ædificia etiam immobilia corruerunt, & ex Spoleto accessit Ravennam, & illinc Papiam, & inde in Galliam rediit. Florentia olim condita ex reliquiis Phesularum urbis ibi proximæ bello
A. C. 804. Catilinario per Rom. & nuncupata Florentia à Florentio inter alios duces Rom. Phesulas obsidente, dum fuisset desolata per Longobardos Desiderio Rege, una cum Petrasancta, Sergiana, & Orbitello, ac Genua, à Jano olim Rege antiquissimo nominata, & per Longobardos etiam Antha-
A. C. 806. ri direpta ac diruta, instauratis jussu Caroli, & valde auctis Florentiæ instauratione inchoata de mense Aprilis.

Et Pipinus dimissis in Italia ejus copiis die VIII.
A. C. 813. Julii anni 813. & XIII. Regni sui Mediolani obiit, ejusque corpus delatum Veronam ibi sepultum fuit in monasterio divi Zenonis ejus sumptu constructo. Et Carolus pater suus ei substituit Bernardum nepotem suum, facto quoque in Italia classis suæ præfecto Vuandro, filio alterius Bernardi sui patruelis, & natus in vico Egelem Comitatus Palatini non procul à Moguntia, unde majores sui processerant, subactis Hunnis, cum eis gesto bello per octo annos Carolo filio naturali duce, debellatisque Saxonibus, qui sæpius ab eo defecerant auxilio Regis Danorum, & eis, qui Transalpina incolebant, traductis in Galliam Belgicam, & à quibus Brabantini & Flamingi originem habuerunt, pacatisve Germanis, necnon repressis Westphalis tumultuantibus, & Papilonibus, & Navarris, dum ab eo quoque sæpius defecerint, ad sanitatem redactis, ac compositis rebus Pannoniæ, & superatis quoque Sclavis, Boemis, & Polonis, Leone Boemorum duce occiso, ac per eos, & Westphalos, ac Danos auspiciis ipsius recepta fide Christiana, & Saracenis expulsis ex Corsica & Sardinia, quas occuparant, Vuandro, Bucaredo præfecto stabuli sui, & Andemario ejus amyrathis, Andemario tamen cadente, & Ambulacho illorum Sultano in Hispania petenti concessa pace, & destinatis copiis auxiliaribus adversus infideles in Syriam & Africam, ibi demolito idolo, in cujus capite erat Legio dæmonum, & Ludovico filio in socium Imperii assumpto, erectis gymnasiis apud Aquisgranum, Senonenses, Metenses, & Aurelianenses, Lutetiam, ac Papiam, impositoque nomine ventis, ac mensibus, quibus nunc utuntur Germani, & Galli, & limitibus regno suo distincto, scil. Galliæ Rheno ac Ligeri, qui in Celtis oriens eos à Biturigis dividit, Germaniæ autem Danubio, ac Savo, & Aquitania Guasconia, magna parte Hispaniæ, Saxonia, utraque Pannonia, Histria, Liburnia, ac Gallia Cisalpina sibi suppositis, & Italiæ constituto Cancellario Præsule Coloniense, Germaniæ Moguntino, & Galliæ Treverense, & super Rheno combusto ponte prope Moguntiam, ante per decennium constructo, & porticu inter ædes Regias, templi in honorem Beatæ Mariæ Virginis ex ejus ordine, & sumptu mirabili erecti Aquisgrani usque ad solum depressa, & aurea pila locata super templo fulgure tacta & dejecta, ibi die IX. seu XXVIII. Januarii, seu prima Februarii anni XIV. imperii sui, & regni Galliarum XLVI. & ætatis LXXXII. seu LXXXI. ac Redemptionis hu-
A. C. 815. mani generis 815. morte fuit præventus, ejusque corpus sepultum in templo ipso. Et Ludovicus filius cognominatus Pius perseveravit in Imperio, & fœdus renovavit cum Imperatore Byzantii, Leone summo PP. apud Blerum anno sui Pont. XX. & die XIII. Junii, & IX. mensis Sexti mortuo, eique die XXII. suffecto Stephano etiam Rom. eoque mortuo die XXI. Januarii, VII. sui Pontificatus defuncto, eique illinc ad diem XI. substituto Pascha- A. C. 816.
le etiam Rom. Vulpharedo Cremonæ Præsule.

Et anno 820. dum Bernardus Rex Italiæ insti- A. C. 820.
gatus per eum, & Oldoricum Mediolani Præsulem, & Rodulphum Aurelianensium claustris Italiæ ad fines Galliæ & Germaniæ præsidio militum munitis, & ab omnibus Italiæ populis juramento fidelitatis recepto, à Ludovico Imperatore defecisset, per eum declaratus reus læsæ Majestatis debellatus fuit, & una cum Præsulibus in potestatem suam redactus, ejusque jussu excœcato Bernardo, & Mediolani mortuo, & sepulto in æde Divi Ambrosii, Præsulibus autem relegatis in monasterium, & multis Italiæ Proceribus, qui Bernardo adhæserant, jugulatis constituit Athonem Præsulem Cremonæ, & Lotharium suum primogenitum Regem Italiæ.

Et anno 822. secum in eam descendit, & ivit A. C. 822.
Papiam; & Lotharius Romam profectus ibi à Paschale summo PP. coronatus fuit Rex Italiæ, &
Ludovico patre anno 841. imperii sui XXV. & vi- A. C. 841.
tæ LXIV. die XVIII. Aprilis mortuo Moguntiæ, tunc temporis sole obscurato, & die XXI. Junii sepulto in urbe Mediomatricum Lotharingiæ, ei successit in Imperium, & orta discordia inter eum ac fratres ob divisionem regnorum, & Italiæ successionem, & Ludovico, & Carolo una cum Pipino nepote in unum conjunctis adversus Lotharium, utrinque paratis exercitibus, & multis cometis tunc apparentibus, bis facto inter eos conflictu, uno scilicet in sylva Antidoriense apud Fontanicum, in die Ascensionis Dom. & altero apud Aquisgranum, in quo obsessus fuit Lotharius, eoque victo multa tamen hinc inde cæde secuta; seu (ut alii dicunt) per Lotharium & Ludovicum moto bello Carolo, eisque victis, & mox se interponentibus summo Pont. ac multis aliis Principibus Christianis, invicem conciliatis, & inter se divisis regnis
Lothario obvenerunt Italia, Gallia Narbonensis, & A. C. 842.
alia pars Galliæ degens inter flumina Rheni ac Saldi, nunc Lotharingia una cum imperio, Ludovico autem Germania usque ad Rheni flumen, Suevia, Bavaria, Boemia, Francia Orientalis, Turingia, ac Saxonia, & Carolo Gallia Occidentalis à Britannico mari, usque ad Mosam flumen, & Pipino Aquitania, Pulicardo tunc Cremonæ Præsule, cui Lotharius concessit portum Vulparoli nunc Cremonæ, & multa alia regalia.

Et anno 856. & XV. imperii sui, Benedicto tertio A. C. 856.
Rom. summo Pont. & Benedicto Cremonæ Præsule, ingressus monasterium Putidense, & ibi factus monachus imperium reliquit Ludovico primogenito.

Qui anno 870. Adriano Rom. summo Pont. dum A. C. 870.
esset Mantuæ Benedicto Cremonæ Præsuli confirmavit omnia ei concessa per Lotharium patrem, ac concessit jus fluminis Olii, ac torrentis Delmæ, & mercati Jovis Altæ.

Et anno 877. de mense Augusti anno XX. imperii A. C. 877.
sui Mediolani obiit, superstite filio nominis sui, Joanne octavo Rom. summo Pont. Carolusque Calvus patruus Rex Francorum occupavit imperium, & Berengarium filium Eberardi fratris Judith uxoris suæ constituit Ducem Fori Julii, & Guidonem filium Lamberti Spoleti, & Landoni Episcopo Cremonæ dum esset apud Francumfordium die XXVII. Augusti confirmavit concessa per ejus Præcessores Ecclesiæ Cremonensi. Et facta in eum conjuratione per Ludovicum, Carolum Manum, & Carolum Crassum nepotes suos, ex Ludovico fratre Rege Germaniæ, ac Ugonem Comitem Parisiensem, Busonem cognatum suum, & Bernardum Marchionem Gothium, & Bernardum Comitem Alverniæ ægre ferentes eum occupasse Imperium Occidentale, comparato exercitu quinquaginta duorum millium

armatorum, facto in eum transitu, & dum illis occurrisset alio exercitu apud Coloniam non procul Ardiraco, ibi commisso utrinque prælio fuit superatus, & dum illinc pedem retulisset in Italiam, & ibi munitis saltibus Tridentinis ad impediendum ipsos eum insequentes, ne exercitu irrumperent Italiam, iter suum convertisset Veronam, ut eo se conferret, & mox divertisset Mantuam, ibi, seu, ut alii volunt, Vercellis, vel, ut alii asserunt, in Pago Brionis montis Senisii, ex veneno sibi propinato per Sedechiam Hebræum, quo medico utebatur, seu, ut aliqui ajunt, metu nepotum suorum die v. Octobr. anni II. imperii sui, & regni XXXVI. ex hac vita migravit, ejusque cadaver factis exse-
A. C. quiis solemnibus Vercellis, illinc fuit translatum
879. Parisios, & ibi in templo Divi Dionysii sepultum, Ludovico Balbo filio superstite una cum Lothario, & Carolo Balbo Aquitaniæ Rege. Et Joannes summus Pont. Carolo Mano regresso in Bavariam, & ibi asserente se Regem Italiæ, dum anniteretur Ludovicum Balbum præponere Imperio, & Lambertus & Albertus Duces Spoleti, & nonnulli nobiles Rom. affectarent ei præesse Carolum Crassum, per ipsos fuit carceratus, & ex fuga prolapsus in Galliam Ludovicum ibi factum Regem Galliæ mitigata Judith noverca sua in eum indignata, apud Trecas die XXVI. Augusti imperiali diademate insignivit.

A. C. Et Lando Cremonæ Præsul procuravit condu-
880. ci ex urbe Portus Cremonam corpus Divi Archelai martyris, & reponi in Ecclesia ibi majori, mox reformata, & nunc exsistens in arca marmorea reposita in parte subterranea ipsius, & ejus festum celebratur quotannis die XXIV. Augusti, qua passus fuit martyrium apud Portum una cum Divis Hippolyto, & Quiritio anno 285. Mar. Au. Probo imperante, & archivium Cremonæ instituit, & pro luminaribus in ecclesia assignavit proventum beneficii Ecclesiastici.

Et Joannes summus PP. habita synodo apud Trecas in Gallia, & ibi Flamingis tunc egressis sylvas, & factis Christianis dato Episcopo, illinc Romam reversus Carolum Crassum Mediolani coronatum, Romæ in festis natalitiis insignivit impe-
A. C. riali diademate, & qui Ecclesiæ Cremonensi confir-
881. mavit quæcunque ei concessa per præcessores suos, ac immunitatem à quibuscunque oneribus pro ejus prædiis & bonis, & eorum colonis Landulpho ejus Episcopo procurante.

A. C. Et anno 888. Stephano V. Rom. PP. dum bel-
888. lum gereret cum Germanis & Moravis, junctis armis Galliam diripientibus, ejus tædio & labore declaravit Cæsarem Arnulphum nepotem suum ex Carolo Mano, Richilde uxore sua uti suspecta de a-
dulterio repudiata, & ingressa monasterium, &
A. C. anno x. imperii sui die XII. Januarii obiit, dimis-
891. so Bernardo filio naturali, & Arnulphus Dux Carinthiæ remansit Imperator, & Berengarius Fori Julii, & Veronæ Roma oriundus, & Guido Spoleti Duces diviserunt inter se Imperium Occidentale, & Guido dimissa Italia Berengario, & sibi electa Gallia illuc vocatus per Fulconem Præsu-
A. C. lem Rhemensem exercitu eam ingressus illinc per
892. Gallos repulsus fuit. Et Stephano summo Pont. die XXI. Maji, & IX. anni VII. sui Pontificatus mortuo, eoque illinc ad dies V. occupato per Formosum Episcopum Portuensem, Sergio Comite Tusculano presbytero Cardinale electo per ejus factionem, & ex Longobardis in Italia aliquibus sequentibus partes Berengarii, & aliquibus Guidonis, & per nonnullos Italos apud Ravennam Lamberto, seu Alberto, filio Guidonis, Rege Italiæ creato, & ibi inter Berengarium & Guidonem commissis
A. C. præliis, expulso Berengario in Germaniam. Ar-
893. nulphus Cæsar cum eo fœdere percusso, eique trans-
A. C. misso in auxilium Senebaldo, seu Ludovico, vel
895.

A Astulpho filio Carinthiæ Duce, & per eum, dum inde in Italiam descendisset, agminibus per montes Tridentinos in Italiam adversus Guidonem eo expulso usque Spoletum, & mox regresso, dimisso Berengario, in Galliam Arnulphus illinc Italiam exercitu irrumpit, & Verona, & Brixia, ac Bergomo captis, cum ibi Ambrosio duce furcis suspendi jusso in Guidonem profectus, eum captivavit, & in exsilium egit, Papia & Mediolano se ei permittentibus, & Othone duce Saxoniæ, marito Luthuildæ filiæ suæ, Mediolani constituto rectore, ex Italia profectus fuit Vormatiam Germaniæ, & accersitus per Formosum summum Pont. in sui auxilium adversus Rom. eum infestantes rursus exercitu Italiam
B ingressus Romam munitam præsidio per Guidonem Ducem Spoleti obsedit, & cepit, & in gratiam summi PP. data venia Rom. & illinc ejus adversariis expulsis per ipsum insignitus fuit diademate imperia- A. C.
li, & inde abiit Firmum, illudque obsedit, & per 897.
Agelindam uxorem Guidonis, quæ ibi erat, sibi data potione soporifera, ex ea excitatus illinc, eum copiis insequente Guidone, recessit, & per Berengarium, dum conjecta in eum suspicione decrevisset ipsum capi, & excæcari facere, dimissus, & qui aufugit Veronam, accessit Papiam, & per ibi incolas in eum arreptis armis, & plurimis ex suis occisis properavit Yporegiam, eamque, dum ab eo defecisset ad Ascarium olim ibi Marchionem, obse-
C dit, & Ascario ex fuga illinc prolapso, cepit, & A. C.
transgressis illic Alpibus rediit Vormatiam. Et mor- 898.
tuo Guidone Berengarius solus remansit Rex in Italia, & Lambertus filius Guidonis coacto exercitu ex suis adhærentibus, eo in ipsum profectus Papiam, ubi erat, & cum inde aufugisset Veronam, ipsius Dominium occupavit.

Et Stephanus VI. summus PP. Lambertum Du- A. C.
cem Spoleti coronavit, & qui, cum Manfredus Co- 899.
mes Mediolani, & multi alii Italiæ Reguli exosi ejus tyrannidem, in ipsum conjurassent, & Manfredus coactis copiis militaribus irrupisset ad fines agrorum Mediolanensis ac Papiensis, in eum transmissis aliis copiis militaribus, & ab ipsis, dum in
D illas incidisset, eo capto, & conducto Papiam ad ipsum, eum decapitari jussit. Et mox, dum Albertus Lucæ Marchio in Hetruria instigatus per Bertam ejus uxorem, & Comes Aldobrandinus ex Regulis Italiæ coactis agminibus ex Hetruria per Alpes Bardonis descendissent in Galliam Cisalpinam, & motis castris ad oppidum Tarro flumini propinquum irent Papiam adversus ipsum, his auditis ex Maringo oppido agri Papiensis omissa venatione, cui ibi vacabat, coacta raptim acie militum, quam potuit, illis apud Burgum sancti Domnini, ubi castrametabant, occurrit, eosque imparatos & inordinatos noctu invasit, ipsorumque copiis fusis, &
E Alberto captivato, & ducto Papiam, reversus Maringum ad venationem, ibi, dum sopore oppressus jaceret in gremio Ugonis, filii Manfredi Comitis Me- A. C.
diolani, ætatis puerilis, ex ejus cubicularibus per 899.
ipsum in ultionem patris fasciculo veprium illic evulsorum, seu fuste fuit occisus, & Berengarius, Alberto, & aliis, qui erant captivi penes Lambertum, dimissis, solus remansit adhuc Imperator in Italia.

Et cum Ludovicus filius Busonis olim Regis Bur- A. C.
gundionum incitatus per Albertum Marchionem Y- 900.
poregiæ generum Berengarii, ducta uxore Gisella ejus filia, & multos alios proceres Italiæ ægre ferentes Berengarii ibi dominium adversus ipsum, & ad Italiæ regnum occupandum ex Burgundia illuc
F exercitu descendisset, alio unito exercitu auxilio Alberti Marchionis Pisarum, & aliorum sequentium partes suas, ei occurrit, & commisso utrinque prælio, ipsiusque strato exercitu eum captivavit, & dimisit hac lege, ut ab Italia abstineret.

Et Joannes IX. Rom. Præsul Ravennæ, & filius A. C.
Guidonis, factus summus Pont. Albertum fratrem 901.
suum

A.C. 902. suum Spoleti Ducem constituit, & anno sequente Ludovicus Busonis filius, dum instigatus per Albertum ipsum, etiam Marchionem Pisarum, & alios Principes Italiæ inimicos Berengarii, & orta inter eum ac Albertum simultate, Italiam adversus Berengarium præter juramentum ei præstitum exercitu per montes Tridentinos repetiisset, & Papiam occupasset, & Berengario à suis fere omnibus dimisso, & viribus suis diffiso, Veronam ingresso,
A.C. 903. eam obsedisset, & Berengario illinc aufugiente, ea ac toto regno Italiæ potitus fuit. Et anno proximo ex Verona profectus Rom. & ibi per Benedictum IV. summum Pont. coronatus Rex Italiæ, & illinc reversus in Hetruriam ad Albertum Marchionem Pisarum, generum Rodulphi Regis Burgundionum, & inter eos ex instigatione Bertæ uxoris Alberti orta simultate, illinc regressus Veronam, & die XXI. Julii, dum ibi in ædibus Divi Petri noctu absque metu cubaret per Berengarium ex Bavaria regressum Veronam, eamque ingressum, captivatus, & eo jubente excæcatus, & illinc abire permissus in Burgundiam rediit, ubi non multo post periit.

Et Arnulphus Imperator die XXVIII. Novemb. & anno imperii sui XII. ex morbo pediculari etiam obiit apud Ratisbonam, & ibi in templo Divi Emerentiani cadaver ejus sepultum fuit, superstitibus filio sui nominis cognominato Malo, & Vurferio ex Agnete uxore filia Imperatoris Græcorum.

Et Ludovicus filius suus naturalis occupavit imperium, & ingressus Italiam exercitu, & ibi cum Lothario filio Lamberti Duce Spoleti prælio congressus, per eum superatus regressus fuit in Germaniam.

Et Lothario non multo post mortuo Ugo filius confirmatus fuit Rex Italiæ per Spoletinos, ac Hetruscos, & Landulpho Cremonæ Episcopo confirmavit privilegia concessa præcessoribus suis per Imperatores Rom. & Reges Italiæ.

A.C. 905. Et anno 905. inita pugnæ cum Berengario, illiusque copiis occisus fuit dimisso post se Guidone filio.

Et cum Ungari fere singulo triennio tunc ex Pannonia irrumperent Italiam, & illinc in Pannoniam abigerent prædam, & captivos adversus illorum impetus cœpta fuerunt fieri propugnacula in Gallia Cisalpina, & regionibus circumvicinis, quas irrumperent.

A.C. 913. Et anno 913. Ludovicus Cæsar instigatus in Berengarium per Sergium III. Rom. summum Pont. profectum fuit ad eum in Galliam, dum esset indignatus in Berengarium, adhuc exercitu descendit in Italiam adversus ipsum ibi occupantem Imperium, & cum eo & Guidone Duce Spoleti prælio congressus, eorumque copiis fusis, rursus inito utrinque prælio per ipsos victus ex Italia regressus fuit Germaniam, & ibi anno 913. & X. imperii sui de mense Decembris nunquam coronatus periit apud Ratisbonam, & ibi sepultus in cœnobio divi Emerentiani, nulla dimissa prole. Et Corradus Dux Francorum, nepos suus ex fratre, Cæsar fuit designatus, & Landulpho Cremonæ Præsule mortuo ei surrogatus fuit Joannes Scriba à secretis Berengarii, cui Corradus Cæsar confirmavit quæcunque concessa per præcessores suos Imperatores Occidentales ecclesiæ Cremonensi, ac concessit comitatum extra civitatem per quinque millia passuum.

A.C. 916. Et anno 916. Lando Rom. summus Pont. Berengario & Guidone Duce Spoleti utrinque belligerantibus invicem compositis, Berengarium insignivit corona imperiali.

A.C. 919. Et anno 919. Joanne Rom. summo Pont. Corradus Cæsar, dum vellet perseverare in bello, quod gerebatur inter Francos & Saxones, multique ex suis proceribus, ac ducibus ab ipso defecissent, obiit

A die XXIII. Decembris anni VII. imperii sui ex morbo pediculari, ipsumque imperium dimisit Henrico nuncupato Aucupi, filio Othonis, Duci Saxoniæ, Grimoaldo Cremonæ Comite, & Diamberto ibi Præsule suffecto Joanni tunc mortuo.

Et anno 921. Rodulphus, filius Ricardi, Dux Burgundionum, accersitus adversus Berengarium per Lambertum Præsulem Mediolani, & multos alios proceres Italos in eum indignatos adversus ipsum in Italiam exercitu descendit. Et cum Berengarius ab omnibus destitutus illinc in Germaniam aufugisset, & deinde multis proceribus Italis à Rodulpho deficientibus, utrinque paratis copiis commisso prælio apud Fidentiolam succubuisset; & Bonifacius Princeps Camerini ac Spoleti, maritus Gualdradæ filiæ suæ, & Comes Gerardus coactis agminibus in ejus auxilium properassent, eisque junctis cum Rodulphi exercitu Berengarius ex Germania aliis copiis se opposuisset, eas inordinatas & imparatas aggressus, ipsas fudit, Berengario illinc aufugiente Veronam, & dimissis præsidiis in Gallia Cisalpina anno tertio ingressus sui in Italiam, illinc rediit in Burgundiam. Et Berengarius noctu in domo propria Veronæ fuit occisus per Flambertum Veronensem compatrem suum, nulla post se dimissa prole, sed superstitibus Berengario, & Ascario filiis Alberti Marchionis Yporegiæ ex Gisella filia Berengarii prima uxore Alberti. Et Milo etiam Veronensis dux Berengarii Flamberto & multis aliis complicibus necis Berengarii captis, & ultimo supplicio affectis, dominium Veronæ occupavit. Et Rodulphus intellecta morte Berengarii, & Emeregardam relictam Alberti Marchionis Yporegiæ, receptis in ejus partes multis proceribus Italiæ juvenibus accensis amore ipsius, quæ erat formosissima, eorum auxilio occupasse Papiam cum reliquo ibi dominio, ex Burgundia exercitu properavit in Italiam, & ope Lamberti Præsulis Mediolani, & aliorum ibi procerum sequentium partes suas, positis castris ad ripam Ticini prope Papiam per quinque millia passuum, eam, ubi erat Emeregarda, obsedit, & dum per Emeregardam in ejus manus ac amplexus dolo redactus fuisset, vocato per Lambertum & alios Proceres Italos adversus ipsum in Italia Ugone Arelatense, filio Lotharii ex Berta relicta Alberti Marchionis Pisarum, in Hetruria ad ibi assumendum regnum, illinc, postquam tentasset illud recuperare, rediit in Burgundiam. Et cum anno sequente Ungari Salardo duce ex Pannonia Italiam irrupissent, & ibi direptis, ac ferro, igneque eversis Liburnia, Venetia, Flaminia, ac Hetruria, & illinc regressi in Galliam Cisalpinam, & ibi depopulatis Mantua, Brixia, ac Bergomo, obsessaque, & capta, & combusta Papia, una cum cœnobio divi Sixti in suburbiis Placentiæ, coacto exercitu in Burgundia inde adversus illos una cum Bernardo duce Sueviæ socero suo, adhuc in Italiam, ut ei succureret, properavit, & Ungaris onustis præda regressis in Pannoniam, firmavit castra apud Yporegiam, & illinc destinato socero Mediolanum ad Lambertum ibi Præsulem, eoque, dum illinc ad Rodulphum, factis minis Lamberto & aliis proceribus Italis de eis perdendis, reverteretur, occiso apud Novariam per milites Italos eum jussu Lamberti & aliorum procerum, quibus minatus fuerat, insecutos acceleravit in Burgundiam.

Et anno proximo Ugo Arelatensis ex Gallia Narbonense una cum Lothario & Manase filiis ingressus Italiam, & profectus Pisas ad Guidonem ibi Marchionem nepotem suum, ejus ac Joannis summi Pont. & aliorum procerum Italorum auxilio ductus Papiam, ibi factus fuit Rex Italiæ, & Mediolani coronatus per Lambertum illic Præsulem, & habitis comitiis Mantuæ per Regulos Italos pro expellendis Saracenis ex Frasineto oppido

[Right-margin notes in this column: A. C. 921. · A. C. 922. · A. C. 924. · A. C. 924. · A. C. 925. · A. C. 926. Section letters B, C, D, E, F in the inner margin.]

do munitissimo ad fines Italiæ & Galliæ Narbonensis per illos egressos Africam Stagiro duce jam XXXIII. annis occupato illic incolarum fidelium ope nacta occasione discordiæ tunc vigentis inter Arnulphum
A. C. 927. Cæsarem, & Guidonem Ducem Spoleti, & Berengarium Fori Julii, illuc profectus fuit anno sequente.

A. C. 929. Et anno 629. Guidone Marchione Pisarum mortuo, superstite Alberico ejus, seu Alberti patris sui filio ex Marotia uxore Lamberto fratre successore, Marotiam ipsam Guidonis nepotis sui, dum teneret molem Adriani, duxit uxorem, & Romæ dominium occupavit, & dum Romani incitati per Albericum ejus privignum in ipsum, qui eum alapa percussisset, indignatum, ac eo duce illum obsedissent in arce Adriani, ex ipsa aufugit dimisso dominio Rom. Alberico ibi facto Consuli.

A. C. 931. Et anno 931. Stephano Rom. summo Pont. dum Rodulphus Rex Burgundiæ & Galliæ per Lambertum Præsulem Mediolani, & Milonem Comitem Veronæ, & alios Proceres Italiæ, quibus erat infensus, & invisus Ugo, adversus ipsum accersitus fuisset ad eum avertendum ab Italia, ad ipsum transmissis legatis, eique concessis omnibus, quæ habebat in Gallia Transalpina, secum percussit fœdus,
A. C. 932. eoque anno sequente mortuo Berta eam duxit uxorem, & Adalaidam filiam suam nupsit Lothario primogenito suo, ei assignata Papia pro dote. Et anno secuto Joanne XI. Rom. etiam summo Pont. Arnaldo Bavariæ & Carinthiæ Duce vocato per Lambertum Mediolani Præsulem, & Proceres Italos adversus Ugonem, Lambertoque, dum per Liburniam exercitu descenderet in Italiam, Ungaris appulsis Aquilejam, eaque occupata ibi, & circumcirca omnia evertentibus, facto obvio, & illinc
A. C. 934. utrinque facto conflictu repulsis, Veronam, profecto, & in eam recepto, Ugo alio exrcitu coacto in ipsum transivit, & hinc inde facto conflictu eum illinc repulit, & Milonem ibi Comitem, per eum Arnaldo, qui eum decreverat secum abducere, dimisso, relicto fratre cum militibus ad præsidium arcis Veronæ per Milonem expugnatam, & dum Bavari illinc abiissent eo abducto, recepit in sui gratiam, & ingressus Veronam, illinc Racherium ibi Præsulem relegavit Papiam, & Rodulphum filium suum ex Alda Franconia ejus prima uxore fecit coronari Regem Italiæ, & Manasem alium filium constituit Præsulem Mediolani, & Theobaldum alium filium ex Maxinella Rom. amasia Archidiaconum, & Busonem susceptum ex Benzola Sueva præsulem Placentiæ, & Ubertum susceptum ex Guardamilla Principem Hetruriæ, à quo descendit familia Ubertinorum, & à Lamberto Lambertinorum Florentiæ, & Berengario Marchioni Yporegiæ nupsit Gisellam neptem ex Busone fratre, & Gilla uxore Burgundiense.

A. C. 935. Et anno sequente, dum eum decrevisset ex humanis tollere, & Berengarius re patefacta per Lotharium filium Ugonis, cum Gisella uxore aufugisset in Sueviam ad Herimanum ibi Ducem, & eo auctore per Othonem, Ducem Sueviæ, susceptus fuisset in sui protectionem procuravit ei oblata pecunia per ipsum eum sibi prodi. Et habita classe ab Imperatore Byzantii ejus auxilio obsedit Fraxinetum occupatum per Saracenos, ipsumque cum illis redegit in sui potestatem, ipsosque locavit in montibus ibi propinquis ad præsidium adversus Berengarium, ne illac adversus eum Italiam ex Suevia irrumperet, & cum Berengarius habitis copiis ab Herimano in eum transivisset, & in ipsum paratis armis per Ugonem illinc diffisus in Sueviam rediisset, & illic ad biennium, per ipsum in partes suas susceptis, Arderico Cotta præsule Mediolani, Manase Veronæ, & Guidone Mutinæ, & multis aliis proceribus Galliæ Cisalpinæ opera Amidei familiaris sui ex Suevia in Italiam descendisset, multis co-

A piis Barbarorum per montes Tridentinos, & propugnaculo Rivolæ ad fines Italiæ constructo, habito ab Adelardo illic deputato præfecto per Manasem fuisset introductus in Veronam per Milonem ibi Comitem, Ugo coactis copiis transivit in Guidonem Præsulem Mutinæ, & ibi Vignole oppidum suum obsedit. Et Berengarius properavit Mediolanum, illudque ingressus fuit. Et dum Ugo rever- A. C. 937.
sus Papiam illinc cum ejus thesauro aufugeret, cum revocavit, & dominio Italiæ inter ipsos diviso, ejusque titulo dimisso penes Lotharium filium Ugonis, & regimine penes Berengarium cum titulo Marchionatus, & rectoris, Ugo ex Italia ibi dimisso Rodulpho rediit Arelatum anno x. regni sui,
B & ibidem non multo post periit, instituta hærede Berta nepote sua ex Busone fratre, mox nupta Raymondo Comiti Tholosano. Et Berengarius expulit Josephum præsulem Brixiæ ex ibi Episcopatu, eique substituit Antonium ejus familiarem, ac constituit Adalardum præsulem Rhegii, & Babilonem familiarem præsulis Mediolani in ejus gratiam Novicomii, & habita pecunia à Baxiano Episcopo Papiæ, & Luithprando Parmæ, eos ibi dimisit præsules. Et Lotharius Ugonis filius, dum Otho A. C. 938.
filius Henrici Cæsaris Italiam exercitu introisset, & Romam proficisceretur, in eum profectus alio exercitu ei obstitit, & biennio regni sui obiit, nulla post se dimissa prole, sed Adalaida uxore, &
C Berengarius solus remansit Rex in Italia. Et Henricus Cæsar Ungaris quadraginta millibus cursitantibus ac diripientibus Italiam, & Germaniam postpositis induciis, quas cum eo habebant, surgens è lecto, in quo jacebat ægrotus, coacto exercitu illis occurrens, ibi utrinque facto conflictu ipsos illinc repulit gravi strage, ex illis occisis circiter triginta millibus, Lotharingiaque, dum intenderet eam armis vendicare, sibi dimissa, ac imperio unita, ac habita lancea, qua dextrum Christi latus fuit confossum, & utebatur Constantinus Magnus, à Rodulpho Duce Burgundiæ, & constituto Brandeburgi Marchione alio Henrico, ex hac vita migravit anno XVIII. imperii sui, & ex ejus ordine sibi successit Otho filius suus, ex Mathildæ filia Theodorici etiam ex ducibus Saxoniæ, & fuit coronatus Aquisgrani per Præsulem Moguntiæ.

Et anno 941. Stephano Germano summo Pont. A. C. 941.
cum Berengarius coactis copiis descendisset ex Foro Julii in Adelindam relictam Lotharii Papiæ dominantem, ut ipsa eam exsueret, Landulphus Othonis filius accersitus in ejus auxilium, adversus ipsum exercitu descendit in Italiam, eumque secum prælio congressus in Hortam insulam lacus Novariensis compulit, & oppidis plurimis ex Gallia Cisalpina receptis, plerosque ibi populos secum con-
E junxit, & dum bellum prosequeretur repentina morte, & ut fuit suspicatum, veneno opera Be- A. C. 942.
rengarii ei propinato decessit, ejusque cadaver Moguntiam conductum ibi sepultum fuit in æde divi Albani ex ordine Gulielmi fratris sui ibi Præsulis. Et Berengarius se Augustum, & Albertum filium Cæsarem nuncupari fecit. Et ex Foro Julii ibi dimisso Alberto una cum Conone, Guidone, & Alberto aliis filiis exercitu adhuc irrupit Galliam Cisalpinam, & Adelindam captam Papiæ ibi, seu in oppido Gardæ Veronensium carcerari jussit, & mox debellavit Azonem Estensem tuentem partes Pon- A. C. 948.
tificias. Et cum Adelinda ex oppido Gardæ ope
F Mauritii sacerdotis sui ex fuga prolapsa ad Adanardum Episcopum Rhegii confugisset, & ex ejus consilio se recepisset Canosum ad Attonem affinem suum: & Berengarius, cum eam petitam ab Attone sibi prodi habere non potuisset, Canosum exercitu obsedit.

Et anno subsecuto agros Cremonensium & Pla- A. C. 949.
centinorum invicem limitibus distinxit, Cremonam-

A ramque instauravit & ampliavit, & dum Italiam
tyrannide opprimeret Otho Cæsar accersitus per
Agapetum summum PP. & & Alemanum Menclo-
tium præsulem Mediolani, & proceres Italos in
ipsum ex Germania per forum Julii una cum Azone
Estense ejus cognato, ei nupta Alda sorore sua cum
dote Frimburgi in Saxonia, exercitu quadraginta
millium armatorum in Italiam descendit adversus
eum, ipsoque, ac Alberto filio sibi exercitibus oc-
currentibus in Foro Julii, & apud Papiam victis
prælio, Adelindam duxit uxorem ex consilio Lear-
di Episcopi Veronæ, & Berengario ac Alberto se
ei permittentibus data venia, dimissoque dominio
Galliæ Cisalpinæ, & Fori Julii præter Veronam
B & Aquilejam, ibi, ac in tota Italia constituit re-
ctorem Corradum Ducem Franconiæ ejus gene-
rum, & qui in Apulia resedit, & ex Italia rediit
in Germaniam una cum Adelinda, ex qua infra an-
num suscepit filium etiam nominatum Othonem,
A.C. qui ei successit in Imperio.
952. Et cum Anthropomorphitarum hæresis, asserens
omnipotentem Deum habere membra humana, in-
surrexisset in Gallia Transpadana, & quam Fan-
tinus Episcopus Veronæ & Rainerius Monachus
confutarent, & incolæ Cremæ oppidi, ubi, ut
aliqui dicunt, erat Civitas Parasii, ea infecti fo-
rent, & bello finitimos infestarent, & ab ea nol-
lent resipisci, Alemanus Menclotius præsul Me-
C diolani, Diabertus Cremonæ, & Guido mona-
chus Cisterciensium, Placentiæ coactis in unum
copiis illam ceperunt, eaque direpta & demolita,
ejus solum & agros inter se diviserunt, & ex qua
A.C. processerunt Comites de Curte, & de Camisano.
954. Anno 954. cum Albertus Comes Galliæ cum al-
tero Alberto, & Henrico filiis inde exercitu in Ita-
liam descendisset usque ad Astensem urbem; &
dolose simulata pace cum Mediolanensibus Medio-
lanum occupasset, & Mediolanenses arreptis armis
adversus eum insurrexissent, ipsumque vulneras-
sent, & inter eos ac Gallos commissa pugna suc-
cubuissent. Et Valpertus eorum Præsul ad Otho-
D nem confugisset, Otho rursus exercitu in Italiam
descendit, & ex Gallia Cisalpina prælio expulit
Albertum in Insulam Corsicæ; & Mediolani coro-
natus per Valpertum Rex Italiæ, illud instaurari
jussit, & illinc rediit in Germaniam, & Berenga-
rius indignatus in Athonem Regulum Canosii,
quia adversus eum Othoni auxiliatus fuerat in bel-
lo contra eum gesto per Othonem, ut præfertur,
ac Adelindam, dum ad se confugisset, recepisset,
ipsum obsedit in eo oppido: & dum Joannes sum-
mus PP. contaminatus omnibus probris, ac vena-
tionibus, non autem sacris intentus esset, ac pu-
blice scorta teneret, & Berengarius, & Albertus
Italiam opprimerent, Athonemque obsiderent in
E Canosio, Landulphumque filium Othonis quoque,
ut ferebatur, veneno sustulissent, Otho vocatus
in eos per Valpertum Præsulem Mediolani, Gui-
donem Novicomii, Clerum Romanum, & non-
nullos alios prælatos, & proceres Italiæ, ad eum
transmisso legato Joanne Scrinario Apostolico, dum
esset Vormatiæ in Festis Natalitiis Othone filio an-
norum septem electo Rege Germaniæ, & apud
Aquisgranum in die Pentecostis coronato, inde
cum uxore, & Lothario, & Carolo filiis Ludo-
vici olim Regis Francorum, & Ugone Capetto,
& Othone, & Henrico filiis Othonis Comitis Pa-
risiensis nepotibus suis, exercitu per montes Tri-
F dentinos adversus illos descendit in Italiam, & Be-
rengarium, & Albertum, & fratres redegit in sui
potestatem, & receptis Mediolano, & Papia, &
concessis præsuli Mediolani Comitatu Parabiachi,
Seprii, & Ducatu Burgariæ, & Marchionatu Mar-
tesanæ ex agro Mediolanense, & in ejus tribubus
& plebibus constitutis Capitaneis & Valvassoribus,
Berengarium una cum uxore in Austriam, & Al-
bertum Byzantium relegavit, & ex Mediolano co-
mitatus per Valpertum ibi præsulem, & Opizo-
nem Comitem Angleriæ, Romæ accessit, & cum
Joannes ipse bonis & blandis verbis exhortatus per
Othonem ad bene & religiose vivendum, vitam
suam commutare noluisset, & vocato Concilio
prælatorum in eum mense quarto anni noni sui
Pontificatus ex urbe aufugisset in Henricos, ubi
aliquamdiu in sylvis more ferrarum latuisset, Cle-
ro persuadente elegit summum PP. Joannem
Scrinarium Sedis Apostolicæ, & diaconum Late-
ranensis Ecclesiæ, qui nominatus fuit Leo Septi-
mus.
Et Diamberto præsule Cremonæ mortuo, ei sub- A. C.
stituit Luizonem ex supremis suis consultoribus. 962.
Qui illuc asportare fecit corpus Sancti Hymerii
Episcopi & Confessoris, furtim acceptum ex op-
pido Flaviano Umbriæ, seu Ducatus Spoleti,
vel Campaniæ Romæ sibi datum per Episcopum
Meliensium, seu Ismeriæ ejus regionis, cujus fuit
Episcopus divus Hymerius. Otho, dum esset in
Germania, Alberto filio Berengarii ex Corsica, A.C.
in quam aufugerat vocatus per Sisigulphum Epi- 965.
scopum Placentinum, & nonnullos alios, in Gal-
liam Cisalpinam regressus copiis, in eum destina-
vit exercitu Sicardum ducem suum, & ad flumen
Padi collatis signis ipsum repulit, occiso Guido-
ne fratre suo, & regionem Montisferrati concessit
Aladramo filio Ducis Saxoniæ, & genero suo ob
Alexiam filiam suam, ac constituit rectorem Ita-
liæ, dum auctore Antistite Alburgiense eos co-
gnovisset, qui aufugerant ex Saxonia in Italiam
jam decennio lapso, & delituerant penes Galerum
agri Albigensis in Gallia Subalpina, ducta Alexia
uxore clam patre, qui dederat ei præceptorem A-
laramum, dum in Saxoniam, & in ejus aulam se A. C.
recepisset ex Italia, in qua in loco, ubi nunc est 967.
Alexandria, in lucem productus fuerat parentibus
ex Saxonia euntibus voti gratia in Hispaniam ad
templum divi Jacobi, & educatus, etiam tunc
cognitis. Et etiam Albertum filium Attonis Re-
guli constituit Marchionem Ateftæ in agro Pata-
vino, & Guidonem Malatestam Comitem in Fla-
minia. Et Luizone Episcopo Cremonæ defuncto
surrogavit Lutimprandum, eique mortuo infra
breve tempus Oldericum Gallum, & Papiam pro-
fectus Sisigulphum & comites reos conjurationis
in eum factæ cum Alberto filio Berengarii, cau-
sa cognita, ex eis aliquos in Galliam, & aliquos
in Germaniam relegavit. Et Olderico Episcopo
Cremonæ confirmavit privilegia præcessorum suo-
rum, & qui in æde tunc majori Cremonæ cor- A. C.
pus divi Hymerii reponi fecit, una cum corpore 970.
divi Gregorii presbyteri, & Martyris Cremonam
conducto ex Spoleto, ubi passus fuit martyrium
anno 287. Et Joanne summo PP. mortuo die v.
Septembris, & xv. anni octavi sui Pontificatus,
& illinc ad dies XIII. seu XVI. Benedicto etiam
Rom. suffecto, & per eum Othone secundo, Theo-
phaniaque uxore conducta Romam coronatis corona
Imperiali, Otho pater una cum eis rediit in Germa- A.C.
niam, & anno XXXVI. Imperii sui, & partus Dei- 973.
paræ Virginis 974. in die Pentecostis, apud Mel- A.C.
burgum in Austria obiit, & Viennæ in Templo divi 974.
Martini, ejus opera & sumptu constructo, sepultus
fuit, & Otho filius in Imperio perseveravit. Et an-
no x. Imperii sui, & die VIII. Decembris ex veneno
sibi propinato per Italos, ob ejus duritiem in ipsos, A.C.
fuit exstinctus, seu ut aliqui dicunt ex vulnere sibi 984.
illato sagitta veneno infecta in prælio habito cum Sa-
racenis, Romæ, & ibi sepultus in vestibulo basili-
cæ Vaticanæ, superstitibus filio ejus nominis, U-
gone Duce Carinthiæ Olderico, & Federico. Et
Bertoldus filius Ugonis fuit primus Comes Saban-
diæ, & Mathilde nupta Ezelino Comiti Palatino
Rheni, & Odoricus nupsit filiam Theodorico

primo Comiti Hollandiæ. Et cum aliqui ex proceribus Germanis, qui Romæ erant, intenderent eligere Imperatorem Rom. Henricum Bavariæ Ducem, & primi Othonis ex fratre nepotem, alii Othonem filium defuncti,& nonnulli Itali proceres imperium ipsum reassumere contenderent, Otho filius tertius annorum XII. Imperator fuit electus. Et Theobaldus vicarius suus Mantuæ, in ejus agro inter Padum & Laronem flumina construi tunc fecit monasterium in honorem Divi Benedicti, & multis, & optimis possessionibus dotavit, & Gotifredo Præsule Mediolani mortuo, & auspiciis Othonis ei surrogato per Bonitium ibi Ducem Landulpho filio, & nec admisso per Mediolanenses electo per eos Arnulpho ex Castilionæis de Arzago, & ob id excitato tumultu per sequaces Bonitii, Tacio ex illic primoribus occiso, & Landulpho ob id profecto Canturium, & Reginaldo fratre suo ad plebem Mastaliæ de Pirovano, & Uberto alio fratre Melegnanum, & Benzono, Riperiam, & Guardastallum, & inter acies Arnulphi, & ibi incolas sibi adversantes collatis manibus in campo Carbonariæ, & Arnulphi profligatis, Otho Cæsar, dum ad eum confugisset Arnulphus, exercitu profectus Mediolanum illud obsedit, eoque inscio facta per præsulem, & Mediolanens. invicem conciliatione Me-
A. C. diolanum ingressus, ibi ad Arnulpho fuit coronatus
989. corona ferrea.

Oldericus præsul Cremonæ procuravit erigi mo-
A. C. nasterium, & Ecclesiam in honorem divi Lauren-
990. tii, ex suo proprio patrimonio & ære, in loco, ubi erat sacellum ei dicatum extra civitatem, ibi deputatis monachis, eisque Guazone Abbate dato ad serviendum omnipotenti Deo sub regula Divi
A. C. Benedicti. Joanne summo PP. anno x. cum dimi-
994. dio sui pontificatus defuncto, Othone auctore ei surrogatus fuit Gregorius V. Saxo patre Othone in se-
A. C. culo nominatus Bruno. Et dum Othone Cæsare
995. ex Italia per Galliam in Germaniam reverso exagitatus seditionibus Crescentii, & nonnullorum aliorum Romanorum ex urbe abiisset in Hetruriam, & illinc in Germaniam ad Othonem, per Crescentium ei substitutus fuit Joannes Græcus Episcopus
A. C. Placentiæ. Et Otho cum Gregorio summo PP.
997. exercitu properavit in Italiam, & Romam profectus, ipsam munitam præsidio per Romanos & Crescentium ab eis factum consulem summa cum potestate, obsedit ac oppugnavit; & dum Crescentius cum Antipapa ingressus fuisset arcem Adriani, per eos etiam munitam præsidio, à Romanis nolentibus resistere Othoni, sibi apertis portis urbis in ipsam fuit introductus. Et dum eum accessissent Crescentius & Antipapa spe veniæ, egressi arcem Antipapam sibi oculis effossis, vita & Pontificatu, postquam eum occupasset per dies x. jussit exsui, & Crescentio vulneribus per turbam ibi popularem illatis, Gregorium restituit Sedi Apostolicæ, & per eum una cum Maria uxore die octava Maji insignitus fuit corona Imperiali, & ipso annuente facta fuit constitutio; qua perpetuo jus Imperii Romani penes Germanos remaneret, data auctoritate in futurum eligendi Imperatorem præsulibus Moguntino pro Germania, Treverensi pro Gallia, & Coloniensi pro Italia, Marchioni Brandeburgensi post illius electionem ejus Camerario, Comiti Palatino Rheni dapifero, Duci Saxoniæ Ensifero, & Regi Boemiæ addito ad tollendam discordiam inter Electores, si quæ inter eos in electione oriretur, ut quem elegissent, & summus PP. confirmasset, Augustus Imperator haberetur, & habito conventu per eos Electores, & alios prælatos, & proceres Germaniæ, in aliqua ibi civitate per eos legitimis suffragiis eligitur aliquis ex ipsis sapiens, & excellens vir rex Germaniæ, & conductus Aquisgranum ibi in Ecclesia divæ Mariæ, & in solio Caroli magni locatus, coronatur corona argen-

A tea gladio cum baltheo deinde armillis, cum chlamyde, & sceptro, & baculo ei porrectis, sacro oleo unctus per Archiepiscopum Moguntinum uti Regni Germaniæ Cancellarium, licet Aquisgranum sit in diœcesi Coloniæ, & Archiepiscopus Treveris sit antiquior aliis in Germania; & mox ductus Mediolanum ibi eligitur Comes Italiæ, & coronatur corona paleæ tritici contexta spicis turgentibus, qua nunc coronari debet Alexandriæ, & mox eligitur Rex Italiæ, & Mediolani in æde divi Ambrosii, seu Modœtiæ in æde divi Jo. Baptistæ per Archiepiscopum Mediolan. sacro oleo ungitur, & corona ferrea coronatur, ibi assistentibus præsulibus Cremonæ, Papiæ, Placentiæ, Bri-
B xiæ, Parmæ, Novicomii, Savonæ, Vintimiliæ, & Albigauni ad sinistram, & ad dextram Vercellarum, Novariæ, Laudæ, Derthonæ, Taurini, Aquensis, ac Genuæ, qui sunt XVIII. & deinde habito conventu per eum Ducum, Marchionum, Comitum, Vassalorum, & aliorum Magistratuum Italorum pro Imperio, & legatorum civitatum ibi liberarum, in vico Roncaliarum prope civitatem Placentiæ, & auditis, ac intellectis, & sublatis eorum controversiis, & stabilitis ipsorum juribus, & sibi datis legibus, conductis Romam per Archiepiscopum Mediolani sibi singulis populis in itinere occurrentibus eum faculis, & factis acclamationibus, & per eos præstitis de-
C bitis obsequiis in æde Lateranense oblatus per ipsum Archiepiscopum summo Pontifici, per eum eligitur Imperator, & ungitur sacro oleo, annulo ei in digito dextro imposito, & ense nudo tradito coronatur corona aurea, & sceptrum Imperiale cum orbe ei porrigitur, ac datur, & postea per ipsum creantur Duces, Marchiones, Comites, Vassalli, Equites, & Magistratus pro Imperio in A. C.
Italia, & dum in ea est, ibi incolæ tenentur ei pen- 997.
dere fodrum, quod est quædam quantitas frumenti, quæ sæpe extimata commutatur in pecuniam. Et ad onus paratæ, quod est sumptus in viis aptandis, & pontibus faciendis, quibus ipse sit transiturus, & ad onus mansionatici, quod est in terra, &
D cæteris, quæ sunt exercitui in agro hospitanti necessaria, siquidem Regi Italiæ tantum jus terræ est attributum, ut ex omnibus, quæ ipsa producit ad usum hominum necessaria, quantum opus sit militibus suis, exceptis bobus, & seminibus ad colendum terram necessariis, & idoneis: Regalia autem, quæ ei spectant, & sæpe conceduntur ad sui arbitrium aliquibus de eo benemerentibus dignitates, & pretia, & scilicet vectigalia, thelonea, portus, ripatica, pedagia, pischeriæ, molendina, salinæ, fluminum usus, & jus monetæ cudendæ, & omnis redditus ex eis proveniens, & quæ sunt hujusmodi. A. C.
Et anno 998. Otho Cæsar profectus Cremonam 998.
de mense Februarii concessit Oldorico jus ripatici,
E portuum, ac piscationum fluminis Abduæ, & confirmavit privilegia eidem concessa per Præcessores suos in Imperio, & suscepit in sui protectione monasterium, per Oldericum ipsum ex suo proprio ære de recenti erectum ad honorem & memoriam, & sub titulo divorum Sixti & Laurentii martyrum, ejusque Abbatem, & Monachos in eo locatos, & degentes sub regula divi Benedicti, cum omnibus bonis & prædiis ei assignatis in vicis & pagis Costæ Columbariæ, Lupariæ, Bulgari, Dulmonæ, Benedei, Revolischi, Valcharenghi, Camporelarum, Randulinghi, sancti Prudentii, Casalisbutani, Ragidadæ, Zovenenghi, Vultedi, Platinæ, Caneti, Rauscatæ, Quistri, & Curticellarum, eorumque
F colonis.

Et anno 1002. & decimo nono Imperii sui, die A. C.
vigesima Januarii ad Paternum vicum Galliæ Cisal- 1002.
pinæ destinato Byzantium ad Constantinum ibi Imperatorem legato Arnulpho de Arzago Præsule Mediolani petitum uxorem Zoem ex filiabus ipsius Con-

Constantini, & obtenta, & nec desponsata, duobus chirothecis veneno infectis sibi dono transmissis per uxorem Crescentii, ex eo veneno periit, & illinc ejus cadaver in Germaniam abductum fuit Augustam, & ibi in templo majore sepultum.

A.C. Et anno sequente Henricus secundus, claudus
1003. nuncupatus, Dux Bavariæ, & Othonis primi ex fratre nepos, per Electores ex auctoritate sibi attributa à memorata constitutione Gregorii olim summi Pont. electus fuit Cæsar, & Arduinus Marchio Yporegiæ habito conventu Papia procerum Cisalpinorum, per illos fuit electus Rex Italiæ, & per ibi Præsulem coronato Arnulpho Archiepiscopo Mediolani invito, per eum dono habito à Constantino Imperatore Byzantii serpente æneo per Moisem in deserto fabricato, & illinc allato Mediolanum, & ibi in templo majori reposito. Et Henricus Cæsar Olderico Cremonæ Præsuli mortuo surrogavit Landulphum ex ejus consultoribus & capellanum, eique confirmavit omnia concessa antecessoribus suis per præcessores suos.

A.C. Et anno 1014. & duodecimo electionis suæ ex
1014. Germania in Italiam exercitu descendit, & ibi in Gallia Subalpina, dum Arduinus Marchio Yporegiæ, ibi occupans regnum, ei occurrisset acie militari, secum prælio congressus, fuit superatus; & mox reparato prælio apud Veronam cum supera-
A.C. vit, & profectus Mediolanum ibi fuit insignitus per
1015. Heripertum illic Præsulem corona ferrea, & illinc Romam profectus, ibi quoque per Benedictum summum Pont. in die Paschatis fuit coronatus corona aurea.

Et Heripertus præsul Mediolani Cremonen. dum Ugoni, & Belingerio, seu Berengario, Comitibus vallis Mercuriolæ, & plebis Arzatæ fautoribus latronum diripientium Ducatum Mediolani, auxiliati fuissent in eum, adversus illos copiis militaribus profectus, ut ipsos tolleret, & expulsis ex eorum dominio, & Cremonam profectis, & dum eos insecutus fuisset, prælio victis una cum Cremonensibus, suppeditavit, & à quo pars vicus majoris Cremonæ denominata fuit, & Dovariæ nunc ibi cives, & olim potentissimi, ex Dovaria Insulæ Fulcheriæ oppido denominati, & de familia illorum de Anselmis, & affines Heriperti, & per eum sibi con-
A.C. cessis multis oppidis, & vicis agri Cremonensis sub
1022. feudo Cremonæ substiterunt. Et Landulphus præsul Cremonæ valde infestus Abbati, & Monachis divi Laurentii, eis grave damnum intulit, & cum etiam molestus fuisset populo Cremonensi, ob illius arrogantiam per eum expulsus fuit extra civitatem, & ejus palatium duplici muro ex lateribus coctis, in quo erant turres septem, eversum, & mox instauratum, & ampliatum, ut Corrado mox Imperatori resisteretur, & dum mox alios induisset mores, ac mutasset vitam, & cum populo Cremonense rediisset in gratiam, receptus fuit per eum in Episcopum, & ob damna per eum illata Abbati, & Monachis divi Laurentii construi fecit Ecclesiam, & ædes in honorem divi Victoris Martyris extra civitatem ad alteram ripam torrentis Rhodani, & erexit in prioratum, & quæ anno currente 1469. ibi facto claustro parco nominato animalium sylvestrium corruit, & instaurata fuit in loco, ubi nunc exstat.

A.C. Henricus anno imperii sui xx. & mense v. die
1023. xv. Julii obiit Bambergæ, & ibi in templo ejus sumptu erecto cum onere solvendi quotannis Ecclesiæ Rom. octo marchas auri, cum equo fulcito fulcimentis albis, & ab eis dimisso Benevento redempto, fuit sepultus una cum Sinegunda, seu Sigismunda, uxore, filia Sigifredi Comitis Palatini, non sine nomine sanctitatis, dum una cum uxore sancte ac caste vixisse dicatur, nupta filia Leopoldo Duci Austriæ filio alius Leopoldi. Et Corradus Suevus Dux Vormatiæ, & qui ordines

A militiæ sub Henrico duxerat, electus fuit Cæsar, & qui prope Spiram habitabat in arce Liburgica, & habuit uxorem Gisellam Burgundiensem ex descendentibus Caroli Magni Imperatoris Rom. R. Hernesti olim Sueviæ Ducis. Et dum illi de Gamba- A.C.
ra de Modœtia, & Præaleonibus, & multi alii no- 1025.
biles Mediolanenses ab Heriperto Mediolani præsule ob illius tyrannidem defecissent, & percusso fœdere cum Laudensibus, & ad fines eorum agri & Mediolanensis, per eos erecto oppido Mottæ illinc incursarent, & diriperent agrum Mediolanensem, & Heripertus copiis militaribus coactis eis adversus illos transivisset, & facto utrinque prælio pari Mar- A.C.
te, in quo occubuisset Oldericus factus Episcopus 1025.
B Laudæ, expulso Ambrosio per eum electo, Laude obsessa & capta, & ibi in sede Episcopali reposito, accessisset in Germaniam ad Corradum Cæsa- A.C.
rem: Corradus Henrico filio suo infante Cæsare 1026.
designato ex Germania ductus per Heripertum una cum Brunone præsule Coloniæ, quatuor regulis, Hernesto privigno, Guidone Comite Italiæ ejus vexillifero, & Ugone Comite, trans Padum exercitu per montes Zinisios descendit in Italiam, & Vercellis celebrato Paschate Mediolanum profectus fuit, & rebellibus Heriperti repressis, eoque privato auctoritate eligendi Episcopum Laudæ, & cum ipse, & alii populi, & Principes Italiæ ab eo defecissent, & se vendicassent in libertatem, &
C Mediolanenses in eum arma cepissent, illinc properavit Corbetam, & inde Papiam, & illinc ad vicum Roncaliarum, & ibi habito conventu mox accessit Cremonam, & Landulpho ibi Episcopo mortuo substituit Ubaldum, & illinc Mediolanum regressus, illud obsedit, & ibi commisso equestri & singulari certamine per Heriprandum Vicecomitem cum Baverio Germano Corradi nepote, eoque ab equo dejecto, & sibi amputato capite, occiso, & Heriperto præsule exauctorato, eique suffecto Am- A.C.
brosio Mediolanense Cardinale, & in templo divi 1026.
Michaelis extra Mediolanum seu Modœtiæ, ut aliqui ajunt, coronis paleæ, & ferrea à Brunone præsule Coloniense acceptis, ipsius privilegiis exsuto
D Mediolano, & concessis Modœtiæ, & dum vellet consecrare Ambrosium in die Pentecostis ex visione divi Ambrosii in somnis sibi facta, & ex frequentibus tonitribus & fulguribus, quibus percussum fuit templum ipsum, & multi ex illius militibus tacti interierunt, visaque per aera trabe ignita labi super solem in ejus occasu, & cadere in terris, pesteque mox subsecuta, territus direptis ibi suburbiis pedem retulit Corbetam, & illinc Papiam, & inde Lucam; & Rainerio ibi Marchione sibi occurrente Romam profectus, ibi à Joanne summo PP. in solemni die Paschatis assistentibus Aedemondo Rege Angliæ, & Rodulpho Burgundiæ Duce, proprinquis Gisellæ uxoris suæ, coronam auream
E habuit inter Romanos, & Corradi milites ibi orta rixa, & commissa pugna, in qua multi utrinque occubuerunt, regressus fuit in Germaniam, & illinc an. 1030. Natali Dominico, ibi celebrato cum A.C.
Gisella uxore, & Hermano privigno Gisellæ filio, 1030.
& Conone Francorum Duce, & multis aliis Principibus per montes Tridentinos exercitu ingressus Italiam, Brixiam accessit, & illinc Cremonam, ibi A.C.
Ubaldo præsuli Cremonæ confirmatis ejus Ecclesiæ 1033.
quibuscunque concessis per præcessores suos in Imperio pro eo procurante, & intercedente Gisella Henrici uxore, eaque profecta Romam, ivit Mediolanum, & mox Papiam, & illuc profecto Heriperto præsule Mediolani cum præsulibus Genuense, Vercellense, ac Placentino, & ibi jusso capti-
F vari, & consignari Pupioni præsuli Aquilejæ, & mox opera Abbatis ibi D. Syri fuga elapso ivit Ravennam, & celebrato ibi Paschate, & ejus agro everso, & omni Italia citra Apenninum in ejus potestatem redacta rediit Cremonam, & ibi per Joannem sum-

mum Pont. illuc profectum exauctoratis ibi Ubaldo præsule, ac præsulibus Genuense, Vercellense, ac Placentino, sequentibus partes Heriperti, una cum
A. C. summo Pont. illinc ivit Parmam, eamque, dum
1035. ibi celebraret Natale Dominicum orto tumultu inter ejus milites ac Parmenses, & per illos occiso ejus pincerna, diripi ac comburi jussit; & in Apuliam profectus, & nonnullis ibi gestis adversus Pandulphum illic Principem, & ex epidemia sæviente in ejus exercitu multis ex ejus proceribus, nobilibus, & gregariis militibus amissis, rediit in Germaniam.

A. C. Et anno Natalis Dominici 1035. Corradus Im-
1035. perator adhuc reversus in Italiam, Brixiam & Cremonam profectus, ibi de seditiosis pœnas assumi
A. C. jussit, & prædia sita apud Cremonam per quinque
1036. millia passuum ob damna illata per Cremonenses Landulpho & Ubaldo eorum Episcopis, Ecclesiæ ibi adjecit, & ne quis Dux, Comes, & Scudelassius eam in ipsorum possessione turbaret, & etiam Cremonenses, & Brixienses, Mediolanenses, & Novicomenses de seditione convictos bonis suis exuit, & in Germaniam relegavit, & Bonifacio Comiti Ferrariæ Atestino nupsit Beatricem filiam, & Longobardos per varia loca Italiæ, præsertim Æmiliæ, & Venetiæ regionum exercentes tyrannidem, insecutus, passim ubique deprehensos repressit, atque bello attrivit, & Germaniam fuit regressus.

A. C. Et anno 1036. Ubaldus præsul Cremonæ, dum
1036. esset valde infensus Valdemonio Abbati, & monachis divi Laurentii, utrinque coactis copiis pugna commissa in Pago lacus obscuri fuit profligatus,
A. C. Corradus Imperator anno 1038. & Imperii sui XV.
1038. periit, die IV. Junii in Frisia, & sepultus fuit Bambergæ una cum Gisella uxore in ecclesia ibi cathedrali per eos fundata, eique successit in Imperio Henricus III. filius suus, seu gener nuncupatus
A. C. Niger. Et anno 1046. ex Germania in Italiam de-
1046. scendit exercitu cum Agnete uxore, & Mediolanum accessit, & ibi corona assumpta à Guidone præsule Romam profectus, & expulsis Joanne Episco Portuense, Joanne Archidiacono, filio Petri Leonis, invicem contendentibus pro obtinendo ibi Pontificatu ab illis occupato, ex eo ejecto Benedicto Episcopo Tusculano anno III. & mense III. seu VII. ipsius invasionis Gregorium Sindericum Episcopum Bambergæ constituit summum Pont. & ab eo nominato Clemente assumpsit coronam Imperialem die XXIX. Januarii una cum Agnete uxore. Et Bonifacius Lucensis, ejus sororius, die VII. Maji occisus fuit in vico Spinetæ agri Cremonensis in insidiis per sicarios, ejusque cadaver delatum Mantuam, in æde ibi divi Andreæ erecta per Beatricem ejus uxorem sepultum, superstite filio sui nominis ac Mathildæ mox ejus hærede, & nupta Gotifredo, etiam Atestino.

A. C. Et Henricus anno 1057. Imperii sui XVII. & die
1057. IV. Octobris apud Isolariam Saxoniæ urbem, Victore summo Pont. assistente, periit, filio sui nominis biennio præcedente, dum esset annorum quinque, Cæsare declarato, dimisso sub tutela Agnetis matris, filiæ Gulielmi Ducis Aquitaniæ, & Pictaviorum, & quæ Gibertum de Corrigio clericum Parmensem constituit pro Henrico filio rectorem Italiæ.

A. C. Et anno 1062. Nicolao Allobrago, Gerardo,
1062. dum esset in sæculo, nominato & Episcopo Florentiæ, summo Pontifici mortuo die II. Junii mensis VII. anni III. sui pontificatus, successit die ultima Septembris Anselmus Badagius Mediolanensis, & Episcopus Lucensis, & ex Canonicis regularibus divi Augustini, & nominatus Alexander, & Giberto Parmense annitente, & permittente etiam Henrico, sed reclamante Agnete matre, per Episcopos Galliæ Cisalpinæ die XXVII. Octobris an.
A. C. 1064. apud Basileam habito conventu Caudola E-
1064. piscopus Parmensis fuit factus Antipapa, & nomi-

A natus Honorius II. & ut occuparet Sedem Apostolicam per eum coacto exercitu, in quo erant multi proceres Rom. summo Pontifici adversantes, Romam ingressus, & ibi in campis Neronianis inter eum exercitum, ac Pontificium, in quo erant Gothifredus maritus Mathildis, Otho Vicecomes Dux Mediolani, & Odo Columna, de mense Aprilis commissa pugna, in qua multi utrinque ceciderunt, illinc expulsus, profectus fuit Mediolanum, & inde non multo post Romam accersitus per Cintium filium Stephani ibi præfectum, & alios illic proceres factionis suæ, & reversus exercitu, & ibi occupatis per eum urbe Leonina, ac æde divi Petri, & Gothifredo ejus acie, & Romanis in illum
B irrumpentibus dimissus per suos fautores ob id ter- A. C.
ritos, & à Cintio per media agmina Rom. perdu- 1067.
ctus in arcem Adriani, & ibi obsessus biennio solutis libris tercentum auri Cintio, & ab eo habito equo strigosissimo ex ea arce elapsus fuit.

Et anno 1072. Alexandro summo PP. die XII. A. C.
Februarii anno XI. cum dimidio sui Pontificatus 1072.
mortuo suffectus fuit Ildebrandus monachus ex Soana agri Senensis, patre Bonitio, die sequente, & die XXVIII. mensis Aprilis sacratus, & nominatus Gregorius VII. & per eum monito Henrico Cæsare, ne alicui largitione corruptus per simoniacam pravitatem Episcopatus, & beneficia ecclesiastica conferret, confirmata etiam constitutione Ni-
C colai sui præcessoris, quo declaravit electionem summi PP. spectare Clero, non autem Imperatori adversus decretum factum per patrem Henrici, & cum Henrico hæc recusante facere omnibus, quibus beneficia concessisset, interdictis sacramentis Ecclesiasticis, nocte Natalis Dominici in templo B. Mariæ Virginis ad præsepe Romæ celebraret missam, essetque recepturus Eucharistiam, per satellites Cintii instigati per Gibertum Parmensem Ravennæ præsulem captivatus, & intrusus in turrim munitissimam ibi regionis Parionis, & per Pop. Rom. hoc cognito facinore arreptis armis ex ea ereptus & liberatus, ea turri ac ædibus Cintii eversis, & non invento Cintio fuga prolapso in Germa-
D niam ad Henricum, ejus familiæ mutilatis naribus coacta synodo Cardinalium apud Lateranum, Ugonem de Blanchis Cardinalem, ex ejus adversariis ejus opera per Henricum cum Normannis, quibus summus Pont. intendebat movere bellum percusso fœdere, ac Gibertum Ravennæ, & Theobaldum Mediolani, Ubaldum Cremonæ, Raymundum Trevigii, & multos alios præsules & antistites Galliæ Cisalpinæ sequentes partes Henrici exauctoravit, & separavit à gremio Ecclesiæ Rom. & per Henricum procurante Sigifredo præsule Coloniæ, habito conventu apud Vormaciam procerum suorum, ac XXIII. Episcoporum cum eo sentientium electo Giberto Antipapa, & no-
E minato Clemente, & conspectis in Italia tribus Solibus eum præsulem Coloniensem, & alios, ac Henricum etiam exauctoravit, & segregavit à cœtu Christianorum Fidelium, & mortuo Ubaldo Cremonæ præsule ei suffecit Arnulphum.

Et Cremonenses anno 1076. & multi alii popu- A. C.
li Galliæ Cisalpinæ ab Henrico, & Imperio Rom. 1076.
cui, ac Regibus Italiæ, pro eo & aliis illud tenentibus, ac electis suppositi fuerant, defecerunt, & se in libertatem vendicarunt, constructis curribus * jam repertis per Mediolanenses, & super eis apposito vexillo civitatis, cujus juris erat, retento manu per juvenem impigerrimum, dum ipsi currus essent rotis grandioribus, & assidibus firmioribus,
F panno undique purpuræ constrato, & tabulato instar turris quadratæ, & in eorum medio

* Ejusmodi currus dicebatur *Carrocium*, cujus frequens mentio apud Scriptores, Morenam, Trist. Calchum, &c. Antonius Campus *Hist. Cremon.* lib. I. ejus institutum apud Cremonenses refert ad an. MLXXXI.

ligno


UNIVERSITARIA
SEVILLA

Pag. 1289.



Forma edúcendi **CARROCIUM** *in hostes; quód olim Italiæ civitatibus familiare fuit.*

J. Goeree del.





ligno projecto ab eorum fastigio rudentibus ad similitudinem mali navalis dependentibus, & in eorum summitate affixa cruce aurea, & infra antenna magna suspensa, unde explicaretur vexillum, & quos currus boves excellentis formæ veste candida induti traherent, ejus data cura viro clarissimo virtute & genere, lorica & aureo baltheo induto, & publico stipendio educato cum cohorte militum strenuorum, qui eum comitabantur, præcedentibus sex tibicinibus, & duobus sacerdotibus asservantibus tabernaculum super ipsis curribus, in quo asservabatur sacramentum Eucharistiæ, & celebrantibus missam; & peccatorum militum audientibus confessiones, & alia eis spectantia obeuntibus, dum currus ipsi tenerentur in medio exercitus, qui in eo loco, in quo affirmabantur currus, castrametabat, & progrediebatur in hostes, & regrediebatur, & curribus amissis dilabebatur. (Horum curruum iconem, ex *Hist. Crem.* Antonii Campi desumptam, æri incisam hic apponi curavimus) Et cum multi alii Imperio subditi ab Henrico defecissent, & Saxones in ipsum bellum reparassent, & Episcopus Metensis censeret quoque eum ab Imperio deponendum, & Rodulphus Guelfo Teutonicus, & multi alii Principes Germani habito conventu Augustæ, ne quid sinistri adversus Imperium ob hanc discordiam contingeret, decrevissent, ut summus Pont. illuc proficisceretur, & ibi ab eo Henricus erratorum suorum veniam peteret, & cum se ea facturum juramento spopondisset summus Pont. ex hoc, & etiam motus precibus ac persuasionibus præsulis Treverensis, ob id ad eum per Henricum inter alios Oratores transmissi Romam, illinc abiit, & iter suum direxit ad Henricum. Et cum Vercellas appulsus per ibi præsulem, & Henrici in Italia cancellarium clam admonitus fuisset Henricum hostili animo in eum esse, retrocessit, & se recepit in oppidum Canosi agri Rhegiensis Com. Mathildis.

A. C. 1077. Et cum Henricus Italiam ingressus exercitu dimisso in agro Vercellense illuc se contulisset, & juxta ibi muros deposito ornamento imperiali media hyeme ac aspera per triduum moratus à summo Pont. veniam erratorum suorum in eum petiisset, ipsum rogatu Mathildis, ac Adelai Com. Sabaudiæ, & Abbatis Cluniacensium ibi cum eo exsistentium concessit, ipsumque absolvit, & imperio, & ecclesiæ restituit, pace utrinque firmata die vigesima Januarii, & per Henricum jurejurando promissa integra obedientia Sedi Apostolicæ, & cum illinc Papiam divertisset, & ibi Cintio subita febre correpto & mortuo iterum ab ecclesia defecisset, & per Othonem Saxoniæ Ducem, & Rodulphum Sueviæ Henrici cognatum ob ejus uxorem, Henrici sororem dimissus fuisset, & per Othonem, & alios Electores, ac proceres Germanos in unum conventos apud Forclem in Germania de mense Maji depositus ab Imperio, & electus Rodulphus, ad eum transmisit coronam imperialem. Et Henricus ex Italia recedens in Germaniam exercitu profectus fuit in Rodulphum, & facto utrinque conflictu ad Ambrottam amnem, in quo Episcopi Vormaciensis, & Madusburgensis occubuerunt, ipsum expulit ex Suevia in Saxoniam, & sum. PP. dum Parochi Ecclesiæ sanctæ Agathæ olim constructæ in suburbiis Cremonæ per ibi incolas ex eleemosyna, & suo proprio ære ad omnipotentis Dei reverentiam; & pro remedio animarum suarum, vigente discordia inter eum & Henricum sibi commendassent, eam suscepit in sui protectionem.

A. C. 1078. Et anno 1078. die XII. Maji, opera ac sumptu Gulielmi Abbatis, & Guidonis Prioris Monachorum divi Benedicti, Cremonam, ibi præsule Arnulpho, ac Odone Abbate sancti Laurentii, ossa Divorum Petri & Marcellini translata fuerunt, & reposita in æde Divi Thomæ, culta per illos Monachos, & mox per Monachos montis Oliveti ejusdem Ordinis, & induentes indumenta coloris albi, ac sacrata per Bonitium Episcopum Sutrinum, ac Legatum Apostolicum, & qui Romæ affecti fuerunt martyrio, & decapitati, imperantibus Diocletiano & Maximiano, & sepulta apud Basilicam Divæ Helenæ inter duas lauros ibi constructam, & indicata fuerunt per Rom. sacerdotem Romano monacho, & Nicolao, & Alberto presbyteris, & Joanni diacono, dum esset in articulo mortis, cum jam diu occultata remansissent, & mox per Sansonem Lateranensem eis Abbati, & Priori, qui ea habuerunt à quodam monacho, & Alberico presbytero habentibus eorum custodiam multum rogatis.

Et anno 1080. Henricus Cæsar die XV. Octob. cum Rodulpho adhuc prælio congressus apud Mesburgum, ejusque exercitu fuso, eique amputata dextera, ipsoque non multo post mortuo, & dum Henricus filius suus ex Germania in Italiam alio exercitu properasset, & apud Parmam Mathildem & Azonem Atestinum ejus secundum maritum sibi exercitu occurrentes utrinque commissa pugna fudisset, per Bavariam alio exercitu cum Antipapa eum assecutus fuit, & profectus in Hetruriam, ibi obsedit Florentiam die XX. Aprilis, & mox ea dimissa illinc Romam progressus, & illinc expulsus regressus Ravennam, & postea per Spoletinos Romam reversus, & ingressus una cum Antipapa eam profanavit, porticibus ibi Divorum Petri & Pauli dirutis, & occupata urbe Leonina, & in campis Neronianis castris locatis mox Tybur accessit, & ibi dimisso Antipapa cum pleroque exercitu in Galliam Cisalpinam rediit. A. C. 1080. A. C. 1082.

Et ut conjicere potui ex memoria facta super quodam fragmento per quendam auctorem haud celebrem Henricus filius interim ejus jussu obsedit Cremonam, quæ ipsi, postquam se vendicarat in libertatem, recusabat pendere censum pilæ aureæ sex librarum, quam Imperio Rom. quotannis pendere tenebatur, ut eam adhuc compelleret in jus Imperii, positis castris versus flumen Padi in vico Mosiæ; & cum adversus eum Cremonenses, una cum Mediolanensibus, Placentinis, ac Parmensibus profectis in eorum auxilium tuerentur, ac custodirent viriliter, inde erumpendo, & prælia levia sæpe committendo cum Henrici militibus, & Henrico tædio affectus longa ipsius obsidione, & diffisus ea potiri, factis inter eum ac Cremonenses per aliquot dies induciis, eisque destinatis fœcialibus obtulisset, se paratum fore controversiam dirimere singulari certamine cum aliquo ex eorum nobilibus, ubi ita eis placuisset, & Johanninus Baldesius ex oppidanis Casalis majoris agri Cremonen. juvenis impiger, & signifer supremus Cremonensium, obtulisset subire certamen ipsum invita pactione, firmataque juramento utrinque, ubi Henricus succubuisset in certamine, Cremonam à censu immunem ac liberam dimisisset, sin minus, Cremonenses adhuc imperio se subjecissent, & censum debitum exsolvissent, & tempore præstituto certamini dispositis tentoriis, & constructis ergastulis ligneis in agro Mosiæ, Henricus & Johanninus equestres armati thoracibus, galeis & aliis armis deffensibilibus, lancea & clava, se obtulissent certamini, & invicem concurrissent, & congressi per horam fuissent, Henricus per Johanninum lancea multum crassa & viridi, quam habebat, percussus, & ab equo, quem insidebat, dejectus in terris, dimissa victoria Johannino illinc abiit exercitu, Cremonamque liberam dimisit. Et Cremonenses, ob tam clarum facinus & beneficium eis præstitum per Johanninum, volentes ipsi aliquam gratiam habere, ei nupserunt Bertam de Zolis, unicam filiam ac hæredem unius ex primoribus eorum, cum dote omnium fundorum jacentium in vico Mosiæ, & ex

ex alluvione fluminis Padi civitati acquiſitorum, & omnium bonorum dimiſſorum in hæreditate patris ejus puellæ; & Johanninus, cum nulla prole ex ea ſuſcepta obiiſſet, eos omnes fundos ac bona ſua ex teſtamento reliquit Cremonenſibus, qui ob id poſitis ad perpetuam memoriam eidem ac uxori ſuæ duabus ſtatuis marmoreis in muro anteriori eccleſiæ cathedralis mox conſtructæ, & ad forum majus civitatis in loco eminenti, ordinarunt quotannis perpetuo in vigilia Aſſumptionis B. M. Virginis ad æthera, & die XIV. Augufti eas ornari veſtimentis coloris rubei & albi ſecundum inſignia civitatis, quod mox ſemper factum fuit.

A.C. 1083. Et anno 1083. Henricus Cæſar, dum Rom. ad evitandas quotidianas agrorum ſuorum incurſiones ac direptiones, quæ fiebant per Henrici milites, ac urbis obſidionem, ſe ei permiſiſſent, urbi admoto exercitu eam ingreſſus fuit, & ſummum Pont. dum ſe recepiſſet in arcem Adriani, in ea obſedit, & cum Rubertus Viſcardus exercitu pro-
A. C. 1084. peraſſet ad auxilium ſummi Pont. ibi coronato Antipapa in Eccleſia Lateranenſi, illic aſſiſtentibus Epiſcopis Bononienſe, Cervienſe, Mutinenſe, & Cremonenſe, per ipſum mox inſignitus corona imperiali in diebus Paſchalibus, illinc ibi everſis domibus Corſorum nobilium Rom. fautorum ſummi Pont. cum Antipapa abiit Senas, & Rubertus ejus acie militari irrumpens urbem per portam Flaminiam reſiſtentibus Romanis, eam combuſſit uſque ad arcum triumphalem Domitiani, Laterano ac Capitolio receptis, Capitolioque ſolo æquato, everſave parte urbis, illud ac Lateranum interjacente, ibi inter Rom. ac Normanos commiſſis multis præliis, & urbe ſibi tandem vendicata ſummus Pont. per eum eductus fuit è mole Adriani Caſſinum, & mox Salernum, ubi ex dolore animi die IV. Maji, V. menſis ſecundi anni XIII. ſui Pontificatus obiit, & die XX. ejuſdem menſis Deſiderius ex Samio Abbas Montis Caſſini invitus factus fuit ſummus PP. & nominatus Victor Tertius, qui dum amplexatus fuerit partes ſui præceſſoris, & eſſet in monaſterio Montis Caſſini die XVI. men-
A. C. 1087. ſis Septemb. anni ſecundi ſui PP. ex veneno in calice expoſito, dum ſacrificaret, fuit exſtinctus. Et Odo, vel Otho, monachus olim Eboracenſis, poſtquam Sedes Apoſtolica vacaſſet per menſes quinque, ad eam fuit adſcitus, & nominatus Urbanus Secundus, qui aſſignavit Canonicis Regularibus ordinis divi Auguſtini Congregationis eccleſiæ Lateranenſis Rom. eccleſiam divæ Agathæ Cremonæ, & poſtquam biennio exagitatus ſeditionibus populi Rom. ac fautorum Henrici, ſe continuiſſet in ædibus Petri de Leonibus apud templum divi Nicolai carceris in Tulliano, ei cedens ivit una cum Cardinalibus & plurimis aliis Melphim, & ibi habuit ſynodum. Et cum Henricus ex Germania rurſus exercitu Italiam ingreſſus fuiſſet, & ibi prælio commiſſo cum acie Mathildis in campo Sorbariæ trans Padum, victus, & obſeſſa Mantua
A. C. 1087. per undecim menſes, eaque, & Ferraria, & multis aliis Rom. eccleſiæ intra biennium occupatis per
A. C. 1089. illum, & rurſus apud Romam conſertis manibus cum agminibus militum Mathildis ibi ſuperatus,
A. C. 1093. Corrado ejus filio ab ipſo deficiente, iverit Venetias, & illinc cum Antipapa in Germaniam adverſus Corradum, Antipapa illinc mox tranſmiſſo in Italiam, qui ivit Beneventum ad Ricardum illic Principem, Melphi abiit in Apulia, & ibi apud Trojam aliam habuit ſynodum; & illinc progreſſus in Galliam Ciſalpinam apud Guardaſtallum, & Placentiæ alias habuit ſynodos, & Mediolanum profectus ibi incolas & Præſulem ibi diſcordes con-
A. C. 1094. ciliavit. Et mox illinc properavit in Galliam Tranſalpinam, ubi apud Claramontem Alverniæ de
A. C. 1095. menſe Octobris habuit aliam ſynodum cum prælatis, & aliis, qui erant cum eo, ac Gallis & Germanis prælatis, & proceribus, in qua decretum fuit bellum adverſus Saracenos, & Turcas occupantes Hieroſolymam, & Antiochiam, & alias urbes Chriſtianorum in Syria, & regionibus finitimis Orientalibus hortatu Epiſcopi Hurienſis, & Petri Anachoritæ Galli, ex Ambianis Bellovacenſium Galliæ Belgicæ, per illos infideles illinc expulſis omnibus Chriſtianis, prophanatiſque, & ignominioſe cuſtoditis Præſepe, in quo D. N. Jeſus Chriſtus conceptus è Spiritu Sancto aſſumpta noſtra carne natus eſt ex M. V. & Sepulcro, in quo ejus corpus fuit poſitum depoſitum è cruce, cui turpiter affixum fuit die XXV. Martii, & ſolemnitatis Paſchatis Judæorum ex invidia & falſis accuſationibus illorum Scribarum & Sacerdotum per Pontium Pilatum, eorum pro Tiberio Cæſare procuratorem, damnatus ad mortem pro Redemptione noſtra, ac totius humani generis; & ex quo Sepulcro, poſtquam in eo ſtetit per triduum, ſurrexit, & illinc ad quadraginta dies adunatis in Galilæa omnibus Diſcipulis ſuis cum Beatiſſima ejus Genetrice omnibus videntibus adſcendit in Cœlum, in eis regionibus prædicata per ipſum pœnitentia, & remiſſione peccatorum, & factis infinitis miraculis, & oſtenſis innumerabilibus virtutibus ad convertendum ad omnipotentem Deum Hebræis ipſis ab illorum impiis ſceleribus, quibus fere omnes infecti erant, & ad corroborandum, & plene inſtruendum in fide divina ejus Apoſtolos, ad ipſos è cœlo poſt ipſam Adſcenſionem per decendium tranſmiſſus fuit Spiritus ſanctus.

Et tunc Henricus Cremonenſis mortuo die prima Septembris B. Alberto Bergomenſe, Abbate monachorum de gentium in Monaſterio Putidenſe Diœceſis Mediolanenſis per eum fundato, ſurrogatus fuit, & inter electos omnipotentis Dei ob ipſius probam & ſynceram vitam, ac laudabiles mores fuit connumeratus.

Et anno ſequente ſummus Pont. regreſſus Italiam ivit Placentiam, & ibi in ſui gratiam auctore Corrado filio Henrici recepit Epiſcopos, qui adhæſerant Antipapæ, & illinc ivit Guardaſtallum, & illic habuit aliam ſynodum, & Romam rediit, & illic, dum occupata Alba Marſorum per Antipapam auxilio ac inſtigatione Ricardi, principis Capuæ ac Beneventi, timuerit à Johanne Pagano, & Rom. Henrico, & Antipapæ adhærentibus, dimiſſis ædibus Lateranis, ac ſanctæ Mariæ, ſe recepit adhuc in ædes Petri Leonis, ubi anno duodecimo, & menſe quarto ſui Pontificatus, & die XXVIII. Julii periit, ejus cadavere latenter delato, ne Pop. Rom. in illud ſæviret, ad templum divi Petri, & illic tumulato, & Raynerius Bleda ex Flaminia patre Creſcentio, & matre Alſatia, & presbyter Cardinalis tit. ſancti Clementis, & monachus Cartuſienſis, fuit ei ſubſtitutus, & nominatus Paſchalis Secundus. A. C. 1096.

Et interim Gothifredus, Balduinus, & Euſtachius fratres Bolioni, Rubertus Flandriæ, Raymundus Tholoſæ Comites, Ugo Magnus frater Philippi Regis Francorum, & multi alii duces, & proceres coacto multo exercitu ex Francis, Belgis, & aliquibus Germanis ex ibi regionibus, quo tranſirent in Syriam adverſus infideles illos, ad illinc expellendum, & recuperandum regionem ipſam per illos occupatam, (ut præfertur) adverſus ipſam iter ſuum direxerunt, & dum Ugo & Raymundus copiis ſuis deſcenderint in Galliam Ciſalpinam, iverunt Mediolanum, & de menſe Octobris acceſſerunt Cremonam, & ſe eis aſſociarunt Otho Vicecomes, & multi alii Mediolanenſes, Cremonenſes, ac ex incolis ejus regionis; & dum progreſſi fuerint in Apuliam, Boemundus, ac Tancredus patruus, & nepos Normanni eorum copiis, quas haberent paratas, dum Boemundus, & Rugierius, pater Tancredi, & frater Boemundi, in-

vi-

vicem gererent bellum ob ibi regnum, quod tenebat Ruglerius, depoſitis armis eos ſecuti ſunt, & dum ipſi omnes progreſſi fuiſſent in Thraciam, & Byzantium ſibi reſiſtente Alexio illic Imperatore, & mox ſecum auctore Boemundo inito fœdere, & per eum ſibi ſubminiſtratis annona, ac materie bellica, & militibus, & aliis ad bellum neceſſariis, ipſi omnes gravi periculo proſecuti fuerunt iter ſu-
A. C. 1097. um verſus Syriam, & obſeſſa, & recuperata Antiochia anno 1097. de menſe Octobris ibi factus fuit Princeps Boemundus, & mox multis aliis urbibus ex Bithynia, & Cappadocia, & Syria, & regionibus ibi propinquis olim Imperio Byzantii ſuppoſitis, obſeſſis, & receptis una cum Hieroſolymis
A. C. 1099. die xv. Julii 1099. ibi factus fuerit Rex Gothifredus per ipſum exercitum Chriſtianorum, factis multis conflictibus cum illis infidelibus, in quibus plurimi occubuerunt, ſed plerique infideles, qui ſemper ſuccubuerunt, & Otho Vicecomes congreſſus pugna ſingulari cum Voluce regulo Saraceno ſtaturæ giganteæ, eum ſuperavit, & occidit, ei adempto inſigni viperæ habentis in ore hominem ſemidevoratum, quo utebatur, ad ipſam expeditionem etiam in auxilium Chriſtianorum per Venetos, ac Piſanos deſtinatis claſſibus fulcitis, & mortuo Gothifredo infra annum, ſurrogatus fuit Balduinus frater.

Et Arnulpho præſuli Cremonæ mortuo ſuffecto Vualtero, ſedatoque bello anno præcedente, de menſe Maji orto inter Cremonenſes ac Cremenſes ob fines, & utrinque commiſſo prælio; in quo multi occubuerunt, & diſtinctis finibus, & ſcilicet; ut aquæductus tranſiens per pagum Salvirolæ foret limes eorum territoriorum, & citra ejus ripam eſſet Cremonenſium, & ultra Cremenſium, & via Mozanichæ confinans agro Bergomenſi eſſet tota Cremonenſium.

Et Gibertus de Fois Guaſco dux turmæ equeſtris; dum ex Syria ab expeditione Hieroſolymitana reverteretur ad lares ſuos, appulſus Cremonam, ibi infirmatus periit; ejuſque cadaver ſepultum fuit in tumulo ſubterraneo ſibi conſtructo in templo ibi dicato divo Ægidio; ſuper quo eſt ejus inſigne trium bovum cum leone habente pedem lævum erectum cum tribus foliis lauri, atteſtantibus eum habuiſſe tres victorias adverſus infideles in Damaſco, & Hieruſalem; & cum ex ejus domeſticis Cremonæ remanſerint, ex ipſis proceſſit ibi fami-
A. C. 1101. lia cognominata de Foliatis. Et Com. Mathildis dum eſſet die prima Junii anni proximi in oppido Mirandulæ, inita conventione cum Abbatiſſa monaſterii Divorum Sixti & Fabiani Placentiæ pro oppidis Guardaſtalli, & Luceriæ, ea conceſſit Cremonenſibus. Et Henricus Cæſar Giberto Com. Lotharingiæ per nonnullos Epiſcopos Germaniæ, electo Cæſare, & trucidato; ac victis Saxonibus; geſſit etiam bellum adverſus Henricum V. filium ſuum, etiam Cæſarem electum per Germanos Epiſcopos; & ſibi rebellem; & dum eo obſeſſo Moguntiæ per Henricum filium; utrinque concurſuri ibi forent armis, & Principes Germani, qui erant cum filio, id recuſarent facere, & Henricus filius
A. C. 1106. illinc Norimbergam profectus illud expugnaſſet, ac diripuiſſet, eum inſequutus fuit, & dum ibi rurſus utrinque paratis aciebus eſſent concurſuri, interponentibus ſe Principibus Germanis, qui erant cum eis, ceſſavit à pugna, & admonitus per filium, ut à ſuis miniſtris caveret, clam abiit Leodium, & cum filius ex Aquiſgrano illuc profectus intenderet illud expugnare, occupavit pontem conſtructum ſuper Moſa flumine apud Vitriacum, & deſtinato ejus exercitu in exercitum filii, ipſum aliqua clade repulit, & per eum recepta Colonia ſequente partes Cæſaris auxilio ibi præſulis, obſeſſoque Leodio per quadrimeſtre, ſtella inſolita à veſperis diei Veneris primi Quadrageſimæ ex Auſtro in Occaſum conſpecta per dies xxv. lucere, eique ingentem trabem accenſam occurrere, & viſis in cœna Domini duabus Lunis, una ſcilicet in Ortu, & altera in Occaſu, ac tribus Solibus, & Comete horribili per dies XL. & multis aliis prodigiis in aere, interiit die VIII. Auguſti, & anno imperii ejus L. & cum eſſet excommunicatus, ejus cadaver exhumatum remanſit per quinquennium, & mox obtenta ejus abſolutione ſepultum fuit Spiræ in baſilica majori una cum cadavere Bertæ ejus uxoris, filiæ Othonis Marchionis Italiæ, ex ea etiam ſuſcepta filia nupta Othoni Regi Ruſcorum. Et Henricus Cæſar continuavit in Imperio.

Cremonenſes de menſe Junii profecti Brixiam, eam obſederunt; & per Papienſes, dum gererent bellum cum Derthonenſibus, accerſiti una cum eis ac Laudenſibus menſe Auguſti profecti Derthonam, ejus ſuburbia combuſſerunt, ipſamque obſederunt; & Mediolanenſibus per Derthonenſes ad eorum opem vocatis & profectis, utrinque geſtis nonnullis præliis, in quibus multi occubuerunt, domum redierunt, & Eccleſiam inchoarunt Cathedralem die xxv. Auguſti, Walterio eorum præſule in ho- A. C.
norem Beatiſſimæ Mariæ in cœlum aſſumptæ. 1107.

Et anno 1109. Othone Vicecomite Angleriæ A. C.
Com. ac Mediolani Principe mortuo anno LV. ſui 1109.
principatus, ſuperſtite Andrea filio ex Lucretia Gallica uxore annorum XVIII. adverſus Brixienſes de menſe Junii inchoarunt bellum. Et anno ſe- A. C.
quente, Petro eorum Duce, commiſſo prælio cum 1110.
illis, ipſos profligarunt, & obſederunt Brixiam, & per illos accerſitis Mediolanenſibus, eiſque profectis in ſui auxilium, & utrinque reparato bello, & alio commiſſo prælio ad flumen Olii, victi fuerunt multis hinc inde cadentibus, & ex eis obrutis in aquis fluminis Olii, Andrea Vicecomite Mediolanenſium duce; & mox per Mediolanenſes & Brixienſes victoria potitos recepta, & ſolo æquata die VII. Maji Laude veteri, eodem menſe eam recuperarunt, & dimiſerunt Laudenſibus, illinc expulſis Mediolanenſibus ac Brixienſibus. Qui anno A. C.
proximo ingreſſi Cremonam die Mercurii decima 1111.
Auguſti, Petro ibi tyranno, ac incolis invicem diſcordibus, eam diripuerunt ac combuſſerunt, audito ibi terræmotu die III. Januarii.

Henricus Cæſar primis quinque annis rebus Im- A. C.
perii compoſitis in Germania anno ejus ſexto illinc 1114.
in Italiam deſcendit exercitu XXX. millium pedeſtrium, & xx. millium equeſtrium, una cum filio, & Novaria ſibi reſiſtente capta & combuſta, & Mediolani habita corona à Griſolamo ibi præſule, &, Andrea Vicecomite domino illic confirmato, inde comitatus per Griſolamum Ugonem Camerlenghum, & Amizonem Piſtorienſem, Cremonam acceſſit die XVII. Junii, & ad preces Domitii Præpoſiti ibi S. Agathæ dedicatæ, ſeu oblatæ divis Petro & Paulo, eam ſuſcepit in ſui protectionem cum omnibus ſuis, quæ haberet tam in ea civitate, quam extra ipſam in vicis Monticellorum de Ubertis, Aquælongæ Badoni, & ibi caſtro, & aliis ſibi pertinentibus, Campimagri, & ibi eccleſia S. Chriſtophori, & eccleſia S. Valeriæ in Aulgia cum XII. terræ jugeribus, & eorum colonos, ſervos, & ancillas ſuper eis commorantes; & illinc deſtinata parte exercitus in agrum Brixienſem, per eum arce Gavardi expugnata, inde diſcedens Mantuam, Parmam, ac Ferrariam Com. Mathildis ſuppeditavit, ac expugnavit Pontremulum ditionis Lunenſis, cum ibi incolæ noluiſſent eum admittere, ac diripi juſſit, & pace inita cum Mathilde, illinc ivit Sutrium, & ibi exercitu ſubſtitit, & inter eum ac ſummum Pont. ultro citroque miſſis legatis re compoſita, & juramento per eum interpoſito, facta pollicitatione ſe urbem pacato agmine ingreſſurum, illoſque, qui ab ipſo obtinuerant epiſcopatus, ab eis abdicaturos, eam ingreſſus

gressus fuit die x. Februarii, & positis castris ad montem Gadii, seu Mali, urbem Leoninam occupavit, & illinc à mole Adriani profectus est ad basilicam divi Petri, & osculatis ibi pedibus summi PP. stantis illic habitu solemni ad altare majus, mox ab eo facta postulatione, ut ipsis, quibus dederat episcopatus, confirmaret, eoque, cum id recusasset facere, captivato per milites Henrici templum ingressos ad id signo habito, una cum multis prælatis spoliatis eorum bonis, & cum Romani tam atroci injuria ei facta, & indignitate rei concitati armis arreptis Teutonicos secum militantes una cum eo ex urbe expulissent, multis ex eis occisis pedem retulit ad montem Soractem, & ibi summo PP. ac prælatis, dispositis circumquaque custodibus, dimissis, reliquum exercitum admovit urbi, eam oppugnaturus, & cum occupato monte Mameo per milites Henrici, & illinc factis incursionibus in agrum Rom. eum ferro, & igne, ac rapinis evertendo. Et cum summus PP. motus precibus Rom. ad eam avertendam ruinam perductus ad montem Soractem adhibitis notariis annuisset postulatis Henrici, eumque coronasset die III. Aprilis in templo divi Petri, factus sui compos non multo post in Germaniam rediit, & dum esset Veronæ Walterio præsule Cremonæ instante suscepit in sui protectionem pro remedio animæ suæ, & Bertæ ejus uxoris ecclesiam Cathedralem Cremonæ de recenti ampliatam sub titulo, & ad honorem Assumptionis B. Mariæ Virg. & ei confirmavit vicos Butanenghi, Castri veteris, Insulæ Ronduladeschi, Casænovæ, Brotamani, Azanelli, & Fontanellæ, cum sacello S. Salvatoris, & oratorio divi Mauritii. Et summus Pont. coacto Concilio Romæ apud Lateranum revocavit omnia per eum concessa Henrico uti sibi ipsi extorta.

A.C. 1115. Mathildis die XXIII. Julii annorum LXXVI. decessit Vincentiæ, seu Florentiæ, vel Mantuæ, ejusque cadaver sepultum fuit in ecclesia monasterii divi Benedicti inter flumina Padi & Laronis, legata testamento ecclesiæ Rom. omni regione à Spisia amne, & S. Quiritio agri Senensis, & Rhadicorphano, usque Ceparanum inter Apenninum, ac mare exstante, & in diœcesi Cremonense erectis ecclesiis Plebium trium litterarum Joannis, Sexpillarum, SS. Jacobi, Petri in Dulmona, Geminiani Guratæ, & Octovillarum, & in suburbiis Cremonæ ecclesiæ S. Agathæ ibi constitutis XII. Canonicis Regularibus, assignatis multis fundis in vico Aquælongæ Badoni, & territorio Castrileonis cum multis honorantiis, & quæ primo nupsit Guidoni Duci Sueviæ, eoque uti impotente repudiato, Gottifredo, & eo mortuo, Azoni Estensi.

A.C. 1116. Anno 1116. Henricus Imperator Occidentalis indignatus in summum Pont. quia revocasset omnia sibi concessa, (ut præfertur) ex Germania rursus Italiam exercitu irrupit, & ut è medio eum tolleret, ipsique alium sufficeret, à quo rursus coronaretur, Romam profectus omnia ibi adjacentia populatus fuit, & per Tholomeum, & Abbatem Farsensem, eorumque sequaces, magna cum pompa fuit introductus in eam, & ex Campania accersito Mauritio Hispano Episcopo Bracharense, eum creavit Antipapam, & appellavit Gregorium, & per Rom. appellatum Bordinum, & credens, se fuisse quoque privatum per summum Pont. dignitate imperii per illum, qui erat exsul, apud corpus D. Gregorii iterum se coronari fecit, & die XXIX. Martii ad intercessionem Episcoporum Bernardi Parmæ, Landulphi Astæ, Victoris Bononiæ, Sigifredi Vercellarum, & Azonis Novariæ, dum esset apud vicum Fontanæ in agro Bononiense, recepta sub ejus tutela Abbatia Viardæ Episcopatus Cremonensis, una cum Mandinulpho ejus Abbate, & omnibus bonis acquisitis & acquirendis, necnon allodiis, & libellariis, interdicendo, ne quis Archiepiscopus, Episcopus, Comes, Vicecomes, Scutellarius, & Abbas ei & monachis, ibi Deo servientibus, molestiam inferrent, & Cremonensibus in sui gratiam receptis, ac facta promissione per ipsum eis auxiliari adversus suos hostes die VI. Julii Odone Comite, & Diacono Persico eorum legatis ex Italia properavit in Germaniam, concessis etiam Cremonensibus jure in aquis fluminis Padi.

A.C. 1119. Et anno 1119. ex Germania rursus Italiam ingressus exercitu Romæ se appropinquavit, positis castris ad ædes D. Petri, & Gelasius summus Pont. noscens eum uti hostem Rom. Ecclesiæ, & ut ei noceret, illuc accessisse, ex Laterano abiit in ædes Vulcanini Romæ tunc potentissimi, & illinc duabus triremibus repertis, Vulcanino comitante, & Germanis Henrici militibus eum egressum Romam telis ac sagittis impetentibus ivit Adriam, & illinc Terracinam, & mox Gajetam patriam suam, & Henricus Rom. ingressus fuit, & intendens suppeditare ditionem Romanorum, obsedit Otriculum, oppidum agri Anagnini, & Gulielmo Duce Apuliæ, & Ruperto Capuæ, & Ricardo Aquilæ, Principibus Normannis profectis ad summum Pont. & per eos se, ac quibuscunque eorum juris ipsi suppositis, ac pollicitò omni auxilio adversus Henricum, & alios factionis suæ, & ex ejus ordine coacto exercitu ad oppidum S. Germani, commendato Antipapa familiæ Frangipanorum ac sequacium, cædibus, incendiisve, ac rapinis in Italia commissis, inde regressus fuit in Germaniam.

A.C. 1121. Anno 1121. Cremonenses ex agro Brixiense ceperunt pagum Aquænigræ, & cum Parmensibus ad Glaream S. Joannis pari Marte manus conseruerunt, & mox pacem fecerunt. Et anno 1125. A.C. 1125. Lambertus ex Fagnano agri Imolensis, episcopus Hostiensis, fuit electus summus PP. & nominatus Honorius; hyemsque asperrima fuit; qua infiniti mortales & animantia perierunt, & flumen Padi gelu concretum fuit, ut iter viatoribus, & plaustris onustis & ductis per boves, & equos ad ea trajicienda ipsum flumen præbuerit, & consumpti fructus ex nimio frigore, ac gravis fames subsequuta fuit.

A.C. 1126. Anno proximo die xx. Aprilis apud Trajectum periit Henricus Imperator, & sepultus fuit Spiræ in ecclesia ibi majori anno Imperii sui xx. nulla dimissa prole ex Mathilde uxore, filia Henrici Regis Angliæ, mox nupta Gottifredo Com. Andegavensi, ex quo suscepit Henricum, mox Ducem Normanniæ, & Regem Angliæ.

A.C. 1127. * Et anno sequente Lotharius, secundus filius Gulielmi Com. Dux Saxoniæ ex opera Alberti præsulis Moguntiæ fuit electus Cæsar, Federico & Corrado nepotibus Henrici Leopoldo Com. Orientali, & Carolo Flandriæ competitoribus die XXIX. Augusti, & ex quibus Corradus Dux Franconiæ per Gottifredum Com. Palatinum Rheni, ac urbes Francorum & Suevorum electus fuit. Et Lotharius instigatus per Albertum præsulem Moguntiæ, secum conjunctis Olderico Boemorum, & Henrico Bavariæ Ducibus, exercitu profectus in Corradum & Federicum, fratrem suum ex Agnete sorore Henrici, exercitu obsedit eorum oppidum Noricorum, & per eos coactis copiis illinc prælio repulsus ivit Herbipolim; & cum se recepissent Spiram, illuc profectus, ibi eos obsedit, & diffisus ea potiri, illinc abiit, & Henrico Bavariæ Duci fratri Guelfonis nupta Geldria filia, ex qua prodiit in lucem Henricus, cognominatus *Superbus*, & à Leone, eum destinavit exercitu in Sueviam adversus illos, & illinc Corradus descendit exercitu in Italiam, & ibi occupata Gallia Cisalpina coronatus fuit Mediolani corona ferrea per Anselmum Pusterlam ibi Præsulem, & Lotharius

Spira,

Spira, Ulma, & Norimberga expugnatis, eum insecutus fuit, ipseque diffisus viribus suis illinc in Germaniam regressus fuit.

Et Febronia Abbatissa monasterii SS. Sixti & Fabiani Placentiæ concessit die VIII. Januarii, Cremonensibus tertiam partem Guardastalli & Luzariæ, præter ibi ecclesiarum per eos die v. Decembris inita conventione cum Placentinis offerendi pro eis quotannis ecclesiæ ipsius monasterii Byzantinum Romanatum.

A.C. 1130. Anno 1130. Cremonenses, eorum Consulibus Florebaldo & Anselmo, bellum habuerunt cum Cremensibus de mense Junii, & cum obsedissent Cremam per Mediolanenses, quibus adhæserant in odium Cremonensium, in eorum auxilium vocatis, illinc repulsi fuerunt de mense Octobris. Et dum transmisissent cohortes militum quoque Brixellum adversus Brixienses & Mutinenses, ex eis quamplurimi trajiciendo Padum in ejus aquis obruti remanserunt, & multi fuerunt captivati, Waltero eorum præsule anno præcedente mortuo, & Ugone ei substituto, ipsique non multo post mortuo, Uberto, & Lambertus Abbas S. Laurentii procuravit ex urbe asportari Cremonam corpora D. Marii, Marthæ, Audifacis, & Abacuc parentum, & filiorum martyrio affectorum anno 306. Romæ una cum reliquiis D. Urbani summi Pont. ac Quirini etiam Martyrum, & reponi in ecclesia S. Laurentii.

A.C. 1131. Et anno sequente ossa divi Hymerii, quæ diu occulta remanserant, de mense Maji fuerunt reperta, & reposita in loco patentiori ecclesiæ ibi majoris.

A.C. 1133. Innocentius summus PP. non valens resistere factioni Anacleti Antipapæ, filio Petri Leonis Rom. ex urbe profectus in Galliam, & Philippo filio Ludovici ibi Regis, & Henrico Angliæ Rege repertis apud Carnutum exhortatis ad expeditionem adversus infideles, & mox profectus Leodium, & ibi reperto Lothario Cæsare, & ab eo requisito auxilio, quo posset redire in Italiam, habita synodo etiam Rhemis, illinc cum eo primo vere descendit in ipsam, & profectus Placentiam illic habuit aliam synodum.

Et cum Lotharius in vico Calzinario, seu Ronchaliarum castra firmasset, Pisas accessit, & ibi Pisanos cum Genuensibus belligerantes composuit, ac Syrum Genuæ Episcopum, tunc Mediolani Archiepiscopo suppositum creavit Archiepiscopum, ei suppositis tribus Episcopis Corsicæ, ac Bobii, & Pisarum, aliis tribus Corsicæ, ac Populoniæ, ei quoque suppositis. Et Lotharius profectus Mediolanum, & per Anselmum ibi præsulem Modœtiæ coronatus, una cum Mediolanensibus & Cremensibus frustra obsedit Cremonam mense Novembris, Soncinoque, & vico S. Baxiani, & nonnullis aliis ibi finitimis in odium Cremonensium direptis & eversis, cum summo Pont. ivit Viterbium, & castris firmatis ad pontem Mameum juxta ecclesiam S. Agnetis, summus Pont. dum ad eum se illuc contulissent Theobaldus præfectus urbis, ac Petrus & Leo, & alii Rom. sui fautores, per Janiculum ingressus regionem Transtiberinam Sedi Apostolicæ fuit restitutus, ac resedit in Janiculo, Antipapa nusquam apparente. Oppido Piceleonis mense Septembris ædificato in agro Cremonense ad ripam Abduæ fluminis, ubi olim fuit forum Diocontiorum Et Lotharius dum esset apud Fontanam Episcopatus Placentiæ, Richilde conjuge sua intercedente, & Uberto Episcopo Cremonæ instante, confirmavit quæcunque sibi concessa per Henricum prædecessorem suum.

A.C. 1134. Et debellato Ruglerio Normanno ex Italia in Germaniam reversus, & inter eum & Corradum sibi dimisso titulo Imperii opera D. Bernardi solus

A remansit in eo. Et Cremonenses mense Septembris instaurarunt Soncinum, demolitum per Lotharium. Et D. Bernardus Mediolanensibus dum eis, quia adhæsissent Corrado Suevo, interdicta essent sacra per summum Pont. & mox dimisso Corrado Lothario adhæsissent, absolutionem & veniam impetravit, & Cremonam profectus, & Papiam, ut ibi incolas & confœderatos cum Mediolanensibus componeret, re infecta ex Cremona rediit Mediolanum.

Et Lotharius anno 1136. accersitus per summum Pont. in Ruglerium, ex Germania rursus in Italiam per Vallem Tridentinam ineunte autumno exercitu descendit una cum Rachilde uxore, filia Henrici Com. in Hortoim, Getrudi Marchionis in Saxonia, Henrico Duce Bavariæ genero, & Conrado Suevo, & castris Gardæ & Guardastalli receptis, ea concessit Henrico. Et cum Mediolanenses & Cremonenses hostes Imperii judicavit, & Cremenses à Cremonensibus accusatos, cum essent ex eorum comitatu ab ipsis defecissent ad Mediolanenses, & citati, coram eo non affuissent, sententia damnavit. A.C. 1136.

B

Et Papiam progressus ibi incolas sibi data pecunia per eos in sui protectionem recepit, & die XXVIII. Maji, dum illinc regressus fuerit iturus in Apuliam, castrametatus fuit ad Casale majus in agro Cremonense; & dum esset Parmæ cum Venetis, eorum legatis illuc accedentibus, fœdus percussit, & habita classe à Pisanis, & per eos direptis Amalfi, & Acrivella eorum oppidis, & agris obsedit, & in sui potestatem redegit Barulum, & ex omni Apulia & Calabria expulit Ruglerium in Siciliam, & in eis præfecit regionibus Comitem Raynonem, seu Reginulphum, seu Reginerium, vel Raynerium, ex suis proceribus insignitum titulo Ducatus Apuliæ, & ibi eo dimisso aliquibus copiis Germanorum una cum summo PP. reliquis Romam rediit, ubi fuit insignitus per eum corona imperiali, ibi assistentibus legatis Imperatoris Byzantii, illuc missis gratulatum de victoria per ipsum habita in Ruglerium. Et Antipapa ex humanis sublato, & per fautores alio creato, & statim deposito, exhortatione Divi Bernardi, eo auctore quoque dum esset Mediolani anno superiori inchoato Ordine monachorum Humiliatorum conventualium sub regula D. Benedicti eis data, & die trigesima Maji an. 1199. confirmato per Innocentium III. tunc summum Pontificem, Guidone de Porta nobile Mediolanense procurante. Lotharius ex urbe rediit in Galliam Cisalpinam, & mense Octobris, secum conjunctis Mediolanensibus ac Cremensibus, occupavit Soncinum, & S. Baxianum Cremonensibus, ei frustra resistentibus, & mox dimisit, & condidit leges de feudis. A.C. 1137.

C

D

E

Et anno secuto receptis in sui gratiam Cremonensibus, eis requirentibus obsedit oppidum Cremæ, & mox in eos indignatus ipso dimisso diripuit eorum agros, & dum ex Italia per vallem Tridentinam in Germaniam rediret, & esset inibi sylva inter Elnam & Licum flumina morbo superuento rediit Veronam, & ibi die IV. Decembris an. XI. imperii sui obiit, ejusque cadaver illinc in Saxoniam translatum, illic in monasterio Cistercienfi sepultum fuit, superstite filio sui nominis ex Egetrude, mox nupta Henrico Duci Austriæ, eique successit Corradus III. Suevus ex familia Scopiarum, Princeps Francorum per Henricum VI. ejus avunculum constitutus, competitor suus. A.C. 1138.

F

Et anno 1139. Cremonenses una cum Parmensibus obsessa Crema die v. Junii cum Mediolanensibus in ejus auxilium profectis apud Ripam altam ejus agri conflixerunt, & succubuerunt ex A.C. 1139.

Pppp eis

eis multis captivatis, & mox pacem fecerunt. A

A. C. 1141. Anno 1141. Ubertus eorum Præsul erecto altari D. Stephano cum sacello die XXVII. Junii illud consecravit, & titulum ejus Episcopatus ipsi subjecit, repositis in ejus sacello, constructo in parte superiori ecclesiæ cathedralis propinqua ædibus ibidem Episcopalibus, reliquiis B. Mariæ Virginis, SS. Apostolorum Petri, Jacobi Alphei, Bartholomæi, SS. Martyrum Stephani, Laurentii, Sixti, Calixti, Georgii, Christophori, Vincentii, Pantalemonis, Blasii, Vitalis, Gervasii, Prothasii, Primi, Fæliciani, Cosmæ, Damiani, Fabiani, Sebastiani, Marcellini, & Petri, Quatuor Coronatorum, Abdon, & Sennen, Basilii, Appiani, Herculani, Fælicis Vincentini, Nicomedis, Joannis, & Pauli, Grisanti, & Dariæ, Hippolyti, B
Cassiani, Germani, Nazarii, Celsi, Saturnini, Sisinii, Vitalis, Martialis, Abundii, Irinei, Agapeti, Faustini, Artemii, Dionysii, & Septem fratrum, & Fæliciſſimæ eorum matris, & SS. Confessorum Gregorii Papæ, Ambrosii, Martini, Nicolai, Himerii, Syri, & Genesii Episcoporum, Simpliciani, Sabini, Materni, Zenonis, & Benedicti, & SS. Virg. Agathæ, Cæciliæ, Margaritæ, Euphemiæ, Anastasiæ, Helenæ, Victoriæ, Candidæ, Paulæ, & Concordiæ nutricis divi Hippolyti, & de ligno S. Crucis, & vestimentis B. M. Virg. Sepulchri Dominici, purpura qua indutus fuit, & de fimbriis vestimentorum ejus, C
veste Pauli Apostoli, & virga Moysis, & mox cum aliis repositis in sacrario ejusdem ecclesiæ.

A. C. 1146. Anno 1146. Cremonenses mense Julio prælio congressi cum Mediolanensibus apud Cremam succubuerunt, ut ipsi Mediolanenses eorum scriptis commendarunt. Et Eugenio III. Pisano summo Pont. eo auctore Romæ Senatoribus abrogatis, ibi incolis invitis & ægre ferentibus, & dum, cum id præsensisset, veritus illorum insidias, illinc abiisset, ipsum insequentibus telis ac sagittis, ex Italià profecto in Galliam, & ibi cum Cardinalibus, & aliis prælatis, quos secum habebat, & Gallicis, & Germanis per eum celebratis Synodis Pa- D
risiis, & Rhemis hortatu ac opera ipsius, ac Lucii II. Bononiensis prædecessoris sui, & D. Bernardi. Corradus Imperator Henrico filio suo ætatis puerilis ex consensu Electorum, & aliorum Principum Germanorum in unum conventorum apud Francumfordium electo Cæsare, & coronato Aquisgrani de mense Februarii, & ex Germanis, Hispanis, & Italis coacto per eum exercitu septuaginta millium equestrium & pedestrium una cum Terrino Germano Episcopo Portuense, ac legato Apostolico, ac Friderico Suevo Ænobarbo nuncupato nepote, Duce supremo suo, & multis aliis Ducibus, Principibus, proceribus, & nobilibus earum nationum, inter quos fuit Martinus Turria- E
nus Mediolanensis de mense Maji. Et mox Ludovicus Rex Francorum simili exercitu, ex Francis & Italis conscripto, una cum Eleonora uxore, & Guidone Florentino presbytero Cardinale tit. S. Grisogoni, & legato etiam Apostolico, & multis aliis ex suis, ac Italis, Ducibus, Principibus, proceribus, & nobilibus transiverunt in Syriam ad subsidium Balduini Regis Hierusalem, & aliorum ibi incolarum Christianorum adversus infideles Miramino Mesopotamiæ, & Saladino Alepi filiis Sanguigni Sultanis; & dum applicuissent Byzantium, sibi datis per Emanuelem ibi Imperatorem cognatum Corradi omnium perfidiſſimum, & inimicum Christianorum Occidentalium, præcursoribus, qui F
eos exercitus conduxerint per loca devia, sylvestria, & sterilia, ac transmissa farina mixta gypso ad perdendum eorum milites, & ex qua, cum factus fuerit panis, ex quo comederint, multi interierint; & etiam factis multis præliis cum infidelibus in itinere sibi occurrentibus, ac repulsis gravi illorum strage multi alii occubuerunt, & per reliquos, ac milites Templarios, Hierosolymitanos, ac Teutonicos, & alios Orientales, Corrado Cæsare, Ludovico, & Balduino Regibus, & aliis Ducibus, & Principibus, qui erant secum, assistentibus, obsesso frustra Damasco de mense Maji anni A. C. 1147.
sequentis, & dimisso, illinc plurimis amissis tum ferro, tum fame, tum peste, tum aliis morbis causatis ex aeris intemperie, tum aliis variis casibus, & Turriano captivato per infideles, & martyrio affecto, reliquis redierunt in Europam.

Anno 1148. Cremonenses secum conjunctis Par- A. C. 1148.
mensibus ac Palavicinis de mense Decembris commisso prælio cum Placentinis, illos profligarunt, ex illis multis occisis, & captivatis, & ductis Cremonam.

Et die V. mensis Julii anni proximi consertis ma- A. C. 1149.
nibus cum Mediolanensibus apud Castrum novum buccæ Abduæ, illos quoque fuderunt, multis utrinque desideratis, & capto eorum curru.

Et de mense Decemb. anni sequentis emerunt A. C. 1150.
castrum ipsum à Placentinis, & cum eis dimissis Parmensibus fœdus percusserunt. Et Corradus Cæ- A. C. 1151.
sar Com. Palatino sibi contumace represso, dum esset in oppido Locrense apud Gemundam, seu Bambergam, die XIII. Februarii anni XV. imperii sui vitæ concessit non sine suspicione veneni sibi propinati per nonnullos physicos ex Italia destinatos à Ruglerio Normanno, Rege Siciliæ, ad ejus curam superstite Federico nepote ex Henrico filio, mortuo ex aeris contagione, die XIII. Julii: visaque in aere columna ignis ardentiſſimi obvia sibi quæque comburente & consumente, & quæ corruerit in flumen Padi prope Placentiam.

Federicus Ænobarbus, ita nominatus ob barbæ A. C. 1152.
elegantiam, nepos suus ex Federico fratre, & filia Henrici olim Ducis Bavariæ, Dux Sueviæ die quinta Martii apud Francumfordium electus fuit Cæsar, & die Dominica de mense Aprilis Aquisgrani coronatus per Arnoldum ibi præsulem in ecclesia divæ Mariæ, assistentibus aliis Electoribus; & habuit uxorem Odellam filiam Leopoldi Marchionis Vintimbergi. Cremonenses profecti Modœtiam, eam ceperunt, & mox ea dimissa Scalonam delati, ea potiti sunt. Et Parmenses prælio inito cum Placentinis & Cremonensibus apud campum Casſiculi die vigesima quinta Julii, eos fuderunt, ex ipsis multis captivatis, & ductis Parmam.

Eugenio summo Pont. Terracina, Scena, Nor- A. C. 1153.
bana, & arce Fumonis recuperatis è manibus tyrannorum, qui eas occuparant, Tybur profecto solatii gratia, & ibi mortuo die octava Julii octavi anni noni sui pontificatus factus est summus Pont. Anastasius quartus Rom. & olim Abbas A. C. 1154.
sancti Ruffi diœcesis Velinternæ, & Cardinalis, patre Benedicto. Et Federicus Cæsar, vita functo Com. Palatino absque prole, ei dato successore Corrado fratre suo, ex Germania per montes Tridentinos exercitu descendit in Italiam de mense Octobris, & de mense Novembris firmatis castris in vico Roncaliarum propinquo Placentiæ juxta ripam fluminis Padi, & ibi habitis comitiis cum suis Principibus, & aliis consultoribus, ivit Mediolanum, & extra ipsum in templo divi Ambrosii per Ubertum Pirovanum ibi præsulem insignitus fuit corona ferrea, & seu Modœtiæ, & mox concepto odio in Mediolanenses sibi parce annonam subministrantes, ac recusantes civitates Novicomii & Laudæ per eos demolitas instaurare, in gratiam Novicomensium, Laudensium, Papiensium, & Cremonensium, & Gul. Marchionis Montisferrati, secum conjunctis eorum copiis, illis movit bellum, eorumque agro cursitato & direpto, ibi oppido Rosatæ, ad cujus præsidium erant quinque centum Mediolanenses

diolanenses, depopulato ac combusto, & per Mediolanenses ad eum placandum exauctorato Gerardo ipsorum consule, duobus pontibus constructis super alveo Ticini fluminis demolitis, irrupit agrum Novariensium adversus Guidonem Com. Blandratæ, sequentem partes Mediolanensium, & ibi dominantem, & illic oppidis Maninæ, Galiardi, & Tricæ receptis de mense Decembris descendit in gratiam Marchionis Montisferrati adversus oppidanos Cairi, & Astenses Marchioni contumaces, & Cairum, & Astam, dum ibi incolæ illinc ad montes propinquos aufugissent, diripi ac comburi jussit; & regressus agrum Mediolanensem, & ibi Abiate, Galliate, & Trecate quoque eversis, Derthonam de mense Februarii obsedit, & de mense Aprilis Obitio-
A. C. 1155. ne Malaspina duce illuc transmissis ad subsidium per Mediolanenses ducentum militibus, eam prælio ingressis, ex ipsis cadentibus Ugone Vicecomite, Johannino Maynerio, Lanfranco Crucio, Albertino de Carate, Lanfranco de Curte, & Ruglerio sanctæ Mariæ, in sui potestatem redegit, & solo æquari jussit die quinta decima Aprilis, & progressus in agrum Brixiensem, ibi Senigam combussit. Et Cremonensibus concessit jus monetæ cudendæ, dum esset in agro Veronense, eo jure, & quibuscunque aliis regalibus privatis Mediolanensibus. Et Papiam profectus, ibi die Dominica vigesima quarta ejusdem mensis triumphum duxit, & illinc abiit Placentiam, & die vigesima septima obsedit, eaque dimissa profectus fuit Parmam, & illinc Bononiam, & ibi celebrata Pentecoste iter direxit in Hetruriam ac Latium, & illic prope Sutrium firmatis castris, & inter eum, ac summum Pont. sibi imparem esse noscentem sedata controversia inter eos vigente, ipsique Adriano Quarto ex vico Albano summo PP. obviam facto ad Sutrium, ibi ejus pedibus osculatis, Romam secum profectus, illic in ecclesia divi Petri die vigesima nona Julii festivitatis ipsius per eum fuit coronatus corona aurea solemniter. Et dum Romani eo in actu irruissent in ipsius milites Teutonicos castrametantes in campis Neronianis, multis ex eis occisis, ipsisque intra urbem & Vaticanum introductis, & Rom. in urbem repulsis, & ibi utrinque consertis manibus ex eis circiter mille occisis, & ducentum captivatis, & in gratiam summi Pont. dimissis. Et cum plurimi ex suis militibus nimio æstu vigente morbo contagioso oppressi quotidie deficerent, & Henricus Dux Bavariæ, Catulus nuncupatus, eo dimisso ivisset in Germaniam, & ibi novos motus concitaret, omisso bello, quod intendebat movere Gulielmo Normanno, ivit Anconam, & illinc in Galliam Cisalpinam. Et Veronenses, dum ei transeunti per eorum agrum armati occurrissent, & secum per ejus milites commisso certamine redacta in sui potestatem arce munitissima, & ad fines ipsius agri, & inter montes erecta, in quam nonnulli ex eis se receperant, repressit, ex eis circiter mille occisis, aliisve captivatis, & ducentum ex ipsis laqueo suspensis, & mox habita pecunia à Veronensibus eis data venia ex Italia, ibi dimisso Vicario Gulielmo Marchione Montisferrati properavit in Germaniam adversus Henricum ipsum Catulum nuncupatum.

A. C. 1156. Et Cremonenses de mense Maji anni proximi diripuerunt agros Laudensium, & cum eis, ac Cremensibus prælio congressi illos superarunt, multis ex eis captivatis, ac occisis. Et Mediolanenses Gualvagno Duce Duce una cum eis directo, eversoque igne, & ferro dominio Montisferrati, & Gulielmo ibi Marchione debellato, regressi sunt agrum Papiensem, & ibi occupatis, & prædæ expositis oppidis Serezani, & Sunzani, & Novicomensium Morengo turri Annonio, ac Farra, Papiensibus, & Novicomensibus sibi frustra resistentibus, & cum incolæ Vallis Lugani, ab eis, quorum partes prius

A sequebantur, defecissent, & Papienses ibi sibi occurrissent die quarta Julii in campo Rodulphi, ibi utrinque commisso prælio profligarunt, & Luganenses viginti quoque eorum oppidis depopulatis mense Augusto ad pristinam sanitatem redegerunt. Et Gualvagno adhuc duce die prima Julii castrametati apud Carseolum obsederunt Viglevanum, ad cujus præsidium erant copiis Marchio Montisferrati, Otho Malaspina, & alii septem Marchiones, ac Papienses, & ibi die tertia decima utrinque commisso prælio, & fusis Papiensibus, & confœderatis etiam expulsis ex oppido Suezani, per eos occupato nocte diei noni mensis Junii, ex ipsis ducentum occisis, & tercen-
B tum captis, illud ceperunt, & demoliti sunt, & Papienses præter morem debilitatos mense Octobris compulerunt in jus suum, Papiæ mœniis solo æquatis, eaque inter pagos Mediolanensium redacta, & ab eis ex ipsorum nobilibus centum, & ex popularibus ducentum pro servanda sibi fide, habitis obsidibus, & Derthonam instaurarunt, & Novicomensium, Laudensium & Cremonensium agros, quia Papiensibus opem tulissent, concursarunt, ac depopulati sunt, Laude quoque direpta, ac demolita, ibi incolis profectis Piceleonem, & Papienses cum præter modum oppressi per Mediolanenses Arditione Rivoltella, & Othone Brixiense per Adrianum summum Pont. motum
C eorum, ac Laudensium calamitate, transmissis Mediolanum ad eos legatis, ab ipsis defecissent facta irruptione in eorum agrum usque Papiam mense Novemb. eoque direpto, & Leumelo demolito, adhuc compulerunt in jus suum.

Et Cremonenses Cremensium agros quoque cursitarunt ac diripuerunt, ex eis multis captivatis, & Cremonam ductis; & Marchione Mon- A. C.
tisferrati obsesso anno secuto in oppido Casalis, 1157.
ejusque oppidi, ac sancti Gervasii, & stabuli de mense Junii direptis ac combustis, per ipsos debellato ac facto tributario. Inter Federicum ac summum PP. orta controversia, & ad ipsum,
D dum esset Augustæ per summum PP. transmissis legatis Henrico presbytero tit. sanctorum Nerei, & Archelai, & Jatino diacono tit. sanctæ Mariæ in Schola Græca Cardinalibus, & per Ubertum Pirovanum præsulem Mediolani, Andream Schachabarotium, Fulconem Landrianum, Simonem Crucium, Albertum Gambaram, & Rampinum Sarctorem notarium, Mediolanens. transmissis legatis, & per Papienses Rolando de Botichiella, Lanfranco Torta, Facio de sancto Nazario, Viola de Canapanova, & Arditione de Petra, & Laudenses Alberto Alemano, & Magistro Homobono adversus Mediolanenses, præmisit ex Germania in Italiam Raynaldum Cancellarium suum,
E & Othonem Com. Palatinum: qui recepto oppido Rivoli ad fines agri Veronensis, & Tridentini in montibus munitissimo, & ab ibi incolis, & Veronensibus recepto juramento fidelitatis erga Federicum, illinc progressi sunt Veronam, & inde Mantuam, & mox Cremonam, & ibi habuerunt comitia cum præsulibus Ravennæ, Mediolani, & aliis quindecim præsulibus Mediolani Suffraganeis, Marchionibus, Comitibus, Consulibus, & Legatis civitatum circumvicinarum, sequentium partes Federici, & eis perfectis illinc facto recessu. Federicus conductus per Albertum Alemanum, & Magistrum Homobonum, de mense Novembris
F descendit adhuc in Italiam, una cum Federico præsule Coloniæ, Arnaldo Moguntiæ, Helino Treveris, & Ladislao duce Boemiæ, & multis aliis Episcopis, Prælatis, Ducibus, Principibus, Proceribus, & nobilibus, & exercitu centum millium equestrium, & pedestrium ex Francis, Burgundionibus, Saxonibus, Suevis, Bavaris, Boemis, Austriadis, Ungaris, Lotharingis, Charetanis,

nis, & Ripariolis, & omissa Verona, ingressus fuit agrum Brixiensem sociorum Mediolanensium, & cum sibi ausi fuerint armis occurrere, eos utrinque prælio commisso repulit, & Brixia, ejusque agro direptis compulit in jus suum, & sibi per ipsos datis sexaginta obsidibus, ac pecunia, eis veniam dedit. Et Cremonensibus, eorum Consulibus Lanfranco Strusio, Tincto de Musagatta, seu Albertino de Musotorculo, Arigono de Guazzonibus, Pontio de Geroldis, Pelegrino de Pozalibus, Ambrosio de Curtis, & Marchisio de Marianis, promisit non permittere aliqua castra construi inter Abduam & Ollium flumina.

A. C. 1159. Et anno subsecuto Mediolanenses, legatis ad ipsum leniendum transmissis per eos, & ab eo repulsis, declaravit rebelles Imperii Romani, illisque indixit bellum, & cum equestres circiter mille Galvagno duce, sibi adversus ipsos progredienti exercitu ausi fuissent occurrere ad flumen Abduæ, illos utrinque prælio commisso Ducibus Boemiæ, & Dalmatiæ ductoribus repulit, & profectus fuit Leucum, & ibi trajecto flumine Abduæ ope Novicomensium Rusca de Ruscis ex Belinzona, Gallucio Lambertacio, Manfredo de Lavezario, Rusca de Advocatis, Joanne de Lugano, & illis de Fegino auctoribus, accessit Novicomium, & mox Modœtiam, ubi una cum Beatrice uxore reassumpsit coronam, & capto, & munito præsidio Tricio, & ibi reposito ærario, & ad ejus custodiam dimisso Raymone Teutonico cum militibus, & Beatrice uxore, filia unica Raynaldi Comitis Byzantini, & Ducis Burgundiæ, ab ea habitis pro dote Ducatu Burgundiæ, & Galliæ Narbonensis, repudiata Odella prima uxore, die prima Augusti metatis castris apud Lacum Larii in pratis de Castirago, ivit Laudam, & mox ad montes Briantinos, seu Genzonis, & illinc equestribus mille usque ad mœnia Mediolani transmissis, & ibi in eos facta impressione per Mediolanenses repulsis, nonnullis ex ipsis occisis, & nonnullis captivatis, illud obsedit die sexta Augusti, ibi Galvagno & Viviano Angleriæ Comitibus ducibus, una cum Marchionibus Montisferrati, Estense, Salussii, Careti, Malaspinæ, & Capitii, Ferrariensibus, Bononiensibus, Patavinis, Veronensibus, Vicentinis, Tarvisinis, Ravennatensibus, Mutinensibus, Rhegiensibus, Parmensibus, Mantuanis, Cremonensibus, Papiensibus, Laudensibus, Novicomensibus, Novariensibus, Vercellensibus, Astensibus, Bergomensibus, Bergolensibus, Blandratensibus, Hetruscis, & Umbris, inimicis Mediolanensium, etiam consensu summi Pont. & in eos erumpentibus Mediolanensibus, Corrado Vicecomite & Tutio Mandello ducibus, & utrinque levi commissa pugna, eis, & multis aliis occisis, pedem referentibus in urbem, & expugnato arcu triumphali nuncupato, ibi in suburbiis munitissimo, à Boemis, & per Cremonenses & Papienses, agro illorum concursato & direpto, ferroque & igne everso, & ibi solo æquatis oppidis Rosati, Gallarati, & Trecati, post multa levia prælia ibi utrinque commissa, in quibus plurimi occubuerunt. Et cum Mediolanenses fame opprimerentur, ac peste absumerentur, ipsos se ei permittentes auctore Guidone Com. Blandratæ, compulit in jus suum, & sibi per ipsos datis obsidibus tercentum de observanda fide, ac solutis libris sex millibus argenti, recepit in sui gratiam die octava Septembris, & dimisso Mediolano illinc ivit Modœtiam, & inde ad vicum Roncaliarum, & ibi per quatriduum habuit comitia cum suis consultoribus, ecclesiasticis, ac laicis, & proceribus, & sibi dimissis per præsulem Mediolani ibi assistentem Ducatu Bulgariæ, Marchionatu Martesanæ, & Comitatu Seprii, olim ei concessis ab Imperio, ibi quoque assistente Guidone de Crema diacono Cardinale tit. sancti Callisti Legato Apostolico, Peregrino Patriarcha Aquilejæ, ac præsulibus Taurini, Albæ, Yporegiæ, Hastæ, Novicomii, Laudæ, Cremonæ, Placentiæ, Rhegii, Mutinæ, Veronæ, Brixiæ, Bergomi, & Concordiæ, ac Consulibus & Prætoribus earum, & aliarum civitatum Galliæ Cisalpinæ, Flaminiæ, & Piceni, & ibi principibus ex consilio Bulgari, Martini, Bossiani, Cremonensium, & Jacobi, & Ugonis Germanorum J. C. & ex suis consultoribus, & ex quibus Martinus filius Joannis etiam J. C. & Bulgarus publico stipendio conducti legebant, & docebant Jura in gymnasio Bononiensi; & præfecit unicuique civitati Vicarios suos, & ab eis civitatibus obsides recepit, & Cremonensibus, eorum Consulibus adhuc Ægidio Dovaria, Guazzono filio Albrigoni, & Gabutto Balditiono, concessit immunitatem à quibuscunque vectigalibus præter Imperialibus pro mercibus, & bonis quæ conducerent, & conduci facerent per flumen Padi infra civitatem usque ad mare per Comitatus Rhegiensem, Mutinensem, Ferrariensem, Bononiensem, & Ravennatensem.

Et orta controversia inter ipsos & Placentinos, invicem inimicos antiquos, coram eo, cum alii alios vellent præcedere, & invicem facta levi pugna, in qua multi occubuerunt, & multi remanserunt vulnerati, multive captivati, ipsorumque legatis coram se habitis, & auditis eorum juribus, & Placentinis non bene se excusantibus, illos mulctavit gravi pecunia, jussitque eorum turres altiores brachiis viginti deprimi, ac Placentiæ vallum solo æquari, & fossas obturari, ac mœnia Cremæ demoliri; & illinc transmissis nunciis in Sardiniam ad eam recipiendam, ibi creato Rege ope Pisanorum & Genuensium; & Genuenses, cum fideliter non se gesserint, transmisso Brixianono Duce Arboreæ, & Papiæ exercitu in eorum agros, ipsis direptis ac eversis una cum Albingauno, illos coegit ad sibi petendum veniam, & mulctavit mille marchis auri; ac Veronenses sibi parere recusantes, oppido Gardæ occupato, necnon Ferrarienses, qui patrimonium Mathildæ trans Padum invaserant, ad pristinam sanitatem redegit; & Albam profectus ibi castra firmavit, & solemnitatem Natalis Dominici an. 1160. celebravit, & quoque transmissis illinc nunciis exegit feudum consuetum pendi Imperio Rom. ab urbibus totius Italiæ ad eum illuc per Ludovicum Galliæ, & Henricum Angliæ Reges invicem belligerantes, destinatis legatis, ut uterque in suas partes Federicum traheret. A. C. 1160.

Et cum mortuo Anselmo, præsule Ravennæ, Federicus ipsius præsulatum requisitum ab Adriano summo Pont. per eum conferri Guidoni, filio alterius Guidonis Com. Blandratæ, & summus Pont. id recusasset facere, inter eos summum Pont. ac Federicum Cæsarem nova est suborta simultas. Et Federicus Cremonam accessit, & cum Laudem instaurari jusserit, & Mediolanenses id prohibuerint, imposuit Cremonensibus, Papiensibus & Novicomensibus, ut Laudensibus ad ipsam instaurationem auxiliarentur; & inde Placentiam accessit, & ibi pascha celebravit, ejusque incolas pecunia regia per speciem latrocinii per eum ipsis erepta alienatos in officio continuit. Et cum Mediolanenses Bernardum, Com. Lignini, Prætorem eis datum, transmissis legatis Rainerio ejus scriba, & Othone Com. Palatino, eisque ignominiose repulsis per Azonem Bellasium, Castellum Armenulphum, & Marinum de Malopera noluerint admittere, in ipsos valde indignatus fuit, & constitutis, & dimissis rectoribus Constante Gozadino, Seprii, & Martesanæ, & Corrado Mazco Tricii parte exercitus, reliquo ex Italia in Germaniam properavit per agros Brixiensium, quos, quia aciem Boemorum illac transeuntem invaserant, jussit di-

diripi, ac vastari; & Placentini cum Laudensibus commisso prælio ad vicum sanctæ Mariæ in Strata, eos fuderunt, Tirafolio Pusterla eorum Prætore capto. Et Mediolanenses Galvagno Duce profecti Tricium, illud ceperunt, militibus, quos ibi dimiserat Federicus, inde expulsis, aliquibus ex eis interfectis, & illinc pecunia, quam ibi dimiserat, ablata, & inde exportata. Ubertus Episcopus Cremonæ corpus divi Gregorii transferri fecit in ecclesiam divi Michaelis.

Et Federicus regressus è Germania Italiam exercitu, & dum esset Mutinæ, & partem exercitus haberet in agro Bononiense, celebrata ibi Pentecoste rursus indixit bellum Mediolanensibus, sibi assistentibus Octaviano tit. sanctæ Cæciliæ, & Henrico tit. sanct. Nerei, & Archelai presbyteris, & Gulielmo olim Papiense Archidiacono, & Guidone Crema diaconis Cardinalibus sanctæ Rom. Ecclesiæ, & ejusdem legatis; & mox exercitu coacto in vico Ronchaliarum, illinc erupit in agrum Mediolanensem, cumque prædæ, igni, ac ferro exponi jussit, ex Mediolanensibus, cum die solemni Pentecostis quinque centum equestres usque Laudem veterem cursitassent, illinc repulsis gravi strage per ipsius milites, ducibus Guidone præsule Mantuæ, & Guarnerio Marchione Anconæ, ex illis nonnullis occisis, & sexdecim captivatis. Et Cremonenses Brixiensibus sociis Mediolanensium, dum irrupissent agrum Cremonensium, & illinc prædam abigerent, & palantes irent, interceptis, illisque præda erepta, illinc expulsis, ex ipsis septuaginta equestribus, & centum pedestribus tum occisis, tum captivatis, & deinde à Federico habita parte exercitus sibi promissis per eos undecim millibus talentis Cremam obsederunt: & Federicus inito alio prælio per ejus milites ad vicum Cassiani cum Mediolanensibus, eisque illinc repulsis, & profligatis, & multis ex ipsis captivatis, Ardigerio de Vicomercato, Adriano Vicecomite, Robba de Castello, & Tinatio Sabello eorum ducibus, & ad Tricium erectis tribus propugnaculis adversus illos, ne prohiberent Laudam instaurari, jussit ejus fundamenta jaci die tertia Augusti. Et cum Mediolanenses irent ad opem Cremensium rursus illis per copias militares Federici secum junctis Papiensibus prælio fusis ad vicum Cassiani, & mox per eos triginta millium obsesso Manerbio Novicomensium, & per Comitem Cassirum rectorem Martesanæ pro Federico, & per eum transmissis quinque centum equestribus in sui auxilium, & junctis suis copiis inde repulsis.

Et dum Henricus, Dux Saxoniæ & Bavariæ, & Federici amitinus, una cum Beatrice uxore Federici, & Corrado præsule Augustæ, & mox Guelfo Princeps Sardiniæ, & Dux Hetruriæ, & Marchio Spoleti, & fratruelis Henrici, ex Germania novis copiis descendissent in Galliam Cisalpinam, & exercitui Federici, quem habebat in agro Laudense, se conjunxissent, jussit ipsius partem uniri die septima Junii alii exercitui, ac Cremonensibus obsidentibus Cremam, sitam in loco palustri & depresso, & foveis, & duplici muro ex latere cocto circundatam, & ad cujus præsidium erant Mediolanenses & Brixienses, ducibus Manfredo Dognano, Gaspare Bosnato, Rolando Opizono, & Gaspare Menelotto, & reliquo exercitu adhuc diripi agros Mediolanensium, & dum in eum & Papienses irrupissent Mediolanenses, & ex eis cecidissent centum quinquaginta, plurimis aliis submersis in aquis Ticini, & ex eorum primoribus sexcentum captivati remansissent, die vigesima Junii jussit toto exercitu Cremam circundari, & cum tendens ad vicum sancti Baxiani agri Cremonensis, ubi Beatrix uxor residebat, transivisset secus Cremam, & milites, qui ibi erant ad præsidium, irruissent in turmas eque-

A stres eum comitantes, utrinque commisso prælio illos repulit, multis ex eis quoque occisis, & multis aliis captivatis, & furcis suspensis, & varia morte affectis, & secutus est iter suum, & Placentinos, clam Cremensibus opem & annonam subministrantes, declaravit rebelles Imperii. Adriano summo Pont. Radicorfano, & multis aliis oppidis circa lacum sanctæ Christinæ munitis, & ditione Rom. redacta ad aliquam extimationem, & ad evitandam conversationem Consulum Rom. sibi infensorum, Anagniam profecto, & ibi mortuo die prima Septemb. decimi anni quinti sui Pont. & sepulto die quarta in ecclesia divi Petri Romæ. Et ex Cardinalibus, Episcopis, presbyteris, & diaconis viginti septem

B congregatis in ædibus ibi Lateranensibus, una cum Rolando Senense tit. sancti Marci, & Vicecancellario, & Octaviano Rom. tit. sanctæ Cæciliæ, ex eis Cardinalibus presbyteris per decem & novem electus fuit summus Pont. Rolandus, & nominatus Alexander, & alios septem Octavianus, & nominatus Victor, & Alexander ex urbe accessit Adriam, & illinc transmisit in Syriam legatum Joannem tit. SS. Joannis & Pauli, presbyterum Cardinalem ad Balduinum Regem Hierusalem, & Victor ivit Signiam, & dum uterque niteretur tenere Sedem Apostolicam, & dedisset litteras ad Federicum, ad eum legatis destinatis, quibus respondisset, utrumque oportere ire Papiam, quo ipse se contulisset

C pro ipsa disceptatione tollenda, & per eum destinatis legatis Daniele Pragense, & Hermanno Frondense præsulibus Adriam ad Alexandrum citandum tanquam Cardinalem, & dum eos repulisset, dicendo, Pont. Rom. à nemine judicandum fore, ipsis profectis Signiam ad Octavianum, ipse cum eis ivit Papiam.

Et anno proximo Federicus Cæsar die vigesima A. C.
quinta Januarii, postquam obsedit Cremam per se- 1161.
ptem menses, ac sæpius oppugnavit, quam multis ibi factis utrinque præliis, in quibus multi occubuerint, una cum Guarnerio Marchione Anconæ duce Federici, & multi capti, ac variis tormentis & diversa morte affecti fuerint; inter quos fuit Joannes

D Mastalius Cremonensis, qui captus per Cremenses projectus fuit tormento bellico extra Cremæ mœnia, & laceratus in frusta; & insidiis hinc inde paratis, eam compulit ad deditionem, & auctoribus Peregrino Patriarcha Aquilejæ, & Henrico Duce Bavariæ, data venia Cremensibus, eisque illinc abire permissis quo vellent una cum uxoribus, & liberis, & bonis, quæ secum ferre poterant, & Mediolanensibus, & Brixiensibus, qui erant ad ejus præsidium, absque armis, & viginti millibus illinc egressis, depopulari, & comburi, ac solo æquari jussit, solo ejus territorio vendito Cremonensibus pretio librarum sexdecim millium auri, dum esset Laudæ die sexta Februarii, eorum

E consulibus Ægidio, & Anselmo de Dovaria, Othone nuncupato Diacono de Persico, Bernardo Picentio, Othone Buinzola, Pontio Geroldo, Marchisio Mariano, & Obizone de Burgo, & illinc ivit Papiam die septima, & ibi de ipsius Cremæ victoria duxit triumphum, & præcedentibus solemnibus Rogationibus, & jejunio per triduum ad omnipotentem Deum, ibi per septem dies habuit comitia cum Peregrino Patriarcha Aquilejæ, Arnaldo Archiepiscopo Moguntino, Helino Treverense, Raynaldo Coloniense, Adriano Bremense, Viclemano Magdeburgense, ac Arelatense, & Lugdunense, & eorum suffraganeis, & Guidone Archiepiscopo Ravennæ, ac Episcopis Firmano, Floren-

F tino, Faventino, Mantuano, & Bergomense, Ladislao Rege Boemorum, Petro Romæ præfecto, Stephano de Thebaldo, Stephano Normanno, Joanne de sancto Stephano, Joanne Gajetano, Vulpharino de Giolduera, & Germano de Petroleone, proceribus ac patritiis Rom. & legatis urbis Ro-

 mæ,

A mæ, Ludovici Galliæ, Henrici Angliæ, Stephani Ungariæ, & Petri Daniæ Regum, & aliarum civitatum Italiæ, & gentium, & Principum Christiani nominis, sequentium partes Federici, & Alexandro solemniter citato, & non comparente, & nec aliquos nuncios suos transmittente, & per omnes præter legatos Regum Galliæ & Angliæ reprobato, & Victore pro vero summo Pont. approbato, in gratiam etiam Rom. ejus partes tuentium, ipsum solemni habitu pontificali indutum, & equo albo impositum, & per Papiam circumductum adoravit. Et Alexander fultus auxilio Ludovici Galliæ, Henrici Angliæ, & Gulielmi Apuliæ Regum, ac Gualvagni, & Viviani Vicecomitum, Ducum Mediolani, B destinato ad Federicum Legato Joanne de Anagnia monendum, ut desereret Octavianum, die vigesima Martii eum, ac Octavianum, & Gulielmum Marchionem Montisferrati, Ludovicum Com. Bardelli, Guidonem Baldratæ, Cremonenses, Laudenses, Papienses, ac Mantuanos, eorum quoque Præsulibus exauctoratis, Novarienses, Vercellenses, Seprienses, Martesanos, & alios, Federici partes sequentes, anathematizavit. Et cum Federicus tentasset eum Senas profectum ibi captivari per Tholomeos, inde ob id expulsos per Salimbenos affines Alexandri, & ad sui stipendium conductis Petro præfecto, ac multis proceribus, ac nobilibus Rom. adversus Alexandrum, & Richa filia C nupta Raymundo Berengario Regi Aragonum, & Com. Barchinonis, eidem concessis Gallia Narbonense à Durantia flumine usque ad mare, & ab Alpibus usque ad Rhodanum cum Arelate, & Avinione, & Comitatu Fori Calzeri.

Et Alexander reversus Romam, & cum ibi multos sibi adversarios comperisset, illinc, ibi loco sui dimisso Julio Episcopo Prænestino, abiit Terracinam, & ibi conscensis triremibus, ad eum transmissis per Gulielmum Regem Apuliæ, inde trajecit Genuam, & illinc in Galliam ad Ludovicum ibi Regem, & habito Concilio apud Montem Pesulanum, in quo fuit beatus Gandinus de Sala Card. Mediolanensis, ibi iteravit excommunicationem in D Federicum, & Antipapam. Et cum Mediolanenses, Seprio & Martesana vastatis, & receptis Desio & Varesio, & obsesso Castroleone, & per milites Federici Pontirolo, & Ponte Cropello occupatis, profecti fuissent Carchanum Gualvagno duce, una cum Milone legato Alexandri, Gandino archidiacono, & Algisio cimiliarcha Mediolani, Federicus exercitu ingressus fuit agrum Mediolanensem, & prope ipsum commisso utrinque prælio illos fudit, capto eorum curru, & expugnato Tricio; & rursus reintegrata pugna, dum Marchio Montisferrati Angleriam agmine suo, & alii duces Novicomium copiis suis aufugissent, eo dimisso tantum ducentum equestribus, eisque superatis die decima Augusti properavit Novicomium in arcem Bardelli, & mox Papiam, & inde Cremonam, & illinc rediit Papiam, nec multum absuit, quin ca- E peretur per Mediolanenses, multa præda post se dimissa, & ab eis intercepta, & per illos quoque capto & direpto Carchano die tertiadecima Maji, & rursus direptis Seprio & Martesana, reparato exercitu iterum incursavit, ac ferro, & igni, ac prædæ exposuit agros Mediolanensium per milliaria quindecim, & Mediolanenses ad vicum Cassinarum sibi occurrentes Guazono de Abiate duce, cum illis alio commisso prælio ibi superavit, ex eis septuaginta captis, & pluribus occisis, & illic sequens victoriam progressus Mediolanum, illuc ingredi tentavit, sed repulsus, equo, quem insidebat, con- F fosso illinc abiit.

Et cum Placentini & Brixienses, socii Mediolanensium, opem & annonam eis subministrarent, ad id prohibendum expositis ducentum militibus in oppido Ripæ Altæ, & totidem in oppido sancti Evasii, & superventis novis copiis ex Germania, Mediolanensium agro depopulato, jussit Mediolanum obsideri, exercitu diviso in septem acies, circa ipsum factis foveis, & erectis propugnaculis, & obsidibus Mediolanensium, quos penes se habebat, aures & nares amputari; & per Mediolanenses facta eruptione in Germanos, & per eos ipsis prælio repulsis, occisis ex illorum primoribus, Gerardo Vicecomite, & Ranza Mandello; & cum Gualvagnus ad demonstrandum in civitate ipsa, in qua erat gravis annonæ penuria, esse ejus copiam, portari fecisset in illius forum tria millia saccorum plenorum sabulo, in quorum summitate erat frumentum, & de aliis granis, & de pullis gallinaceis, & ovis in multa copia, delusus hoc stratagemate, & credens ob illud in ea civitate esse copiam annonæ, & aliorum, quæ erant necessaria ad victum ibi incolarum, diffisus ea potiri, ipsa dimissa illinc ivit Laudam, & vigente gravi penuria, & sæviente dira peste fere ubique in Gallia Cisalpina, & aquis maritimis egressis littora, in Italia suffocatis circiter quinque millibus ex ibi incolis, & ex terræmotibus frequentibus vigentibus multis in locis absortis, & ædificiis eversis, & ex eorum ruina plurimis oppressis, & ex eis aliquibus defunctis, & aliquibus debilitatis; & nive in Gallia Cisalpina novies cadente, & in planicie agri Brixiensis supergressa novem pedes, & ejus causa quibuscunque semineriis arefactis, & solibus tribus, ac totidem lunis cum crucis figura in cœlo conspectis.

Anno sequente Federicus accersitus per Ubertum Pirovanum, Mediolani præsulem, & Andream Schachabarotium, & socios inimicos Vicecomitum, & facta in eos per ipsos conspiratione cum ipsis de Rivello, de Bassadona, de Figino, della Tela, de Trivultiis, de Beruzino, de Arzago, de Cavezano, de Palavicino, de Guidis, de Canibus, de Obiciis, de Præaleonibus, de Casate, de Bustis, de Cusano, de Palleano, de Tinctoribus, della Cruce, de Sessa, de Cartellis, de Livono, de Castellis, de Besutio, de Castro Seprii, de Crassis, de Faroldis, de Villa, de Viguono, de Grepa, de Herba, de Portanesio, de Molenio, & de Ripa, & simulato tractatu pacis inter eum ac Vicecomites, dum in civitate foret gravis omnium penuria, & sæviret pestis, re commissa Ossæ de Ossa, & Alberto, & filiis, & Anselmo de Orta, Papiensibus, & per Mediolanenses eorum curru consignato, ac datis quatuor centum obsidibus Federico, & per eum transmisso curru Cremonam, die prima, seu nona Martii Mediolanum ingressus, præter fidem per eum datam illud occupavit post ejus longam obsidionem, & frequentes oppugnationes, & multa ibi levia commissa prælia, in quibus multi utrinque occubuerint, auxilio Cremonensium, Papiensium, Laudensium, & aliorum populorum Galliæ Cisalpinæ, inimicorum Mediolanensium, ob eorum arrogantiam & tyrannidem, & virtute Boemorum militum, eorumque Regis Vlisdilai filii alterius Vlisdilai, ei tunc concesso ob illius fidelitatem & fortitudinem, quibus usus fuit in ea obsidione, insigne leonis rubei cum cauda bifurcata, & clypeo albi coloris; & ut aliqui dicunt ex proditione Judæorum ibi tunc incolentium, ex Comitibus Angleriæ sexaginta occisis, & viginti duobus captis cum aliis tercentis eorum factionis, & illinc transmissis in Germaniam una cum Galvagno, illinc Viviano aufugiente Bononiam, eorum domibus demolitis, ac prædiis & aliis bonis direptis, & reliquis ejusdem factionis illinc abire jussis die vigesima quinta Martii, ex quibus aliqui iverint ad vicum sancti Petri, & aliqui Figinum, & etiam Laudam, Novicomium, & Bergomum; & Uberto præsule relegato Beneventum, & in Italia Steliphone constituto Vicario suo, & in Comitatu Martesanæ Arditione, & Burgariæ Aritello, Leuci Brandimarte,

A. C. 1161.

te, Bazani Aimone, Tricii Henrico, Seprii Nicola, & Mediolani Arditione Teutonicis, & illis de Abiate, de Langusco, & aliis, qui Mediolanum sibi prodiderant in præmium proditionis factis Comitibus, & Comitibus Angleriæ privatis eorum insigne schachorum, & concesso Cataneis Locarni, & armis prohibitis reliquis Mediolanensibus, & jussis Mediolani mœniis demoliri, ac turribus Vicecomitum, & adhærentium, ac aliorum ædificiis præter ibi suburbiorum, eisque omnibus illinc abire; & ex eis aliquibus profectis in Pannoniam, ubi cum voluerint condere civitatem, & sibi prohibitum fuisset, trajecto ibi mare illic condiderunt, & porta Romana demolita per Laudenses, Orientali per Cremonenses, Nova per Bergomenses, Vercellina per Novarienses, Cumana per Novicomenses, & Ticinense per Papienses, & divisis ibi popularibus in quinque partes, ex eis parte relegata Rosate, seu Noccetam, alia Viglentinum, alia Lambrate, alia ad vicum sancti Sirri ad Vepres, & alia ad Carrariam, & eis dato præfecto Bertucio præsule Leodiense, & in Comitatu Seprii constructa civitate Belforti, & apud vicum sancti Columbani in agro Laudense civitate Imperiali, & Placentiæ, & Brixiæ demolitis mœniis, & obturatis foveis, & ab ibi incolis exacta multa pecuniarum summa ejus jussu, & Bononia, & tota Flaminia suppeditatis cum reliqua parte Italiæ ibi, & Galliæ Cisalpinæ propinqua præter arcem Gardæ prope Veronam occupatam per Turrismundum Veronensem, & mox in potestatem Federici compulsam, pro hac victoria duxit triumphum Papiæ, ubi coronatus cum uxore habuit convivium cum suis proceribus, & mox profectus ad vicum Ronchaliarum, ibi tenuit comitia, & destinata parte exercitus in Latium ex ditione Ecclesiæ occupavit omnia, Anagnia, & urbe veteri dumtaxat exceptis, ibi multis homicidiis, rapinisque, incendiisve ubique multa cum sævitie commissis, & Spoleto demolito, & prælio facto cum Pontificiis eis profligatis. Et die quinta decima Maji concessit Cremonensibus libertatem, & ut possent sibi eligere consules interventu ejus legati, ubi foret in Gallia Cisalpina, & à quo deberent accipere investituram, & ubi foret extra eam suo arbitrio, duobus tamen ex eis transmissis ad ipsum ad sibi præstandum juramentum fidelitatis, & accipiendum investituram regalium, quæ habuissent ante obsidionem Cremæ, tam in civitate, quam extra ipsam, terra & aquis, data auctoritate ibi judicandi ex legibus, & bonis moribus, & Soncinum, & sanctum Baxianum, Pontisvicum, & Castrum novum Laudense, sibi ac successoribus suis in festo sancti Martini quotannis marchis ducentum argenti boni solutis, Fodro etiam eis dimisso, tam in civitate, quam suburbiis, & quod unquam eo inscio non possent percutere fœdus cum aliquibus, & Cremonensibus sibi fidelibus se nunquam recepturum in sui gratiam Cremenses nisi Cremonensibus permittentibus, & nec eos permittere habitare intra flumina Abduæ & Ticini, & nec Bergomi, nec Brixiæ, nec Mantuæ, nec Parmæ, nec Placentiæ, & earum Episcopatu, vicis tamen Cremæ sibi reservatis, & ejus solo, suburbiisque concessis Cremonensibus, ita tamen quod non possent in civitate Cremonæ, & ejus Episcopatu, arcem, & foveam, & vicum novum erigi facere, & nec Cremam reædificare, & nec aliquod castrum ibi excitare, Egidio Dovaria, Othone de Persico, & Bernardo Picentio hæc acceptantibus, dum essent consules Cremonensium una cum Anselmo etiam de Dovaria, Othone Buinzolo, Pontio Geroldo, Marchisio Mariano, Landino Persico, Pizzo de Burgo, & Marchisio de Vetulis. Et etiam aliis civitatibus Galliæ Cisalpinæ sibi fidelibus concessit eandem auctoritatem sibi creandi consules, & Brixiæ, & Bergomi, Placentiæ, & Novicomii prætores Germanos dedit.

Et anno subsecuto, dum esset Cremonæ in ædibus divæ Agathæ, ibi consulibus Acerbo Acathacorio, Alberico Armenzono, Oberto Dovaria, Alberto Strusio, Anzelerio de Biba aquis, & Marchisio de Vetulis, promisit illic incolis eos tueri à quibuscunque eorum hostibus. A. C. 1163.

Et cum Isacius & Girardus Dovariæ, & Guarnerius Hermenzonus, Ruglerius Carfalla, Jo. Bonus Orsonus, eorumque adhærentes, Cremonenses auspiciis Federici sibi Cremonam subigere tentassent, reliqui id nolentes pati ex consilio Corradi, & Andreasii de Cavalcabobus, vicum sanctæ Agathæ incolentium se receperunt ultra Cremonellam, & ibi habitarunt, eam partem civitatis appellantes Civitatem novam. Et Federicus transmissis litteris, & nunciis ad Ludovicum Francorum Regem, eum adhortatus fuit, ut tollendi schismatis causa se cum Alexandro conferret Divonem proximum Arassi flumini dividenti Galliam à Germania, quo etiam se contulisset cum Victore causa Concilii faciendi, uter eorum foret legitimus PP. & rebus in Italia pro tempore compositis illic cum Victore, ac Boemiæ, Scotiæ, & Daciæ Regibus, ac multis armatorum copiis, eo accessit. Et cum Philippus filius Ludovici Regis Francorum cum Ricardo Anglorum futuro Rege illuc se contulisset, ad pontem Savi fluminis metatis castris, dimisso Alexandro ad Oliensem monasterium in Aquitania, dum recusasset ire ad Concilium ipsum, quod non indixerat, Federicus ob id indignatus, cum ejus ac Francorum exercitus fame opprimerentur, retrocessit in Germaniam, illincque in Italiam transmisso Victore Cremonam, die septima Octob. Cremonensibus expulsis Dovariis, & sequacibus factionis Federici ob illorum tyrannidem, avaritiam, & sævitiem, per eum substituto Episcopo Leodiensium Petro de Cimerio, mox eo ob ejus tyrannidem amoto, Federico Teutonico, & moti communi periculo, in ipsum conspirarunt, & sumptis armis ipsius præsidiis ex urbibus una cum ejus ibi magistratibus expulsis fœdus percusserunt una cum Veronensibus, Patavinis, Vicentinis, Venetis, ac omnibus populis Galliæ Cisalpinæ, sequentibus partes Pontificias, & Papiensium, & Laudensium consulibus ad se vocatis tentarunt, ut sibi vellent adhærere, sin minus eis arma movissent. A. C. 1164.

Et Federicus ex Germania regressus exercitu Italiam, & profectus in agrum Mediolanensium, ibi conjunctis copiis Papiensium, ac Laudensium, suo exercitui Germanorum, illinc ivit Veronam adversus Veronenses, & confœderatos, ibi in unum se cogentes; & cum illic voluisset castra firmare, facta in ejus exercitum per ipsos eruptione, & utrinque consertis manibus coactus fuit illinc eo abire in agrum Papiensem, & inde Laudam, ubi habuit comitia, & jussit dimitti captivos Mediolanensium, quos penes se habebat, eisque præfecit præsulem Coloniensem, & Marchoaldum de Cubacho omnium sævissimum. Et cum Victor Antipapa gravi oppressus egestate Cremonæ, Laude ad ipsum ivisset, eum illinc destinavit Lucam, eoque ibi mortuo jussit illi surrogari Guidonem de Crema, Cremonensem Cardinalem tit. sancti Calixti, & nominari Paschalem. Et Cremonenses, Brixienses, Mediolanenses, & alii confœderati, veriti Federicum reversum fuisse in Italiam ad eorum excidium, fœdus in illum confirmarunt. Et Alexander ivit Parisios, & inde Turonium, & inde ibi habita synodo rediit in Aquitaniam, & Julio Cardinale Vicario suo Romæ mortuo, ei substituit Joannem etiam Cardinalem tit. A. C. 1166. sanctorum Joannis & Pauli. Et cum ejus prudentia plerique Rom. omissa factione Federici, & Antipapæ, & fautorum suorum ei adhæsissent, & creatis consulibus ex suis adhærentibus, missis legatis ad ipsum in Galliam cum rogassent, ut in Italiam ac Romam rediret, ex consilio Ludovici Galliæ, & Hen-

Henrici Angliæ Regum navigio Ludovici parato ex Monte Pesulano Mesanam trajecit, & illic navigio Gulielmi Normanni ibi Regis, Romam rediit. Et Veronenses & confœderati, ejus partes amplectentes, expugnarunt & demoliti sunt arces Rivaliarum, & Apendicii, quas in Gallia Cisalpina munitissimas tenebat.

Et Federicus regressus Germaniam, ibi coacto multo exercitu, ex eo destinavit copias sub Raynaldo Coloniense, & Trajano Maguntino præsulibus, in Veronenses & confœderatos, compulsisque per eos præsules populis ex Gallia Cisalpina, partes Federici sequentibus, jurare, ut assisterent Paschali Antipapæ, mox reliquo exercitu illinc descendit
A. C. 1166. in Galliam Cisalpinam, & in agro Brixiensi castrametatus est, nulli molestus: quin imo ex omnibus ibi populis aliquibus illum adeuntibus læto vultu receptis, Cremonam accessit de mense Maji, ex ibi consulibus Domeningo Vida, & Ægidio Dovaria, & multis aliis Cremonensibus eum comitantibus, illinc Ferrariam abiit, & inde in agrum Bononiensem, & ibi diviso exercitu, ejusque parte transmissa Lucam causa ibi tuendi Antipapam, reliquo profectus Anconam Græco Imperio parentem, eam obsedit, & indignatus in Cremonenses, jussit ibi vallos dirui, ac turres deprimi, reservata turri altiori per ipsum ad preces & lacrimas mulierum illic coram eum genuflexarum: & ejus acies ingressæ Hetruriam, inde in ditionem Rom. irruerunt, & omnem ibi regionem Hetruriæ proximam, & Sutrio, & Nepesio, & multis aliis civitatibus, & oppidis Latii, & Hetruriæ compulsis in partes Federici, quam multi proceres Rom. inter quos fuerunt Columnenses, insurrexerunt in Alexandrum.

Et cum Raino Com. Apulus, præfectus Tusculanorum, eis moto bello per Rom. quia sibi recusabant solvere tributa, quæ eis præter modum imponebantur, accersitis in sui auxilium copiis Germanorum Federici Cæsaris apud Sutrium & Nepesium castrametantibus, & commisso prælio cum Rom. eos gravi clade affecisset; Federicus his auditis omissa Ancona exercitu properavit Romam, & secum conjunctis copiis, quibus infestabat Romanos, positis castris in campis Neronianis, annixus est irrumpere suburbia Vaticani, & repulsus per Pontificios sequenti die, dum Germani admoto igne templo divi Petri, illud comburere minarentur, admissus per ejus æditos, ne combureretur, ingressus fuit urbem. Et cum Alexander haud tutus in ædibus Lateranensibus, illinc in ædes Frangipanum ad Palladium se recepisset, institit penes Rom. ut ex duobus Pontificibus unum eligerent. Et Alexander, re ad nutum Federici inclinata, conscensis duabus triremibus, ad se transmissis per Gulielmum Apuliæ Regem, ex urbe multa pecuniarum summa distributa Frangipanis, & filiis Petri Leonis, Matthæo Rubeo, Ursinis, & Joanni Bono, & adhærentibus, eisque commissa urbis custodia, se recepit Circeos, & illinc Terracinam, & inde Beneventum, & mox Gajetam. Et cum Emanuel Græcorum Imperator destinato Oratore ad eum Jordane filio Ruberti, olim Capuæ Principis, ei obtulisset auxiliares copias, quibus ex Italia pelleret Federicum, ubi eo deposito vellet ipsum coronare Imperatorem Occidentalem, re proposita in cœtu Cardinalium id recusavit facere.

A. C. 1167. Et anno proximo Veronenses, Vicentini, Patavini, Trevisani, Mediolanenses, Cremonenses, Brixienses, Bergomenses, Mantuani, Ferrarienses, Bononienses, Rhegienses, Parmenses, & Placentini per Cremonenses, de mense Martii Cremonæ erecto Baptisterio, obsesso Blandrate prope Novariam die nona Martii, ac instaurata Derthona per ipsos, missis eorum legatis ad monasterium Pacidense, inter Mediolanum & Bergomum, ibi die sexta Aprilis ad mutuam eorum defensionem

A fœdus renovarunt, ac decreverunt reducere Mediolanenses in eorum antiquum solum; & cum Laudenses requisiti per eos confœderatos, ut eis se conjungerent, id recusassent facere, in illos die decima Maji copias destinarunt, quæ die duodecima aquis & terris Laudam obsederunt, & oppugnarunt; & inter Laudensium & Cremonensium acies commisso certamine atroci pari Marte, & vastato Laudensium agro die quintadecima Maji illos compulerunt in eorum societatem, & una cum eis obsederunt Tricium, ubi erat ærarium Federici, & die vigesima quinta, dum Galvagnus Vicecomes, fractis compedibus, ac deceptis custodibus ex Germania aufugisset in Italiam, confœderati coactis
B omnibus Mediolanensibus, per diversas regiones Italiæ dissipatis, in unum opera & astu Cremonensis, qui simulata insania discurrens per ipsas regiones, & congregato cœtu puerorum sono tubæ saliceæ corticis, si quos Mediolanenses inter eos agnovisset, monebat ipsos, ut ea die convenirent in unum ad reliquias Mediolani, illud reædificarunt, etiam, ut aliqui ajunt, ope Græcorum Imperatoris, illinc expulsis Vicariis Federici, quibus imperarat, ut facerent ibi suburbia comburi, ac omnes incolas occidi.

Et Federicus ad evitandam epidemiam Romæ sævientem, ex ea Federico filio Corradi olim Imperatoris, præsule Coloniense, & multis aliis ipsius
C proceribus, ac militibus mense Julio ibi mortuis, combustis illic templis divæ M. Virginis ac divi Petri, illinc, ibi dimisso Antipapa, abiit Viterbium, & illinc Lucam, & inde Bononiam, & mox Pontremulum, & non admissus per ibi incolas ex suis amissis morbo circiter millibus ad mare conversus ope Opizonis Marchionis Malaspinæ, Derthonam, & postea Papiam die XIX. Augusti. Et mortuo Marchoaldo, Vicario suo Mediolanensium, ei substituit Henricum de Risco Teutonicum, & qui exercuit gravem tyrannidem adversus Mediolanenses ex consilio Jordanis Scachabarotii, Anselmi de Orto, Aliprandi de Judicibus, & Henrici de Herbesiis: & die prima Septembris confœde-
D ratos præter Cremonenses & Laudenses declaravit rebelles Imperii, & die sexta irrupit exercitu agrum Mediolanensium, eoque vastato, ibi multa municipia expugnavit, sibique resistentibus confœderatis, qui erant Placentiæ, & Parmæ, irrupit agrum Placentinum, eoque flamma & ferro everso & direpto, illinc repulsus ivit Bergomum, illudque obsedit, & diffisus eo potiri, ipsius suburbiis direptis & combustis, & multis aliis in ea regione tentatis ivit in hyberna.

Anno sequente summus PP. dum Rom. Alba vi A. C. 1168.
capta, & solo æquata, in Tusculum idem facturi forent, id minis & exsecrationibus prohibuit. Et Emanuelem Imperatorem Byzantii, dum rursus ad eum missis legatis, ipsique oblata multa pecunia, cum exercitu adversus Federicum tentasset, se insigniri per ipsum corona Imperii Occidentalis re-
E pulit, & ex Benevento ivit Verulas, & Guidone Antipapa in Basilica divi Petri, quam præsidio Federici tenebat, ex humanis sublato, eique suffecto Joanne Ungaro Abbate Sarniense, & furto infame, & nominato Callisto, & per Federicum destinato ad eum legato Episcopo Bambergæ, oblata eidem pace, per ipsum omissis populis Galliæ Cisalpinæ, id recusavit facere. Et confœderati die vigesima quarta Aprilis in odium Marchionum Montisferrati, Salassorum, & aliorum, in Gallia Cisalpina condiderunt civitatem, quam de nomine sum-
F mi Pont. vocarunt Alexandriam, illuc conductis ex omnibus eorum incolis, quindecim millibus ad eam incolendam, eis divisis agris ibi propinquis, & Blandrate redegerunt ad quatuor vicos. Et cum multos apparatus in Federicum facerent, Federicus diffisus viribus suis ex Papia rediit Germaniam, illum

illum ipsorum insequentibus aciebus militaribus, & pluries in itinere eum, ipsiusque exercitum invadentibus, & lacessentibus usque ad Alpes. Et die quarta Maji consules Cremonæ, Mediolani, Veronæ, Patavii, Mantuæ, Parmæ, Placentiæ, Bononiæ, Brixiæ, Bergomi, Laudæ, Novicomii, Novariæ, Vercellarum una cum Opizone Marchione Malaspinæ, convenerunt in oppido Laudense, & societatem confirmarunt. Et mox Mediolanenses, Cremonenses, & Brixienses Placentinis promiserunt eorum urbis foveas infra quatuor menses purgari facere, & si quod damnum eis bello intulisset Federicus, illud instaurare.

A. C. 1169. Anno subsecuto die quinta, seu septima Septembris apparuerunt tres soles versus Occasum ultra duas horas, & cæteris deficientibus, medius tantum remansit, & etiam tres lunæ.

A. C. 1170. Et anno 1170. ab hora prima diei vigesimi septimi Junii per quatuor menses fere continuos in Syria, ac Phœnicia, & multis aliis provinciis Orientalibus viguerunt præter modum terræmotus, ex quibus corruerunt multa ædificia, etiam valde stabilia Antiochiæ, Laodiceæ, Aleppi, Cæsareæ, Edessæ, ac Tripoli, & multis aliis urbibus, ac oppidis, ex quibus Tripolis & multa oppida funditus remanserunt diruta, cæde innumerabilium ex ibi incolis oppressorum, gravi terrore superstitum.

A. C. 1171. Summus Pont. ex consulibus Cremonensibus Henrico Medalia, dum Aymo Comes timens Rom. ob cladem eis illatam (ut præfertur) permutato Tusculo cum Verulis sibi dandis per Antipapam, & eo dimisso non fuisset admissus per Verulanos, nec

A. C. 1172. Antipapa per Tusculanos, Tusculum cessisset summo Pont. illuc accessit. Et dum Rom. recusassent eum Romæ recipere dimissis ipsis cura rerum sæcularium ex Tusculo ivit Signiam.

A. C. 1173. Cremonenses, eorum consulibus Pontio Geroldo, Bernardo de Gadio, Raynaldo, seu Ribaldo Piscarolo, Ottobello della Pilla, Henrico de Malanotte, Himerio Lombardo, Guazono Albrigono, & Lanfranco Oscasale, timentes, ne Federicus Cæsar Cremonam irrumperet, eamque diriperet, cœperunt instaurare ejus mœnia auxilio Mediolanensium, inchoaruntque mercatum extra civitatem inter portas Mosiæ, & divi Michaelis. Et Bononienses, Mutinenses, Rhegienses, Brixienses, Placentini, Parmenses, & Mediolanenses, assistentibus legatis Pontificiis, se obligaverunt juramento versus Cremonenses, quod ubi aliquod oppidum, aut arx aliqua inter Abduam & Ollium flumina, absque eorum consensu construi vellet, se ad ea demolienda secum affuturos, & bellum ea de causa recepturos, & fœdus inter se contraxerunt per annos quadraginta, unoquoque decennio instaurandum.

A. C. 1174. Et Federicus ex consulibus Cremonæ Uberto Dovaria, confisus viribus Gulielmi Marchionis Montisferrati, ex Germania per montes Zenisios una cum Henrico Duce Bavariæ, ejus nepote ex fratre, Italiam rursus exercitu irrupit, eoque, ac auxiliaribus Marchionis, ac Papiensium, die secunda Septembris Secusiam urbem, in Gallia Subalpina ad radices montis, occupatam diripi ac everti jussit; & Astenses timore perculsos in deditionem accepit, alio ejus exercitu ex Umbria profecto in agrum Bononiensem, eoque direpto, præsule Moguntino duce, per quatuor menses obsedit, & sæpe oppugnavit Alexandriam, & cum nonnullæ ejus copiæ suffossis cuniculis ipsam ingressæ, illinc fuissent repulsæ per eos, qui illam tuebantur, & ab ipsis, qui mox illinc erupissent, accepisset aliquam cladem, illinc, diffisus ea potiri, in die Paschatis soluta obsidione abiit. Et cum Mediolanenses ac fœderati castrametantes Derthonæ, ut Alexandriæ annonam & auxilium ferrent, ei illac transituro occurrissent quadrato agmine, cum

A ipso concursuri, eis evitatis properavit Clastidium oppidum, ubi dimissus per Henricum Ducem Bavariæ, nepotem suum, qui magna parte exercitus Germanorum secum ducta in Bavariam redierit, inter eum ac fœderatos factis induciis, se interponentibus Gulielmo Coloniæ præsule, Gerardo de Ponzago Taurinense, & Ricardo de sancto Nazario Papiense pro Federico, & Giberto Piscio Mediolanense, & Gerardo Gambara Brixiense, & Gulielmo Veronense pro confœderatis, & Ezolino de Romano, & Anselmo Dovaria Cremonense, ad eos transmissis legatis, illinc abiit Papiam. Et fœderati domos suas redierunt, oppido Bazani combusto, & oppidis sancti Martini in strata, ac sancti Nazarii, & Brenii Papiensium eversis, & dum

B occurrissent copiis Cremonensium, apud Placentiam transeuntibus ad subsidium Alexandriæ, & consules ac duces eorum accusassent, quod tardius eas adduxissent in gratiam Papiensium, quibus amici erant, Cremonenses his intellectis, ut se ab omni suspicione exsolverent, eos consules ac duces exauctorarunt, illorumque domos everterunt, eorum Episcopo Offredo de Offredis, suffecto, Uberto tunc mortuo, & Gerardo Carpaneto Cremonæ primo prætore.

Et Papiæ habitus fuit conventus pro pace ineunda per summum Pont. & confœderatos cum Federico, illuc profectis tribus Cardinalibus pro summo Pont. cum legatis Venetorum, & confœderatorum, sed cum Federicus iniqua postulasset, recusassetque restituere ea, quæ ecclesiæ occupaverat, & nec Gallis Cisalpinis modum tributorum sibi solvendorum statuere voluisset, conventus ipse re infecta fuit dissolutus, & Cardinales redierunt ad summum Pont. Anagniam, & legati Venetorum, & confœderatorum in patrias suas. Et cum Cremonenses, Derthonenses, & Novicomenses Federico adhæsissent, Mediolanenses irruperunt agros Novicomensium, & Papiensium, & populati sunt. Et summus Pont. Alexandriæ urbi novæ dedit Episcopum, & præsulem Papiæ pallii, & Crucis dignitate privavit, & cum Alexandrini eorum Episcopum occidissent, & etiam alium mox substitutum, devoratis etiam ipsius carnibus, illos privavit in perpetuum jure Episcopali. A. C. 1175.

C

D

Et anno 1176. Cremonæ consulibus Gerardo Dovaria, Homobono de Tricio, & Ubaldo Piscarolo, Federicus promisit Cremonensibus, Novicomensibus, & Derthonensibus, ipsos tueri ab eorum hostibus, & de mense Maji ei ex Germania copiis auxiliaribus per saltum Dondussulæ superventis Novicomum, eisque conjunctis exercitui, quem habebat in Italia, Mediolanenses eorum Vexillifero Uberto Glussiano, cum quo erant Otho, & Raynerius fratres sui, cum novem centum militibus electissimis à morte nominatis, cum se devovissent magis mori, quam prælium deserere, & aliis tercentum, qui currum comitabantur, & Veronenses, Brixienses, Bergomenses, & Vercellenses una confœderati, ut ei occurrerent, ingressi agrum Novicomensium, ad Barlianum, seu Vicum Scanasium castra firmassent, & illinc ex eis septem centum equestres Federico, & ejus exercitui occurrissent ad Turratium Vicum, illinc ad tria millia passuum, & inter Lignanum, & Dairagum, quos Federici tercentum equestres, & mox aliæ turmæ supervenlæ in auxilium repulissent, ibi atroci inchoato prælio die vigesima nona Maji, & solemnitatis divorum Sisinii & Alexandri, inter Federici & fœderatorum exercitus, & ad currum fœderatorum Federici Vexillifero cadente, & equo, quem insidebat, confosso & occiso, ut non multum abfuerit quin & ipse occideretur, multis utrinque desideratis, succubuit. Et dum Germani credentes eum occubuisse, visis quoque per eos tribus columbis sistere super A. C. 1176.

E

F

arbore currus Mediolanensium, egressis mirabiliter ex altare divorum Sisinii & Alexandri Mediolani, territi pedem retulissent, & fugam cepissent ad oppida ibi propinqua, victoria inclinavit ad Mediolanenses, & fœderatos, inter quos fuit Raynaldus Estensis filius Bertoldi, ex Germanis multis absorptis ab aquis fluminum Abduæ & Ticini, dum illa trajicere voluissent, & pluribus, dum ignari itinerum se conferrent ad oppida hostilia, ibi necatis, & etiam aliquibus captivatis, plerisque Papiensibus & Novicomensibus, qui erant cum eo, desideratis, & impedimentis Federici exercitus, ejusque militum occisorum spoliis concessis militibus fœderatorum, eoque biduo quæsito, & nec invento, uxor ejus accepto lugubri habitu Novicomii, ubi erat, ipsum regio funere prosecuta fuit; sed Papiæ die quinta post ipsum prælium incolumis repertus fuit, alio prælio etiam tunc commisso inter ejus aciem, quam habebat in agro Bononiense, & Bononienses ad oppidum Medicinæ, & Bononiensibus profligatis, ex eis multis occisis, & multis captivatis præsule Moguntino Duce.

A. C. 1177. Et cum multi prælati ac proceres, qui Papiam ad eum convenerant, ipsum deserere proposuissent, & in Germaniam redire inter eum & summum Pont. rursus tractata pace, ad ipsum Anagniam, ubi adhuc degebat, destinavit legatos præsules Magdeburgensem, Moguntinum, & Vormaciensem, & daro ordine, pro pace ipsa facienda, ut summus Pont. Bononiam accederet, & Federicus Mutinam, & mox per legatos Federici allegata Bononia suspecta, cum summus Pont. navigio Gulielmi Siciliæ Regis ex Vesta urbe Siciliæ trajecisset Alexiam, & illinc Jaderam Liburnorum urbem, & inde Venetias, & mox etiam illuc conventis legatis Federici, cum eis inde profectus fuisset Bononiam, & illinc Ferrariam electam pro pace ipsa firmanda, & illic quoque conventis legatis fœderatorum ibi eorum, ac legatorum Federici variantibus sententiis paci locus esse non potuisset, omnesque ivissent Venetias; Federicus quoque illuc accessit, & ibi inter eum & summum Pont. auctore Sebastiano Ziano, illic Duce, die vigesima quinta Julii pace stabilita per summum Pont. fuit absolutus ab omni excommunicatione, & receptus in sui gratiam, hac lege, ut eum reduceret Romam, & illinc expulso Antipapa restitueret Sedi Apostolicæ, & mox transiret exercitu in Syriam adversus infideles, & cum Gulielmo Normanno Siciliæ Rege per annos quindecim, & confœderatis per annos quinque inducias fecit.

Etsi sint aliqui auctores summum Pont. infestatum per Federicum, & adhærentes aufugisse Venetias, & cum Federicus ob id anno præcedente indignatus Venetis bellum movisset, eis in Dalmatia, adversus ipsos Othone filio naturali classe septuaginta quinque navigiorum Pisanorum & Genuensium destinato, & qui dum cum Venetorum triremibus triginta Sebastiano Zeno Duce de mense Maji inter Piramum & Parentium in Dalmatia prælio congressus per eos fuisset superatus, & captus ex ipsius navigiis amissis quinquaginta, & Venetias conductus ibi eo, ac Ziano auctoribus pacem ipsam factam fuisse; dum Federicus se coram summo PP. & ad pedes ejus induti habitu pontificali apud ecclesiam divi Sylvestri prostrasset, & summus PP. concessit Ducibus Venetorum ob operam præstitam in ea pace facienda sibi per Zianum, funale candidum, & jus sigillandi eorum litteras plumbo, ac sedem & pulpitum auri, & tertiam sedem Romæ in theatro, & vexilla octo serica diversorum colorum, ac tubas argenteas, & perpetuo quotannis visitantibus templum divi Marci in festo Ascensionis Dominicæ plenariam indulgentiam peccatorum; & ex Venetiis die quinta decima Octob. tredecim triremibus Gulielmi Normanni, & quatuor Venetorum trajecit Ravennam, & inde Sipontum, mox Trojam, & postea Anagniam se contulit, Antipapa delitescente in oppido Albano. Et Federicus paulo post eum secutus, ex Venetiis etiam trajecit Ravennam, & inde Cesennam, ubi Brentonorum oppidum, quod decreverat retinere, restituit Ecclesiæ in gratiam summi Pont. dum pro eo starent Veneti, Trivisani, Patavini, Veronenses, Brixienses, Ferrarienses, Mantuani, Bergomenses, Laudenses, Mediolanenses, Novarienses, Vercellenses, Alexandrini, Cassinates, Pedemontani, Placentini, Parmenses, Rhegienses, Mutinenses, Statinienses, Dusiani, & nonnulli alii populi Piceni, & Flaminiæ, & Marchio Malaspinæ, & Federici partes sequerentur Cremonenses, Papienses, Genuenses, Derthonenses, Novicomenses, Savonenses, Albingaunenses, Casalenses, Mathilienses, Imolenses, Faventini, Ravennates, Forilivienses, & Foripopulienses, Cesenates, Ariminenses, Castrocarenses, Marchio Montisferrati, Comes Blandratæ, & Viarii, Marchiones Boschi, Comites Laumelli. Et cum fuisset Parmæ & Mediolani, Federicus concessit Cremonensibus, eorum legatis Raynaldo Dondono, & consulibus Pontio Geroldo, Gerardo de Dovaria, Homobono de Tricio, & Ubaldo Piscarolo, omnia, quæ haberent tam intra, quam extra civitatem in terris & aquis cum tertia parte Guardastalli & Luzariæ.

A. C. 1178. Et cum Beatrice uxore, & Henrico filio, anno sequenti ex consulibus Cremonæ Bernardo de Gadio, dimisso in Italiam Vicario Christiano præsule Moguntiæ cum copiis, ad res ibi Imperii moderandas, & ibi populos ei adhærentes in ejus fide continendos, per agrum Novicomensium rediit in Germaniam.

A. C. 1179. Et summus Pont. re composita cum Rom. & quorum Consules ante initum eorum magistratum in ipsius verba jurare debebant, se ei, ac Ecclesiæ Rom. fore fideles, & nihil in eum molituros, ex Anagnia Romam rediit.

A. C. 1180. Et die quinta Martii anni proximi ad componendos mores ecclesiasticos corruptos, Romæ apud Lateranum habuit Concilium, in quo fuerunt tercentum præsules, & inter alios Gulielmus Archiepiscopus Tyri, Heraclius Cæsaræ, Albertus Episcopus Bethleem, Rodulphus Sebastæ, Jordanes Aconis, Romanus Tripolis, cum Petro Priore templi sepulchri Dominici, ac Raynaldo Abbate Montis Sion, & factum fuit decretum, ut omnes subministrantes lignum, ferrum, ac arma infidelibus forent excommunicati.

A. C. 1181. Et Federicus Cæsar apud Herbipolim habitis comitiis cum suis consultoribus, ac proceribus, & principibus, & deinde Moguntiæ, ibi declaravit Henricum, suum primogenitum, Cæsarem, & Federicum secundum Ducem Sueviæ, Othonem tertium Burgundiæ, & Corradum, & Philippum alios fratres Principes in Germania, & Prætore Cremonæ Manfredo de Fantis Mutinensi, genero Girardi de Carpaneta, à quo fuit denominatum Castrum Manfredi, tunc per Cremonenses conditum inter Soresinam, & Oscasalem eorum agri. Stella crinita horribili tunc conspecta Alexander summus Pont. die septima Augusti post longos labores ac multas molestias, quibus fuit oppressus per annos viginti & unum, & dies decem & novem, quibus vixit in Pontificatu, ex hoc sæculo migravit, & illinc ad biduum omnium consensu fuit electus summus Pont. Ugebaldus Episcopus Hostiensis, & nominatus Lucius tertius.

A. C. 1182. Anno sequente fuerunt consules Cremonæ Guazzonus Albrigonus de Guazzonibus, & Gerardus de Dovaria.

A. C. 1183. Et anno secuto Dovaria occiso, & solo consule Guazzono, & Gerardo Carpaneta Pætore mortuo

tuo die nona Octobris, & sepulto ibi in arca marmorea apud Ecclesiam Cathedralem, & scalis marmoreis ad ibi forum majus constructis: & à grandine instar ovi anserini illato gravi damno, Federicus Imperator Constantiæ habitis comitiis Henricum filium suum confirmavit Cæsarem, & eo auctore die vigesima sexta Julii pacem reddidit Mediolanensibus & confœderatis.

A. C. 1184. Et anno 1184. ex Germania destinatis ad eum Placentiam Gulielmo Præsule Astæ, Henrico Guererio Marchione, & Theodorico fratre, & Rodulpho Camerario, illinc descendit in Italiam, & accessit Cremonam, & per Cremonenses sibi dimisso omni jure eis spectante in oppido Cremæ, & municipiis Guardastalli & Luzariæ, & Insula Fulcheria, & eorum pertinentiis, quod mox, dum esset Papiæ, ipsis promisisset restituere, pro eo intercedentibus Papiensibus, & deinde illinc reversus Cremonam hospitaretur in domibus ecclesiæ ibi Sanctæ Agathæ, & Cremonenses penes eum institissent, ut illud sibi restitueret, ac instaurari faceret eas domos ac ecclesiam per ejus milites demolitas, Federicus ab ipsis timens, clam eis illinc properavit Mediolanum, & Henrico filio, dum statim illuc se contulisset cum uxore Germana, ibi insignito corona ferrea in templo divi Ambrosii per Aloysium Pirovanum illic tunc Præsulem, & interim per ejus copias, quas habebat in Latio, cum exsulibus urbis Veteris, & Corneti, & incolis montis Polotonii, Clusii, Aquæ Pendentis, Vulsini, Balnei, Rhegii, & multorum ibi populorum, obsessa urbe Vetere, ei ope data per Florentinos, Perusinos, Lucenses, Eugubinos, Assisiates, Spoletinos, Umbros, & Marchianos.

A. C. 1185. Anno proximo una cum Henrico filio, Gulielmo Marchione Montisferrati, Genero suo, ei nupta filia sua Beatrice, Uberto Cribello præsule, & Consulibus Mediolani, inde accessit Cremam, & illinc Placentiam, & cum multi Cremenses eum secuti fuissent, & Cremonenses plurimi illuc profecti, illos armis invasissent, & ex illis multos tum occidissent, tum vulnerassent, Federicus in eos indignatus, illinc Rhegium abiit, & dum ibi esset, declaravit eos Cremonenses rebelles Imperii, eorum Consulibus Alberto Strevesio, seu Fodrio, Aloysio Pagano de Medulate, & Othone de Marano, seu Contino, vel Cortesio, & Martino de Cumis, & inter Guazzonem Albrigonem Consulem & ibi rectores orta discordia, deposito Albrigone, & concessit Mediolanensibus, illuc ad eum missis legatis, duodecim regalia Imperio spectantia in Comitatibus Seprii, Martesanæ, Burgariæ, Leuci, & aliis locis ultra Abduam, mox eorum parte concessa Cremonensibus, & ex Insula Fulcheria, Ripam altam, Casorate, Augitanellum, Pandinum, Misanum, Verate, Calvizanum, Arzagum, Turnum, Coenzanum, Gadellam, Doveram, Ronchadellum, Pradam, Vitanenghum, Pachenzanum, Caravagium, Potenzum, Bergolium, Vaylate, & alia interjacentia ibi Ollium & Abduam, ac promisit instaurationem Cremæ, & Gulielmum Marchionem Montisferrati transmisit exercitu in Syriam adversus infideles, & illinc profectus fuit Mutinam, & mox Bononiam. Et Faventia sibi parere recusante Duce Bertoldo cancellario suo obsessa exercitu, & ad pristinam sanitatem compulsa, & dum fuisset progressus in Hetruriam, omnibus ibi civitatibus sibi suppositis, Bononia reversus Placentiam.

A. C. 1186. Anno sequente tunc interdiu conspectis in aere stellis, aere obscurato, & sole obtenebrato, & Cremonæ Consulibus Alberto Bocca de Torculo, Lanfranco Piscarolo, Ambrosio Oldoyno, Othone de Comite, Othone Cortisio, Ambrosio de Scandolaria, & Palpaterra de Acerbis, & Prætore Alberto, seu Alberico de Sala, ejus opera per Cremonenses fœdere percusso cum Parmensibus, & ibi constructis portis ex lateribus coctis cum pontibus, & foveis expurgatis, & castro Robecchi ædificato, in gratiam Mediolanensium instaurari jussit oppidum Cremæ, eorum, ac Placentinorum, & Brixiensium ope, demolitum in gratiam Cremonensium, ut præfertur, illud appellando eorum Frisorium, & inchoata ibi arce die septima Martii, & conductis ad sui stipendium Giberto ex Comitibus Camisani, & Lantelmo de Greppis, mox nominatis de Benzonibus, Cremensibus.

Et cum Cremonenses indignati in Federicum, eorum Consulibus Alberto Streverio, seu Alvisio Pagano de Medulate, & Othone de Marano, seu Contino, vel Cortesio, quia recepisset in sui gratiam Mediolanenses, & eis instantibus in odium Cremonensium Cremam instaurari faceret, arreptis armis ingressi agros Cremensium, eos diripuissent, igneque, ac ferro vastassent, una cum Henrico exercitu suo, ac Mediolanensium, & Placentinorum, & Brixiensium, agrum Cremonensium irrupit, ac diripi, igneque, & ferro etiam everti jussit, oppidis Soncini, ac Manfredi, ac Cremona occupatis, & oppidis demolitis, & Cremonæ mœnibus solo æquatis, ex ipsis multis captivatis, & Mediolanum conductis, eis quoque ademptis Guardastallo & Luzaria. A. C. 1187.

Et mox Henricus, dum obsideret urbem Veterem, Odone de Comite, & Diacono de Persico legatis Cremonensium ab eis transmissis de mense Julii, ipsos recepit in sui gratiam, eisque promisit, se nunquam ipsis molestum fore ob injurias & damna ipsi & patri facta, & illata per eos.

Et Lucio summo Pont. mense secundo anni quinti sui Pont. & die vigesima quinta mensis Octobris, Veronæ mortuo, eique substituto Urbano tertio Mediolanense ex gente Cribella, patre Joanne nominato Lamberto.

Federicus anno secuto, adhuc Consulibus Othone Tertio, & sociis Cremonenses recepit in sui gratiam, eisque concessit Insulam Fulcheriam, & jus monetæ cudendæ, qua omnes Galliæ Cisalpinæ populi uterentur, ut ante utebantur sola Papiense signata imagine Imperatoris, dimisso oppido Manfredi. A. C. 1188.

Et Henricus filius in gratiam Mediolanensium cepit Villianum oppidum supra Taurinum Comitatus Allobrogum, & illinc profectus in Vallem Tarri, etiam ibi cepit, ac everti jussit Carbonariam de Zelata, & Fastigium ibi Marchionatus.

Et Federicus per Henricum filium obsessa urbe Veteri in Latio, Senenses, & Florentinos, ac alios Hetruscos, qui ei non adhæserant, dominio privavit, Obizone Estense filio loco sui dimisso in Italia, ejusque aucto exercitu, quo perseveravit in obsidione urbis Veteris, illinc abiit in Germaniam.

Et Mediolanenses, ac Placentini, Cremonenses, & Parmenses, dum Castrum novum Buccæ Abduæ munirent, ad id impediendum illuc properantes, ibi collatis manibus illinc expulerunt, & Castrum novum occuparunt.

Et Cremonenses cœperunt construere Castrum Leonis in ipsorum agro, Gerardo de Camisano Cremense eorum Prætore, & Offredo de Offredis Episcopo, & per eum ac Theobaldum Episcopum Placentiæ finibus eorum Episcopatuum distinctis inter Sovartiam & Olziam, pro quibus inter eos, eorumque præcessores, fuerat longa controversia, Castrum novum Buccæ Abduæ occupatum per Mediolanenses & Placentinos, ut præfertur, junctis secum Parmensibus, illud recuperarunt una cum Sceno, & Casale bino Parmensium per Placentinos etiam occupatis, & quæ Parmensibus dimiserunt, eorum consulibus Ognabeno de Veronensibus, Mauro de Trigolo, & Musso de Marianis.

Et Henricus Cæsar indixit comitia ad Burgum sancti Donini, & eo ex Italia, ibi dimisso recto- A. C. 1189.

re Tusardo, profecto ad Federicum Imperatorem patrem suum in Germaniam, Federicus illinc descendit in Italiam cum eo, & aliis filiis, & Philippo Francorum Rege, ac Ricardo filio Regis Angliæ, Odone Duce Burgundiæ, ac multis aliis Ducibus, Principibus, Marchionibus, & nobilibus, & profectus Mediolanum, dimisso Henrico in Italia, illinc cum aliis, ac Bonifacio, & Gulielmo Marchionibus Montisferrati, ac Venetis, & Pisanis classibus præsule Ravennæ Amirata classis Venetæ, & Pisanæ Pisano, ac Frisiis, Dacis, & Flamingis classe triremium quinquaginta, ac multis Cremonensibus, eorum prætore Isibaldo Papiense, ac Consulibus Joanne Strasso, Homobono Tutio, Ruglerio Bocatio, Henrico Fodrio, & Joanne Corrado, Cremonæ habito delectu, & apud Casale majus constructa trireme, eaque conscensa, transivit in infideles ad eis bellum inferendum, & ab illis recuperandam Hierosolymam exhortatione Clementis tertii summi Pont. & direxit iter suum in Syriam per Dalmatiam, Ungariam, ac Thraciam exercitu, sibi promisso libero aditu per Isacium incitatum à suis, impedito itinere Emanuele Camice patruele Isacii, & Alexio Barda cum exercitu insequentibus Philippopolim cepit, & in eum facta impressione per Romeos, & inter illos & Germanos, quos secum habebat, commisso prælio, illis repulsis gravi strage, illinc accessit Byzantium, & secum per Isacium territum renovato fœdere, & promissa annona ejus exercitui, datisque obsidibus, de ei fide servanda, modo aliquod suis subditis non inferrent damnum, ac viæ præcursoribus trajecto Bosphoro in Bithyniam, ibi cepit Philomellam occupatam per Turcas, eâque dimissa se recepit Iconium, ejusque agro depopulato, & Turcis, & aliis infidelibus, eum & exercitum suum continuo insequentibus, & ex illis innumeris occisis irrupit Armeniam, eamque redegit in sui potestatem.

A. C. 1190. Et dum amnem Ferreum in Iconii agro equo ingressus fuisset, lavandi eum gratia, à vorticibus fluminis absorptus de mense Aprilis ibi periit anno trigesimo septimo imperii sui, & ejus cadaver delatum Tyrum, ibi summo cum honore, Guidone ibi Rege funus procurante, fuit sepultum, ejusque exercitu una cum Federico filio ingresso agrum Antiochenum, Berinthoque, & multis aliis occupatis, ibi fere omnibus ejus militibus una cum Federico ex aeris intemperie mortuis, superstitibus Henrico, Othone, Corrado, & Philippo, & Sophia, & Beatrice filiis, eique successit in Imperio Henricus primogenitus, sextus in numero Imperatorum ejusdem nominis, & profecturus Romam ex Mediolano accessit Cremonam, Cremonensibusque confirmavit privilegium monetæ cudendæ, & Insulæ Fulcheriæ, ibi consulibus Othone de Comite, Gerardo nuncupato Maladobato de Summo, Marchisio nuncupato presbytero de Vetulis, Petro Manaria, & Othone de Orsonibus, qui nomine Reipublicæ Cremonensis investiverunt Gulielmum de Dovaria Prætorem, & Ramenghum consulem Insulæ Monticellorum, de omnibus arboribus, satis, & plantatis in ejus aggere, seu terralio, & ipsius ripa in ejus burgo, & circa ipsum, & Truschus legatus Henrici Imperatoris die tertia decima Junii dedit bannum Mediolanensibus, Brixiensibus, ac Cremensibus, & aliis, qui sibi prohibuissent consignare oppidum Cremæ Cremonensibus, & tunc Cremonæ excussa campana arenghi, & facta ala equestri, & percusso fœdere per Cremonenses, Papienses, Derthonenses, Novicomenses, Laudenses, & Bergomenses invicem, illinc abiit Romam.

Et Cremonenses auctore Henrico Imperatore facta per eum promissione cum juramento Cremonensibus, eis servare concessionem sibi factam per ipsum de oppido Cremæ, & vicis Insulæ Fulcheriæ, & per Bonifacium, & Gulielmum Marchiones Montisferrati, eis, & aliis confœderatis fidantia data in eorum dominio die octava Octobris ex primoribus Cremonensium Othone de Casalimorano, Othone de Confanoneriis, Gerardo nuncupato Maladobato de Summo, Lanfranco, Ubaldo, & Raymundo de Oldoynis, & Othone Ruglerio, transmiserunt copias militares in auxilium Parmensium & Mutinensium, secum fœderatorum, adversus Mantuanos & Ferrarienses ad Brixellum castrametantes, ex quibus trajiciendo Padum, plurimi in aquis ipsius obruti remanserunt.

Et anno proximo profecti in auxilium Bergomensium adversus Brixienses, eorum prætore Ugutione Bosio Mantuano, & consulibus Gulielmo Bellotto, Giberto de Multis denariis, Com. Gerardo de Camisano, & Ruglerio de Biba-aquis, ingressi agrum Brixiensium, ipsos incautos in ripis fluminis Ollii castrametantes, die tertiadecima Decembris invaserunt & fuderunt, ipsorumque agros diripuerunt ac ferro & igne vastarunt, una cum oppido Cividatis in agro Bergomense per Brixienses, una cum Calepio occupato die octava Aprilis: & Offredo Cremonæ præsule mortuo substitutus fuit Sicardus Casalengus, qui concessit in feudum perpetuum tunc nobilibus de Summo Cremonensibus, eorumque successoribus jura ejus episcopatui, spectantia in locis plebis Octovillarum, seu Cogoli, Marzalenghi, Summi, Paraschi, Zibelli, Insulæ Guidonum, Vicomaris, Salcsatæ, Ardolæ, Carpanetæ, Regazolæ, Fori novi, Romani, Plebis divi Celsi, Suspiri, Formigariæ, Curtigianæ, Soresinæ, Canserii, Moschezani, Straconcoli, Sancti Joannis in Regona, Castegnini Sicci, Gualcharenghi, Caretoli, Ravignini, Velliganæ, Maschalenghi, Tucenghi, Soncini, Barenghi, Barzanighæ, Crucis de Badilinis, & Rochæ montanæ. Et cum Brixienses, una cum Mantuanis & Placentinis sibi confœderatis trajecto flumine Ollii ad oppidum Cividatæ die quinta decima Julii in Cremonenses irruissent, ex eis quinque millia remanserunt tum occisi, tum obruti in aquis ipsius fluminis, & mille vulnerati, ex quibus etiam multi perierunt, & totidem captivati cum eorum curru, ejus parte ducta Mediolanum, & altera, super qua erat campana, conducta Brixiam una cum campana ipsa reposita super turri ibi populi, & quæ pro memoria ipsius victoriæ solita est, ut dicitur, pulsari quotannis in die Carnis privii: & mox Brixienses una cum Mediolanensibus, ac Cremensibus, & etiam Placentinis, ac Mantuanis, irrumpentes agrum Bergomensem, ibi ceperunt Romanum, ac Curtem novam.

Et anno sequente Henricus Imperator die quarta Martii, dum esset Agoneæ, Cremonensibus, eorum legatis Odone de Comite, & Alberto Mussio, oppidum Cremæ etiam concessit, & ex Insula Fulcheria Azanum, Farinatam, Capram altam, Campum Seccum, Berzolaschum, Serignanum, Albirenghum, Piacanum, & Vagnanum ultra torrentem Serii, & citra Gabianum, Bidolaschum, Casale, Ruinzenghum, Camisanum, Bustojanum, Offanengum, Josanum, Suave, Medegnanum, Pallatium, Pignattum, Montium, Gavaranum, Balneolum, Olium, Guageganenghum, Plajanum, Gradariam, Roberetum, Mulazanum, Montodenum, Rivoltellam, Umbrianum, Cremosanum, Trescorium, Bordinatium, Quintanum, Pianenghum, & Torlinum. A. C. 1192.

Et Cremonenses, eorum consulibus Martino Mariano, Gulielmo Bellotto, & Ruglerio de Bibaaquis investiverunt Petronium de sancto Felice, Morandum, & Anglerium de Piscarolo, Joannem de Andenna, & Adamomum incolas Grontardi, & consules de Castro nuper ædificato ad Binam novam in ripa Ollii suo nomine, & ibi incolarum.

Et anno secuto, die tertia Maji confirmarunt fœdus A. C. 1193.

dus cum Papienſibus, Derthonenſibus, Novicomenſibus, & Bergomenſibus. Et ſummus Pont. per Henricum Cæſarem ſibi reſtituto Tuſculo, eoque direpto & ſolo æquato per Rom. ac ſibi conceſſo jure, quod habebant Imperatores eligendi ſummum Pont. eum inſignivit corona imperiali die vigeſima Aprilis, & Paſchatis, eique conceſſit nomine Eccleſiæ regnum utriuſque Siciliæ occupatum per Tancredum Normannum, ab Henrico jam defuncta prima uxore, ducta Conſtantia filia Ruglerii quarti Normanni, olim Regis Siciliæ, quinquagenaria, educta ex monaſterio Panormi, ubi erat Deo dicata, ex diſpenſatione ſummi Pont. & qua Cremonam ſe recepit, & ibi conſulibus Guilielmo Bellotto, & ſociis, eis dimitti fecit per Brixienſes captivos, ac conceſſit oppidum Cremæ, & Roncharolum, & Pontisvicum, eoſque & Papienſes, Laudenſes, Bergomenſes, Novicomenſes, ac Bonifacium Marchionem Montisferrati in unum conjunxit per Bonifacium Cremonenſibus & confœderatis, facta promiſſione prohibendi Mediolanenſibus ſecum gerentibus bellum tranſitum eorum bonis & mercibus per ipſius dominium.

Et Henricus de Lanthe legatus Henrici Cæſaris promiſit Cremonenſibus, quod Henricus ſervaſſet ſecum conventa, & dum eſſet Placentiæ Placentinis dimiſit Burgum ſancti Donini pro libris bis mille argenti.

A.C. 1194. Et illinc anno ſubſecuto profectus Mediolanum Conſtantiam ibi deſponſavit. Et Cremonenſes ingreſſi cum Papienſibus & Bergomenſibus, eorum conſulibus Alberto Summo, Pagano Burgo, & Leonardo Bobio, agrum Mediolanenſem, illum diripuerunt. Et eorum conſulibus Ruglerio Advocato, Anzelerio de Burgo, Alberto Summo, & Jacobo de Surdis, & Conſenſo de Geroldis, & quo ex ingenti aquarum fluminis Padi incremento, ipſius aggeribus disjectis multa pars agri Cremonenſis fuit inundata, profecti in auxilium Laudenſium una cum eis, & Bergomenſibus, Papienſibus, Novicomenſibus, & Parmenſibus una confœderatis in Mediolanenſes, Brixienſes, Cremenſes, Placentinos, & Mantuanos obturantes foſſam per Laudenſes factam à civitate Laudæ uſque ad flumen Lambri, Mediolanenſium agrum prædæ adhuc expoſuerunt, & cum ipſis & confœderatis die ultima Junii congreſſi prælio per eos fuerunt ſuperati, ex ipſis centum quinquaginta occiſis, & ex illis ac Laudenſibus quadraginta, & ex confœderatis ducentum captis cum curru Cremonenſium, & ductis Mediolanum, & aliis tercentum obrutis in flumine Abduæ, & Mediolanenſes & Brixienſes, utentes hac victoria, curſitarunt, ac depopulati ſunt agrum Laudenſium, Canevago ibi expugnato, & Zovonengho combuſto, & mox irrumpentes agrum Cremonenſium, ibi Caravagium, & Soncinum igne ac ferro demoliti ſunt, & mox Cremonenſes Ruglerio de Advocatis eorum mandatario, & Brixienſes eorum procuratore Deſiderio, convenerunt, quæcunque hinc inde occupata vigente inter eos bello, ſibi utrinque dimittere, & Tuſardus legatus Henrici Imperatoris ſuſcepit in partes ſuas Bonifacium Marchionem Montisferrati, Cremonenſes, Novicomenſes, Papienſes, Laudenſes, & Bergomenſes, & eorum adhærentes, excluſis Parmenſibus, & Emanuele Marchione Malaſpinæ, pace inita per eos cum Mediolanenſibus, Placentinis, & Cremonenſibus, & nomine Cremonenſium præſtito per ipſos juramento ipſi legato de ſervanda pace inter eos, & per ipſum facto præcepto Mediolanenſibus, & adhærentibus, ut eam ſervarent, die duodecima Maji, & die quintadecima etiam per Cremonenſes facta promiſſione eidem legato, ſe ad omnem ejus requiſitionem compoſituros cum Cremenſibus, & aliis Inſulæ Fulcheriæ, & ſecum Brixienſes die ſeptima Septembris pacem iniverunt.

Et anno 1195. ex Conſtantia uxore Henrici, dum eſſet Panormi, ſeu in urbe Eſii Flaminiæ, die vigeſima ſexta Januarii prodiit in lucem Federicus ſecundus, Lothario J. C. Cremonenſe, tunc Bononiæ publice leges docente, & Sicardus præſul Cremonæ ejus, ac fratrum, & Brocardi equitis ære proprio conſtrui fecit eccleſiam in vico Bonomercii propinquo Cremonæ per bis mille paſſus in honorem B. Mariæ Virg. ejuſque natalis ſalutiferi memoriam. Et Gulielmo Bellotto, Odone de Comitibus, Maltraverſio de Mandalbertis, Iſacio de Dovaria, Guidone Domenegono, Girardo Zanebono, Talamatio de Gardulis, Othone de Medulate, & Giberto de Multis denariis, & Com. Ruglerio de Biba-aquis conſulibus, & Prætore Mongibello Novicomenſe, & qui ibi obiit, & ſepultus fuit in arca marmorea penes illic eccleſiam cathedralem, Cremonenſes pacem fecerunt cum Mediolanenſibus, & confœderatis, excluſis Parmenſibus, ac Emanuele Com. Malaſpinæ, captivis hinc inde dimiſſis, auctore Tuſardo Vicario Henrici in Gallia Ciſalpina. Et Henricus confirmavit Cremonenſibus oppidum Cremæ, & Inſulam Fulcheriam die ſexta Junii. A.C. 1195.

Et anno proximo Thalamatio de Gardulis, Cremoſano Oldoyno, Pontio de Picenis, Anzelerio de Burgo, Henrico de Tinctis, Othone de Perſico, Bajamonte de Orſonibus, Gerardo de Zanebonis, & Adamo de Calignanis, & ſeu Muſſo de Medulate, eorum conſulibus, Tuſardus legatus Henrici Cæſaris præcepit Cremonenſibus & Placentinis, ut invicem ſibi ablata & occupata reſtituerent, & Cremonenſes, cum Mediolanenſibus, qui neglecta pace agrum Cremonenſium irrupiſſent, ac diriperent, occurriſſent ad vicum Albararum, ibi utrinque commiſſa pugna fuerunt ſuperati, ex eis captis triginta, & ductis Mediolanum. Et Henricus Cæſar ex Germania illuc profectus, eos ac alios captivos Laudenſium ad interceſſionem Sicardi Caſalenſis ibi Epiſcopi per Mediolanenſes juſſit dimitti, Brixienſibus tunc conceſſo territorio à vico Moſio propinquo Ollio flumini, & Mantuæ per duodecim lapides ab utraque ripa fluminis, & inde uſque ad Pontolium, & illinc ad Pozolenghum, & inde uſque Guidizolum, & illinc uſque ad Moſium. A.C. 1196.

Et anno ſequente, Cremonæ conſulibus Anzelerio de Burgo, Bajamonte de Orſonibus, & Muſſo de Medulate per Sicardum ibi Epiſcopum repoſita fuerunt corpora divorum Hymerii, & Archelai in arcis marmoreis, & parte ſubterranea ibi eccleſiæ cathedralis, & factus fuit aquæductus marmore. Et cum Mediolanenſes depopulato agro Bergomenſe, & ibi demolito oppido Giſalbæ à Placentinis ac Brixienſibus habitis copiis auxiliaribus obſediſſent Burgum ſancti Donini, ut ipſum ademptum Placentinis per Parmenſes recuperarent, Cremonenſes illuc profecti in auxilium Parmenſium, & una cum eis ibi prælio congreſſi cum Mediolanenſibus, Placentinis, ac Brixienſibus, ipſos illinc fugarunt, ex eis quamplurimis cæſis, & quamplurimis captivatis. A.C. 1197.

Et Cremonenſes, eis mota lite per Abbatem & monachos monaſterii ſanctorum Sixti & Fabiani Placentiæ; pro municipiis Luzariæ & Guardaſtalli, verſus eos, die nona Octobris condemnati fuerunt per præſulem Rhegii delegatum Apoſtolicum ad ipſis dimittendum duas partes ex tribus ex eis municipiis.

Et die tertia decima Novembris in mane divus Homobonus, ex familia Tucengorum non ignobili, Cremonæ in eccleſia ibi divi Egidii tunc collegiata animam exhalavit, dum eſſet genuflexus ante imaginem illic Chriſti cruci affixi, & in qua illic prope habitans omnia divina officia, quæ illic de more celebrabantur die, ac noctu, continuo audire ſolebat, & ejus corpus tumulatum fuit; ſed mox ſurreptum fuit per Canonicos eccleſiæ cathedralis Cremonæ,

illinc nocte præcedente diem vigesimam quintam Junii 1450. & in eam translatum, & ibi in arca marmorea, & parte subterranea positum, & in qua reperitur, & summo cum honore colitur ob ejus optimam vitam, & miracula multa, quibus virtute omnipotentis Dei, & ejus meritis, dum viveret, & vita functus fuit, claruit.

A. C. 1198. Et anno sequuto Henricus Imperator, cum noctu venationi in Sicilia indulgeret, & ibi, ubi erant fontes frigidissimi, cubaret humo ad leniendum æstum tunc vigentem, morbo contracto Mesanam profectus, ibi die vigesima prima Augusti tertii anni octavi sui imperii obiit, superstite Federico annorum quatuor, confirmato in Imperio per ejus Electores sub cura Philippi patrui Ducis Sueviæ ac Hetruriæ, & cujus mater Constantia die vigesima septima Novembris etiam periit, & una cum eo Panormi sepulta fuit.

Et Cremonenses, Odone de Comite, & Isacio, & Maltraverso Dovariis, Henrico de Surdis, & Joanne Corrado eorum consulibus, orta discordia inter eos crearunt sibi Prætorem Cremosanum Oldoynum.

A. C. 1199. Et anno subsecuto, Odone de Comite, & Isacio, & Maltraverso Dovariis adhuc consulibus, eis promiserunt Bergomenses, eorum legatis Brunone de Augustis, & Borsio de Geroldis, secum in bello adversus Mediolanenses usque ad Kalendas Augusti perseverare; per Cremonenses tunc instaurato oppido Romanengi; & mox dum Mediolanenses, & Placentini, ac Novarienses, Vercellenses, Novicomenses, Astenses, & Alexandrini adhuc obsedissent Burgum sancti Donini, in eos una cum Papiensibus profecti, & ibi secum junctis Parmensibus, Rhegiensibus, & Mutinensibus, utrinque commissa pugna eos fugarunt.

Et dum Mediolanenses & Placentini, secum conjunctis Brixiensibus, occupatis Cornu, & turre Domenegoni, ex agro Laudense profecti, Castrum novum Buccæ Abduæ, eoque obsesso, & capto, & direpto, ac everso, illinc abducerent grana, vina, & alia, illuc in eos properarunt, & illic cum illis commissa quoque pugna à mane usque ad vesperas festi sancti Michaelis, ipsos profligarunt, & illinc repulerunt, multis ex illis occisis, & quamplurimis captivatis.

Et cum Placentini die quarta Octobris adversus Parmenses, obsidentes Castrum Arquati, & sancti Laurentii, profecti, ut ipsis oppidis auxiliarentur, & illic utrinque commisso prælio Parmenses superassent, quamplurimis ex eis captivatis, & quamplurimis occisis, Cremonenses, Parmensium confœderati, his auditis ad illorum opem properarunt. Sed cum Placentini illinc statim abeuntes, trajecto Pado die vigesima septima Octobris, Cremonam accelerassent, & ibi portam Pertusii occupassent, Cremonenses his intellectis illuc statim regressi portam ipsam recuperarunt, Placentinis inde abeuntibus, ex eis tamen captivatis mille ducentum, & ab illis quoque recuperatis Parmensibus, quos captivarant; & Mediolanenses irrumpentes agrum Cremonensium, ibi occuparunt, & everterunt Oscasale, & Brixienses sibi occupatis, & combustis Phisoniis per Bergomenses spreto fœdere, tunc de proximo facto cum illis, in eos ac Cremonenses adhæserunt, Bulgaro & Calcinate Bergomensium quoque occupatis ac eversis, una cum Colonio & Herbusco.

A. C. 1200. Et anno redemptionis humani generis currente millesimo ducentesimo, die duodecima Januarii, procurante Sicardo Casalense, Cremonæ Episcopo, Innocentius tertius Anagninus summus Pont. Rom. divum Homobonum jussit describi inter sanctos confessores, quamvis ejus solemnitas celebretur Cremonæ die obitus sui, qua etiam celebratur memoria divi Britii Episcopi, & confessoris. Et præsentiens Philippum Cæsarem olim, dum Italiam regeret, sibi adversatum, & ob id per eum excommunicatum, affectare Imperium Rom. solicitavit in eum Electores, & Principes Germanos, ut alium eligerent, & cum per Regem Boemiæ, & Ducem Saxoniæ & Sueviæ Principes electus fuisset Bertoldus Dux Zerchiensis, qui diffisus viribus suis, convento Philippo ad oppidum Matuelis, ubi electus fuerat, ibi sponte titulo Imperii rejecto, se ei subjecisset, & deinde per Coloniensem præsulem, & Comitem Palatini Rheni, electo Othone Principe Pruvincense, ad eum transmisit coronam imperialem, excommunicato Philippo rursus, absoluto per quendam Episcopum. Homobonus Morisius, dum Cremonæ publice doceret leges, ibi eodem anno obiit, ejusque cadaver sepultum fuit apud ecclesiam divi Gulielmi.

Et Cremonenses, prætoribus eorum Lanfranco Ruglerio, & Beltramo de Roncula Bergomensi, concesserunt in feudum Soncinum Maltraversio de Mandalbertis, & cum Mediolanensibus, & Brixiensibus, dum irrupissent agrum Cremonensium, illud obsedissent per quindecim dies, illuc ad ejus subsidium una cum Bergomensibus profecti ad vicum Jovis Altæ, commiserunt multa prælia, percusso fœdere cum Mantuanis die secunda Augusti.

Et Papiensibus Cremonensium confœderatis profectis Mediolanum, & cum reliquis ibi incolis, ac Novicomensibus, illic ad custodiam & tutelam dimissis, commissa pugna, eis superatis, ex ipsis octo centum captis, & ductis Papiam, & quamplurimis occisis, Mediolanenses ex Soncino Mediolanum ad ibi auxilium properarunt. Et dum Placentini in eorum gratiam profecti fuissent Buxetum, & vicum sancti Andreæ ibi propinquum, eosque diriperent, Cremonenses ex vico Jovis Altæ illuc properantes in eorum auxilium, una cum eis manibus consertis per sex horas, ibi illos fuderunt, & inde fugarunt multa eorum cæde, ex ipsis captivatis sexcentum quinquaginta cum Guidone Mandello eorum prætore, & mox coacti apud Bordolanum, inde irruperunt agrum Brixiensium, & cum eis inito prælio die vigesima quarta Septembris illos profligarunt, multis tamen utrinque cæsis, & ex primoribus Brixiensium captivatis septuaginta septem, compulerunt in partes suas, & mox se composuerunt cum eorum militibus die nona Decembris.

Et anno proximo Cremonenses, Sicardo eorum Episcopo procurante, eis & Papiensibus invicem discordibus, dum se permisissent ejus arbitrio, compositis una cum Bergomensibus, in Brixienses profecti apud Calcinate, cum eis prælio congressi die nona Augusti illos fuderunt, & currum suum ceperunt, & duxerunt Cremonam cum multis ex eis captivatis; & mox orta discordia inter Brixienses, cum ex Brixia expulsi Roagum profecti fuissent, ad eos destinarunt copias auxiliares, quibus mense Decembris invaserunt Gavardum, unde per eorum hostes expulsi fuerunt eo direpto, una cum Capriana, & Monte Rotundo, eis quoque eversis, dum partes exterorum sequerentur. Et inter Philippum & Othonem Cæsares electos commissis multis præliis inter eorum exercitus in Germania diverso Marte, hoc biennio Mediolanenses incursarunt, & diripuerunt agros Bergomensium, & Cremonensium, ibi occupata Oscasale, & per Placentinos turre sancti Andreæ capta & eversa. Et Cremonenses percusso fœdere cum Mantuanis, secum confœderatis, apud Marmirolum manus conseruerunt cum Veronensibus pari Marte, & deinde eorum medio inter Mantuanos & Veronenses pace facta, profecti Florenzolam, eam per dies decem de mense Julii obsederunt, & die ultima cum Brixiensibus pugnarunt apud Gavardum, eosque fuderunt, & ibi incolis grave damnum intulerunt. Et Brixienses, dum eorum extorres, habitis copiis auxiliaribus à Cremonensibus, Bergomensibus, & Mantuanis, coacti

coacti apud Calcinatum, sibi etiam datis copiis auxiliaribus per Veronenses, & quae profectae sint usque Pozolengum adversus eos transeuntes, illos utrinque commisso pari Marte praelio die nona Augusti, illinc abire compulerunt: & ipsorum consulibus Othone de Comite, & Com. Gerardo Manaria, Comino Summo, Guarisco Mariano, Jacobo Surdo, & Imerico Dordono, & praetore Vitale Bergomense per ipsos pro eis interveniente Corrado Summo Parmensibus, Mutinensibus, & Rhegiensibus, invicem discordibus ob limites suorum territoriorum, compositis, & dato arbitrio Guidoni Lupo praetori Parmae pro eis, ac Parmensibus concludendi pacem cum Placentinis die secunda Junii, & mox factis induciis cum Placentinis, & die decima inita pace exacto juramento de ea servanda, & utrinque dimittendis hinc inde captivis, & facta promissione Bergomensibus faciendi pacem cum Mediolanensibus, & eorum adhaerentibus, & secum factis induciis die nona Junii. Et cum Bergomenses die undecima Julii cum eis ac Brixiensibus inita pace utrinque dimissis captivis, & cum Veronensibus firmata lata sententia per Sicardum Cremonae Episcopum inter eos, & alios populos Galliae Cisalpinae pro eorum concordia, & per incolas Luzariae praestito juramento fidelitatis adversus Cremonenses in manibus Jacobi de Surdis ex eorum consulibus, & per Mediolanenses facta irruptione in agrum Soncini, eoque direpto, ferroque & igne everso, non capto Soncino, Cremonensibus, eorum praetore Othone de Noxa, Basilius de Campodello, promisit dimittere Gazolum, Tinatii, ac fuit suppositus vicus Montodeni.

A.C. 1203. Et cum Bonifacius, Marchio Montisferrati, Ludovicus Iblensis Sabaudiae, Balduinus Flandriae, & Henricus sancti Pauli Comites, & Joannes Brena filius Theobaldi Comitis Campaniae percusso foedere cum Venetis, Byzantium occupatum per Alexium Angelum Comnenum, illinc expulso Isacio fratre, ac excoecato, & carcerato trajecissent classe navium tercentum triginta diversi generis, & sexaginta triremium, ac exercitu viginti millium pedestrium, & octo equestrium, illudque inde aufugiente Alexio cepissent, mille Cremonenses profecti sunt ad eam expeditionem.

A.C. 1205. Et anno 1205. Cremonenses auctore summo Pont. eis sublato interdicto à sacris, cui suppositi fuerant per ipsum, ab eis non dimissis municipiis Guardastalli & Luzariae Gandulfo Abbati, & monachis monasterii sanctorum Sixti & Fabiani Placentiae, secum, interventu Ruglerii Botacii, & Jo. Boni suorum syndicorum, die decima Decembris convenerunt eis solvere quotannis in festo S. Michaelis libras quadraginta inforciatorum.

A.C. 1206. Et anno proximo Ponzino, seu Pontio, Amato, Nicolao Gadio, & Hilario Hermenzono consulibus, à Parmensibus, acquisiverunt jus fluminis Padi, & auxilio extorrium Brixiensium ex proditione Altacherii Borradii occuparunt Asulam, & per Brixienses contrariae factionis illuc nocte profectos inde expulsi Lenum oppidum invaserunt, & illinc irrumpentes agros Brixiensium diripuerunt, ac ferro, ac flamma everterunt, una cum Manerbio Guidone Lupo Cremonense equestrium Brixiensium duce, ac praetore, una cum Obizone Pusterla Mediolanense, tunc etiam per Mediolanenses Cassone Turriano duce combusta Crema, & Cremonae praetore Jacobo, seu Petro Bernardo Bononiense construxerunt Praetorium.

A.C. 1207. Et anno sequente Bernardo eorum praetore defuncto, & sepulto in ecclesia ibi cathedrali in arca marmorea, ac consulibus Gerardo Summo, Odofredo Arlengo, Alberto Dovaria, Oldovino Sacca, & Frigerio Bocatio spoliati Pontisvico per Mediolanenses, & concesso Brixiensibus, ibi captivatis quadraginta militibus. & quatuordecim occisis illic ad praesidium degentibus, ibi utrinque commissa pugna constructis duobus pontibus super flumine Olhi, uno scilicet ad vicum Binae, & altero ad plebem Agrimonii, illuc profecti ipsum recuperarunt, & inde progressi Castionum de Streveriis illud everterunt per Brixienses sibi facta promissione non adhaerendi in eos Mediolanensibus.

Et Philippus Caesar post longum bellum habitum cum Othone, facta pace cum eo, ei nupta filia Beatrice ex Irenae filia Isacii olim Imperatoris Byzantii, & obtenta absolutione à summo PP. ab excommunicatione adversus eum prolata, transmissis legatis Romam ad eam petendam, & per ipsum duobus Cardinalibus in Germaniam ad Philippum ad eum absolvendum, nupsit aliam filiam Ricardo nepoti summi Pont. cum dote Ducatus Spoleti, & Marchionatus Anconae, intervenientibus legatis Apostolicis, & Ducibus, & Principibus Germanis, & quibuscunque excommunicationibus & interdictis sublatis, totius populi Christiani ubique gaudio & beneficio, solus remansit in Imperio. Et Cremonenses exsuit Crema, ibi accolis restitutis pristinae libertati.

Et anno sequuto, & nono imperii sui, Bambergae, dum una cum ejus cancellario & pincerna A.C. 1208.
esset in conclavi, ubi tunc sibi incidi fecerat venam per barbitonsorem, affectus uno vulnere in collo per Othonem Vultembuscum, illuc inopinate ingressum, obiit, & sepultus fuit, & mox jussu Federici nepotis Spiram translatus, & paulo post parricida trucidatus. Et Otho confirmatus in Imperio per Electores unitos apud Francumfortem, & profectus Aquisgranum, ibi rursus fuit coronatus per praesulem Coloniae, habitis lancea, cruce, sceptro, & aliis insignibus imperialibus, quae erant penes praesulem Spirae, Cancellarium Philippi, ab eo ob id confirmatum in officio, & per legatos Apostolicos, ad eum Herbipolim destinatos, etiam approbatus ex ordine summi Pont. Cremonenses cum Veronensibus die quinta Junii inivelrunt societatem, & cum Parmensibus statuerunt ordines utrinque servandos pro conservanda pace inter eos inita.

Anno subsecuto Otho habitis comitiis de mense A.C. 1209.
Maji Agonoae, cum Principibus Germanis, & ab eis requisitis, & habitis copiis auxiliaribus, dimissa uxore in Saxonia, ex Augusta de mense Augusti exercitu descendit in Italiam per saltus Tridentinos, & ivit Veronam, & illinc Mediolanum, & ibi die tertia Augusti coronatus fuit ab Uberto Pirovano illic praesule, & Cardinale, & per eum concessis tunc Gulielmo de Pusterla Comitatu Astae cum insigni Aquilae in campo glauco, & Uberto, & Leonardo Cruceis Comitatu Binaschi, & per Mediolanenses, Brixienses, Cremonenses, Placentinos, ac Papienses ei praestito juramento fidelitatis in manibus Vultardi Patriarchae Aquilejae, ejus legati in Italia, ex Mediolano ivit Bononiam, & convocatis Principibus Italis, & ab eis habito auxilio, & per aliquos ex eis comitatus ivit Romam, & ibi coronam auream accepit à summo Pont. die vigesima nona Septembris, & solemnitatis divi Michaelis sibi praestito juramento consueto fidelitatis versus Rom. Ecclesiam, & inter ejus milites commorantes extra urbem, & Rom. commissa pugna, in qua multi utrinque occubuerint, inde properavit Tybur, & ibi superventa hyeme praeter modum frigida substitit. Brixienses cum extorribus suis se composuerunt, & die duodecima Februarii convenerunt cum Cremonensibus ipsorum consulibus Isacio Dovaria, Barotio Burgo, Ponzino Ponzono, & Joanne Amato de invicem dimittendis captivis utrinque factis vigente bello inter eos. Et Sicardus Casalensis Cremonae praesul protulit sententiam inter eos, & alios populos

los Galliæ Cisalpinæ pro sedanda discordia inter ipsos.

A. C. 1210. Anno 1210. supervento primo vere, Otho Cæsar, reparato exercitu, eo irrupit Hetruriam, & Picenum, & Latium, & ibi Ecclesiam Rom. nulla habita ratione monitionum sibi factarum per summum Pont. exsuit Monte Faliscorum, Radicorfano, & multis aliis oppidis ditionis ejus, & olim juris Mathildis, & quæ prætenderet spectare Imperio Rom. & concessis cum Ducatu Spoleti Bertoldo, & Marchia Anconitana Salinguerræ ducibus suis, & per agrum Rom. facto transitu, ibi gravi damno illato, & mox habitis à Pisanis quadraginta triremibus irrupit regnum Neapolitanum, illudque spectans Federico Suevo progressus Capuam, ex eo Campaniam, ac totam fere Calabriam & Apuliam sibi vendicavit. Et summus PP. eo admonito ad dimittendum Ecclesiæ Rom. ipsi per eum occupata, cum id recusasset facere, illum excommunicavit, & omnes sibi subditos juramento fidelitatis sibi præstito absolvit, & transmisit legatos in Germaniam ad ibi Electores, ut eligerent Imperatorem Federicum. Et Otho ex Apulia, in qua erat, properavit Bononiam, & illinc Mediolanum, & cum ultra Padum, tunc glacie concretum, & coopertum paliis, una cum exercitu traductus fuisset per Com. Sanctæ Floris, ejus feudatarium pro Basalario oppido, in eum suspicatus, ne ipsum cum exercitu voluisset suffocare, quod ignarus illud ibidem esse, trajecerat, jussit ipsum decapitari, & omnes ejus filios, & descendentes à terris Imperii proscripsit, & dum aufugissent in Hetruriam.

A. C. 1211. Anno proximo de mense Maji Cremonam accessit, & ibi consulibus Barotio, seu Crisomano Burgo, Alberto Dovaria, Guidone Dondono, seu Laumelino Pistorio, seu Joanne Ghisalba, seu Mussio de Tucengho, Joanne Amato, & Pontio Ponzono Cremonensibus, jus in utraque ripa Ollii, ac omnes terras eisdem concessas ultra Abduam per præcessores suos confirmavit, ibi prætore Matthæo Corrigiense, in quem, dum electus fuisset prætor per ibi incolentes partem novæ civitatis, in unum conventos adversus sequentes partes ibi civitatis veteris, Gulielmus Mastalia, inter eos ortum fuit bellum intestinum, quod, dum Gulielmus se supposuisset Corrigiensi, fuit sedatum medio Sicardi ibi præsulis, & eorum legatis Guidone Lupo, Giberto de Multis denariis, Lombardo Guazzono, Henrico Surdo, & Corrado Marsilio, die tertia Junii eis promiserunt Mantuani ipsis auxiliari in bellis, quæ fecissent cum eorum hostibus, & præsertim Brixiensibus, ipsi ac Brixienses, Mantuani, Veronenses, Ferrarienses, & Papienses, Azo Estensis, & Comes de sancto Bonifacio die quinta decima Junii pacem fecerunt cum Mediolanensibus.

Et Otho, dimissis congruis præsidiis in urbibus per eum occupatis in Italia, acceleravit in Germaniam, & cum ab eo defecissent præsules Moguntinus, & Treverensis, & Rex Boemiæ, & Dux Austriæ, Henricus Com. Turingiæ, & Lantgravius Hassiæ, & Azo Estensis vocatus in Hetruriam, ac Latium, omnia ibi occupata per eum recuperasset, Norimbergæ indictis & habitis comitiis Principum Germanorum, ibi eos monuit, ne paterentur Pont. Rom. id juris sibi vendicare, ut ad sui libitum Cæsares ab Imperio dejiceret, quod eis, non autem Pontificibus, spectaret, hacque monitione pertractis aliquot ex ipsis Principibus in sui sententiam, præter Comitem Turingiæ, fratrem Comitis Ludovici, mariti divæ Elisabeth, remansit Imperator. Et dum cives Cremonenses, incolentes civitatem veterem, nolentes esse eorum prætorem Matthæum Corrigiensem, civitatis autem novæ Gulielmum Mastaliam, & qui cum id obtinere non potuisset, ingressus urbem novam, ibi munus ipsum exerceret, die duodecima Martii in vico sancti Egidii, ubi erant ædes Mastaliorum, utrinque concurrerunt armis, & mox cedente Mastalia, adhuc Sicardo præsule auctore se reconciliarunt; sed dum postea Mastalia noluisset stare compositioni, rursus die prima Julii in vico sancti Egidii, & illinc ad biduum apud ædes divi Leonardi, deinde Matthiæ, & postea sancti Victoris, manus conseruerunt, & profligatus fuit Mastalius multa suorum cæde, quamplurimis ædibus civitatis novæ direptis ac combustis; & deinde Candulphino de Castronovo Veronense ibi prætore constituto, adhuc hinc inde certarunt ad vicum Basalarii. Et vicus sancti Pantalemonis, sequens partes civitatis novæ, direptus fuit per adversarios, & mox reconciliati de mense Septembris profecti sunt in auxilium Azonis Estensis ad recuperandam Ferrariam, sibi occupatam per Ugonem Guarnassiam, & Salinguerram Estensem ibi constitutos rectores per Othonem.

Anno redemptionis humani generis 1212. per Henricum Com. Turingiæ, & præsules Moguntinum, & Treverensem, Regem Boemiæ, & Ducem Austriæ, & alios Principes Germanos, qui Othoni non adhæserant, in Germania electus fuit Imperator Federicus Secundus Suevus, filius Henrici olim Imperatoris, eique exhortatione summi Pont. adhæserunt Cremonenses una cum Papiensibus, Ferrariensibus, Veronensibus, & Azone Estense. Et Otho ex Germania Italiam regressus, vocatis legatis civitatum Galliæ Cisalpinæ, Parmam & Laudem, ibi conventus habuit, & eis perfectis, declaratis rebellibus Imperii Cremonensibus, & aliis sequentibus partes summi Pont. & Federici, inde ivit Mediolanum, & illinc properavit in Germaniam. Et Electores inde transmiserunt legatos Henricum Nifertum, & Anselmum Fustigerium in Galliam Cisalpinam, eisque prius Veronam profectis, & ibi nunciata per ipsos nomine eorum Electorum electione Federici in Cæsarem, Anselmus illinc accessit Romam ad summum PP. & inde Neapolim, & mox in Siciliam ad Federicum, & Henricus Cremonam una cum Gerardo Rhegiense, episcopo Novariæ, & legato Apostolico, & Azone Estense, ac legatis Veronensium & Papiensium, & ibi per legatum Apostolicum Mediolanensibus, & aliis partes Othonis sequentibus excommunicatis, & Uberto Pirovano Mediolani præsule mortuo, eique substituto Cæsio, & intra mensem defuncto, & sepulto in ecclesia cathedrali Cremonæ. Federicus ex Sicilia, ibi dimissa uxore Constantia sorore Regis Castiliæ cum Henrico filio, accessit una cum Azone Estense ad eum profecto Romam ad summum Pont. & inde Genuam, & mox Papiam, & illinc Papiensibus eum conducentibus, & per ipsos cum Mediolanensibus iter suum impedire volentibus, commisso prælio ad flumen Lambri, profligatis, ex ipsis centum desideratis, & totidem captivatis, & ductis Mediolanum, Cremonenses ei occurrentes in agro Laudense ad ipsum flumen equestribus centum quinquaginta, & pedestribus bis millibus, ipsum, cum quo erant Azo Estensis, Bonifacius, & Gulielmus fratres Marchiones Montisferrati, Petrus Transversarius, & Ludovicus Com. sancti Bonifacii, conduxerunt Cremonam, ibi consulibus Leonardo Capellino, Riboldo Burgo, Ravarino Bellotto, & Belingerio Mastalia, & qui ingressus ibi templum majus illic B. M. Virginis obtulit pallium auro intertextum, & inde abiit Mantuam eum comitantibus Bosio Dovaria, Henrico Surdo, Rodulpho Zanebono, & Ugone Persico Cremonensium Oratoribus, & ex Mantua in Germaniam properavit, ubi confirmatus fuit Cæsar per Moguntinum & Treverensem præsules, Ladislaum Regem Boemiæ, Henri-

ricum Turingiæ, Lantgravio & duce Austriæ suadentibus, & cum Philippo Galliæ Rege interventu Ludovici ejus filii in oppido Vascoloris, propinquo flumini Mosiæ, percussit fœdus. Et inde exercitu profectus est in Othonem, qui Philippo Galliarum Rege in eum arma parante ab omnibus destitutus, præterquam à Reginaldo Boloniæ & Marchiæ Comite, occurrit Federico usque ad Brilacum Alsatiæ, & illinc mox aufugit in Angliam ad Joannem ibi Regem avunculum suum, & illic aucto exercitu transivit in Philippum Regem sibi infensum, & partes Federici sequentem. Et Federicus, dum esset apud Metisburgum in Germania Surdo, Zanebono, Persico, & Dovaria legatis Cremonensium, ad eum illuc profectis, eis confirmavit privilegia ipsis per eum & patrem suum concessa.

Cremonenses profecti in Mediolanenses obsidentes Herbuscum ex agro Brixiense, sed Bergomensium illuc accersiti in auxilium, utrinque consertis manibus illos fuderunt, & inde expulerunt, & mox profecti cum Azone Estense, & ad ejus opem die vigesima quinta Septembris obsederunt, & in potestatem suam redegerunt Vincentiam, & in Kalendis mensis Novembris rursus, ac septima vice bellum inchoarunt cum Mediolanensibus ob oppidum Cremæ, & mox ipsi cives veteres & novi utrinque die decima sexta Decembris manus conseruerunt ad vicum Basalarii, & in vico sancti Pantalemonis, & aliquas domos ex eis solo æquarunt. Mediolanenses & Placentini insimul junctis armis, Gulielmo Lando duce, bello infestarunt Bonifacium Marchionem Montisferrati, & concursatis agris ipsius ac Papiensium, ultra & citra Padum ac Ticinum, omnia ibi rapinis ac cæde vastarunt, & summus Pont. eis sub anathematis pœna præcepit, ut arma deponerent, & occupata, & ablata dimitterent & restituerent, & pertinacibus, & recusantibus hæc facere, sacra interdixit, & sedata discordia vigente inter Bononienses & Cremonenses, ratione Jacobi de Bernardo Boniensis, olim prætoris Cremonæ, Albericus Carbo etiam ex consulibus Cremonæ admonuit Brixienses, qui viderentur velle adhærere Mediolanensibus, ut servarent pacem secum anno præcedente per Cremonenses contractam. Et incolæ Gavardi die ultima Junii promiserunt Cremonensibus illud dimittere, & Mantuani servare pacem factam cum eis, ac Ferrariensibus, & Veronensibus, quam die quinta Augusti firmarunt, & Mantuani die nona Novembris.

A.C. 1213. Sed anno proximo, primo vere supervento, Cremonæ consulibus Lanfranco Oldoyno, Gulielmo Persico, Henrico Advocato, Sinibaldo Burgo, Ruberto Gisalba, Joanne de Tucengo, Lantelmino Pistorio, & Alberto Dovaria, & prætore Rolando Rubeo, Mediolanenses secum junctis Novicomensibus, Derthonensibus, Alexandrinis, Vercellensibus, ac compulsis in eorum partes Bergomensibus ac Laudensibus, Placentinorum duce adhuc Gulielmo Lando, coacto ingenti exercitu eorum ducibus Bosnardo Incoardo, Othone Mandello, Ardigoo Marcellino, & Manfredo Bosnardo, & ex eo dimissis Placentiæ, & Laudæ, & in aliquibus ex eorum oppidis nonnullis copiis adversus Papienses, ne eos infestarent, ac auxiliarentur Cremonensibus, irruperunt agrum Cremensem, illisque, dum Albertus Dovaria Cremæ præfectus pro Bosio ejus agnato, tunc commorante penes Federicum Cæsarem in Germania, & cui se subjecerant Cremenses, occurrisset, & cum eis commisso prælio per illos fusus, se recepisset in arcem Cremæ, & ibi obsessus nocte concubia, & summo mane sequente parte exercitus ibi dimissa, reliquo exercitu trajecto ratibus Serrio amne transmeabili auctis ejus aquis ob pluvias, quæ tunc ceciderant, facta im-

A pressione in loca agri Cremonensis illic vicina, omnia ibi longe & late diripuissent, & Castrumleonis circumdedissent, Guidone Lupo ibi præfecto, nulla ei data molestia, ac aliquibus ex ipso exercitu destinatis copiis adversus Piceleonem, Soncinum, & Romanenghum, rursus per triduum agrum ipsum concursassent, ac diripuissent passim usque ad Cremonæ suburbia, ibi nonnullis oppidis immunitis occupatis, Cremonenses coacto exercitu equestrium & pedestrium sexdecim millium, sub eis Lanfranco Oldoyno, Gulielmo Persico, Ruglerio, seu Henrico Advocato, & Sinibaldo Burgo, illinc ad decendium in illos profecti, & per ipsos provocati ad prælium die secunda Junii, qua B celebrabatur solemnitas Pentecostes, dum illud recusassent ob honorem illius solemnitatis, transmisso ad eos legato Beltramo, Abbate monachorum divi Benedicti in vico Cereti agri Cremensis, cum eis in campis Botesinæ, nunc Battaliæ, conflixerunt; & dum victoria inclinata ad Mediolanenses, & socios longe plures Cremonensibus ad fugam spectarent, eorumque res redacta esset ad extremum agmen Natalensium, quod regebat Oldoynus, Mediolanenses ac socios profligarunt ope magis divina, quam humana, & ut creditur intercessionibus divorum Petri & Marcellini martyrum tutelarium suorum, dum eorum corporibus, asservatis in æde divi Thomæ Cremonæ, viri & mulieres imbelles Cremonensium domi relicti, valde sibi & eo- C rum patriæ timentes, precibus ac lacrymis continuo assisterent, & in actu, quo instaurata fuit res Cremonensis, visi fuerint duo equestres insidentes equis albis, & induti sagulis ejusdem coloris ab eorum acie armis fulgentibus, irruere in Mediolanenses ac socios, qui ipsorum præsentia territi pedem retulerint, ac dederint terga Cremonensibus, qui eos insecuti fuderunt, ex illis multo numero occiso, ac captivatis quinque centum equestribus, & sex millibus pedestribus, cum eorum curru custodito per Placentinos, quibus commendatus fuerat, & ducto Cremonam, & reposito in æde Cathedrali; & duæ columbæ ex arca, in qua servabantur ipsa D corpora, etiam tunc visæ sunt exire, & prælio confecto eas regredi, & nullo vento flante ex sexdecim lampadibus ante ipsam arcam quatuor, ubi aliqua acies Cremonensium fuderetur, exstinctis, & mox consecuta victoria à se ipsis accensis; & de hoc conflictu dixerunt Tristanus Calchus, Vincentius Gallus, & divus Antoninus Florentinus, & pro memoria hujus victoriæ postea quotannis semper celebrata fuit solemnitas divorum Petri & Marcellini die secunda Junii, cum antea celebraretur die decima Maji, qua eorum corpora Cremonam ex urbe translata fuerant anno 1078. & reposita in æde divi Thomæ, mox culta per monachos Montis Oliveti, etiam sub regula divi Benedicti, & E nunc per Vestales B. M. Virg. nuncupatæ de Columba, Ordinis Cisterciensium, & Lanfrancus Oldoynus, cujus acies ultimo prælio superfuisset, donatus insignibus communitatis Cremonæ coloris rubei & albi.

Et non multo post Mediolanenses instaurata acie irruperunt agrum Papiensem, ipsumque populati sunt, dirutis Mortaria & Laumello, ac occupatis Gambaloto, Bicherio, Sartirana, Candida, Villa nova, Valetio, Bremedo, Velono, & Vigatio; & dum obsedissent Papiam, inde fuerunt repulsi. Otho dum coacto exercitu eo descendisset in Flandriam ad Valentinianum ibi oppidum, & Joannes Angliæ Rex, receptis in ejus partes Comite Mar- F chiæ, & aliis Aquitaniæ regulis, obsedisset oppidum Rupis monachi, & Ludovicus filius Philippi Regis Francorum admoto illuc alio exercitu eum coegisset illinc abire, & Philippus pater cum Othone die quinta Julii ad pontem Bovinarum prope Tornacum prælio congressus, & equo deje-

ctus, esset in discrimine vitæ, & victoria inclinaret ad Othonem, elevatus, & super alio equo impositus fuisset, per eum superatus fuit, ex ipsius exercitu bis millibus desideratis, ex Gallis vero tercentum, captivatis Reginaldo Bononiæ, Ferdinando Flandriæ, & Salubricense Angliæ Comitibus sequentibus partes Othonis Cæsaris, & Angliæ Regis, & Reginaldo in arce Peronæ, & Ferdinando Parisii tunc de recenti constructa, & Salubricense in arce fani S. Quintini carceratis, Othone illinc incolume aufugiente, & qui mox privatus vixit absque titulo imperii. Mantuani requisiti per Cremonenses in Mediolanenses properarunt. Et Veronenses etiam requisiti in eorum auxilium per Raymundum Ugonem, Cremonæ prætorem, die quartadecima Augusti in eorum opem ad bellum ipsum illud obtulerunt.

A. C. 1214. Anno sequente, Cremonæ prætore Guidone Rhegiense, nonnulli ex rectoribus Reipublicæ Cremonensis consignarunt Nigro Oldoyno Archipresbytero, & Petro Archidiacono ecclesiæ eorum cathedralis, signum crucis currus Mediolanensium, eis adempti anno præcedente in conflictu secum facto in contrata Bataliæ territorii Castrileonis, ut præfertur, custodiendum ad eorum rectorum libitum. Et Cremonenses, commisso prælio cum Mediolanensibus die quinta Septembris ad vicum Jovis Altæ in agro Cremonense, victi fuerunt amisso eorum curru, ut ipsimet Mediolanensium auctores retulerunt; & dum Placentini agrum Cremonensem irrupissent, ac ferro, & igne, ac rapinis longe ac late vastassent, reparata acie eorum agros ac Cremensium ingressi etiam diripuerunt, ac ferro & igne everterunt.

A. C. 1215. Anno secuto, Castro novo Buccæ Abduæ per dies decem obsesso per Mediolanenses & Placentinos, & per Bosium Dovariam Crema vendicata, & Sicardo Casalengo Cremonæ Episcopo mortuo, eique substituto Homobono.

A. C. 1216. Anno proximo Cremonenses, Raymundo Ugone Brixiense eorum prætore, Mediolanenses, dum intendentes omnino aliqua gravi clade Cremonenses afficere, secum conjunctis Placentinis, Novicomensibus, Vercellensibus, Alexandrinis, & Novariensibus, vicis sancti Florani, & nonnullis aliis agri Laudensis direptis, irrupissent agrum Cremonensem, ipsumque ibi expugnato Romanengo depopularentur, sibi una cum Parmensibus, Rhegiensibus, & Mutinensibus, eorum sociis occurrentes inter Azanellum & vicum Jovis Altæ, utrinque ibi commisso prælio una cum sociis superarunt, & inde expulerunt; & cum rursus ingressi fuissent agrum Cremonensem, & castra firmassent inter vicos Jovis Altæ & Azanelli, utrinque illic facta alia pugna eos fuderunt, & illinc fugarunt multa cæde, & captura de eis edita, & qui illinc properantes domum per agrum Laudensem ibi diripuerunt vicos Cornu, & Corneti, & supervento mense Octobris irruperunt agrum Parmensem, & ibi quoque depopulati sunt, ac diruerunt Montem Salem, illincque progressi ad Montem Græcum, ac oppidum Ruditicum, illa ac oppida Varani, & portæ Gruæ, & multa alia ibi ac agri Papiensis deleverunt.

A. C. 1217. Et anno altero, ut omnino exacerbarent eorum malum odium, quo prosequebantur Cremonenses, facta irruptione in eorum agrum, ibi Romanengum adhuc expugnarunt, & cum à vico Jovis Altæ usque ad civitatem omnibus occupatis, ibi omnia diripuissent, ac incendiis & armis vastassent, quamplurimis ibi captivatis, & ductis Mediolanum, Cremonenses, eorum prætore Henrico de Suspiro, sive de Roversellis, seu Paulo, vel Bernardo Cornazano Parmense, ut par pari redderent, cursitarunt ac deprædati sunt, ac igne & ferro vastarunt agros Placentinorum, Mediolanensium sociorum, intra montes, ac Padum, ac infra Placen-

A tiam, ea etiam obsessa, & dum sibi occurrissent ad Montem altum, cum eis commisso prælio illos profligarunt, & dum onusti præda redirent domum, Placentini & Mediolanenses eos insecuti, & assecuti inter Trigolum & Fliscum, invicem pari Marte conflixerunt usque ad noctem, & deinde agros Cremensium & Mediolanensium intra Abduam everterunt, & in agro Brixiense occuparunt, ac solo æquarunt Pontisvicum, multis ubique captivatis. Et cum Mediolanenses & Placentini secum junctis Novicomensibus, Alexandrinis, Novariensibus, & Derthonensibus, Marchionibus Salutii, & Malaspinæ, irruperint agrum Cremonensem, & ex eo diruerint Issium, Trigolum, Soresinam, Grugnitortum, Casale Moranum, vicos

B Jovis Altæ, sanctæ Viti, Azanelli, Cignoni, Bordolani, Gussoli, Curtis de Ruschis, Cremonenses eis occurrentes de mense Junii, invicem facto prælio illos repulerunt, & ipsi secum junctis Vercellensibus & Cremensibus, trajecto Pado incitati per Placentinos iverunt Burgum sancti Donini, & illinc repulsi per Mutinenses, Rhegienses, & Parmenses, die sexta Julii castro sanctæ Crucis cremato, eis, ac Parmensibus, Mutinensibus, ac Rhegiensibus una confœderatis, ut præfertur, obsessis in oppido Zibelli die sequenti à mane usque ad vesperas, utrinque commisso certamine illos superarunt multis hinc inde cæsis, unde indignati Me-

C diolanenses ac Placentini inde abeuntes occuparunt oppida Buxeti, Cerri, Rovagiæ, Rivi Sanguinei, Casalis Barbati, ac triginta alia tum Cremonensium, tum Parmensium, tum Mutinensium, tum Rhegiensium. Et Abbas, & monachi monasterii SS. Sixti & Fabiani Placentiæ, adhuc moverunt litem Cremonensibus pro duabus partibus ex tribus municipiorum Guardastalli & Luzariæ, ejusque cognitio commissa fuit per Honorium III. summum Pont. Archipresbytero Parmensi, & mox Archipresbytero sancti Geminiani Mutinensi, dum ex consultoribus Cremonæ essent Otho de Comite, Belingerius Mastalius, Uspinellus de Summo, Gulielmus de Persico, Egidius de Burgo, Leonardus de

D Capellanis, Egidius de Bosio, Hymerius Dondonus, Nicolaus de Casalortio, Guido de Ossolario, Hymerius de Bellottis, Egidius de Oscasalibus, & Egidius de Bernaco, & Legati Albertus Dovaria, & Pontius Amatus.

Et anno secuto, cum Ugo Episcopus Ostiensis, A. C. 1218. & legatus Apostolicus, præceperit sub pœna anathematis Mediolanensibus, & confœderatis, ac Cremonensibus, & secum adhærentibus, ut arma deponerent, & pacem facerent, & Mediolanenses præstito juramento per eorum prætorem in manibus ipsius, ipsi promisissent facere quæcunque sibi imposuisset, pro eo sedando bello. Et Federicus quoque Cæsar exhortatus fuisset Cremonenses ad

E cam faciendam, pacem ipsam, auctoribus eo legato, ac episcopo Valentino etiam Cardinale, mox facto summo Pont. & Gregorio IX. nominato, ac Bononiensibus se interponentibus, fecerunt. Et summus Pont. Mediolanenses ab interdicto ecclesiastico liberavit. Et Federicus cum eis, & Cremonensibus, ac aliis populis Galliæ Cisalpinæ fœdus percussit. Et Cremonenses & Parmenses societatem, quam insimul habebant, firmarunt. Et divi Dominicus & Franciscus, una cum diva Clara Assisiate, Cremonam accesserunt, & hospitati sunt in domibus, in quibus olim fuit Gymnasium publicum extra portam Pulesellam ipsius civitatis, in quibus, cum esset puteus, qui haberet aquas tur-

F bidas, & lutulentas, & potui insuaves, & ex eis hausta hydria, & portata coram ipsis per habitantes in eis domibus, & ad eorum intercessionem benedictæ fuerint per ipsos venerabili signo sanctæ crucis, & per eos, qui ipsas asportarunt, projectæ in puteum, ejus omnes aquæ fuerunt purgatæ ab omni

omni immunditie, & effectæ dulces & ſuaves ex gratia & virtute omnipotentis Dei, & ſumma fide in eum, ac bonitate, & meritis ipſorum ſanctorum, & omnium illic incolarum ſtupore, & adhuc exſtat puteus in eodem loco, in quo fuit templum ad honorem divi Gulielmi, tunc erecto monaſterio Monialium Ordinis de obſervantia divæ Claræ, ſub vocabulo ſacratiſſimi Corporis Chriſti in vico ſancti Pauli ipſius civitatis, exhortantibus divis Dominico, Franciſco, & Clara.

A. C. 1219. Et anno ſubſecuto Honorius ſummus Pont. literis ſuis diei decimi ſeptimi menſis Februarii adhortatus fuit Cremonenſes invicem diſcordes ad concordiam, eorum prætore Theodoſio Manigoldo Brixienſe, dum gravati ære alieno ad ſe redimendum ab eo, fundos, quos habebant in ſuburbiis extra portam Moſiæ ſecus alveum fluminis Padi, vendiderint, ex quo inter Guardaſtallum & Luzariam derivarint aquas in agrum Parmenſem. Et Rhegienſes eiſdem, eorum legatis Petro de Tinctis, & Oldorico Piſcarolo, promiſerint in eorum agro ipſum alveum aptare, ut tute & libere poſſet per eum navigari, ac auxilium ad tuendum ab ipſorum hoſtibus oppida Soncini, Piceleonis, Caſtrileonis, & Buccæ Abduæ. Et Federicus Cæſar, dum eſſet apud Spiram, ipſiſmet eorum legatis Coſſa de Fabris, Uſpinello de Summo, & Lantemburgo de Platina, confirmavit conceſſionem factam eis per ejus patrem & avum de oppido Cremæ, & Inſula Fulcheria; & qui ex Germania regreſſus in Italiam, & profectus Mediolanum, ut ibi coronaretur de more, per ibi incolas expulſus ivit Romam, & ibi die vigeſima prima Novemb. & ſolemnitatis divæ Cæciliæ fuit coronatus à ſummo PP. dimiſſo Rom. Eccleſiæ Fundi Comitatu. Ex nimio frigore aquis fluminis Padi gelu concretis, ut ſuper eis equis & curribus tute & libere habitus ſit tranſitus.

A. C. 1220. Et anno 1220. Cremonenſes, eorum prætore Pagano, ſeu Egidio de Alberto Parmenſe, profecti in auxilium Rhegienſium, una cum eis obſederunt Gonzagam, & ex flumine Padi aquas, quæ valde creverant, adhuc derivarunt in agrum Parmenſem. Et archipresbyter ſancti Geminiani delegatus Apoſtolicus protulit ſententiam adverſus eos in favorem Abbatis & monachorum monaſterii ſanctorum Sixti & Fabiani Placentiæ die nona Decembris pro duabus partibus ex tribus municipiorum Guardaſtalli & Luzariæ, de eis data tenuta ipſis Abbati & monachis die undecima.

A. C. 1221. Et anno proximo, Rodulpho de Noxa eorum prætore, Honorius Rom. ſummus Pont. dum vellent alveum fluminis Padi divertere, eis prohibuit, & qui percuſſerunt fœdus die quinta decima Novembris cum Placentinis, creatis Placentiæ prætoribus Gerardo Dovaria, & Jacobo Burgo. Et Abbas & monachi ſanctorum Sixti & Fabiani Placentiæ perſeverarunt adverſus eos in proſecutione litis contra ipſos motæ pro municipiis Guardaſtalli & Luzariæ.

A. C. 1222. Et anno ſequente, cum noluiſſent parere ſententiæ contra eos prolatæ, in favorem ipſorum monachorum, ut præfertur, interdicta fuerunt ſacra ipſis, Gerardo de Cornazano Parmenſe eorum prætore, & mox Succione Cogliono Bergomenſe, ſæviente tunc peſte ubique in Italia, & conſpecta ſtella crinita, & ob frequentes pluvias auctis fluminibus præter modum, & ab eorum aquis illato gravi damno fructibus terræ, & ob id cauſata gravi penuria, & ex vehementi terræ motu facto in die ſolemni Natalis Dominici Cremonæ ac Brixiæ, illic multis ædificiis ac turribus demolitis, & aliis apertis, & ex eorum ruina oppreſſis circiter bis millibus ex ibi incolis, ac mortuis; & etiam alibi in Italia factis multis terræ motibus, & Romæ è cœlo effluxis aquis mixtis cinere. Homobonus E-

A piſcopus Cremonæ conceſſit in feudum Alberto Riboldo, Uberto, Lanfranco, Aurelio, Gerardo, Iſaaco, Gualfredo, & alteri Riboldo de Dovaria, & eorum poſteris in perpetuum jura epiſcopii ipſius civitatis, conſiſtentia in loci plebis trium literarum Joannis, Monticellorum, Hoſcaſalis, ſancti Andreæ ultra Padum, ultra dugale Levadore, uſque ad Curtem Octovillarum, ubi dicitur Rodella, & via appellata Brixella uſque & ultra vadum Unginæ ad fines epiſcopatus Placentiæ, & ſpecialiter Caſtri novi, Buxeti, ſancti Joannis de Caſtellaria, Freſcaroli, Spigaroli, Reſtaroli, & pertinentiarum comprehenſarum inter aggerem deſcendentem ab eccleſia Dominæ ſanctæ Mariæ de B monachabus uſque ad curtem, ſeu reſtam, ac loco Caſtri veteris, & illinc ad flumen Padi recta linea ab ibi eccleſia uſque ad Fontanam, & inde ad Albaretum, & curtem ſancti Laurentii, & in vallem Arſe, Tinatii, & Aquæ nigræ, Spinadeſchi uſque ad Cantonum Sablonorum, ac locis Montodeni, Formigariæ, Anadelli, & Palladini cum aquis Padi à capite Stabielli, & Trivii, Bruſalupi verſus civitatem ad fines epiſcopatus Placentiæ, & Abduæ mortuæ.

Et anno ſecuto Cremonenſes, eorum prætore A. C. 1223. Gerardo Tertio, ſeu Bernardo Cornozano Parmenſe, ac Placentini admoniti per legatos Cremonenſium, ut jurarent exſequi quæcunque eis committenda per Cremonenſes, die octava Januarii ſibi invi- C cem dederunt fidantiam. Et Federicus Imperator ducta uxore Violante, filia Joannis Regis Hieruſalem, cum ea ex urbe acceſſit Cremonam, promiſitque ibi incolis ipſos tueri à quibuſcunque eorum hoſtibus. Et Honorius ſummus Pont. die ſecunda Decembris ipſos liberavit ab interdicto eccleſiaſtico, cui ſuppoſiti fuerant pro oppidis Guardaſtalli & Luzariæ non dimiſſis Abbati, & monachis ſanctorum Sixti & Fabiani Placentiæ.

Et anno ſubſecuto, Cremonæ prætore Rolando A. C. 1224. Rubeo, quondam Ugonis etiam Parmenſe, eorum incolæ de menſe Martii verſus Cremonenſes præſtiterunt juramentum fidelitatis.

D Et anno 1225. Cremonæ prætores fuerunt Oſſa A. C. 1225. de Canova in civitate veteri, & in civitate nova Rodulphus Papienſis.

Et anno altero Gulielmus Lendenaria Veronen- A. C. 1226. ſis, & inter Cremonenſes & Parmenſes eorum agri ultra Padum diſtincti fuerunt limitibus ex ſententiis arbitramentalibus Bonifacii de Bajonaria, & Guidonis de Guidonibus Mutinenſium, & Cariſſimi de Gonzaga, & Teſte de Cancellariis Rhegienſium, de menſibus Aprilis & Auguſti, pro quibus fuerat inter eos longa controverſia, & fuit commiſſa Rhegienſibus & Mutinenſibus. Et Federicus Cremonam ſe recepit, & ibi habitis comitiis illinc abiit Mediolanum; & cum Mediolanenſes noluiſſent ipſum recipere, inde ivit ad Burgum ſancti Donini, ubi Cremonenſes, dum illuc eorum conſules vocati ad eum noluerint accedere, decla- E ravit rebelles Imperii, & exſuit omnibus privilegiis imperialibus, & mox eis receptis in ſui gratiam, ipſis ea confirmavit, dum Joannes de Vetulis, Otho Divitiolus, Brocardus de Perſico, Martinus Gambonus, Gulielmus Mandalbertus, Joannes Bombecharius, Guido de Guidarobbis, Petrus Dondonus, Otho de Zevenolta, & Federicus de Advocatis eſſent præfecti caſtrorum, quæ forent ſub ditione Cremonenſium & extimarint terrenum, in quo fuerit conſtructum Caſtrum novum.

Et anno ſequente, Cremonæ prætore Bernardo A. C. 1227. F Picco Mirandulenſe, ſeu Pio Mutinenſe, Honorius ſummus PP. confirmatis Ordinibus divorum Dominici, & Franciſci, ac Heremitarum divi Auguſtini, Carmelitarum B. Mariæ Virg. Humiliatorum, & Cruciferorum, menſe octavo anni undecimi ſui Pontificatus hanc vitam deſeruit, & Gregorius

IX. Anagninus de familia Comitum, & nepos Innocentii summi Pont. die tertia decima Martii in oppido Septemfolii factus fuit Pontifex Max. qui Joannem Regem Hierusalem ad eum profectum Bononiam, cum Berengarii uxore ex Italia classe trajecturum in Syriam, constituit rectorem in Exarchatu, & Federicum Cæsarem generum suum ejus hortatu recepit in sui gratiam, dum ei promiserit ire exercitu in Syriam cum aliis Principibus Christiani nominis adversus infideles, sibi ad id promissis per Cremonenses quinque centum pedestribus, & alios populos Galliæ Cisalpinæ quinque millibus quinque centum per biennium suo proprio ære, & profectus Veronam, ibi, in odium Azonis Estensis, Vicarium suum constituit Enzelinum de Romano, & ibi, & Cremonæ habuit delectum militum. Et summus Pont. mandavit die vigesima sexta Septembris Cremonensibus, ut dimitterent oppida Guardastalli & Luzariæ Episcopo Mutinensi, qui dum ea habuerit die decima Octobris, & Abbas & monachi monasterii sanctorum Sixti & Fabiani Placentiæ renuntiarint liti, per ipsos motæ Cremonensibus pro ipsis oppidis, ut præfertur, ea ipsis Cremonensibus dimisit. Et Mediolanenses irruperunt agrum Cremonensem, & ex vico Fori novi prædas abigerunt.

A. C. 1228. Et anno secuto secum junctis Cremensibus de mense Octobris obsederunt Castrumleonis, ejusque, ac Soncini, ac Flexi, & Trigoli agros prædæ & igni supposuerunt, dum Cremonenses Egidio de Domina Agnete Parmense prætore, & consulibus Jacobo de Burgo, Ugone de Balneolo, Othone de Divitiolis, & Alberto de Marabottis eorum, confirmato fœdere cum Parmensibus profecti in auxilium Mutinensium adversus Bononienses, ac Florentinos, Ravennatenses, Forlivienses, Imolenses, & Faventinos, obsidentes Bazanum ac Castrum Bononiense, Plumatio oppido Mutinensium capto, cursitarunt, ac diripuerunt, ferroque, & igne vastarunt agrum Bononiensem usque ad flumen Rheni, recepto Plumatio, ac captis oppidis sancti Martini in strata, Burgo, Mazolerio, Nizolo, & Panigo Bononiensium; & dum noctu redeuntes eis occurrissent ad vicum sanctæ Mariæ stratellæ, eodem mense ibi utrinque consertis manibus ipsos fuderunt, ac superarunt, multis ex eis captis, & conductis Cremonam. Beatus Rolandus Cremonensis excellens J. C. & Theologus, & qui scripsit in scientia Theologiæ, & professus fuit religionem Ordinis Prædicatorum divi Dominici, paulo ante instituti Bononiæ, dum ibi publice doceret leges, in manibus beati Reginaldi, tunc ibi Prioris eorum religiosorum, una cum nonnullis ex eis, ac Ordinis Conventualium divi Francisci, etiam paulo ante instituti, eis divis Dominico & Francisco defunctis, accessit Cremonam, & ei, & sociis Cremonenses assignarunt pro eorum habitatione ædes divi Gulielmi, constructas in ibi suburbiis, in quibus olim exercebatur gymnasium.

A. C. 1229. Et anno subsecuto, eorum prætore Ugone Lupo, Marchione Parmense, adhuc in Bononienses, ac Florentinos, & confœderatos, obsidentes castrum sancti Cæsarii Mutinensium, profecti in eorum auxilium alia hinc inde commissa pugna illos fugarunt usque Bononiam, & Mediolanenses, ut Cremonenses averterent à Bononiensibus, una cum Cremensibus irruperunt ac depopulati sunt agrum Cremonensem.

A. C. 1230. Et anno 1230. Jacobo Burgo, Ugone Cagnola, seu Regazola, Othone Divitiolo, & Alberto Marabotto consulibus, & Ugone Marcho Papiense prætore eorum, inita pace cum Mediolanensibus, & per eos sibi transmissis quatuor centum militibus, & eis secum conjunctis profecti in auxilium Mutinensium adversus Bononienses & Florentinos, adhuc obsidentes Castrum sancti Cæsarii, ipsos hinc inde commisso prælio per sex horas superarunt, & inde expulerunt usque Bononiam, de eis facta multa præda, & mox ipsi & Mutinenses fœdus percusserunt cum Florentinis, in quo comprehensi etiam sunt Parmenses, qui die quinta Julii promiserunt Cremonensibus servare pacem, quam secum habebant. Et Cremonenses Anselmo Silvatico, dum occupasset Castrum novum Buccæ Abduæ, moverunt litem, & Abbas & monachi divorum Sixti & Fabiani Placentiæ, prætendentes illud sibi spectare, Silvatici assumpserunt defensionem.

Et anno proximo Cremonenses, Bernardo Rubeo Parmense eorum prætore, Cremonam à porta divi Gulielmi, seu foro Bovario versus portam omnium Sanctorum mœniis fulciri jusserunt per brachia tercentum. Nuncupatus Moneta etiam Cremonensis excellens J. C. dum Bononiæ publice legeret leges, & in mane solemnitatis divi Stephani in ejus ibi ecclesiam iverit, ubi concionem haberet B. Jordanus ex religiosis Ordinis Prædicatorum divi Dominici, & narrando martyrium divi Stephani, protulisset verba per eum prolata, dum Judæi in eum jacerent lapides, *Video cœlos apertos, & filium hominis stantem a dextris virtutis Dei*, adeo mente compunctus cum multis discipulis suis dimisso hoc sæculo ingressus fuit monasterium ibi ejus Ordinis, & professus fuit ipsam religionem in manibus etiam beati Reginaldi, & nonnulla composuit in scientia Theologiæ, & eo auctore fuit instituta ipsa religio in Calabria, ibi ad vicum Carbonariæ erecto monasterio ipsius Ordinis circa annum 1260. A. C. 1231.

Et anno sequente Cremonenses, Ferrario Cane Papiense, seu Jo. Bono Assandro Cremonense eorum prætore, construi fecerunt portam sancti Lucæ Cremonæ, & mox inter eos ortum fuit bellum intestinum. A. C. 1232.

Et anno secuto, eorum prætore Gulielmo de Foliano Rhegiense, reconciliati profecti sunt in auxilium Veronensium adversus Mantuanos, eorumque agros constructo ponte super flumine Padi juxta Ostiam cursitarunt, ac deprædati sunt, ac igni & ferro exposuerunt. Et Veronenses ob id in eorum gratiam dimiserunt B. Facium, quem in carcere tenebant, & qui cum Cremonensibus rediit Cremonam. A. C. 1233.

Et anno subsecuto cum grando in agro Brixiense & Cremense crassitudinis nucum è cœlo ceciderit, in qua erat impressus Jesus Nazarenus, & deinde aquis fluminis Padi per mensem gelu concretis, ut super eis è Cremona Venetias, & è converso merces curribus avectæ fuerint, & vinum ex doliis supposito igne vix liquefieri & hauriri potuerit, molendinis moli impeditis, multisque in lecto rigentibus inventis, Cremonenses, eorum prætore Comite de Cerra, secum junctis Parmensibus commisso prælio cum Placentinis inter flumen Tarri & vallem Entii, eisque fusis, multis ex illis occisis, & quinquaginta septem captivatis, mox secum pacem fecerunt, & deinde eorum prætore Gulielmo de Landito Placentino, Mediolanenses secum junctis Brixiensibus, Cremensibus, Laudensibus, Novicomensibus, Alexandrinis, Novariensibus, & Marchione Montisferrati, progressos ad vicum Jovis Altæ, ut ibi interciperent ac prohiberent conduci Cremonam elephantem, camelum, & dromedarium, in Italiam conductos jussu Federici Imperatoris, utrinque commisso prælio inde expulerunt, eisque invitis ipsa animalia conduxerunt Cremonam, & deinde cursitarunt, diripueruntque, ferrove, & igne vastarunt agros Brixiensium, capto oppido Corniono, & ibi repertis fere ad unum occisis cum multis aliis illic locis; & postea cum Mediolanenses & Brixienses prædando concursassent agrum Cremonensem usque ad vicum Jo- A. C. 1234.

Jovis Altæ, ſecum etiam junctis Papienſibus ad Delmam illis occurrerunt, & deinde interventu religioſorum divorum Franciſci & Dominici à pugna abſtinuerunt.

A. C. 1235. Et anno natali Domini 1235. eorum prætore Henrico, ſeu Ricardo Guarnerio Derthonenſe, fieri fecerunt foveam ante caſtrum Senighæ ad derivandum in eam aquas fluminis Ollii, & cum oppidani Pontiſvici id ſibi prohibere voluiſſent, utrinque facta pugna ex eis decem & ſeptem occiderunt, & nonaginta captivarunt, & reliquos uſque Pontiſvicum fugarunt, & mox inita alia pugna cum oppidanis Urceorum, eos pariter fuderunt, ex ipſis etiam captivatis quadraginta, & multis aliis occiſis. Et Brixienſibus caſtrametantibus apud Moſium, & ex Mediolanenſibus quinque millibus ingreſſis agrum Cremonenſem, occurrentes Brixienſibus inter Bozulum ac Riparolum Foris per illos combuſtum, utrinque conſertis manibus, ipſos profligarunt, & fugarunt uſque Moſium ad finem Maji, multis ex illis occiſis, & ex ipſorum primoribus ducentum captivatis, deſtinaruntque milites quinque centum in auxilium Mutinenſium, qui eorum auxilio invitis Bononienſibus derivari fecerunt aquas Scultennæ infra Bononiam, plurimaque eorum loca prædæ, ferro, ac igni expoſuerunt ex ipſorum agro, cum hoſtiliter ingreſſi, & ibi per plures dies caſtrametati ſunt.

A. C. 1236. Et anno proximo Federicus Cæſar, cum intellexiſſet Venetos & Trivigianos in eum una cum ſummo Pont. qui eſſet Viterbii, fœdus percuſſiſſe, & ſe accingere bello, ex Germania exercitu deſcendit in Italiam, & cum Cremonenſes, eorum prætore Simone del Rè, ſive de Summo, ac Papienſes, Bergomenſes, Mutinenſes, Rhegienſes, ac Tridentini pro eo ſtarent, acceſſit Veronam de menſe Februarii, eaque recepta opera Enzelini de Romano, & ibi conſtituto prætore Gulielmo Dovaria Cremonenſe, ac Ferraria à Salinguerra, cepit ac diripi juſſit Moſium & Marchariam, & obſedit Mantuam, & vaſtato agro Brixienſi, ac munitis Moſio & Marcharia, ſe recepit Cremonam de menſe Auguſti, & cum illinc vellet ire Papiam, & Mediolanenſes ad Montem clarum die ſeptima Septembris acceſſiſſent, eique obſtitiſſent uſque ad menſem Octobris. Et Azo Eſtenſis ingreſſus ejus acie militum agrum Veronenſem, ibi obſediſſet Rivoltellam, illucque ad auxilium profecto Enzelino de Romano copiis ſuis, & utrinque commiſſo prælio prævaluiſſet, converſis armis in eum, una cum Enzelino ac Albertino etiam de Romano, obſedit Vincentiam, & die prima Novembris occupavit, ac diripi & comburi juſſit, & mox direptis agris Patavinorum & Mantuanorum obſedit Treviſium, & illinc per Patavinos & confœderatos expulſus, cum intellexiſſet Henricum filium ſuum una cum eis in ipſum conſpiraſſe, properans in Germaniam, ibi eum captivavit, & inde tranſmiſit in Italiam, & in arce ſancti Fælicis carcerari juſſit, per Comitem ſancti Bonifacii, Cremonæ prætore Ugolino Rubeo, recepta Marcharia, Cremonenſibus, qui erant ad ejus præſidium, occiſis.

A. C. 1237. Annoque ſequente rejecta pace ſibi petita per ſummum Pont. ad eum tranſmiſſis legatis Gregorio Montelongo, & mox aliis quatuor Cardinalibus, ex Germania properavit in Italiam, & aſſumptis in ejus partes Eſtenſe, & Comite ſancti Bonifacii, cum eis auctore Enzelino contracta amicitia, & ei caſtrametanti ad flumen Adigis inter Veronam & Mantuam, Mediolanenſes, Mantuani, Brixienſes, Placentini, Novicomenſes, Novarienſes, Vercellenſes, Vicentini, Cremenſes, & alii una confœderati, in eum de menſe Februarii occurrerunt. Et cum Cremonenſes. Papienſes, Parmenſes, & Mutinenſes ei adhærentes, ad ipſius opem tranſiviſſent, pedem retulerunt in agrum Brixienſem ad Montem clarum, & Inſulam Ghiſii fluminis; & cum Federicus & ſocii in illos tranſiviſſent, illinc abierunt, & Federicus & ſocii ingreſſi agrum Mantuanum, eum curſitarunt, & everterunt uſque ad flumen Mincii, præter municipium Marchariæ munitum Federici juſſu, una cum oppido Gazoli agri Cremonenſis, & ex agro Veronenſe caſtro ſancti Bonifacii, & multis aliis municipiis dirutis, converſo itinere verſus Brixiam, eam obſedit, Monte claro diruto, ac Pontiſvico capto, & cum Mediolanenſes Henrico de Modœtia duce profecti in Bergomenſes, qui eos deſeruerant, eorumque agros ingreſſi depopulati fuiſſent, & indicto bello Federico, & Cremonenſibus, eorum prætore Henrico de Rivello Bergomenſi, ei ad Manerbium occurrendo prohibuiſſent ipſum per trimeſtre progredi, combuſto Pontiſvico, trajectoque flumine Ollii ad Alfianum in agrum Cremonenſem exercitu acceſſit Soncinum, & cum illinc ſimulaſſet velle ire Cremonam, diſpoſitis aciebus expeditorum militum ad Curtem novam in agro Bergomenſe, infra nemora illos ex agro Cremonenſe, in quem eruperant, redeuntes domum palantes de menſe Novembris invaſit, ac fudit, ex eis quamplurimis cæſis, & quinque millibus equeſtribus, & bis millibus pedeſtribus captivatis una cum Petro Teupolo, filio Jacobi Ducis Venetorum prætore, & Henrico de Modœtia duce ſupremo eorum, ac curru abſque arbore & cruce per Mediolanenſes Mediolanum aſportatis, eo in fruſta conciſo, dum impeditum luto ob pluvias, quæ in nocte præcedente ceciderant, cauſato, illum abducere nequierint, & duce, & prætore, ac captivis cum reliquo curru ducto magno cum triumpho Cremonam, & inde tranſmiſſis in Apuliam, & curru Romam, & reliquis Mediolanenſibus ex fuga ſe recipientibus per agrum Bergomenſem, multis ex eis occiſis, & multis aliis captivatis per ibi incolas, & aliis ſe recipientibus ad Paganum Turrianum in Vallem Sarſinam, & per eum receptis, & viatico adjutis, & mox coacto exercitu Cremonæ Laudam profectus, eam obſedit per trimeſtre, ac expugnavit, ipſum defendentibus Mediolanenſibus, ex ipſis quoque plurimis captivatis, & illinc tranſmiſſis in Apuliam, & caſtrum imperiale ibi ad portam Cremonenſem erigi juſſit. Et Evergariis ibi nobilibus, ſequentibus partes ſuas, ad ſummos honores provectis, illos de Summaripa eorum inimicos depreſſit, & inde ivit Papiam.

Et anno ſecuto Cremonenſes, eorum prætore Leonardo Gremonio Patavino, cum Mediolanenſibus & Brixienſibus de menſe Februarii conflixerunt. A. C. 1238.

Et anno ſubſecuto ſummus Pont. die Dominico Olivarum Federicum regreſſum in Germaniam, ejuſque ſequaces, iterum excommunicavit, ipſumque imperio privavit, & adverſus ipſum, ac Enzelinum de Romano, Mediolanenſes, & confœderatos eis conceſſa venia peccatorum concitavit. Et Federicus, dimiſſo Corrado filio in Germania, regreſſus Italiam exercitu, & per Corradum filium deinde tranſmiſſis quinque millibus Theutonicis, eis ac reliquo exercitu, in quo erant Saraceni, Siculi, & Apuli, profectus Brixiam, eam per tres menſes ac dies octo obſedit, & ſuppeditavit; & mox illinc cum Cremonenſibus, Angelino de Mariis eorum prætore, dum irrupiſſent agrum Brixienſem, ac vaſtaſſent nonnullis nuncupatis Scroſatis apud Manerbium deletis, ac Papienſibus, die duodecima Septembris exercitu irrupit agrum Mediolanenſium, quos volentes tranſire in partes ſuas, modo non ingrederetur Mediolanum, recuſavit recipere, Entio ejus filio Rege Sardiniæ ingreſſo illius acie agrum Bononienſium, & ibi Plumatio everſo, & per exercitum Federici ex agro Medio- A. C. 1239.

lanense captis & dirutis Landriano, & Crevacoro, & multis aliis oppidis Mediolano proximis. Et Mediolanensibus sibi occurrentibus ad vicum Locate, & ibi inter eos, Othobello Marano ipsorum duce impigerrimo & fortissimo, ac Saracenos consertis manibus, fusisque Saracenis castra movit ad vicum Cassinarum, & illuc superventis in eorum auxilium Cremonensibus, ac Cataneis, & Valvassoribus Mediolani plerisque ad eum deficientibus, & superventa copiosa pluvia, qua fuerunt inundata castra, eis ex ipsorum consilio motis ad Largirellam inter Besate & Casorate, & cum Mediolanenses ibi egressi ex insidiis Federico, ejusque exercitui se opposuissent, illorum supremo duce Othone Mandello, & derivatis aquis fluminis Abduæ in flumina Lambri, Ticinelli, ac Ticini, & Novicomenses ab eis defecissent, ubi utrinque facto conflictu exercitus Federici fuit profligatus, quamplurimis desideratis, ex Papiensibus & Cremonensibus, amisso eorum curru, Passibono de Gallis Mediolanense strenue se gerente, detracto per eum gallo aureo è galea Theutonici ab ipso prostrati. Et cum Veneti & Genuenses percusso fœdere cum summo Pont. in ejus gratiam decrevissent invadere regnum Neapolitanum, ut illud tueretur, & Venetos ab ea expeditione averteret, profectus Patavium, una cum Enzelino ibi tyranno eorum fines cursitavit, & illinc per Venetos sibi occurrentes repulsus ivit Parmam, dimisso Patavii Enzelino cum ejus copiis, & mox ex Parma ivit Lucam, & illinc Pisas, per Mediolanenses tunc agris Papiensium & Novicomensium concursatis & direptis, igneque, & ferro eversis, & Papiensibus in jus suum compulsis, & mox obsessa Cremona, & ibi Rupere ad unam ex ejus portis plantata, exstirpata, dimissa, & illinc facta irruptione in agros Bergomensium, eisque etiam eversis, & cum rediissent Mediolanum, facto eorum protectore Pagano della Turre, filio Jacobi filii Martini reguli Vallis Asinæ, & Barlasinæ, & habente originem à Turrianis, olim ducibus portæ novæ Mediolani, per divum Ambrosium constitutis, ex quibus descendit Tullius, qui utebatur insigne leonis, & nupsit duas filias duobus fratribus ex Franconia, qui utebantur insigni duorum liliorum in campo cælesti: die tertia Junii stella crinita conspecta cum astro instar facis ad Occasum properante, ex quibus fuit indicata gravis annonæ penuria de proximo subsecuta, qua infiniti perierunt.

A. C. 1240. Et anno 1240. Federicus Cæsar, Entio filio in Gallia Cisalpina, & Gualvagno Lantio Comite, & Marchione germano suo in Gallia Subalpina constitutis Vicariis, ex Italia properavit in Germaniam, & ibi Corrado filio assumpto in socium imperii acceleravit in Italiam & Romam obsedit, & illinc per Rom. qui exhortatione summi PP. arma ceperant, pulsus, omnes, qui ex eis captivati fuerunt, variis cruciatibus affici jussit, detestandis nominibus factionum Gibellinæ & Guelphæ tunc introductis, & prius apud Pistorienses, & quibus omnes fere urbes inferiores Italiæ præter Venetias fuerunt infectæ, & infinitæ cædes, infinitaque mala, exterminiave processerunt, Cremonæ præsule Homobono, & prætore Gulielmo de Isibardo, seu Ravano Papiense, & mox Raynaldo, seu Raymundo de Aquanigra.

A. C. 1241. Et die septima Octobris circa ipsum tempus divus Geroldus, dum ex Constantia urbe Germaniæ, ex qua erat oriundus, habitu heremitico se conferendo Romam ibi visitandi gratia reliquias sanctorum, facto transitu Cremonæ, & ultra eam spatio fere mille passuum juxta ripam citeriorem Padi in contrata Menicæ mox corrosæ per ipsum flumen appulsus fuerit, & duos ibi invicem digladiantes sedare voluisset, credidissentque ipsi apud

A eum esse pecuniam, per illos fuit occisus, & ex cujus corpore, dum exhalasset spiritus, mira fragantia odoris emanavit; & cum esset hora fere vigesima quarta, sol in ea regione præter modum corruscavit, & campanæ ecclesiarum Cremonæ à seipsis pulsari cœperunt, & dum ibi episcopus, & alii ecclesiastici, & quamplurimi sæculares ex his stupefacti in eam regionem accesserint, ipsumque corpus confossum multis vulneribus humi prostratum repertum elevare voluerint, ab aliquibus elevari non potuit præterquam à piscatoribus, qui illud, dum tunc piscarentur in aquis fluminis Padi, prius repererant, & levatum reponere nequiverunt in ecclesia divi Creati, ibi propinqua in suburbiis extra portam Mosiæ, & aliis civitatis propinquioribus ipsi portæ, nisi in ecclesia divi Vitalis, prope quam tunc fiebat forum piscarium, & in qua servatur, ejusque solemnitas celebratur annuatim die septima Octobris, & cum ad ejus corpus facta fuerint multa miracula pro ejus meritis, ac proba & laudabili vita ex virtute omnipotentis Dei inter ejus electos fuit connumeratus.

Anno 1242. Cremonenses, Marcho, seu Melchiore Lantio eorum prætore, præsentientes Mediolanenses castrametari apud Nosedulum, facto recessu ex Quintiano, ubi & ipsi castrametabantur, in illos profecti, & secum prælio congressi, ipsos inde fugarunt. A. C. 1242.

C Et anno secuto eorum, prætore Comite Lantelmo de Cassiano Laudense, ceperunt Brembium, & erexerunt castrum Franchi, & à Federico Cæsare habuerunt castrum Roncaroli ex agro Placentino. A. C. 1243.

Et anno subsecuto habuerunt prætorem Manfredum Cornazanum. A. C. 1244.

Anno 1245. Federicus Cæsar, nupta filia spuria Comiti de Careto, Cremonam se recepit, & illinc cum Cremonensibus, eorum prætore Ruberto de Castroleone, qui ibi portas prætorii muniri fecit ære, ac Papiensibus facta impressione in agrum Mediolanensem eorum ope accessit Mediolanum, plurimisque eorum oppidis, & vicis prædæ, ac ferro, & igni expositis, illinc retrocessit Brixellum, & ibi trajecto flumine Padi Veronam, ubi habuit comitia, quibus interfuerunt Corradus filius suus Princeps Germanorum, ac Balduinus Græcorum Imperator, & eis finitis illinc rediit Cremonam, ubi Federicum filium suum creavit Equitem, & illinc profecturus Lugdunum exercitu ivit Taurinum. A. C. 1245.

Et anno altero Innocentius IV. summus Pont. ex familia Flisca, & Comitibus Lavaniæ Genuensis, summus Pont. jussit Gerardum de Corrigio una cum filiis, ac Bernardo de Rubeis, & aliis ejus affinibus Parmensibus ex Parma abire Placentiam, & Federicum Taurini commorantem uti hæreticum & schismaticum, & qui prælatos carcerasset, ac bona Ecclesiæ occupasset, eique recusasset pendere feudum pro regno Siciliæ, excommunicavit, ac privavit eo regno ac imperio die prima Augusti consensu omnium secum in concilio exsistentium. Et Federicus ex Taurino missis legatis ad Francorum Regem pro sedanda controversia inter ipsum ac summum Pont. ob id indignatus ex Taurino rediit Papiam, jussitque fundos, quos habebant affines summi Pont. in agro Parmense, diripi, & una cum Papiensibus, & Cremonensibus, & Novicomensibus de mense Octobris irrupit agrum Mediolanensium, eisque sibi resistentibus cum Gregorio Montelongo legato Apostolico intulit grave damnum. Et cum Entius, filius suus, trajecto flumine Abduæ ad Cassianum, & ejus acie disposita una cum Cremonensibus ad Gorgonzolam, eam oppugnando, ibi per Mediolanenses Simone de Locarno duce illuc profectos in auxilium, utrinque commisso certamine fuisset captus, ab eis fuit A. C. 1246.

fuit per Cremonenses ereptus, ex illis captivatis circiter mille, inter quos fuerunt quadraginta Genuenses, quibus conductis Laudam, ibi fuit pes amputatus, & oculus evulsus, & dimisso Entio Parmam profecto ad ibi regimen, & Henrico Aretino Jur. Conf. illic facto prætore, & agris Placentinorum partes Pontificis sequentium direptis, & Placentia occupata, ibi constituit prætorem Copadulphum, Cremonæ autem Raynaldum de Machaleone.

A.C. 1247. Et anno sequente Federicus post gravia damna data Mediolanensibus die vigesima prima Augusti firmatis castris ad Abiate, & die prima Novembris ad Casteriam, ibi die quarta decima everso propugnaculo illorum de Gothis, illinc abiit ad maritima Senensium solatii & recreationis gratia. Et summus Pont. litteris suis datis die duodecima Januarii Lugduni Corrado de Cavalcabobus, & Amato de Amatis, dum una cum Guazzonibus, Ponzonibus, Summis, Comitibus, Oldoynis, illis de Casa nova, Persicis, Oldroandis, Marianis, Piperariis, Divitiolis, Ciconiis, Capellanis, Bocatiis, & Burghis, dimisso Federico Cæsare ei, & Rom. ecclesiæ adhæsissent, ipsos omnes, & alios sibi adhærentes, eorumque bona assumpsit sub ipsius & Sedis Apostolicæ protectione. Azo Porchus ex municipio Casalis majoris agri Cremonens. Jur. Conf. dum Bononiæ publice doceret leges, occiso per eum alio earum lectore, fuit decapitatus, & sepultus, composita per eum summa Juris perutilis.

A.C. 1248. Anno secuto Federicus, cum præsensisset Gulielmum Comitem Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ filium Florentii ex Mathilde filia Henrici Ducis Brabantiæ, auctore Petro Statua aurea presbytero Cardinale tit. sancti Georgii ad vellus aureum legato Apostolico, deposito Federico ab imperio apud Voraginem in Germania per Moguntinum, Coloniensem & Treverensem præsules, & Ludovicum Comitem Palatinum Electores electum Cæsarem cum summo Pont. velle transire in Flaminiam, Liguriam, ac Insubriam, ut eas in suas partes compelleret, coacto multo exercitu ex Neapolitano regno, ibi dimisso Henrico filio infantulo ac ultimo, & per eum suscepto ex uxore Angla, & Federico nepote ex Henrico primogenito creato duce turmarum equestrium, & Federico alio filio Principe Antiochiæ, duce Hetruriæ, ac Entio filio suo naturali Rege Sardiniæ ejus Vicario constitutis, abiit Senas, & illinc Pisas, & inde Cremonam accessit, ubi, ibi prætore Cane Ferrario Papiense, constituit plures consultores militares, & togatos, & mox rediit Taurinum, ubi rursus habuit comitia, & illinc legatos suos adhuc destinavit ad Ludovicum Regem Francorum, ut medius esset inter eum ac summum Pont. ad sedandas controversias inter eos vigentes, & dum percusso fœdere cum Duce Burgundionum intenderet ire Lugdunum, ut ibi summum Pont. interciperet, & Entius filius suus vocatus per Cremonenses ex Parma abiens se recepisset Cremonam, & cum eis & copiis suis ivisset Quinzanum, & Gerardus de Corrigio, & alii Parmenses extorres ex Placentia, & ibi habitis copiis auxiliaribus regressi iter suum direxissent Parmam, & cum eis ad Tarrum flumen occurrisset Henricus Aretinus Parmæ prætor, & ibi dimissus per Entium loco sui multis copiis, & illic consertis manibus utrinque multis primoribus, qui secum erant, occubuisset, aliis profligatis ingressi fuissent Parmam, multosque ex fautoribus Federici occidissent, his auditis abiens Taurino exercitu sexaginta millium equestrium, ac pedestrium, inter quos fuerunt Saraceni illuc ex Apulia profecti, & Enzellinus ejus agminibus ex Marcha Tarvisina instigatus per Joannem Turrianum Mediolani tyrannum, profectus Parmam, eam obsedit, quam Gregorius Montelongus legatus Apostolicus, & Gerardus Corrigiensis, & alii ejus factionis tuebantur, & ad ejus subsidium jam profligatis prælio apud flumen Padi Parmensibus per Cæsarianos, Mediolanenses equestres mille, Gulielmo de Soresina, & Othone Marcellino ducibus, ac Bononienses, Placentini, Ferrarienses, Rhegienses, ac Mutinenses alias copias militares transmiserunt, & Octaviano alio legato Apostolico tunc destinato in Galliam Cisalpinam, Parmensibusque ingressis agrum Cremonensem sibi finitimum, ac diripientibus, illic everso Casali majore, & durante obsidione Parmæ ultra annum Federicus Cæsar prope eam construi fecit aliam civitatem, & nuncupari Victoriam una cum templo divi Victoris, & etiam ibi cudi nummos, & nuncupari *Victorinos*, & in eam introduci novos homines ex Asia, Africa, & Ægypto, & conduci elephantem, & alia animalia, & aves diversi generis, intendens Parmam, postquam eam cepisset, solo æquari facere. Joannes Bonus de Ghirardis archidiaconus majoris Ecclesiæ Cremonæ extra ipsius portam Brixianam, & in ejus suburbiis erigi fecit ecclesiam ad memoriam, & honorem duodecim Apostolorum.

Et anno subsecuto, Cremonæ Pasio Panigalia, seu Fossa, & Uberto Palavicino Vicario suo, & A.C. 1249. sibi præstito juramento fidelitatis versus Federicum per Amatum, & Gulielmum de Amatis, & Oldroandum de Oldroandis, Raynaldum de Persico, Ponzonos, & Guazzonos, dum incidisset in infirmitatem, & ex ea factus incolumis, illinc recreationis, & solatii gratia ivisset Buxetum, & ibi venationi incumberet, ejus exercitu Parmam circundante, & ex ipsa facta eruptione per Parmenses & confœderatos ducibus Gerardo Corrigiense, & Azone Estense, cum quibus etiam fuit Philippus Vicedominus Placentinus, in ipsum die ultima Februarii, & utrinque facto conflictu eo profligato, & demolita urbe Victoria quamplurimis ex ipso captivatis, & quamplurimis occisis, inter quos fuerunt mille Cremonenses cum Joanne Turriano, & Thadeo Senesuano interempti, & mille ducentum captivati eorum curru, reliquo exercitu properavit Cremonam, & illinc diffisus Cremonensibus, cum tot ex eis occubuissent, ac capti fuissent, abiit Guardastallum, & illinc rediit Brixellum, ubi reperit Entium filium suum, qui profligarat Mantuanos trajicientes per flumen Padi, ad opem Parmensium, ex eis captis quinquaginta navibus, tercentum furcis suspensis, qui erant super eis, ipsoque illinc ejus acie in agrum Lunensem transmisso, ivit reliquo exercitu ad Burgum sancti Donini, ut ibi ipso reparato rursus obsideret Parmam, & monasterio Columbæ ibi proximo demolito illinc rediit Cremonam, & Entium filium suum per eum expugnato Arolo oppido Rhegiense, & ibi nonaginta septem rebellibus captis jussis furcis suspendi, mandavit ejus acie ire Faventiam, eamque, ac Ravennam, & Forilivium, Ariminum, Urbinum, & alias urbes in eis regionibus, sequentes partes suas, in fide continere, & ex Cremona acceleravit ad Burgum sancti Donini, & cum populi Galliæ Cisalpinæ contrariæ factionis in eum arma pararent, diffisus Parmam recipere, illinc de mense Septembris per montes Berzeti transivit in Hetruriam, & cum Ravenna, & urbes Flaminiæ, excepto Arimino, ab eo defecissent ad summum Pont. & Entius filius suus Veronam ad Enzelinum profectus fuisset, ivit Senas.

Et anno Natalis Dom. 1250. de mense Maji ex Senis A.C. ivit in Apuliam, & Entius ejus ac Cremonensium 1250. acie, eorum prætore Ranzerio Mutinense, seu Lanterio de Strata Papiense, profectus in Bononienses, cum eis consertis manibus apud flumen Scultennam, ibi ejus ac Cremonensium acie fusa captivatus fuit, &

& ductus Bononiam, & ibi carceratus cum ducentum Cremonenſibus. Et Ubertus Palavicinus eorum prætor, Maſonerio Burgo ipſorum vexillifero ſupremo, aliquibus ex eis Parmam profectus, & cum Parmenſibus juxta ibi vallum prælio congreſſus, ipſorum duce ac rectore Alberto Corrigienſe, die duodecima Septembris eos ſuperavit, ex illis captivatis bis millibus cum ipſorum curru, habente vexillum cum inſigne tauri, & conductis Cremonam, & ibi ſpoliatis, & excœcatis illinc dimiſſis abire. Federicus Imperator apud oppidum Florentinum diſtans à Luceria per ſex millia paſſuum incidit in infirmitatem, & cognito vitæ ſuæ exitu condidit teſtamentum, in quo legato multo ære Hoſpitalariis, ac Templariis Hieroſolymitanis ad expeditionem adverſus infideles, & juſſis dimitti omnibus captivis, inſtituit ſibi ſucceſſorem Corradum filium ex Violante filia Regis Hieroſolymitani, & Henrico alii filio dimiſit Regnum Siciliæ, & Federico nepoti ſuo ex Henrico primogenito Ducatum Auſtriæ, & Manfredo filio naturali ex filia Bonifacii Comitis Algini apud Aſtam per lapides tres Principatum Tarenti, & ut in Regno Neapolitano, & Gallia Ciſalpina eſſet Vicarius Corradi tunc commorantis in Germania, dum illinc abeſſet, & die tertia decima Decembris, & ſolemnitatis divæ Luciæ, anno ætatis ſuæ LIV. & imperii XXXVII. obiit, & ut aliqui ajunt, ſuffocatus per Manfredum filium ſuum conjecto cervicali in os ejus, dum convaleſceret, per ipſum, qui ejus cadave r illuc transferri fecit ad Merendam oppidum prope Panorbium Siciliæ, & ibi tumulari, & in dominium ſuum bello compulit Calabros, & Apulos, & alios accolas Regni Siculi, præter Neapolitanos, & Capuanos, & Aquilanos, qui opera Comitis Caſertæ tranſiverunt in partes ſummi Pontificis.

A. C. 1251. Anno altero Boſius Dovaria accerſitus per Avergarios ex primoribus Laudæ, diſcordes cum Sucio Viſtarino, & aliis ibi primoribus ob illic principatum, illuc ejus factione Gibellina acceſſit, & ope Avergariorum, & ſuorum ſequacium ejuſdem factionis, expulſis inde Viſtarino, ejuſque adhærentibus factionis diverſæ, Laudam Avergariis & ſibi ſubjecit. Et ſummus Pont. intellecta morte Federici ex Lugduno properavit in Italiam, & ivit Genuam, & illinc Mediolanum cum quatuor Cardinalibus, & præſule Hieruſalem die ſeptima Julii, & Laudenſibus, quia adhæſiſſent Dovariæ, interdictis ſacris eccleſiaſticis inde ivit Peruſium, & ibi conceſſo regno Neapolitano Girlotto fratri Regis Angliæ; & cum Rom. requiſiti per eum noluerint abrogare dignitatem Senatorum, evitata Roma ex Peruſio ivit Aſſiſium. Et Corradus Cæſar his auditis, & quod populi Galliæ Ciſalpinæ præter Cremonenſes fluctuabant, ex Suevia per Illyrium exercitu properavit in Italiam, & ivit Veronam, & illinc acceſſit Cremonam, & ibi ejus præſentia ſedatis rebellibus in Gallia Ciſalpina, ope Venetorum, & Enzelini de Romano in ea regione potentiſſimi rediit in Illyrium, & ibi habitis triremibus à Venetis illinc trajecit in Apuliam, & illic cum pompa receptus per Manfredum, omnia, quæ ab eo defecerant, recuperavit infra biennium, Neapoli, Aquino, Aquila, ac Capua expugnatis, & direptis, ac Neapoli, & Aquino mœnibus exſutis, & Aquino combuſto, Aquila vero, & Capua ſolo æquatis, Com. Caſertæ Capuæ captivato, & multis aliis proceribus illius regni illinc relegatis. Cremonenſes factionis Gibellinæ, dum Mediolanenſes per Laudenſes contrariæ factionis in eorum auxilium vocati, eorum duce Martino Turriano, iviſſent Laudam, illinc abierunt cum Boſio Dovaria, qui ope Enzelini de Romano dominium Cremonæ ſibi vendicavit, & Mediolanenſes Laudæ conſtituerunt protectorem Sucium Viſtarinum per decennium ibi everſo oppido Imperiali illic olim erecto per Federicum Cæſarem, & munito per Dovariam.

Anno ſequente Cremonenſes contracta ſocietate cum Papienſibus, Placentinis, & Vercellenſibus, & ſibi facta promiſſione per Veronenſes eos tuendi ab ipſorum hoſtibus, & rebellibus imperii Romani, & Corradi Cæſaris, Uberto Pallavicino eorum prætore, & duce, iverunt Caravagium, quod ab eis ad Mediolanenſes defecerat, eoque capto & everſo Laudam profecti, illam obſederunt, & ibi commiſſis multis præliis cum Mediolanenſibus, eam occupantibus ceperunt, & per menſem detinuerunt, & cum nonnulli exſules Placentini oppidum Rivergaliarum in montibus Placentinorum occupaſſent, una cum eis, ac Parmenſibus, & Brixienſibus, dimiſſa Laude, illuc profecti, ipſum obſederunt per trimeſtre, ac expugnarunt, & diripuerunt, eis exſulibus data venia, & inde abire permiſſis. A. C. 1252.

Anno ſecuto Ubertus Pallavicinus fuit creatus prætor Placentiæ. A. C. 1253.

Et anno ſubſecuto rector perpetuus ſuffragiis Gibellinorum. Et Patavini, Vicentini, & Veronenſes, Cremonenſibus, & aliis ſecum confœderatis adhæſerunt, & die quinta decima Octob. Enzelinus de Romano ſuo, & nomine eorum de Prato, & de Porciliis, & Alberti de Camino. Et Ubertus Pallavicinus Vicarius Imperialis in Gallia Ciſalpina, & Cremonæ, & Papiæ, ac Placentiæ, & Vercellis dominans [ejus iconem, ex *Hiſt. Mediolan.* Ant. Campi, æri inciſam hoc loco appoſuimus] ſuo etiam nomine, ac Marchionum de Careto, & Olivariæ fœdus percuſſerunt. Lacubus & fluminibus in Gallia Ciſalpina æſtivo tempore nullo in aere ventorum flatu, nullo in terris tremore, nulla in aere nube auctis, & ripas egreſſis, & ſtatim ingreſſis alveos ſuos, & diminutis prodigioſe. A. C. 1254.

Anno 1255. Cremonenſes eorum duce, ac prætore adhuc Pallavicino, una cum Enzelino de Romano obſederunt Mantuam per viginti dies direpto ejus agro Sordello Vicecomite ibi dominante, & Henrico de Rivola Bergomenſe ejus ſororio prætore, qui dum congreſſus fuerit prælio cum Cremonenſibus apud Hoſtiliam ipſos profligavit. A. C. 1255.


Anno altero, Homobono præſule Cremonæ defuncto ſuffectus fuit Jo. Bonus de Girardis Cremonenſis, & archidiaconus eccleſiæ ibi cathedralis, & erectum fuit palatium in vico divæ Agathæ ad ibi forum: ut apparet ex ſequenti inſcriptione: A. C. 1256.

IN NOMINE DOMINI AMEN. HOC PALACIVM FACTVM EST AD HONOREM DEI, ET BEATAE VIRGINIS, ET POPVLI CITANOVAE TEMPORE DD. LANFRANCI DE BENZONIS, GIRARDI DE ALEGRIS, NICOLINI DE FRAGANESCO, ET IVLIANI DE ZOVENOLTA, CONSVLVM POPVLI, ET SVPERSTANTES DICTI OPERIS FVERE D. MICHAEL DE BONTEMPIS, ET GABRIEL DE PISTORE. MCCLVI. INDICTIONE XV.

Anno ſequente Mantuani adverſus Cremonenſes, eorum prætore Leonardo de Seſſa, & Homobono Moriſio, & Joanne Medalia judicibus ipſius, & Ravarino de Bellottis, Vulfareto nuncupato Gandiono de Dovaria, Guarnerio Friſono, Gulielmo Hermenzono, Montino de Multis denariis, Marchiſio Bocatio, Benevenuto Fraganeſco, Gerardo de Advocatis, & Degoldo de Aliprandis eorum legatis fuerunt condemnati Brixiæ per Gritum de Gritis ibi civem, ac prætorem, & arbitrum utrinque electum ad eis reſtituendum Luzariam, & alios Cremonenſium vicos per illos occupatos. A. C. 1257.

An-


VBERTVS,
Marchio Palavicinus,
Dominus & Potestas
Cremonae ac Placenciae.





Pag. 1345.



A. C. 1258. Anno sequente Martinus Turrianus, auctoribus Alberto de Abiate, Azolino Marcellino, & pluribus aliis ex popularibus Mediolani, factus est eorum ac aliorum protector, & mox auctoribus fratre Leone de Perago ibi præsule, ac Guidone de Petrasancta, Gulielmo Panizono, & Gulielmo de Sorexina, plurimisque aliis nobilibus, fuit depositus, & mox per ipsos fautores restitutus manu armata, occiso ex nobilibus Baldo de Quirigida, illinc die vigesima nona Junii præsule, ac Sorexina cum parte nobilium expulsis, & dum profecti Canturium, illuc secum conjunctis Rusconibus extorribus Novicomensibus, cepissent, illinc expulsis Vitanis ipsorum contrariæ factionis, eos insecutus fuit, illosque, ac Rusconos inde expulit, Azario de Vitanis illuc introducto. Et Philippus Fontanesius exercitu Pontificiorum recepto oppido Pallazolo Brixiense, & Ludovico Comite sancti Bonifacii illuc ex Mantua profecto manu militari, transivit in Enzelinum illius copiis Germanorum ad oppidum Baxiani Patavinum mense Julio per Estensem & Patavinos prælio fusis, dum reliquis castrametaretur ad oppidum Pischeriæ in agro Veronense, quod tenebat, ac Pallavicinum, & alios suæ factionis castrametantes ad vicum Gambaræ ex agro Brixiense, invicem conjunctis aciebus commissa pugna cum Pontificiis die secunda Augusti, eisque profligatis, fuit captivatus una cum Henrico Rivola, ac præsulibus Veronæ, & Brixiæ, ac Tisone Brixiæ tyranno, ac multis aliis ex primoribus Pontificiis, qui ab eis dimissa Brixia fuerunt relaxati, excepto legato retento penes Pallavicinum ejus acie reversum Cremonam. Et Enzelinus fuit introductus in Brixiam, & reliqui Pontificii ex fuga ingressi sunt oppidum Urceorum, ac occuparunt Vincentiam. Et Enzelinus profectus ejus acie in agrum Vincentinum, ibi expugnavit oppidum Pullarum, quibuscunque illic repertis, qui manus militum evadere nequiverunt, per illos ejus jussu inhumaniter occisis.

A. C. 1259. Anno subsecuto inter populares Mediolani orta discordia, & per eorum partem confirmato protectore Turriano, & per alteram partem Azolino Marcellino. Summus PP. ad eam, ac illorum, & nobilium sedandam discordiam transmisit Mediolanum Gregorium Montelongum præsulem Aquilejæ, qui illinc relegatis Martino & Azolino, illic restituit præsulem, ac nobiles, & cum inde abiisset, Martinus illuc reversus inde expulit, & proscripsit Sorexinam, & filium, qui profecti Brixiam ad Enzelinum, eum ad ipsorum & aliorum nobilium Mediolani extorrium auxilium requisiverunt, & Enzelinus, dum expulsis ex oppidis Brixiensibus Cremonensibus ea tenentibus, orta discordia ob id inter eum & Pallavicinum, obsesso oppido Urceorum, in quo erant Ecclesiastici cum Bosio Dovaria, & aliis factionis suæ, acie octo millium armatorum, & per Pallavicinum auctore Dovaria die Mercurii XI. Junii percusso fœdere cum Pontificiis, & Henrico Rivola, Azone Estense Ferrariensium, Ludovico Comite sancti Bonifacii Veronensium protectoribus, ac Mantuanis castrametantibus eorum agminibus ad vicum Jovis Altæ, Cremensibus etiam tunc opera Dovariæ reversis ad Cremonenses eorum pristinos dominos, recepto præsidio Placentinorum imposito in oppido Cremæ de mense Julii, omissa obsidione Urceorum intendens auxilio extorrium Mediolani illud occupare acie sua, ac secum conjunctis eis extorribus, ipsorumque copiis trajecto flumine Abduæ ad Cassianum ingressus fuit agrum Mediolanensium, & ibi cepit Modœtiam, & Vaprium obsedit, & mox dimissa Modœtia ejus suburbiis combustis ivit ad Vicummercatum, & cum Turrianus quinque millibus equestribus ivisset Modœtiam die decima Septembris, Enzelinus [ipsius iconem, ex Ant. Campi *Hist. Mediol.* æri incisam hoc loco apponi curavimus] sibi per Turrianum impedita annona, dum voluisset referre pedem Cassianum, ubi ecclesiastici castrametabantur occupato ponte ibi constructo super flumine Abduæ, per ipsos illinc repulsa acie Boemorum, ac ejus custodiam dimissa per Enzelinum, intra Cassianum, & per ejus medium transire, & ecclesiasticis ob id coactis secum congredi fere profligatis ad ipsum victoria inclinata, & Enzelino, ejusque exercitu à fronte, à latere, & à tergo per Turrianum, ejusque milites, ac Pontificios impulso, & per Brixienses secum militantes dimisso, & vulnerato jaculo in crure sinistro, ejusque exercitu profligato se posuisset in fugam versus Brixiam, Uberto Pallavicino, Azone Estense, & Bosio Dovaria cum insequentibus, à Joanne Turchesano Soncinate fuit interceptus, & ductus in tentorium Dovariæ, & illinc Soncinum, ubi dum recusasset sibi medelam præstari, periit octuagenarius, ejusque cadaver, cum esset rebellis ecclesiæ Rom. & excommunicatus, fuit sepultum sub ibi palatio. Beatus Rolandus Cremonensis ex Religiosis Ordinis Prædicatorum divi Dominici obiit.

Anno 1260. Turrianus assumpto in partibus suis Pallavicino, eique per quinquennium supposito Mediolano, & secum junctis armis profectus Laudam, ejus, ac Summariparum ex ibi primoribus ope, illinc expulit præsulem, ac nobiles Mediolanenses eo profectos. Et Pallavicinus, cui parebant Cremona, Novaria, Derthona, Papia, Alexandria, Placentia, Novicomium, & Vercellæ, una cum Cremonensibus profectus in agrum Brixiensem, & Brixiensibus ei occurrentibus ad Bassianum vicum inde prælio expulsis, ex ipsis occisis plurimis, & octo centum equestribus, & quinque centum pedestribus captivatis, retrocessit ad Alphianum, & ibi reparatis viribus, & auctis copiis profectus Brixiam, eam obsedit. A. C. 1260.

Anno altero in Italia incipiendo à Perusio quamplurima agmina mortalium crucem ferentium, ac hymnis, & canticis pacem petentium ab omnipotente Deo peregrinata sunt per Italiam, & tunc Disciplinorum religio inchoavit. A. C. 1261.

Et anno sequente Martinus Turrianus, dum Otho Vicecomes, filius Uberti ex Berta, factus præsul Mediolani Octaviano Ubaldino Cardinale Florentino procurante occupasset Aronam, ejus acie ac Cremonensium sub Uberto Pallavicino illuc profectus, eam recuperavit, inde aufugiente Vicecomite, ac una cum Angleria & Brebii arce demoliri jussit, & Raymundus Turrianus præsul Novicomii eo præsulatu dimisso occupavit archiepiscopatum Mediolani præter mentem summi Pont. qui Mediolanensibus, nolentibus admittere Vicecomitem in eorum præsulem, interdixit sacra. Ubertus Pallavicinus Brixiam una cum Pontisvico redegit in sui potestatem opera Jacobi Confanonerii, & aliorum factionis Guelfæ, & percusso fœdere per eum ac Cremonenses cum Brixiensibus, eis profectus Placentiam, ipsam quoque redegit in sui potestatem, & ibi constituit rectorem Gandionum de Dovaria. A. C. 1262.

Et anno secuto ingressus acie Cremonensium agrum Bergomensem, cum prædæ ac ferro exposuit, & ope Cathaneorum & Valvassorum, inimicorum Turriani protectoris Mediolani, per eum illinc expulsorum, illud tentavit occupare, & Bergomenses, Rhegienses, & Mutinenses suppeditavit, & Bononienses, ni ei obstitissent, in potestatem suam redegisset, & inter eum ac Martinum Turrianum, protectorem Mediolani, cum illud tentarit occupare, ut præfertur, orta discordia, Martinoque defuncto Philippus frater suus, ac successor ejus, acie militari irrupit agrum Cremonensem, & ibi die decima octava Junii expugnavit, ac diripi jussit Covum, ubi erant novem turres, & Placentini, Papienses, & Brixienses, dum A. C. 1263.

Philippus Fontanesius legatus Apostolicus deceptis A custodibus è manibus Pallavicini aufugisset Mantuam, & illinc ad Ludovicum Comitem sancti Bonifacii ducem suum, ejus opera à Pallavicino illius jugo excusso defecerunt ad summum Pont. & etiam in ejus partes transiverunt incolæ montis Silicis, & Calaonis ex agro Patavino olim suppositi Enzelino, se permittentes Azoni Estensi eos recipienti pro summo Pont. una cum Tarvisio, illinc aufugiente Alberico fratre Enzelini cum Margarita uxore, & sex filiis, & duabus filiabus in castrum sancti Zenonis; quod Pontificii, Pallavicino Veronensium duce, Albericum insecuti obsederunt, & redegerunt in sui potestatem una cum Alberico, uxore, & filiis traditis illis, in quos Albericus B & frater sævierant, & per eos inhumaniter affectis diversis suppliciis, & interemptis. Et Pallavicino se supposuerunt incolæ Quintiani, & Calvisani ex agro Brixiense, & qui Azoni Estensi concessit vicum Mosiæ nunc Comesatii ad fines agri Cremonensis, Mantuani, & Brixiensis. Et Jo. Bono Gerardo Cremonæ Episcopo, per ipsum multis præclare gestis, & annuo episcopatus redditu valde aucto, defuncto die vigesima octava Augusti successit Bernerius de Summo etiam Cremonensis, per ipsum Jo. Bonum erecto quoque hospitale Dominæ sanctæ Mariæ de Valle viridi, ac altare ad honorem & memoriam divi Joannis Baptistæ in ecclesia cathedrali Cremonæ. C

A. C. 1264. Anno subsecuto Turrianus cum Pallavicino, & Bosio Dovaria, Cathaneis, & Valvassoribus, ejus inimicis invicem confœderatis, gessit bellum in agro Cremonense & Placentino.

A. C. 1265. Et anno proximo, dum illinc prædam abigeret, & Pallavicinus una cum Cremonensibus, ut illi resisteret, ei occurrisset, Brixienses ab eo defecerunt ad Turrianum.

A. C. 1266. Et anno altero, Domeneghino del Vida ex consulibus Cremonæ per Urbanum IV. summum Pont. anno superiore Manfredo Principe Tarentino deposito à regno utriusque Siciliæ, & ad illud electo Carolo Andegavense Com. Galliæ Narbonensis, & fratre Ludovici Galliarum regis, & D dum ex Massilia classe trajectus in Italiam iverit Viterbium ad Clementem etiam IV. summum Pont. per eum confirmato, & insignito corona ipsius regni, & dum Guido Comes Monfortis, ipsius dux supremus, eum sequendo exercitu per ipsum coacto in Gallia Transalpina, inde eo descenderit in Subalpinam, & ibi apud Albam substiterit, & illic secum per Turrianum ad reprimendum Othonem Vicecomitem Mediolani electum episcopum, (ut præfertur) & nobiles illinc extorres, & Ubertum Pallavicinum, secum contracta societate, Turriani ope, ut iret in Apuliam ex Alba transiverit in agrum Brixiensem, Pallavicinus & Bosius Dovaria sequentes partes Manfredi, ex ejus ordine ad E impediendum, ne Com. Monfortis exercitu ulterius progrederetur, ex Capriolo & Monte Claro una cum Cremonensibus illi apud Brixiam occurrerunt, & cum eo, & Gallis, & Brixiensibus factionis Guelphæ, ipsum comitantibus, signis collatis succubuerunt, & illinc repulsi pedem retulerunt, ex Gallis tamen multis desideratis una cum Com. Favorino ex illorum Ducibus, ejus militibus remanentibus ad stipendium Napoleonis Turriani, qui mortuo Philippo patruele suo, Salvino ejus filio per illum expulso, occupavit dominium Mediolani: & dum Com. Monfortis reliquis Gallis per illos Capriolo & Monte Claro captis, & solo æquatis, & in ea regione mox nuncupata Francia F curta celebrato Paschate, sequendo iter suum pervenisset ad flumen Ollii, illudque trajiceret, Pallavicinus, & Dovaria, & Cremonenses ad impediendum progressum ipsius, illi adhuc se opposuerunt, sed cum non ausi fuerint prælio secum congredi

Com. Monfortis & Galli, progressi sunt Mantuam, & inde per agros Mutinensem & Bononiensem secum additis cccc. equestribus Florentinis factionis Guelphæ, & ex Florentia expulsis Guidone Guerra Duce Mutinæ residentibus, & multis aliis ejus factionis ex Gallia Cisalpina, Flaminia, Hetruria, & Piceno, dum illac transiverit, secum aggregatis transivit in Latium: & Pallavicinus, stipatus Cremonensibus, Placentiam, ibi Ruglerio Bellotto Cremonense Prætore, ingressus, inde Albertum de Lando cognominatum Bussam, armis tumultuantem adversus Ubertinum agnatum suum, expulit una cum Burghognono Anguissola, & mox fuit expulsus per Albertum Fontanam. Et legatus Apostolicus illuc profectus ibi tumultum sedavit, Raynaldo Scotto illic constituto Rectore, ac Prætore. Et Mediolanenses, Brixienses, & Mantuani obsederunt Soncinum, & Bergomenses Covum, quem valde damnificarunt, Zaneterio de Strata Cremonæ Prætore pro Pallavicino.

Anno secuto Tajonnus de Bocatiis Brixiensis una A. C. 1267. cum Brixiensibus & Cremonensibus exsulibus factionis Gibellinæ mense Martio ingressus Brixiam, inde expulit Guelphos, & dum ei dominari vellent Cremonenses, inde cum eis expulsus fuit, & ibi pro factione Gibellina remansit Dominus ejus frater, & Cremonenses factionis Guelphæ nuncupati Capellati, Cremonæ Prætore Roccho de Strata, loco Zaneterii fratris sui ibi defuncti & sepulti, fuerunt restituti in patriam auctoribus Bernardo Castagneto, & Bartholomæo Abbate Treccarum legatis Apostolicis, & mox inter eos & Gibellinos nuncupatos Barbassores orta discordia, Gibellini Bosio Dovaria duce fuerunt illinc expulsi per legatum, & factionem Guelphorum, ex eis captis multis, & in carcere necatis, & dum reliqui ivissent in agrum Mantuanum, & Mantuani occupassent Tezolas de mense Aprilis, & etiam tunc orta discordia inter Brixienses, eorum duce Antonio Martinengo, & Cremonenses, eorum duce Francisco Cavalcabove, ob flumen Ollii, & per Brixienses assumptis sociis Mantuanis, eorum protectore Sordello Vicecomite, sibi concesso jure in eo flumine à Caneto oppido usque ad ingressum ipsius fluminis in flumen Padi, & dum Gibellini Cremonenses, eorum duce Bosio Dovaria, & Cremonæ Prætore Raynaldo Scotto, loco Rocchi Stratæ, qui sponte se abdicarat à prætura, profecti fuissent de mense Aprilis ad oppidum Tezolarum Mosio propinquum, & ex agro Cremonense, Placentini, ac Cremonenses diversæ factionis una cum Bernardo Castagneto legato Apostolico de mense Augusti, & Dovaria ejus factione Cremonensium, Soncinatum, Veronensium, ac Teutonicorum, dum illis castrametantibus apud Calvatonum occurrisset, ibi utrinque facta pugna, eos inde repulit, ex illis multis occisis, & multis captivatis, & Tezolarum oppido capto, & solo æquato una cum ibi arce, Petro Lombardo ejus præfecto, quia ibi incolæ opem tulissent Guelphis, ejusque lapidibus conductis Marcariam ibi propinquam, ex eis constructo ponte super Ollio flumine, inde se recepit Cremonam, eamque occupatam à Parmensibus obsedit per nonnullos menses. Summus Pont. liberavit Cremonenses una cum Uberto Pallavicino ab interdicto ecclesiastico, cui eos supposuerat.

Anno secuto, Dovaria secum conjunctis Pla- A. C. 1268. centinis, Laudensibus, ac Cremensibus factionis suæ, Gualterio della Rocca Gallo Cremonæ prætore, mense Januario ingressus agrum Brixiensem, ibi diripuit Canetum, Senigham, Pontisvicum, Urceos, Barchum, Quintianum, & multa alia illic oppida, & loca flumini Ollii propinqua. Et Bergomenses occuparunt, & diripuerunt, & solo æquarunt castrum Covi, ibi multis ex incolis sibi valde infensis




BOSIVS DOVARIA,
Dux Strenuus,
& Civis primarius Cremonae.

ſis occiſis. Et Brixienſes, Franciſco Turriano eorum prætore, obſederunt Soncinum, & menſe Junio inter utranque factionem Cremonenſium, Brixienſium, Bergomenſium, Mantuanorum, Ferrarienſium ſecuta concordia, ipſi omnes habuerunt comitia Soncini, illuc conducto Pinamonte Bonacoſio Mantuæ Regulo.

A. C. 1269. Anno ſubſecuto Corradinus Rex Sueviæ, Corradi olim Cæſaris filius, dum una cum Federico Duce Auſtriæ annorum ſexdecim, ac exercitu decem millium pedeſtrium, & quatuor millium equeſtrium inſtigatus per Senenſes, Piſanos, Florentinos, & alios Hetruſcos factionis Gibellinæ in Carolum Andegavenſem ad ei movendum bellum, ipſumque expellendum è regno Neapolitano, deſcendiſſet Tridentum, & illinc Veronam, ubi ſubſtitiſſet per tres menſes, inde per agrum Cremonenſem trajecto flumine Abduæ ope Cremonenſium Laudam acceſſit, & inde Papiam, & mox in Latium. Et Boſius Dovaria [ipſius effigiem, ex Ant. Campi *Hiſt. Mediol.* in ære inciſam hoc loco Lectori conſpiciendam damus] arcem Cremonæ ibi prætore Henrico Turrienſe, & mox Gulielmo de Rivolis Bergomenſe, ſeu Gualterio della Roccha, Roccho de Strata ibi defuncto, obſedit, acceptamque à Guelphis die octava Junii ſolo æquari juſſit, & mox egreſſus civitatem, & arcem, quam in ejus agro habebat valde munitam, ingreſſus in ea obſeſſa, & expugnata per Guelphos fuit occiſus. Et Turrianus è Cremona dolo expellere tentavit Ubertum Pallavicinum, & eam ſibi ſuppeditare, & Ubertus dum fuiſſet obſeſſus in oppido Siſſaligio Placentinorum, per eos ac Parmenſes, ibi obiit, ſuperſtite Manfredino filio, & Inquiſitores hæreſis Mozanicham, dum ibi incolæ eſſent ea infecti, obſederunt.

A. C. 1270. Anno Natalis Dominici 1270. Cremonenſes, eorum prætore Ardigerio de Anzolis Parmenſe, ſeu Raynaldo Perſico, una cum Mediolanenſibus concurſarunt, ac diripuerunt agrum Laudenſium.

A. C. 1271. Et anno altero, Bernerio de Summo eorum præſule mortuo, Cazacomiteque agnato ſuo ſubſtituto, ac prætore Joanne Confanonerio Placentino primis ſex menſibus, & Jacobo Rangono Mutinenſe ultimis ſex menſibus, obſederunt Machaſturnam, ibi erecto propugnaculo cum turri, & cum obſeſſi illinc erupiſſent, ut illud demolirentur, utrinque commiſſo prælio, & per obſidentes gravi ſtrage recepta, eam die vigeſima quarta Maji ceperunt ac everterunt.

A. C. 1272. Anno ſequente Philippus Rex Francorum, ex urbe rediturus in Galliam, divertit Cremonam, ibi prætore Matthæo Corrigienſi, ſeu Jacobo Rangono, & dum eo ſe contuliſſent ad ipſum legati Genuenſium, ac Venetorum, ipſos audivit, ac Venetos, & Genuenſes in gratiam ſummi Pont. ut omnibus Principibus ac populis Chriſtiani nominis data eſſet facultas tranſeundi in Aſiam adverſus infideles, induxit facere inducias per quinquennium, quo etiam Veneti & Piſani fœdus prorogarunt. Beatus Facius Veronenſis aurifex die XVIII. Januarii obiit Cremonæ, omnibus ſuis bonis ibi Hoſpitali ſancti Spiritus relictis.

A. C. 1273. Anno ſecuto, Matthæo de Saſſolis Mutinenſe Cremonæ prætore, Rodulphus Aſpurgenſis, ſeu Aſpurgus, filius Alberti Com. Alſatiæ provincialis, & Auſtriæ Dux, mortuo Federico ibi Duce abſque prole in prælio tunc facto cum Ungaris, & magiſter domus Preſinilai nuncupati Othocari Regis Boemiæ, & ex nobili familia Rom. Leonum Comitum Montis Aventini deſcendentium à Petro Leone, cum duo ejus nepotes ex urbe expulſi ſe recepiſſent ad Alpes, & ibi ad lacum Lucernæ condidiſſent Averburgum, ſeu Ancsburgum, ibi ducta nob. uxore per alterum eorum, poſtquam va-

A caſſet Imperium per annos XXII. ad illud adſcitus fuit, & coronatus Luſaniæ, facta promiſſione per ipſum anno proximo ſe conferendi in Italiam, & illinc in Aſiam ad auxilium noſtrum adverſus infideles, & eccleſiæ Rom. dimiſſa Flaminia, in qua comprehenduntur Ferraria & Bononia.

Et anno ſubſecuto, Cremonæ prætore Henrico Confanonerio, & poſtea Henrico de Vignola Mutinenſe, ibi vita functo, & ſepulto in tumulo marmoreo penes eccleſiam cathedralem, ad eum tranſmiſſis legatis per Turrianum, eum conſtituit Vicarium ſuum in Inſubria, & Caſſonum ejus filium ductorem turmæ equeſtrium Germanorum, ad eum ex Germania miſſorum Comite Lignini duce. A. C. 1274.

B Anno 1275. Cremonæ prætore Panzerio de Archu, & mox adhuc Henrico Confanonerio, fuit fabricatus Leo ex ære Othonis, & poſitus ſuper ibi turre altiore. Et Brixienſes ingreſſi agrum Cremonenſem, eum depopulati ſunt, & Alphonſus Rex Caſtiliæ exhortatus per ſummum Pont. ex Gallia Tranſalpina ibi Lugduni facto Concilio generali revertentem in Italiam, & ſibi occurrentem apud Bellocardum, dum de eo conqueſtus fuiſſet, quod ad Imperium eligi feciſſet Rodulphum, ei ceſſit omne jus, quod in Imperio ipſo habere prætendebat. A. C. 1275.

Anno altero, Cremonæ prætore Ugolino Foliano, & mox Zaldo de Canzelleriis Piſtorienſe, quo, A. C. 1276.
C die vigeſima prima Januarii gelu concretis aquis fluminis Padi, viguit gravis penuria, & vites, & fere omnes arbores in Gallia Ciſalpina aruerunt.

Et anno ſequente, Cremonæ prætore Guidolino de Longis Parmenſe, & mox Azone Manfredo Rhegienſe, & Capitaneo Corrado de Monte magno, & conſulibus Pelegrino de Michais, Joanne Drizona, Nicolao de Caſaleto, Ruglerio de Pedecanibus, Ambroſio Piperario, Anzelerio de Paterno, Bernardo Arigono, & Antonio de Manzipedibus, Antonio de Quadris, & Dominichino de Mozanicha, factus fuit omnium ibi familiarum cenſus. A. C. 1277.

Et Otho Vicecomes ſecum junctis Philippo Lan-
D guſco protectore Papienſium, & Simone Locarno Novicomenſium, ac eorum, ac Novarienſium, & aliorum ſecum confœderatorum copiis capto Leuco cum tota ibi Riperia, & in eum profectis Neupalione, & Corrado patre, & filio, & Franciſco, & aliis ex familia, & factione Turrianorum, & eorum agminibus, & utrinque pluries ibi conſertis manibus, & die XXI. Januarii, & ſolemnitatis divæ Agnetis prope Deſium, diſtans Mediolano per milliaria decem, eos profligavit, Neupalione, & Franciſco, & Pontio Amato Cremonenſ. pro eis Mediolani prætore, & multis aliis ex eorum familia & factione occiſis, ac Napo, & Corrado cognominato Muſca, Guidone, Henrico, Lombardo, & Caverna etiam Turrianis, & nonnullis aliis captivatis, & ductis Novicomium, & ibi carceratis, Napoque incluſo in cavea ferrea. Et Caſſo-
E nus Turrianus ex Canturio, ubi reliqua acie ſubſtiterat una cum Olderaldo Tangentio illic prætore, dum tentaſſet, & nec potuiſſet Mediolanenſes in ejus auxilium allicere, diffiſus viribus ſuis aufugit Laudam, & inde Cremonam, & illinc, cum non fuiſſet ibi receptus, ivit Parmam, & multi ex ejus factione aufugerunt Mediolano, ubi Turrianorum domus fuerunt demolitæ, & conceſſa bona Valvaſſoribus, & Cathaneis, & facti pro Othone prætores duo, ſcilicet Languſcus patritiorum, & Locarnus popularium, & Gulielmus de Puſterla, & Corradus
F de Caſtione capitanei, & Marcellini, Mirabilii, & Cuſſani fautores Vicecomitis in ejus gratiam recepti inter ibi patritios. Et Joannes Galeatius ex Matthæo, & Bonacoſa de Burris in lucem prodiit. Et cum dictum fuiſſet centum Patarenos & Gazaros orare pro Turrianis in eorum Synagogis, fue-



Ssss 2

fuerunt capti, & ducti Veronam, ubi multi perierunt, multique publice fuerunt cremati. In universo fere orbe tunc vigente penuria, & sæviente epidemia, & die XXVIII. Julii facto terræmotu, quo multæ ædes Mediolani corruerunt.

A. C. 1278. Anno subsecuto, quo non fuit nix aliqua, & adhuc viguit penuria, & sævit pestis, Cremonæ prætore Gerardino de Buxeto, seu Rolando de Ardigeriis Parmense, & mox Anselmo de Rivolis filio Pagani Bergomense, cum Raymundus & Cassonus Turriani ibi morarentur, & occupassent arcem Montis Orphani, & Otho Vicecomes intenderet eos illinc expellere, & obsessa ea arce, Vistarini & Antegatii ex primoribus Laudensium, & factionis Vicecomitum, cursitarent ac diriperent agros Laudensium, Turriani vocati in eorum auxilium coacta multa militum manu illuc ducentum equestribus, & quinque millibus pedestribus profecti arcem ipsam expugnarunt, ac Tricium, Vaprium, Melignanum, Landrianum, Cassanum, Trivilium, Brugnanum, Caravagium, ac Cremam præter ibi Ripam altam ceperunt, eamque, & totam Insulam Fulcheriam diripuerunt, ac ferro & igne vastarunt una cum agro Papiensium, Bergomumque expugnarunt, Vicecomitibus sibi frustra resistentibus, & facto utrinque prælio ad vicum sancti Donati eos profligarunt, Mutio Soresina, Gaspare Vicecomite, & Antifossa Vercellino, & aliis XXIV. tribunis militum, & quamplurimis aliis equestribus, & pedestribus ex eorum acie captivatis, Othone alia manu expedita militum usque Cassanum in illos progresso, illorumque exercitu suo numerosiore conspecto, regresso ad vicum Gorgonzolæ, & illuc supervenientis Turrianis, ingresso turrem ibi templi munitissimam, progressi sunt usque ad portam Ticinensem Mediolani, & ibi castra firmarunt, & Mediolano præsidio munito, & nemini illic factionis suæ ad illos accedente, ut sperarant, retrocesserunt, & transgresso flumine Abduæ ad Brugnanum expugnandum contenderunt, & dum Gulielmus Marchio Montisferrati per Othonem in sui auxilium accersitus, & sibi data multa pecunia factus ejus dux supremus per quinquennium, Mediolanum profectus sit, & per eum, & Langusceum, & Ruscam ibi prætores instructo exercitu, & ad Vaprium oppidum castris metatis, ibi arcem oppugnassent, & circumvicinis agris direptis, ac igne & ferro vastatis, instaurato ad Ticinum ponte ultra Abduam trajecissent, Bergomensibus se interponentibus factis induciis, utrinque tractata fuit pax ad Melignanum, auctore Corrado Castillionæo, his conditionibus, ut Bipanna & Vapriana arces apud ipsum & collegium mercatorum Mediolanensium dimitterentur custodiendæ, omniaque bona paterna Turrianorum eis restituerentur præter loca munita, quæ deponi deberent penes utrinque confidentes, potestasque esset eis habitandi in agro Mediolanense, ubi eis libuisset, & captivi utrinque dimitteretur absque pretio, eis, quos penes se haberent Turriani, consignatis per ipsos Gulielmo, ut prius non solverentur, nisi dimissis suis, qui erant in arce Baradelli Novicomii; & Locarnus, & Rusca, & alii Novicomenses, penes quos erant, cum id facere recusassent, nec Turrianis quoque bona, quæ erant penes illos, quibus donarat Otho, restituerentur, in gratiam agnatorum suorum, ac Soresinarum, Mandellorum, Pusterlarum, & Cribellorum, Turriani decepti ex agro Mediolanense abierunt. Et Napus fœda illuvie, & morbo pediculari, & vitæ tædio post menses decem & novem, & dies XXIII. quibus stetit in cavea, periit, ejusque cadaver sepultum fuit in æde divi Nicolai Novicomii, & illinc ad biennium Lombardus & Caverna eum secuti sunt.

A. C. 1279. Anno subsecuto, Cremonæ prætore Capitaneo Frisco de Baldis Florentino, & mox Gravedono

A de Lovisonis Rhegiense, Dovariæ illinc expulsi iverunt Soncinum, eoque occupato ope Brixiensium Cremonæ fuerunt restituti, & dum ipsi, ac Pallavicini, & Gulielmus Marchio Montisferrati tuerentur Vaprium, Turriani eorum factione Guidone Turriano Patriarcha Aquilejæ, & Episcopo Novicomii duce illud occuparunt, & dum Gulielmus expugnarit, & solo æquari jusserit oppidum Fori Licinii, Papienses diripientes agrum Laudensem, eum aggressi fuderunt. Et Divus Albertus Bergomensis ex pago Aonii, seu Ollii, agri Bergomensis profectus Cremonam dimissis quibuscunque bonis, quæ in eo pago habebat, ad evitandam molestiam, quæ sibi inferebatur per Suardos ex primoribus Bergomensibus, ut sibi concederet

B fundum perticarum circiter XL. in eo pago situm, & per eum assumpto habitu Religiosorum tertii Ordinis Prædicatorum divi Dominici una cum Religiosis Conventualium divi Francisci, commorantium tunc in ædibus divi Gulielmi, ut præfertur, vitam suam ducendo summa cum abstinentia, vigiliis, orationibus, jejuniis, & aliis operibus piis incumbendo, & sibi victum acquirendo laborerio lanificii, & lucrum, quod ex eo faciebat, dividendo cum pauperibus, & dum illinc novies profectus fuerit Romam ad ibi visitandum reliquias Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum, quæ ibi asservarentur, & octies in Hispaniam ad visitan-

C dum reliquias divi Jacobi etiam Apostoli ibi apud Galegorum urbem asservatas, die Dominica VII. Maji sumpto ven. Sacramento Eucharistiæ è manibus presbyteri curati ecclesiæ divi Syri, nunc Sepulchri, ex hac vita migravit, & ejus corpus sepultum fuit in ecclesia parochiali divi Matthiæ, in cujus parochia habitabat, & in qua reperitur & colitur, Pontio Ponzono tunc Vicario episcopali Cremonæ, & ob miracula, quibus vivens, & mortuus effulsit virtute omnipotentis Dei ex ordine Joannis XX. tunc summi Pont. his auditis, & annotatis, fuit descriptus inter sanctos Confessores, & & ejus memoria quotannis celebratur Cremonæ ea die obitus sui.

D Anno redemptionis humani generis 1280. Cremonæ adhuc prætore Gravadono Luisono Rhegiense, & mox Ugolino de Savignano Mutinense, A. C. 1280.
die XXV. Januarii fuit maximus terræmotus, & hora nona eclipsis solis, quæ duravit duabus horis, & ea finita apparuit luna coloris nigri, & visus draco longa cauda volare per aera, & ex pruina, quæ die Jovis X. Aprilis cecidit, vites, ac sementa tunc pendentia in agris aruerunt, eoque mense cœperunt pluviæ, quæ durarunt per duos menses fere continuos, ex quibus aquæ fluminis Padi adeo creverunt, ut trabatæ pontis, quo conjungebatur, fractæ remanserint, & plurimis Cremonensibus necesse fuerit altiora conscendere; & etiam de mense No-

E vembris Tyberis crevit, & urbem inundavit, & cœpit dura fames, & mox secuta est epidemia, qua infiniti mortales perierunt.

Anno altero Otho Vicecomes, suborta discordia A. C. 1281.
inter eum ac Turrianos, auxilio Soresinarum, Mandellorum, ac Pusterlarum, Gulielmi Montisferratensis, Simonis Advocati Vercellensis, Gulielmi Brusati Novariensis, Antonii Langusci Papiensis, Simonis Locarni, & Eleutherii Ruscæ Novicomensis, coacto exercitu triginta millium pedestrium, & sex millium equestrium profectus est Vaprium occupatum per Turrianos, & dum illuc Cremonenses, eorum duce Lazaro de Lazaris Pistoriense, ac Laudenses & Parmenses properassent in auxilium

F Turrianorum, ibi habentium quatuor millia pedestrium, & bis millia equestrium ex Illyrio, & Istria, & regionibus circumvicinis coactos, Cassono & Raymundo ducibus, ibi utrinque commisso prælio die XXIV. Junii profligavit, Turriano Cassono, & aliis tredecim agnatis, & quinque centum factio-

factiosis suis occisis; & Gottifredo etiam Turriano obruto in Lambro flumine, & octo centum captivatis, & ductis Mediolanum, inter quos fuerunt duces Parmensium & Cremonensium, & Raymundo suis, quibus substiterat Laudæ, illinc aufugiente Aquilejam, ingressus agros Cremonensium & Laudensium, eos prædæ exposuit, & mox auctore Gulielmo Marchione cum Cremonensibus castrametante in agro Laudense de mense Septembris pacem inivit cum Turrianis, & aliis factionis suæ, sibi utrinque restitutis curribus olim sibi vicissim ablatis. Et Guido Turrianus tunc ex arce Baradelli, in qua carceratus fuerat, aufugit. Et Corradus de Cavalcabobus, dum factiosi sui occupata per Dovarias arce Cremonæ, ibi prætore Gerardo de Arcellis Placentino, vellent domos Dovariensium, & aliorum factionis suæ Gibellinæ diripere, & evertere, id prohibuit

A.C. 1282. Et anno proximo die tertia Januarii, Cremonæ prætore Federico de Lavello, seu Gerardo de Arcellis Placentino, & mox Gerardo Bajardo Rhegiense, Dovariæ occuparunt Soncinum, & mox Romanengum ope Gulielmi Montisferratensis, & Soncinatum adversariorum Vicecomitis, moto bello Laudensibus & Cremonensibus contrariæ factionis, eorumque agris direptis per Gulielmum. Et per Cremonenses, Mediolanenses, Parmenses, Placentinos, Brixienses, Mantuanos, Mutinenses, & Rhegienses factionis Guelphorum, factis incursionibus de mensibus Aprilis & Maji, electo per Cremonenses eorum prætore per novennium eo Gerardo de Bajardo, in agros contrariæ factionis, Turriani & alii suarum partium fecerunt inducias cum Othone Vicecomite, ejusque adhærentibus, concesso Turrianis castro Fori Licinii, & Gulielmo Novicomense facto eorum protectore per decennium, & mox indignato in Vicecomitem, in ipsius odium illis de Sorexina valde sublimatis, & Joanne de Podio Vicario suo constituto Mediolani, & Otho Vicecomes eum illinc expulit die xx. Decembris, ejusque loco constituit Ubertum Bechariam Papiensem, & Jacobum, & Carolum Sorexinas, & Terzagos, & Balbos inde relegavit, & Guidono Castillionæo, & Pusterlis invicem conciliatis, & cum eis, ac Carchanis, & Mandellis, & Modœtiensibus contracta pace.

A.C. 1283. Anno sequente Cremonenses cum Mediolanensibus, & Placentinis, & Brixiensibus fecerunt pacem, & communi sumptu Guelphorum Galliæ Cisalpinæ elevari fecerunt turrim omnibus fere turribus totius orbis sublimiorem hoc biennio, etiam ecclesia ibi cathedrali ampliata, & facta honoratiore, leone Othonis super ea turri imposito liquefacto, & ex eo pomo confecto, & super pinnaculo ipsius apposito, & ad ipsius imaginem fabricatis quatuor leonibus ex marmore, & ex eis duobus appositis ad portam majorem, & aliis duobus ad aliam portam versus Septentrionem ipsius ecclesiæ ad conservandam memoriam leonis olim prostrati ad pedes Herois Gallici, & dum periisset, ejus ossibus expositis in fundamentis ejus turris, instaurata ipsa civitate, postquam diruta fuisset per Angilulphum Longobardum, Heroe auctore, (ut præfertur) & ad indicandum civitatem ipsam suppositam esse astro Leonis. Et Guidottus de Archidiaconis Cremonensis factus fuit dux supremus Mediolanensium.

A.C. 1284. Anno subsecuto maxima fuit annonæ ubertas, ut sextarium tritici venditum fuerit pretio soldorum octo, & vini quindecim, & nec aliqui reperiebantur, qui vellent laborare.

A.C. 1285. Anno 1285. Matthæus Vicecomes factus fuit protector Mediolani per Othonem Vicecomitem ejus patruum, & Turrianos in eos accersitos per Novicomenses in sui auxilium, & ingressos Seprium, adversus illos acie sua profectus illinc expulit, per Novicomenses in gratiam Gulielmi Montisferratensis expugnata Derthona, ab eo ibi illius præsule occiso, dimissis Musca, & Hernescho Turrianis penes eos carceratis, & mox Petro Ruscono auctore, & instigante Vicecomite inde expulsis, & profectis Aquilejam.

A.C. 1286. Anno altero Cremonenses, Novicomenses, Brixienses, ac Turriani, & alii factionis Guelphæ ex Gallia Cisalpina occupata per Gibellinos turri eminentiori Cremonæ illinc expulsis Guelphis auspiciis Rodulphi Cæsaris, cum Vicecomitibus, ac Mediolanensibus, & aliis factionis Gibellinæ pacem contraxerunt medio Lantelmini de Benzonibus J. Cons. Cremonensis nuncupati Justi. Et Otho Vicecomes constituit duces suos Matthæum ejus nepotem, & Othonem de Mandello, & Gottum de Pusterla, sed Matthæus aliis expulsis solus remansit, & Mandellus ei movit bellum, in Italia tunc vigente annonæ penuria.

A.C. 1287. Anno sequente die XI. Aprilis fuit magnus terræmotus Cremonæ, Laudæ, & Mediolani.

A.C. 1288. Et anno secuto, Cazacomite Summo Cremonæ præsule mortuo substitutus fuit Pontius Ponzonus etiam Cremonensis. Et Religiosi Ordinis Prædicatorum divi Dominici habitis domibus, & ecclesiis divi Martini, & divæ Agnetis in ipsa civitate, in eas ex ædibus divi Gulielmi constructis in suburbiis, in quibus habitabant, se receperunt, ipsasque ampliarunt, ibi constructis templo & monasterio valde magnificis, & etiam circa illud tempus Religiosi Ordinis Minorum divi Francisci ex eisdem ædibus divi Gulielmi se receperunt in ipsam civitatem, & sibi etiam construxerunt templum & monasterium valde magnifica, in quibus nunc habitant.

A.C. 1290. Anno 1290. Cremonæ, ibi mortuo Pontio Ponzono ejus præsule, Bonitio sanctæ Rom. Eccl. Card. subrogato, Vicecomites, & alii factionis Gibellinæ habuerunt comitia, & elegerunt ducem supremum Matthæum Vicecomitem, & Gulielmum Montisferratensem bello Astenses infestantes. Et Cremonenses una cum Placentinis adversus Papienses profecti sunt, & positis castris juxta flumen Bordoentium ad limites agri Placentini & Papiensis, dimissi fuerunt per Placentinos illic nulla re facta reversos Placentiam, & ibi sibi constituto protectore perpetuo Alberto Scotto, Alberto Fontana ejus socero annitente.

A.C. 1291. Anno altero infiniti Turcæ & Saraceni in Oriente, ubi dominabantur, ex epidemia mortui sunt.

A.C. 1292. Anno sequente Rodulphus Cæsar anno imperii sui XIX. obiit Spiræ, & ejus cadavere sepulto ibi in ecclesia cathedrali, Adaulphus, seu Adolphus, Comes Alsatiæ de Nassau, fuit substitutus suffragio præsertim fratris sui præsulis Moguntiæ, & in Gallia Cisalpina constituit Vicarium suum Matthæum Vicecomitem; mense Majo ex pluviis, quæ præter modum è cœlo ceciderint, aquæ fluminis Padi adeo creverunt, ut tertia ferme parte Cremonæ, Mantuæ, & Ferrariæ ab eis inundata, & foro majori Cremonæ occupato necesse fuerit de mense Junii, quo duravit inundatio, altiora conscendere, Othone Vicecomite præsule Mediolani etiam tunc mortuo. Et Cremonenses receperunt castrum Martinengi Bergomensium, & muniverunt arcem castri Covi, & Rumenengum.

A.C. 1295. Anno 1295. Cremonæ fuit prætor Thomas de Saxolo Mutinensis.

A.C. 1296. Anno altero Matthæus Vicecomes, dum Cremonenses & Laudenses, ab eo præter modum gravati, per ipsum facto recessu una cum Turrianis, Castilionæis, & Carchanis sibi infensis, obsedissent Castillionum, in eos profectus ipsos inde expulit.

A.C. 1297. Anno sequente, Cremonæ prætore Brunetto de Brunadeschis, & capitaneo Bertatio de Guinzinellis,

lis, & consulibus Gulielmo de Pistoribus, Cabrino de Olzula, Gerardo de Gambis, Petro Stangha, Gratiolo Verdello, Raymundo de Gambara, & Egidio de Maiamonte, obiit Bonitius ibi episcopus, eique substitutus fuit Raynerius.

A. C. 1298. Anno secuto ex jussu ibi rectorum de mense Julii fuerunt decapitati publice Manzinus de Manzatoribus ex sancto Miniate Hetruriæ, & Brambaninus de Archidiaconis, & Rolandinus de Natalibus.

A. C. 1299. Anno subsecuto die ultima Augusti Cremonenses & Mediolanenses invicem fecerunt pacem. Et Religiosis Carmelitarum D. sanctæ Mariæ concessa ecclesia parochiali divi Bartholomæi Cremonæ cum ejus domibus, nonnulli ex eis se contulerunt habitatum in ipsas, quas ampliarunt.

A. C. 1300. Anno Redemptionis humani generis 1300. Matthæus Vicecomes, dum Azo Estensis, Marchio Ferrariæ, ac Mutinæ, & Rhegii, & vexillifer Ecclesiæ, profectus cccc. equestribus, & quinque millibus pedestribus Cremonam, & inde Cremam cum Cremonensibus, Bergomensibus, & Henrico Moncontiaco sibi fœderatis, irrupisset agros Insubrum, eis cum factione sua Gibellinorum obvius factus utrinque collatis signis apud Abduam flumen in agro Cremonense, in quem pedem retulerant Azo & socii, ipsos superavit, & mox inita pace cum Azone, Galeatio primogenito suo locavit uxorem Beatricem filiam Azonis, & R. Nini Galluræ olim Tyranni Pisarum, & Judicis Sardiniæ die prima Julii, jam desponsatam filio Alberti Scotti Placentini, & ex qua & Nino in lucem producta fuit Joanna, mox nupta Gerardo Caminati tyranno Trivisii; & viguit annonæ gravis penuria.

A. C. 1301. Altero anno Brixienses, dum illorum extorres Gardo per eos obsesso diffisi eo potiri, Cremonam se recepissent, ob id indignati facta irruptione in agrum Cremonensem, eum ferro, ac igni, & prædæ exposuerunt usque Cremonam.

A. C. 1302. Anno sequente Matthæus Vicecomes, constitutus Vicarius per Albertum Cæsarem in Gallia Cisalpina, juncta sibi acie Azonis Estensis cursitavit, ferroque, & igne vastavit agros Papiensium usque Papiam, & percusso fœdere, & coacto multo exercitu in eum die XIV. Junii per Cremonenses ac Placentinos, eorum duce Alberto Scotto, Papienses Philippo Langusco, Laudenses Antonio Fisiraga, Vercellenses Simone Advocato, Novarienses Gulielmo Brusato, Novicomenses Corrado Rusca genero Petri Vicecomitis, Scaligeros Veronæ Regulos, Gulielmum Pusterlam, & plerosque Cathaneos, & Valvassores Mediolani, & Bergomenses expulsis ex Bergamo Gibellinis, & alios factionis Guelphæ in Gallia Cisalpina, & per ipsos facta conjuratione in gratiam Petri Vicecomitis in Matthæum indignati, quia eum carcerari fecerat, & cum die XIV. Julii agmina utriusque factionis apud Melphum coacta essent concursura, facta irruptione per Scottum & alios in Ducatum Mediolani copiis eorum, ac Turrianorum illuc profectorum ex Aquileja septuaginta equestribus, Vicecomes ipsius acie eis occurrit, & ibi deposuit dominium persuasionibus Scotti, & dum juxta conventa inter eos vellet redire Mediolanum, ab ipsis in templo illic captivatus fuit, & Galeatius ejus primogenitus expulsus ex Mediolano, illuc introductis Turrianis Muscha eorum duce, & ut fœdus inter eos duraret, Simoninus Turrianus duxit uxorem filiam Petri Vicecomitis, & Franciscus agnatus suus neptem Scotti, & Guido quoque Turrianus filiam Langusci, etiam conjunctis invicem affinitatibus per Vicecomites, Pusterlas, Cribellos, & Clusianos, & nec multo post mortuo Muscha, superstitibus Castono, Pagano, Raynaldo, Odeacre, Napo, & Meschino filiis, successit Guido frater, qui Mediolani constituit prætores Bernardum Scottum, Antonium Fisiragam, & Pinum Vernatium Cremonensem, & ducem supremum Gulielmum Brusatum, & ope Alberti Scotti suppeditavit Placentiam, & ibi constituit prætorem Passarinum Turrianum, & Matthæus illuc profectus fuit.

A. C. 1303. Et anno secuto ingressus ejus acie agros Insubrum, ac Novicomensium, eos prædæ exposuit, ac ferro & flamma evertit usque mœnia Novicomii, & tentavit ingredi Mediolanum, Azone ejus nepote ex Galeatio ipsius filio tunc in lucem producto Ferrariæ. Usbertus Foliata J. C. Cremonensis tunc leges docuit Perusii, publico stipendio illuc conductus, & qui prius ibi aperuit gymnasium, & ex Cremonensibus Federicus de Ponzonibus factus fuit prætor Mediolani, & Sinibaldus Burghus Placentiæ. Fuit magna aeris siccitas, ut terra nil boni produxerit præter vinum in multa copia.

A. C. 1304. Anno subsecuto Albertus Scottus, dum Ubertinus Landus, Vicecomes Pallavicinus, & Lancelottus Anguissola contrariæ factionis, fuissent restituti Placentiæ, ob id indignatus, ex ea expulit Turrianos, ac Tegagnanum Pallavicinum eorum ibi prætorem, & occupavit ipsius dominium, & dum ex Cremonensibus, Mediolanensibus, Papiensibus, & aliis factionis Guelphæ in Gallia Cisalpina Cremonæ habitis comitiis de mense Maji sex millia pedestrium, & equestres quatuor centum eorum duce Juliano Mariano Cremonense incursatis, & direptis agris Placentinorum, obsedissent Scottum in civitate Placentiæ, Brixienses factionis Gibellinæ, & fautores Alberti, occuparunt Brixiam una cum Monticello & Pontisvico, illinc expulsis Guelphis, & ut diverterent Cremonenses ab obsidione Placentiæ irruperunt eorum agrum.

A. C. 1305. Anno Natalis Dom. 1305. Raynerio episcopo Cremonæ mortuo substitutus fuit Gerardus de Madiis: qui cum esset ex primoribus patritiis Brixiæ, illinc, ut comprehendi ex fragmentis auctoris incogniti mihi datis, ac ut opinor, asportari fecit Cremonam ossa divi Arealdi, martyrio Brixiæ affecti anno circiter CXXXIV. Adriano imperante, & in templo ad ejus memoriam erecto in vico ibi Omnium Sanctorum reposita. Et inde anno 1484. Isaaco Restallo, ex Canonicis ecclesiæ c--thedralis Cremonæ, procurante in eam translata, & in pariete dextro Sacelli, in quo est altare dicatum Sacratissimo Corpori Christi, & olim divo Hieronymo, & in parte superiori juxta chorum ipsius ecclesiæ, & mox translata in partem ejusdem subterraneam, & locata in arca marmorea ad id fabricata cum altare ei dicato, præter ejus caput asservatum in tabernaculo araminis deaurato ad id etiam laborato, & tento in armario, in quo asservantur reliquiæ aliorum Sanctorum post altare dicatum divo Joanni Baptistæ, una cum ibi sacello ad partem sinistram ejusdem chori, & ejus divi Arealdi memoria celebratur Cremonæ quotannis die prima Septembris, qua ipsa ossa ducta fuerunt è Brixia Cremonam.

A. C. 1306. Anno altero die XXIV. Januarii ex immenso frigore Padus, & alia flumina Italiæ, ac Galliæ, glacie concreta fuerunt, & ex Vesuvio monte flammæ igneæ emissæ.

A. C. 1307. Anno sequente Mediolanenses, eorum duce Guidone Turriano, & Jacobo Cavalcabove Cremonense eorum prætore, de mensibus Maji & Julii bellum gesserunt cum Cremonensibus.

A. C. 1308. Qui anno proximo, Gerardo Madio eorum præsule mortuo, eique substituto Egidiolo de Bonseriis Cremonensi, cum Mediolanensibus factionis Guelphæ flumine Ollii trajecto transiverunt in Brixienses, Mantuanos, & Veronenses diversæ factionis, eorum duce Giberto Corrigiense; & dum Rolandus Rubeus, & alii factionis suæ, de mense Aprilis Parmam occupassent, & Corrigienses habitis copiis auxiliaribus à Veronensibus, & Mantuanis, ac Scaligero factionis suæ, & Rubeus à Cremonen-

nensibus etiam factionis suæ, eisque coactis apud Vignolam ad fines agri Rhegiensis, & Parmensis, ibi prælio concurrissent mense Junio, & Rubei succubuissent, Corrigiensis Parmam recuperavit inde expulsis Rubeis, & adhærentibus ex eis jussis decapitari triginta, & mox contracta pace inter utramque factionem, unusquisque rediit domum, Cremonæ exercente præturam Odofredo Piperario ibi patritio pro Bassiano de Fisiraga Laudense ad eam electo, & per ipsum ea recusata. Et die XI. Maji in Italia conspecto in aere ab Aquilone versus Meridiem globo igneo, & in ædibus, ac templo Lateranensibus Romæ, orto incendio, ex eoque omnibus combustis, & in ipso & templo divi Pancratii visis multis prodigiis, Albertus Cæsar, dum intenderet movere bellum Henrico Duci Carinthiæ, qui adhuc occupasset Boemiam, & die prima Maji solatii gratia paucis comitatus à prandio equester ex Clusa Elvetiorum vico iret Rayfredum inter Rixam & Arulam flumina, altero trajecto, facto in eum impetu per Joannem filium Rodulphi Comitem Cheburgi nepotem suum, Rodulphum de Viarda, Gualterium de Exaltiot, & Oldericum de Paleno proceres Austriæ, & per Rodulphum retento equo Alberti, eique pugione cuspim illato vulnere in gutture, & mox per ipsos omnes nonnullis aliis inflictis vulneribus non longe Rheno flumine per ipsos fuit occisus, ejusque cadaver illinc translatum Spiram, ibi in ecclesia cathedrali, seu monasterio ab ipso fundato, sepultum fuit, superstitibus Federico, Othone, Rodulpho, & alio Alberto, ac Leopoldo, & aliis ad numerum viginti & unum susceptis ex Elisabeth ejus prima uxore, filia Raynaldi Ducis Carinthiæ, & Comitis Tiroli, & Goritiæ, dum esset annorum LX. & imperasset annis decem. Et Henricus VII. filius alterius Henrici ex Beatrice Comitissa Annoniæ Comitis Norimburgi, valde infestus Guelphis, in gratiam summi Pont. die prima Novembris electus fuit Cæsar ex voto præsulis Treverensis fratris sui, & per Clementem V. summum Pont. Guasconem confirmatus, ad eum transmissis legatis Com. Sueviæ, & fratre Guidonis Com. Flandriæ.

A. C. 1309. Et anno subsecuto die prima Januarii coronatus Aquisgrani invito Philippo, Gallorum Rege, annitente Carolum Valesii Com. ejus fratrem creari Cæsarem, mox in Alsatia de mense Aprilis coronatus Rex Germanorum assistentibus Cardinalibus Pratense, & Flisco, & Duce Brabantiæ, & Comitibus Flandriæ, & Analdi, & quamplurimis aliis Principibus Germanis, & Italis, & Lucimburgum erexit in Ducatum, & procuravit Adaulphi & Alberti præcessorum suorum cadavera ex locis, ubi occisi fuerant, deferri Spiram, & in ecclesia ibi cathedrali tumulari, & Joanni filio suo nupsit Elisabeth filiam Vincislai, Regis Boemiæ, cum dote ipsius regni, moto bello Henrico Com. Cornubiæ ipsum occupanti Joanne ipso, ac Petro Coloniæ ducibus comparato exercitu ex Francis, & Bavaris, & ex Boemia expulso Henrico, eo regno vendicato post multa prælia ibi utrinque facta, & Joannem occisorem Alberti præcessoris sui sibi supplicem jussit ingredi religionem, & qui ingressus religionem divi Augustini Pisis, ibi eam professus fuit, ac periit, & Federicum filium Alberti constituit Ducem Austriæ.

A. C. 1310. Et anno 1310. ex Gallia per montes Taurinos descendit in Italiam exercitu, & ibi honoris gratia Philippo Langusco Papiæ, Simone Collubiano Vercellarum, Antonio Fisiraga Laudæ, & omnibus aliis fere regulis Galliæ Cisalpinæ ei occurrentibus, die decima Novembris profectus fuit Astam, in quam cum se recepissent Matthæus Vicecomes, & alii de ejus familia, & Castonus Turrianus præsul Mediolani, & Napoleon frater, & alii eorum agnati dempto Guidone Turriano, & expulsi per

A eum Mediolano die prima Octob. ibi die quarta Decemb. invicem se reconciliarunt, & illinc Henricus per Vicecomites, & Turrianos, & alios regulos ductus fuit Mediolanum, quo applicuit die XIV. Decembris, & cum Guidone illud copiis ingresso, in cum ibi diversæ factionis incolæ essent concursuri, eis sedatis ipsum ingressus, Joanne della Calza Gallico magistro suo militiæ, Guidoni concessit Vercellas, ac Galeatio Vicecomiti filio Matthæi promisit turmam equestrium, & cum omnes fere civitates Galliæ Cisalpinæ se ei subjecissent præter Alexandriam, ex consultoribus Reip. Cremonensis Joanne de Donellis, Nicolao de Claro, Gerardo de Gosalengo, Jacobo de Gorenis, Alberto de B Caresinis, Bartholomæo de Capellis, Gabrino de Scovalochis, & Vetulo de Viscardis.

Anno altero coronam, quam Mediolani accipere debebat, accepit una cum Margarita ejus uxore, filia Ducis Brabantiæ, à Cassono Turriano ibi præsule die VI. Januarii, & solemni Epiphaniæ, ibi existentibus præsulibus Treveris, Basileæ, Constantiæ, Ravennæ, Brundusii, Lucæ, Thebarum, Sanctæ Helenæ, Cerviæ, Tridenti, Genuæ, Brixiæ, Vercellarum, Novariæ, Bergomi, Laudæ, Aquense, Patavii, Vincentiæ, Trivilii, Veronæ, Mantuæ, Rhegii, Mutinæ, Parmæ, Placentiæ, Cremonæ, Papiæ, & Novicomii, & Leopoldo Duce Austriæ, & supremo duce Henrici habente C custodiam civitatis, duobus Delphinis Galliæ, Theodoro Montisferrati, Manfredo Salutii, ac Careti, Malaspinæ, & Lunesanæ Marchionibus, & Henrico Flandriæ, Langusci, & Campesii, ac Philippo Sabaudiæ Comitibus, & ex quibus Philippus erat cognatus Henrici, ac Legatis Romæ, Pisarum, Genuæ, Placentiæ, Veronæ, Mantuæ, Brixiæ, Bergomi, Parmæ, Laudæ, Papiæ, Cremonæ, Vincentiæ, Trivilii, Novariæ, Vercellarum, Yporegiæ, Patavii, Novicomii, Rhegii, Mutinæ, & multarum aliarum urbium Italiæ, ac Vicecomitibus, & Turrianis, & aliis ducibus utriusque factionis, & per eum creatis multis Equitibus, inter quos fuit Federicus Ponzonus Cre- A. C. 1311.
D monensis. Et cum mox imposito tributo aureorum ducentum millium Mediolanensibus, quod ab eis exigeret Nicolaus de Bonsignoribus Senensis illic prætor pro Henrico, ipsi ob id indignati, & etiam quia sinistre tractabantur & gravabantur multo sumptu per milites Henrici, sumptis armis die decima Februarii in illos ex illis, & præsertim Germanis per civitatem vagantibus, multos occiderunt, inter eos, ac alios milites, introductos per Henricum in urbem ex ejus suburbiis, ubi habebant castra, ac Mediolanenses commissa pugna, & Henricus jussit per suos milites diripi Mediolanum, & coram se vocari duces ibi factionum. Et cum Galeatius Vicecomes multis comitatus coram eo comparuisset, E & conjecta omni culpa in Turrianos, quos asseruisset affectare ibi reassumere tyrannidem, & per eum, & alios factionis suæ secum junctis Germanis commisso prælio cum Turrianis apud plateam sanctæ Mariæ Pavonum, eisque ex ipsis occisis quatuor, & ex suis factiosis triginta, inde expulsis, & profectis Vercellas, ex Mediolano relegavit Matthæum Vicecomitem Astam, & Galeacium Trevisium, & cum Advocati occupassent Vercellas, Philippus Languscus, & alii factionis suæ Papiam inde expulso Matthæo Becaria, Vitani Novicomium inde expulsis Rusconis, Advocati Novariam inde expulsis Brusatis, & Tornielis, Gulielmus F Cavalcabos Cremonam inde expulsis Dovariensibus, & Jacobo Redenasco, Theobaldus Brusatus Brixiam inde expulsis Federico ibi episcopo, ac Bartholomæo de Madiis, Fissiragæ Laudam inde expulsis Vistarinis, Albertus Corrigiensis, gener Philippi Langusci, Parmam illinc expulsis Rubeis, & Venturinus Benzonus Cremam inde expulsis Comiti-

A mitibus Forinovi, Henricus missis legatis Florentiam, Florentinisque admonitis, ne vexarent Aretinos, & Florentiæ sibi, ac exercitui suo pararent hospitium, eoque in ipsorum auxilium transmissis decem millibus equestribus per Robertum Regem Neapolis cum ejus marescalco, non audito, ob hæc indignatus in Guelphos Mediolano abiit exercitu Laudam, & ibi captivatis Antonio & Baxiano Fissiragis, & Antonio de Laqua ducibus illic Guelphorum, inde fuit Cremam, eamque expugnavit, ac mœnibus exsui jussit, illinc aufugiente Venturino Benzono, & mox potitus oppidis arcis libere, ac Romanæ direxit iter Cremonam, & accessit Sorexinam, & ibi noctu hospitatus inde ivit B Paternum. Et cum ibi sibi occurrisset Supramons Amatus, Hymericus de Laude, Carlinus, & Meliolus de Malambertis, Doninus, & Benevenutus, ac Niger de Foliatis, Nicolinus, & Zefredinus de Roncarolo, Ottolinus de Moscardis, Cabrinus de Nigello, Jacobinus Aroldus, Marcus Mapheus, Ubertus de Burgo, Ravarinus, & Illariolus de Bellottis, Thomasinus Zanebonus de Stanghis, Thomasinus de Divitiolis, Jacopinus Sissa, Philippus de Piperariis, Thomasinus de Azanello, Joanninus de Gadio, Federicus, & Gulielmus de Guazonibus, Corradinus de Sfondratis, Thomasinus de Piscarolo, Nicolinus de Cavaleriis, & Balthasar de Picenardis factionis Guelphæ Gulielmo, C & Jacobo fratribus, & aliis de familia Cavalcabovum, & Ponzino Ponzono, Gregorio de Summo, Jacobino de Persico, Leonardo Picenardo, & multis aliis eorum adhærentibus profectis Vitellianam metu Henrici, jussit ipsos detineri per Theobaldum Picardum ejus Irenarcham, & carcerari ibi in arce, & Castrileonis, & Romanengi, & admoto exercitu Cremonæ die XXVI. Aprilis eam quoque expugnavit, & diripi jussit, ipsius arce, & mœnibus, & portis demolitis, & foveis obturatis die ultima Aprilis, Guelphorum domibus eversis ac combustis, & ab ibi incolis exactis aureis centum millibus, & ex ea factione Guelphorum aliis mille ducentum jussis capi, & carcerari in oppidis Castri novi Buccæ Abduæ, Malei, Cottonei, & aliis inde exD pulsis, ejus duce supremo Colla Gallico, & Cremonæ constituto Vicario suo Com. Francisco Capitio, & dum una cum uxore hospitaretur in ædibus divi Laurentii Cremonenses exsuit omnibus regalibus, prolatis in eos duabus sententiis per duos ibi jus dicentes, exsistentes ad fenestras ibi prætorii è regione arengherii, & plateæ majoris, die x. Maji, & si aliqui dixerint Henricum Cremonenses, dum se ei libere permisissent, recepisse in gratiam, qui mox, cum ibi substitisset per dies XIX. die XXIX. Maji ingressus iter versus civitatem Brixiæ, in quam Gulielmus Cavalcabos, & alii ejus agnati, & factiosi ad evitandam iram Henrici cum uxoribus, & filiis, & tota suppellectile aufugerant, per Theo-E baldum Brusatum, & alios factionis Guelphæ illinc expulsis Gibellinis, & captis, & direptis oppidis Soncini, & Urceorum, & universo agro Brixiense depopulato, eam civitatem obsedit die IV. Junii per quatuor menses, & dies XVIII. sex millibus equestribus, & pluribus pedestribus, & cum quo fuerunt Dux Austriæ, Marchiones Montisferrati, & Salutii, Com. Flandriæ, Delphinus Viennæ, Agapetus, & Stephanus Columnæ cum Vicecomitibus, Scaligeris, & aliis factionis Gibellinæ ex Gallia Cisalpina, Flaminia, & Hetruria, & ibi commissis multis levibus præliis cum Brixiensibus, & aliis factionis Guelphorum ibi congregatis ad eam tuendam, & multis utrinque captivatis, & inter F alios Theobaldo Brusato Brixiense, Joanne Struso, & Joannino de Summo Cremonensibus, & Theobaldo, cum tentatus per Henricum ei noluisset prodere Brixiam, ob id eo jubente interempto, & una cum aliis dimembrato, & in eorum ultionem per Brixienses jussis suspendi quinquaginta ex captivatis per ipsos exercitus Henrici, & Valeriano ejus fratre vulnerato, & inde conducto Veronam, & ibi mortuo, eaque civitate dimissa per Guelphos, diffisos viribus suis, illinc ex fuga prolapsos ad montes ibi adjacentes, ipsam se ipsi sponte permittentem medio Lucæ de Flisco Genuensis episcopi Hostiensis, Leonardi Episcopi Albanensis, & Arnaldi Pelaguræ Sabinensis Cardinalium, & legatorum Apostolicorum, ex Avenione illuc transmissorum per summum Pont. cum Germanis, & aliis militibus exercitus sui ingressus fuit die XXIV. Septembris, & jussit domos ibi Guelphorum diripi, dirui, ac comburi, mœniaque urbis solo æquari, & ibi turribus, arcibus, & palatiis publicis publicatis ibi incolas exsuit omnibus privilegiis imperialibus, Equitesque, ac J. C. & Notarios factionis Guelphæ exauctoravit, omnibus ibi imaginibus & statuis humanis naribus amputatis, ut se expiaret hoc actu à juramento per eum præstito de amputandis naribus quibuscunque Brixiensibus, qui sibi occurrissent, ubi expugnasset Brixiam, & in eam restituit Gibellinos, qui præter modum sævierunt in Guelphos, ibi & alibi penuria ac peste sævientibus, & ex peste Guidone Arnutio, & multis aliis mortuis, & sole & luna tunc passis defectum, & insoliti syderis facie, ac luna tergemina cum faciebus variis, & circulis, ac imagine crucis in aere conspectis, & in Italia, & ad partes Septentrionis viso cœlo ardere, & sereno aere, & absque fulgure audito tonitru, & in agro Patavino mula enixa pullum habentem novem pedes, & in Gallia Cisalpina avibus insolitis cum capite cristato, ac plumis cinerei coloris maculis sanguineis distinctis visis devolare, & ad tentorium Matthæi Vicecomitis viro immensæ staturæ, super equo etiam immensæ & inusitatæ staturæ, ad primas vesperas conspecto, & illinc ad triduum duobus aliis equestribus ejusdem staturæ illic supervenientis, & cum ibi manus conseruissent evanescentibus, & facto descensu per viros, & mulieres, indutos saccis ex Gallia Transalpina in Italiam, & qui per eam vagati sunt præeuntibus crucibus, se percutiendo & implorando misericordiam Dei, & discordias componendo, dum vigeret ubertas vini & grani.

Et Henricus, per eum exactis à Brixiensibus aureis sexaginta millibus, & de observanda fide erga eum habitis XL. obsidibus, ex Brixia rediit Cremonam die II. Octobris, & die IV. audita missa in ecclesia D. Francisci, Cremonenses, eorum syndico Federico Archidiacono, recepit in sui gratiam, & ex ipsorum captivis plurimos dimitti jussit gratis, & adhuc transmissis Florentiam Ludovico Com. Sabaudiæ, & Simone Pistoriense, & duobus prælatis, denunciavit Florentinis, ut dimitterent obsidionem Aretii, sed ei noluerunt parere, & ex Cremona destinavit exercitum in Placentinos, eosque ex Placentia expulso Alberto Scotto, duce ibi factionis Guelphæ, & in eam restitutis Gibellinis per ipsos, etiam recepit auctore Cardinale Flisco in sui gratiam, ibi constituto Vicario suo Lamberto Cipriano Florentino, nec non & Parmenses ex eorum urbe expulsis Rubeis, ipsi, dum obsideret Brixiam, transmissa per Gibertum Corrigiensem corona aurea, olim adempta Federico secundo Imperatori in conflictu facto cum eo obsidente Parmam per Parmenses, & eccles. (ut præfertur) transmissis Episcopo Gebenense, & Scaligero CCC. equestribus in Mantuanos, Veronenses, Vincentinos, Patavinos, & Tarvisinos, ipsi omnes se ipsi subjecerunt, & cum eo Veneti quoque percusserunt fœdus, omnes territi calamitate Cremonensium, Cremensium, ac Brixiensium, & die VI. Octobris Henricus ex Cremona abiit Placentiam, & inde die VII. per Papienses Langusco, & adhærentibus expulsis ex Papia, & illuc restitutis Beccariis, & aliis factio-


GVLIELMVS CAVALCABOS,
Cremonensis Vitellianae Marchio,
ac Cremonae Dominus.

factionis suæ, & recepto rectore ipsius Philippo nepote suo Com. Sabaudiæ, illuc ivit, & ibi, dum illic esset, periit Guido filius Com. Flandriæ. Et dum constituisset in Gallia Cisalpina Vicarium supremum Guarnerium Aspurgensem, & Joannem Castronovum rectorem, & Matthæum Vicecomitem Mediolani, Galeatium Placentiæ, Luchinum Bergomi, Matthæi filios, Henricum Flandrensem Laudæ, Franciscum Piccum Mutinæ, Franciscum Capitium Cremonæ, & Philippum Com. Sabaudiæ, & Principem Achajæ, Papiæ, Novariæ, & Vercellarum, & Gulielmum Plantanellum Patavii, Simonem Pistoriensem Cremæ, Gerardum Caminatum Tarvisii, Albertum & Franciscum Scaligeros Veronæ, sibi etiam jure cesso per Comitem Bonifacium pretio librarum centum auri, & Gulielmum Pusterlam Astæ, sibi etiam concessa in feudum insula Fulcheria, & Guidone Cribello facto feudatario Leuci, & locorum circumvicinorum, & Ludovico Vicecomite Seprii, Gerardo de Corrigio Guardastalli, & Passarino de Bonacossiis Luzariæ, Papia abiit, & ipsum comitantibus Philippo Com. Sabaudiæ, & Legatis Pisanorum, & Opizino Spinola, & Bernardo Doria Legatis Genuensium, ivit Genuam, ad quam applicuit die prima Novembris, & ibi invicem sedatis Factionibus, ac habito dominio, illucque restitutis inde exsulibus, Margarita ejus uxor die XIV. Decembris obiit, ejusque cadaver ibi in templo divi Francisci sepultum fuit: & Henricus audivit Legatos Regis Neapolis, ac Federici Siciliæ sibi adversantes, & inde expulsis omnibus ibi mercatoribus Florentinis, illinc transmisit omnes ejus turmas equestres in Lucenses agros, quos diripuerunt, Lucensibus, ac Florentinis, & equestribus Roberti Regis in Lucensem agrum ac Hetruriam destinatis, ut Florentinis, Lucensibus, ac Ferrariensibus assisterent in Henricum, si eos infestare voluisset, & cum essent impares ejus equestribus se continentibus Lucæ, Guido Turrianus, factis incursionibus ejus acie armatorum in agrum Placentinum, Albertum Scottum, qui aufugit in Castrum Arquati, repressit, & Gibertus Corrigiensis bello infestavit Bononienses, & eo auctore Parmenses & Rhegienses defecerunt ab Henrico, & Brixienses, dum idem facere vellent, Canis Scaliger eo profectus sua acie militari repressit de mense Decembris. Summus PP. habuit Synodum Viennæ in Gallia Transalpina die prima Novembris, cui interfuerunt Ricardus Senensis, Joannes Namurtius Cardinales, & CCC. Episcopi, & quamplures alii prælati, & proceres, & ibi addidit Catalogo Sanctorum Ludovicum Andegavensem Episcopum, & ex Religiosis Divi Francisci, & Petrum Moroneum Celestinum nuncupatum, olim summum PP. ac Equitibus D. Joannis, ac aliis Religiosis Equitum tunc inchoatis, concessit bona Templariorum funditus tunc deletorum, quia defecissent ad Saracenos, eorum supremo moderatore, ac multis aliis ex eis ultimo supplicio affectis, ac tentavit, ut bellum indiceretur infidelibus.

A. C. 1312. Anno sequente Gulielmus Cavalcabos, [ejus iconem, ex Ant. Campi *Hist. Mediol.* æri incisam hoc loco exhibemus] & ejus agnati, & sequaces habitis copiis auxiliaribus ad Alberto Corrigiense, ac Florentinis, & ex eorum instigatione secum junctis Brixiensibus extorribus eorum factionis, ingressi agrum Cremonensem, eum diripuerunt turmis equestrium castrametantibus in municipio Casalis majoris, cohortibus autem pedestrium in vico Puthei baruntii, & die XXII. Januarii obsederunt Cremonam, & ibi occiso Jacobo Redenascho ex primoribus tunc factionis Gibellinæ, inde expulsis Dovariensibus, & aliis eorum factionis, ac Passarino Turriano, Joanne Castillionæo ibi Prætore, Galeatio Vicecomite Capitaneo, & Manfredo Marchione Pallavicino ibi ad præsidium mille pedestribus exsistentibus, & profectis Romanengum, Castrumleonis, Rubeccum, & Bordolanum, & cum Matthæus Vicecomes eis non fuisset auxiliatus, ipsam receperunt, & ingressi sunt per portam Mosiæ. Unde Vicecomites ob id indignati Supramonte Amato, & aliis Cremonensibus, jussu Henrici (ut præfertur) captivatis, eductis ex arcibus Paterni, Castrileonis, & aliis, in quibus asservabantur, & ductis Mediolanum, & ibi carceratis, & mortuis, moverunt bellum Cremonensibus, Brixiensibus, Laudensibus, ac Cremensibus factionis Guelphæ. Et Henricus Cæsar superventa maris tranquillitate Genuæ, dum ibi moram habuisset per trimestre, dimisso rectore Ugotione Fagiolano, die XVI. Martii classe Genuensium XL. triremium trajecit Pisas una cum præsulibus Treverense, ac Legionense, Duce Bavariæ, ac Com. Sabaudiæ, ac Sforciense, & Antonio Grimaldo, Guidone Delphino, & Roberto ejus filio, direptisque agris Lucensium & Minatensium, Pisis abiit per agrum Plumbini secus oram maritimam Viterbium, & inde præmisso Ludovico filio Philippi Com. Sabaudiæ D. equestribus Romam, & ex urbe veteri expulsis Guelphis per Gibellinos, illuc ex Viterbio per clerum & populum Rom. eo profectos conductus applicuit die VII. Maji, aliis bis millibus equestribus, & ibi facto convivio, cui interfuerunt Stephanus Columna, Nicolaus Miletus, Annibal de Annibalibus, Joannes Sabellus, Theobaldus de Campoflore, & alii proceres Rom. præter Ursinos, eisque proceribus coactis jurare in verba sua de more, & mox inde expulsis, & arcibus & aliis locis ibi munitis imposito præsidio militum suorum, indixit grave tributum, ob quod utraque ibi factio confugit ad Ursinos degentes in parte illic inferiori adjacente Tyberi, & ex eorum ædibus irrumpentes Ursini, & alii milites in Germanos milites Henrici impositos præsidio, & in urbem introductis adversus Rom. sagittariis Pisanis, quos secum conduxerat, & in illos facto impetu per Joannem fratrem Regis Roberti C. equestribus, ac totidem pedestribus Hispanis, ac Hetruscis illuc profectis in auxilium Rom. & castrametantibus in Aventino monte, & utrinque commisso prælio, in quo episcopus Lugdunensis, & quamplurimi alii fuerunt occisi, succubuerunt Cæsariani, & compulsi fuerunt in fugam, & Henricus, dum decrevisset accipere coronam imperialem in ecclesia ibi divi Petri, ea assumpta die prima Augusti in ecclesia Lateranense à Cardinalibus Pratense, Flisco, & Pelagura, illuc missis per summum Pont. inde abiit Tybur coactus, & Joanne Andegavense egresso urbem ejus acie militari, suadentibus Cardinalibus, eaque pacata dimissa, percussoque secum fœdere per Federicum Aragonensem in Robertum Regem Neapolis, ex Tybure abiit Tudertum per Sabinos, & Umbros, & illinc Aretium, & ad ipsum confluentibus Gibellinis, & Albis Florentiæ, & totius Hetruriæ, & illinc expulsis, & per eos direpta Valle Arni una cum illis die XIX. Septembris admoto exercitu Florentiæ, & positis castris apud S. Salvium, eam defensam per Lucenses, Miniatenses, Bononienses, ac Ferrarienses, & equestres Regis Roberti, obsedit per mensem cum dimidio, & cum ea potiri desperasset, deessetque annona exercitui suo quatuor millium equestrium, & plurium pedestrium hyeme tunc superveniente, inde motis castris die ultima Octobris ivit Donatianum, inde distans per milliaria octo, ubi castrametatus est per bimestre, quo diripi jussit agros Florentinorum, sperans hac via ipsos, qui tunc se subjecerant Roberto Regi Neapolis, suppeditare. Et Patavii tumultu exorto die X. Februarii, ibi occisus fuit Gulielmus Plantanellus illic Vicarius. Et Mantuani, & Veronenses profecti Vincentiam una cum Francisco Scaligero die XI. ipsum ibi constituerunt Vicarium. Et Cremonenses,

eorumque adhærentes factionis Guelphæ, profecti de mense Junii Castrumleonis, illinc expulerunt Gibellinos. Et Philippus Languscus recepit Papiam ibi capto Manfredo Becaria. Et Albertus Scottus, & alii factionis Guelphæ occuparunt Placentiam, illinc Ubertino Lando & aliis factionis diversæ expulsis. Et Galeatius Vicecomes ejus auspiciis ibi factus prætor die XXIV. Julii Scottum ipsum, & alios inde expulit. Et Henricus his auditis declaravit rebelles Imperii, dum esset Pisis, Cavalcabovem, Languscum, Turrianum, & alios qui ab eo defecerant, ac Gibertum de Corrigio feudatarium Guardastalli, & Vicarium Rhegii pro eo, Joannem de Quiritio de sancto Vitali generum Giberti, & Opizinum de Anzolis, & Parmenses, & Rhegienses, quia adhæsissent in eum, Florentinis, Lucensibus, & confœderatis.

A. C. 1313. Et anno secuto direptis agris Florentinorum per ejus exercitum, ac Florentinos & Hetruscos exsules, ex Donatiano die VI. Januarii abiit Bonitium, quod instaurari jussit, & ibi hybernatus est, interim etiam direptis agris Senensium, Geminatensium, & Collensium, eisque bello infestatis per ejus exercitum, ac exsules. Et cum Federicus Arrago juxta conventa cum Henrico classe triremium L. ex Sicilia trajecisset in regnum Neapolitanum, & ibi occupato Rhegio, illinc bello infestaret Robertum illic Regem, rediit Pisas, & illinc transmisso Henrico Flandrense Marescalco suo parte exercitus in agros Lunensium, Minatensium, & Lucensium, & per ipsum eis direptis, ac occupata die XXIV. Martii Petra sancta, & per Malaspinas, sequentes partes Henrici, Sarzana, Robertum Regem Neapolis, Pisis ter citatum, non comparentem pronunciavit reum criminis læsæ Majestatis Cæs. ac rebellem Imperii, & mox ivit Aretium, ubi rursus declaratis Roberto ac Florentinis rebellibus Imperii, & exsutis omnibus juribus, & regalibus die IX. Maji, & transmissis classibus Genuensium, ac Pisanorum triremium LXX. in Robertum, transivit adversus Senenses, eorumque agros ingressus, ipsos, eos accusando, quod nimis parce exercitui suo ministrassent annonam, depopulari jussit. Et Com. Guarnerius Aspurgensis, ejus Vicarius supremus in Gallia Cisalpina, dum Venturinus Fundulus oppidum Soncini sibi commendatum per Henricum, cum obsideret Brixiam, inde expulso rectore Henrici, tradidisset Gulielmo Cavalcabovi, habitis comitiis Laudæ, & ibi coacta acie Gibellinorum duodecim civitatum ibi regionis die XV. Martii illuc vocatus per Barnaboves, & alios illic factionis Gibellinæ, illud, quod tuebantur Cavalcabos, & Venturinus Benzonus, & multi alii eorum factionis, obsedit, & cohorte peditum CL. proficiscente ad ejus subsidium, deleta per milites Guarnerii adversus ipsam profectos, & Cavalcabove, & Benzono; & multis aliis ex eorum acie, dum illinc erupissent in exercitum Guarnerii, & secum manus conseruissent, profligatis, & captivatis Cavalcabove, & Benzono, jussisque in gratiam Nazarii Quinzoni Cremensis factionis Gibellinæ occidi, Soncinum expugnavit, & Venturino, & filiis, & aliis triginta illorum factionis captivatis jussit Fondulum, & alios trahi ad caudam equi per ipsum omne oppidum, & in ejus suburbiis suspendi ad arbores, & ibi diutius teneri, alios vero strangulari, & utraque factione illinc expulsa, diripi eorum bona, ac demoliri domos, & quod nunquam Guelphi possent illuc redire, & qui profecti sunt Romanengum, & Gibellini etiam in alia oppida Cremonensium. Et Cavalcabovi superstites fuerunt Octavianus, Aloisius, Ugolinus, & Azzolinus filii.

Et Galeatius Vicecomes ope Cremonensium, ac Bergomensium suæ factionis suppeditavit oppidum S. Bassiani, & dum Albertus Scottus, & alii Placentini exsules ex Castro Arquati juris Scotti, incursantes agrum Placentinum, ibi bona adversariorum diriperent, secum juncto Luchino fratre CCC. equestribus, eos de mense Augusti obsedit in ipso castro, illisque prælio profligatis, & castro ipso capto, Scottum & Ubertinum Landum, Duces factionum Placentiæ, relegavit Mediolanum, ibi prætore Egidiolo de Alegris Cremonense. Et Scottus profectus Cremam ibi obiit. Et Matthæus pater Galeatii cursitavit, ac deprædatus fuit agrum Papiensem, qui ex Papia expulsis Curtiis & Becariis, Castellino ibi tyranno, & Tyzonis per Advocatos ex Vercellis & Castellinis per Salonenses ex urbe Astense, cum eis se subjecerant Roberto Regi Neapolis, accersito Ugone Bautio Vicario Roberti in Gallia Subalpina, & dum Simon Advocatus, & alii factionis Guelphæ, expulsi Vercellis, ad Matthæum profecti fuissent, una cum eis illuc profectus ipsam civitatem obsedit, & frustra oppugnavit. Et Henricus, dum exercitu se conferens Senas, illas obsessurus pervenisset ad Montem acutum, illinc distantem per lapides quatuor, ibi incidit in ægritudinem, & dum inde, ut ab ea curaretur, se recepisset Mazaratam ad ibi balnea, & cum ea sibi non profuissent, illinc ivit ad Bonconventum, ubi die XXIV. mensis Augusti, & noni anni quinti sui imperii obiit, & ut aliqui dixerunt ex veneno sibi dato in Eucharistia per sacerdotem, à quo eam assumpsit, ad id pretio inductum per Florentinos & Lucenses, desperantes de eorum salute, ubi vixisset Henricus, cujus cadaver fuit delatum Pisas, præter cor ejus jussu Genuam allatum, & sepultum cum cadavere uxoris. Et Federicus Arrago, postquam fuisset Pisis, & Genuenses, & Pisani eorum classibus domos redierunt. Et Guido Turrianus, dum esset Cremonæ, ibi periit. Et de mensibus Julii & Augusti fuit tanta mortalium cædes ob bella intestina, ac penuriam, cum agri non colerentur in Gallia Cisalpina, ut ibi sextarium frumenti venditum fuerit pretio duorum florenorum.

Anno subsecuto Cremona de mense Aprilis pervenit in Robertum Regem Neapolis, qui ibi constituit Vicarium suum Passarinum Turrianum die IX. Maji, & inde ibi rectore Aloysio de Cavalcabobus, & Guidone de Potenzonibus Capitaneo, & Bartholomæo della Turre Vicario, Guelphi profecti de mense Maji Soncinum & Rumenengum, illa receperunt, & mense sequente sanctum Bassianum, Rubeccum, & Bordolanum, & Castionum agri Laudensis, inde expulsis Teutonicis, ibi per Henricum dimissis ad præsidium. Et Mantuani, concursato agro Cremonense, ibi occuparunt ac combusserunt pontem, ac terram Dosuli, ac multa alia ejus loca, plurima ibi facta præda bonorum, ac captura incolarum conductorum Mantuam, & ibi carceratorum, & mox occuparunt & diripuerunt Calvatonum & Vitellianam, omnibus ibi incolis, qui illorum manus evadere nequiverunt, occisis. Et cum ex epidemia in tota Italia sæviente innumerabiles perierint, & rari essent homines, sextarium frumenti tantum venditum fuit pretio soldorum decem. A. C. 1314.

Anno salutis Dominicæ 1315. Clemens summus Pont. factis tribus Conciliis, uno scilicet Viennæ, & duobus Lutetiæ, quibus interfuerunt Philippus Francorum, Odoardus Angliæ, Ludovicus Navarræ Reges, & Carolus Valesius: & die XV. Martii conspecta luna cum cruce, & postera die visis tribus solibus instar iridis, eorum cornu minore occasum solis, & altero Aquilonem respiciente, ac apparentibus frequentibus ejus defectibus, duabus stellis crinitis per mensem versus Septentrionem, & in lucem producto in agro Veronensi pullo equino cum capite humano, & annonæ penuria fere in toto orbe vigente, die XX. Aprilis mensis undecimi anni noni sui pontificatus ex hac vita migravit, ejusque cadaver fuit translatum in Vasconiam, & sepultum in ecclesia ibi divæ Mariæ de Ocesto diœcesis Vasatensis. Et Mantuani, & Veronenses nonnullis copiis A. C. 1315.


PONZINVS PONZONVS,
Civis & Dominus Cremonae.

piis Theutonicorum inchoato mense Junio, firmatis castris ad plebem sancti Jacobi, obsederunt Cremonam, & suburbiis, & multis locis territorii ipsius direptis, combustisve, mox contracta pace inter eos & Cremonenses utriusque factionis, die XXVII. Cremonæ Jacobus Cavalcabos factus fuit ejus protector, & Marchio Vitellianæ, ejus duce Simone de Arcellis Parmense, & Galeatio de Forestis tunc ibi Vicario, & Corradino de sancto Michaele capitaneo pro Rege Neapolis, & deinde Mantuani & Veronenses pace ipsa postposita ingressi adhuc agrum Cremonensem de mense Novembris, ibi occuparunt Bozulum, Calvatonum, Platinam, & Castrum Episcopale, & die X. Decembris Jacobus de Cavalcabobus adhuc confirmatus protector Cremonæ fuit. Francumfordi, ubi anno superiori mortuo Henrico Imperatore, in unum convenerant præsules Moguntinus, Treverensis, ac Coloniensis, & Joannes Rex Boemiæ, Rodulphus Comes Palatinus, Valeranus Marchio Brandeburgi, & Dux Saxoniæ, pro eligendo Cæsare, fuit in festo divæ Luciæ per Moguntinum, Treverensem, Regem Boemiæ, & Marchionam Brandeburgi electus Ludovicus Bavarus, filius alterius Ludovici ex Elisabeth filia Rodulphi olim Cæsaris, & per alios tres Federicus Pulcher filius Alberti olim Regis Rom. Dux Austriæ, & amitinus Ludovici.

A.C. 1316. Et anno altero Cavalcabos ejus acie armatorum profectus Brixiam, illam occupavit ope Madiorum, & Brusatorum, & aliorum ejusdem factionis, Federico Madio eorum duce, illinc expulsis Gibellinis, ingressus eam per portam Turlonghæ die prima Februarii, Gibellinis profectis Gavardum, & Franciam curtam, & illinc mox statim cum nonnullis Parmensibus regressis Brixam, & coactis ad ibi forum, & Guelphis ad ipsam portam, & superventis in eorum auxilium nonnullis copiis factionis suæ, utrinque consertis manibus Gibellini iterum repulsi migrarunt Franciam curtam, Isseum, Palazzolum, Clarum, Roccam, Urceos, Quinzanum, Lenum, & Calvizanum. Et Canis Scaliger, Passarinus Bonacosus, Luchinus Vicecomes, una cum Ponzino Ponzono indignato in Cavalcabovem, ejusque adhærentibus irruperunt agrum Cremonensem, ac prædæ, ferro, & igni exposuerunt, & Cremonam, quam tuebatur Cavalcabos, in eam reversus ipsius factione, & Brusatis, & aliis Brixiensibus ejusdem factionis, obsederunt, & superventis pluviis, & per Bononienses obsessa Mutina, ut dimitteretur, liquerunt, & utrinque de mense Augusti secuta reconciliatione, & facta pace cum Cavalcabove, & suis adhærentibus per Scaligerum, Bonacosos, & Vicecomites die sexta Septembris, & etiam inter Rolandum Rubeum, & Joannem Quiritium de sancto Vitale Parmenses, Ponzoni, & adhærentes remanserunt Cremonæ, & ibi factus fuit protector Gibertus de Corrigio, & rector Egidius Piperarius Abbas Papiensis, & paulo post, dum Ponzoni tentassent sibi illic vendicare dominium, Cavalcabos habitis ducentum militibus à Brusatis, & sibi adhærente Gregorio Summo, eis, & aliis factionis suæ coactis ad ibi forum capitanei, & Piperarius, dum Cavalcaboves, Ponzonos, & Gibellinos, & utrinque adhærentes, qui forent in armis, studeret componere, & sedare, utrinque facta pugna fuit occisus una cum Leone Ponzono per Aloysium Cavalcabovem ejus sororium, & Leonardo, Corrado, & Baldesare Picenardis, Egidio Alemano, Grito de Pedrezanis, & aliis XLIII. ex ibi primoribus, illic prætore Giberto de Foro, illinc aufugiente Ponzono cum Amatis, & Gibellinis, & aliis eorum adhærentibus, Soncinum sibi traditum per Philippum Barbovum, ac Cremam, Castrumleonis, Bordolanum, Jovis Altam, Platinam, Gadium, & Castrum novum buccæ Abduæ, & Ponzoni, & Amati in odium Cavalcabovum, ex quorum factione erant, se describi fecerunt de factione Maltraversorum.

A.C. 1317. Et anno sequente, Egidio de Mandalbertis Cremonense Cremonæ Episcopo, & mox facto Cardinale sanctæ Rom. Ecclesiæ substituto Egidiolo de Bonseris etiam Cremonense tunc mortuo, Luchinus Vicecomes, Canis Scaliger ex Regulis Veronæ, & Passarinus Bonacosus Mantuæ, cum Veronensibus, Mantuanis, Mediolanensibus, Papiensibus, Placentinis, Parmensibus, Laudensibus, Bergomensibus, Novariensibus, Vercellensibus, Cremensibus, & Monferratensibus, ac Ponzino Ponzono, & Cremonensibus eorum factionis, die XXVIII. Septembris Cremonam obsederunt, positis castris per Mantuanos, Veronenses, & Parmenses in burgo sancti Creati, & per Mediolanenses, Bergomenses, Laudenses, Novarienses, Vercellenses, Novicomenses. Monferratenses, & Cremenses, ad ripam Navigii usque sanctum Zenonem, & per Papienses & Placentinos in glarea Padi, & Cremonenses prope portam Papiæ, & in vico Ceppi per dies XXVIII. burgis sanctorum Ambrosii, Gulielmi, & Mosiæ direptis, & combustis, & aquis puteorum veneno infectis, & in vico Longiardoris demolitis & combustis domibus illorum de Stradeuntis per Enzelinum de Divitiolis, & Morovinum, & fratres de Natalinis eorum inimicos, & die XXIV. Octob. diffisi ea potiri, ipsam dimiserunt. Et Matthæus Vicomes habitis comitiis Soncini cum aliis factionis Gibellinæ, cujus erat dux supremus, ibi constituit Vicarium suum Canem Scaligerum, & nupsit Stephano filio suo Valentinam Spinolam, & Luchino alii filio Isabellam Fliscam Genuenses. Petrus Jacobus de Ossa, filius Raynaldi Canturiensis, Gallus modicis parentibus natus, & videlicet patre cerdone, Episcopus Portuensis, post longam contentionem Cardinalium biennio & trimestri cum dimidio habitam die VII. Augusti, Philippo Gallorum Rege impellente, factus fuit summus PP. & nominatus Joannes XXII. Et Luchinus, & Scaliger, ac Cremonenses factionis Gibellinæ, Cremonam obsederunt die IV. Februarii, & de mense Aprilis dolo, Matthæo, cognominato Muzo de Cropello, duce, effosso clam muro ipsius juxta vicum sancti Bassiani, eam ingresso centum militibus, & ibi occupato palatio, ipsam suppeditarunt. Gregorio Summo illic Guelphorum duce frustra resistente, & Ponzinus Ponzonus [ipsius effigiem, ex Ant. Campi *Hist. Mediol.* in æs incisam, hic apponi curavimus] inde exsul, ibi factus est protector per Vicecomitem, ea mox per ipsum dimissa Raynaldo cognominato Passarino Regulo Mantuæ, & Guelphi illinc profecti Rubeccum, & dum illinc die V. Novembris nonnulli ex eis inde accesserint ad vicum Ulmenetæ, & ibi obsessa turre illorum de Zuchellis, in qua forent Nicolaus Burghus, & alii XXVIII. factionis Gibellinæ, & quos, dum turre redacta in sui potestatem, captivarint, Ponzonus acie sua ad eorum opem profectus, & ibi collatis utrinque manibus illos fudit, plerisque tum occisis, tum captivatis, & Guelphi mox ex Rubecco ope Florentinorum Giberto Corrigiense duce Cremonam obsederunt de mense Augusti, & fere desolatam, ac derelictam ob bellum intestinum, quod tunc gerebatur, etiam ex proditione ejus apertis mœniis in vico sanctæ Crucis ceperunt. Et Gibellini die XXIII. inde expulsi, & illuc reversi suppeditarunt, illinc ejectis Guelphis ope Scaligeri. Ricardus Malumbra J. C. Cremonensis celeberrimus docuit leges Perusii, illuc conductus stipendio publico.

A.C. 1319. Et anno subsecuto Guelphi Jacobo Cavalcabove duce ope Gulielmi, seu Giberti Corrigiensis, Florentinorum, & Bononiensium ducis supremi, in sui potestatem Cremonam redegerunt, inde expulso Ponzino Ponzono, & aliis diversæ factionis, & ibi constituto prætore Aloysio della Ecclesia.

A. C. 1320. Anno Nativitatis Dominicæ 1320. Mediolani prodita est in lucem secta, quæ, ut turpi libidini incumberet, noctu in occultis locis aggregatis viris & mulieribus sub Barilotti nomine, Andrea heremita, & Gulielma uxore magistris, per eos & alios in habitu sacerdotali peractis nonnullis sacris, & mox exstinctis luminibus ibi accensis, in omne genus Veneris prolabebatur, quamplurimis ex illis una cum Andrea magistro captivatis, & combustis cum cadavere Gulielmæ exhumato ex templo Claravallis, ubi pro sancta colebatur.

A. C. 1321. Anno altero Vicecomites, Scaliger, Ponzinus Ponzonus, & alii factionis Gibellinæ, dum Franciscus Turrianus ex Aquileja multis copiis militaribus se recepisset in Galliam Cisalpinam, & Jacobus Cavalcabos illius acie ei se conjunxisset, facto utrinque conflictu die Jovis VIII. Octobris in vico Plebis Octovillarum agri Cremonensis, Turrianos superarunt Cassono Turriano, Cavalcabove, Scaligero, & multis aliis hinc inde captivatis. Et Cavalcabos mox dimissus habitis à Florentinis mille equestribus, eis ac aliis factionis suæ in Gallia Cisalpina ac Hetruria mense Novembri obsedit Bardum in agro Placentino.

A. C. 1322. Et anno sequente die quarta Januarii ibi commisso prælio cum hostibus, ejus acie profligata fuit occisus, & Leonardus Arcellus ex suis ducibus captivatus. Et Galeatius Vicecomes ope Ponzini Ponzoni, & Vergusii Landi Placentini, & aliorum factionis suæ, die XVII. occupavit ac diripuit Cremonam, & mox suppeditavit Cremam, ad cujus præsidium erant Cremonenses & Laudenses factionis Guelphæ, & Paganus Turrianus centum equestribus. Et Matthæus ejus pater annorum LXXII. dum Beltrandus legatus Apostolicus ipsum coram eo citatum, & per illum ad ipsum destinatis legatis Gulielmo Casate, Mutio de Modœtia, Isachino Vicecomite, Andrea de Orta, Francisco Garbagnato, Stephano Vicomercato, Ricardo Pirovano, Zuccho de Crivellis, Ottone de Burris, Amblavato de Mandellis, & Gulielmo de Petra sancta, obtulisset absolvere, dimisso per ipsum Mediolano, ac relaxatis Turrianis apud eum carceratis, ex Mediolano tendens voti gratia Modœtiam ad ibi templum divi Joannis, divertisset ad cœnobium Chresentiachum, ibi oppressus gravi febre, ex ea periit die XXVI. Junii, ejusque cadaver sepultum ibi fuit, relictis ex Bonacosia de Burris ejus uxore Galeatio, qui ei successit, Marco, Luchino, Joanne, ac Stephano filiis. Summus Pont. dum schisma in Ecclesia insurrexisset, quo asserebatur Ecclesiasticos habere non debere quid proprii per aliquos, & per aliquos contrarium, & Perusii facto Concilio per Religiosos divi Francisci, ex ordine ipsius fuisset conclusum, Ecclesiasticos nil proprium habere debere sanxit, ut ipsi Religiosi nil unquam proprii, aut commune haberent, nec aliquid eis legari possent, nec aliquorum testamentorum fieri exsequutores. Virginius, cognominatus Vergusius Landensis, dux pontificius, indignatus in Galeatium patrem Azonis Vicecomitis, qui eum spoliasset Bardo, & aliis ejus oppidis in agro Placentino, ac adulterasset uxorem suam, ex Placentia ope Scottorum & Ecclesiasticorum equestrium CCCC. expulso Azone die VIII. Octobris nocte eam occupavit, & per Beldrandum legatum Apostolicum illuc profectum de mense Novembris ibi constitutus fuit Vicarius pro ecclesia Mediolanensi. Turrianos, dum auxilio Modœtiensium tentassent ire Mediolanum, Modœtiam profecti, in illos secum collatis manibus fuderunt, ea capta ac direpta, & ex eis occisis circiter ducentum, & Galeatius Vicecomes, Ludovicum Vicecomitem, Jacobum Pusterlam, Simonem Cribellum, Franciscum Garbagnatum, Gulielmum Casatum, Mutium Modœtiensem, Stephanum Vicomercatum, Embrandum Mandellum, Ricardum Pirovanum, Castellinum Glosanum, & Ambrosium de Abiate, dum in eum conjurassent, die X. Decembris è Mediolano expulit, ibi utrinque prælio commisso, mox una cum fratribus, ab eo deficientibus Vindelicis, quos habebat ad suum stipendium, Arginato de Bucho, & Ruglerio de Argita nuncupato de Angera ducibus, inde expulsus fuit, & occupata Modœtia per Tignarcum Pallavicinum, Ravisium Rusconum, & Bernarigios, & mox expugnata & direpta per Ludovicum Vicecomitem, ibi captivato Pallavicino, ivit Laudam, & Joannes Turrianus ex Valesio de Castroleone Gallicus, & legatus Apostolicus Mediolani fuit constitutus Vicarius, & Ravisius Prætor, & Gulielmus Pusterla, & alii prænominati Mediolanenses, facti fuerunt rectores, Francisco Rusca cum suis, dum esset Modœtiæ, conservato per Ludovicum Vicecomitem, & Galeatius, & fratres Laudam profecti, inde die XII. Decembris redierunt Mediolanum.

Anno secuto equestres CCCC. ex turmis pontificiis A. C. 1323. transeuntes Placentiam die duodecima Januarii Marcum Vicecomitem interceptum inter Burgum sancti Donini & Fidentiolam super strata Emilia ducentum equestribus, & nonnullis pedestribus, quibus egressus fuerat castrum Arquati ab eo occupatum, ut nonnullos mercatores illac transeuntes spoliaret, commisso utrinque prælio profligarunt, & alii duce Raymundo Cardona occuparunt Derthonam, & multa alia ibi oppida Papiensium. Et dum Gulielmus Pusterla, & alii extorres Mediolani occupassent Caravagium, & Marcus illud recuperaturus DCCC. equestribus & pluribus pedestribus illuc ivisset, & Henricus Flandrensis olim magister militiæ Henrici VII. Imperatoris, & per eum factus Com. Laudæ, descendisset in Galliam Cisalp. tribus millibus equestribus, & pluribus pedestribus confirmatus per summum Pont. Com. & Raymundo Cardona, & Castono nepote Castoni legati Apostolici, pontificii quadraginta millibus pedestribus, & decem millibus equestribus, inter quos fuerunt bis millia Florentinorum, Paganus Patriarcha Aquilejæ, Simoninus & Passarinus Turriani, & Virginius Landus eorum copiis, & Beltrandus, & Petrus de Ruffiniano notarius sacri palatii legati Apostolici, illuc iter direxerunt, & dum facto post ab eis recessu per Landum D. equestribus, Vicecomes reliquos pontificios aggressus, eos fere profligavit, fratre Landi, Francisco Garbagnato, ac Simonino Cribello occisis per ipsos die XXV. Februarii occupata Modœtia, & reparata acie, facto impetu in turmas Vicecomitis, quæ ibant palantes, eas fuderunt die XXVII. Februarii Vicecomite aufugiente versus Mediolanum, & libere potiti sunt Caravagio, Cassano, Vaprio, Tricio, & plurimis aliis oppidis in ea regione, & deinde Vicomercato, & ad Tricium flumine Abduæ trajecto, & Marco, & Galeatio ejus fratre illic sibi copiis occurrentibus, inde prælio repulsis eruperunt agrum Mediolanensium, & ibi ad Tricellam vicum adhuc sibi occurrentibus Marco, & Luchino, alio fratre, suis turmis equestribus, ac prælio repulsis Mediolanum obsederunt, & ad ejus auxilium destinatis per Bavarum D. equestribus Bertoldo Guffa duce, eo dimisso illinc abierunt Modœtiam. Et Vicecomites egressi Mediolanum mille ducentum equestribus, & profecti Vaprium, illic tentarunt occupare pontem super flumine Abduæ constructum per pontificios, dimissis ad ejus custodiam mille equestribus, & pluribus pedestribus, & illinc facta fuga per Ubertinum Landum ex ducibus pontificiis, qui illic erant, Modœtiam ejus acie, pontificii ibi consertis manibus cum Vicecomitibus fuerunt superati, ex eis quamplurimis occisis, & Simone Turriano submerso in flumine Abduæ, & Henrico, & Cardona, & ducibus Florentinorum & multis aliis captivatis, & quamplurimis eorum vexillis interceptis, & portatis Mediolanum die ultima Februarii; & mox cum Vicecomites ob-

obsedissent Modœtiam, pontificii Henrico Flandrense, è carcere illuc elapso, duce, inde die XXII. Martii erumpentes in Vicecomites, eos fuderunt, & coegerunt pedem referre Mediolanum dimissos per turmas militares Bavari metu excommunicationis in eum, ac Vicecomites, Avenioni prolatæ per summum Pont. in ipsos quoque concitatis armis fidelium, eis data venia peccatorum, transmissis jam per Bavarum in gratiam factionis Gibellinæ ex Germania in Italiam, Placentiam ad ibi legatum quatuor legatis ei denunciatum, ne bello infestaret Vicecomites, sed dum legatus eis ac Bavaro comminatus esset sacra interdicere, inde ob id territis abeuntibus, uno scilicet Lucam, alio Pisas, alio Mantuam, & alio Veronam. Et pontificii die II. Aprilis occuparunt Alexandriam. Et dum Marcus mille equestribus, & bis mille pedestribus profectus Cassanum, & ibi pontibus occupatis prohiberet deferri annonam Modœtiam, pontificii adhuc ducibus Henrico, & Castono, & Philippo Gabriele Florentino, Joanne Turriano, & Beltrando legato ex Modœtia abeuntes, & occurrentes Vicecomiti, cum eo rursus consertis manibus die XIX. Aprilis ipsum profligarunt ex ejus acie desideratis CCCC. equestribus, & pluribus pedestribus, & cum mox adhuc Marcus CCC. equestribus, & CCCC. pedestribus incursando prohiberet annonam etiam deferri Modœtiam, D. equestres pontificii Henrico duce profecti Desium, ibi alia quoque utrinque commissa pugna eum rursus fuderunt, ipsius omnibus fere equestribus cæsis die XXVI. Aprilis.

Et de mense Maji Placentiæ inter utranque factionem facto certamine, Ubertino Lando ea dimissa pontificiis illinc transmisso per legatum Apostolicum nuntio ad summum Pont. & deinde Marcus profectus ejus acie in Passarinum Turrianum DC. equestribus ex Modœtia egressum die VIII. Junii, & dum cum eo inito alio prælio ipsum fudisset, ex ipsius equestribus captis & occisis CC. & postea alias turmas equestres Narbonenses proficiscentes Modœtiam invasisset ad Carugham prope Lambrum secum commissa alia pugna, & deinde orta discordia Modœtiæ inter Germanos & Italos exercitus pontificii, & utrinque consertis manibus, ex eis desideratis L. alii ter mille, & DCCC. equestres, & plures pedestres ex Florentinis, & aliis Hetruscis, Bononiensibus, Rhegiensibus, Parmensibus, Brixiensibus, Laudensibus, Cremonensibus, Bergomensibus, Novicomensibus, Derthonensibus, Novariensibus, Alexandrinis, Vercellensibus, Genuensibus, Papiensibus, Cremensibus, ac Mediolanensibus extorribus sequentibus partes summi Pont. exceptis Cribellis, qui iverunt Lignanum, & illinc Mediolanum ad Vicecomites, Canturio tunc per Crassum communito, Cardonaque duce elapso è carcere auxilio Beccalai de Landriano, & Phebi de Comitibus, die XI. Junii abierunt Modœtia profecturi Mediolanum, & Galeatio, & Marco Vicecomitibus mille equestribus, & pluribus pedestribus eis occurrentibus, & cum non ausi fuerint secum concurrere, reversis Mediolanum, eo profecti illud circumvallarunt die XX. Junii, & die VIII. Julii Caravagium diu obsessum per Landum receperunt, & cum Azo Vicecomes tunc profectus ejus, ac Ferrariensium, & Mantuanorum acie ad Burgum sancti Donini illum occupasset, & Bavarus, ac Passarini, Estenses, ac Scaligeri copias auxiliares Mediolanum destinassent Vicecomitibus, & Passarini, Estenses, ac Scaligeri aliis tentassent auctore Joanne Quiritio dolo occupare Parmam, ac Fidentiolam, & Germani militantes ad stipendium summi Pont. ab eo defecissent ad Vicecomites, & reliqui Pontificii peste consumerentur, Mediolanenses que fame premerentur, Galeatiusve ærarii inopia laboraret, & nec posset militibus, quos habebat ad ibi præsidium, pendere stipendium, Mediolano eis suburbiis combustis dimisso, illinc die XVIII. Julii redierunt Modœtiam, & Vicecomites equestribus tribus millibus eos insecuti, ipsam obsederunt, & dum Bergomenses in auxilium Vicecomitum illuc de mense Septembris irent, & per pontificios eis occurrentes fusi fuissent, & multi ex acie Vicecomitis Modœtiam obsidentes peste consumerentur, illinc die prima Octobris abierunt redituri Mediolanum. Et dum ex pontificiis CCC. equestres eos insecuti substitissent in vico Canariæ agri Mediolanensis, Marcus Vicecomes in eos regressus CCCC. equestribus, & cum ipsis ibi prælio congressus illos profligavit, ipso vico combusto de mense Octobris, & pontificiis die VIII. dolo occupata ab eis Laude, illinc multa strage repulsis, & profectis Placentiam die XII. Novembris Cassanum cum ejus arce, & ponte super flumine Abduæ, quem tenebant pontificii, inde eis expulsis, recuperavit, & orta discordia inter Germanos, Helvetios, & Rhætos, qui secum militabant, ex eis ipsum D. dimittentibus, & ex ipsis aliquibus reversis in Germaniam, & aliis profectis ad Henricum Flandrensem ducem pontificium, illinc rediit Mediolanum, & mox per eum Carate communito, & Vicomercato, Vaprio, & Ripa alta ex Insula Fulcheria receptis, Modœtiam obsedit, & dum ibi incolæ, ac pontificii ad ejus præsidium degentes fame oppressi fuissent, eam ex pacto de mense Decembris habuit Ubertino Lando, qui foret ad ejus præsidium mille pedestribus, & CCCC. equestribus pro summo Pont. illinc exportato thesauro per Quæstorem legati sui Avenione ad eum, penes quem Raymundus Cardona etiam illuc profectus procuravit in sui gratiam recipi Galeatium Vicecomitem, & fratres id requirentes. Fuit ingens annonæ penuria, & vini copia, & viguit grave frigus.

Anno subsecuto Galeatius Vicecomes die XIX. Novembris factus fuit Dux Mediolani. A. C. 1324.

Et anno 1325. occupavit & comburi jussit Soncinum. A. C. 1325.

Anno altero summus PP. die XX. Aprilis Bavari abrogata electione, & deposito Episcopo Aretino, eis, ac Vicecomitibus, Mediolanensibus, Cremonensibus, Brixiensibus, Bergomensibus, & multis aliis populis Galliæ Cisalpinæ adhærentibus Bavaro, sacra interdixit. Atius Vicecomes de mensibus Martii, & Aprilis, copiis suis irrumpendo agrum Brixiensem, ibi multa occupavit oppida. Et Virginius Landus pro summo Pont. irrupit agrum Mutinensem die X. Martii ejus acie, & Corrigiensium, CC. equestrium Florentinorum, & Saxolo, & nonnullis aliis occupatis, & expugnatis Insula Scalensi, ac Burgho forti, de mense Julii inde cursitavit agrum Mantuanum, & obsedit Mutinam, & cum Passarinus dimissa Vitelliana Cavalcabobus, quam occupaverat, juncto ponte flumine Padi, eoque trajecto ad auxilium Mutinæ se conferret, inde abiit eis suburbiis combustis, & in agros Rhegiensium irrumpens, eos quoque prædæ exposuit ac vastavit, & Parmenses, & mox Rhegienses, & deinde Bononienses de mense Octobris transiverunt in partes summi Pontificis, & Ecclesiæ per ipsos Beltrando legato Apostolico ex familia Alidosia Imolense, & Comite Fiaminiæ recepto. Qui dum Estenses & Passarini obsedissent Bononiam, positis castris ad oppidum sancti Felicis, coacta ejus ac pontificiorum acie, eique etiam in auxilium per Florentinos transmissis CC. equestribus, facta illinc in hostes eruptione, & utrinque facta pugna eos profligavit. A. C. 1326.

Anno sequente Bavarus accersitus per Vicecomites, Castrutium, & Pisanos, & alios factionis Gibellinæ in Italiam, ex Germania in eam se contulit A. C. 1327.

tulit una cum Margarita uxore filia Comitis Gulielmi Hollandiæ, & Zelandiæ, & die XXVI. Februarii applicuit Tridentum, ubi una cum Episcopis XIII. quos secum habuit, & aliis ecclesiasticis sibi adhærentibus, declaravit summum Pont. hæreticum, & inde per Azonem & Marcum Vicecomites cc. equestribus, Passarinum Bonacosium, Canem Scaligerum DCCC. Guidonem Tarlatum CCC. Ponzinum Ponzonum, Raynaldum Estensem, ac legatos Carrariensis, Castrucii Pisanorum, ac Federici Regis Siciliæ, ac aliorum factionis Gibellinæ ductus Veronam, & inde Soncinum, ubi sibi tradita arce per Galeatium Vicecomitem, eam, ac ibi oppidum tenentem, constituit ipsum Vicarium Cremonæ, & Cremæ, & ex Soncino profectus Novicomium, & illinc die XXVII. Maji Mediolanum, ibi in die solemni Pentecostes, & prima Junii habuit coronam de more à Joanne Vicecomite ibi, seu Novariæ Præsule, & seu ut aliqui dicunt à Guidone Tarlato Episcopo Aretii, & Federico de Madiis Episcopo Brixiæ, & Episcopo Tridenti, & exauctoratis per summum Pont. & cum ei sibi exigere volenti grave tributum Mediolanenses obstitissent, jussit detineri, & carcerari Modœtiæ Galeatium, Luchinum, Joannem, & Azonem de Vicecomitibus, eos deferentibus Marco & Ludovico Vicecomitibus, Stephano eorum fratre tunc exstincto morte repentina, & instigantibus Scaligero & Francisco Rusca, infensis Galeatio, electis XXIV. ibi civibus, inter quos fuerunt Franchinus Vicecomes, Otto Burrus, Ramengus de Casate, & Belinus de Petra sancta una cum Gulielmo Com. Montisferrati eorum præfecto facto ad regimen Mediolani, & ab ibi incolis exactis quinquaginta millibus florenis, inde die V. Augusti abiit in agrum Brixiensem, & ibi apud Urceos habuit comitia adversus Vicecomites, quibus interfuerunt Tarlatus, Scaliger, Estensis, Passarinus, & legati Castrucii, & alii factionis Gibellinæ, & Cremonæ, & Novicomii, & Tiferni constituit Episcopos, & die XVII. ex Urceis recessit, & castrametatus est in glareis Soncini, & die XX. illud ingressus fuit, & dum ibi esset, aufugerunt Luchinus & Azo Vicecomites è carcere deceptis custodibus, & jam ipsi solutis per Vicecomites aureis sexdecim millibus pro eorum redemptione, & mox accessit Cremonam, & ibi habitis aureis ducentum millibus à Gibellinis Galliæ Cisalpinæ pro stipendio mille quinque centum equestrium, quos secum habebat, illinc trajecto Pado cum eis, & aliis ducentum quinquaginta Scaligeri, centum quinquaginta Passarini, centum Estensis die XXIV. Augusti ivit Burgum sancti Donini, & inde ivit die I. Septemb. Pontremulum, & illinc conductus per Castrutium Lucam, ibi exceptus omni genere honoris, ac summa cum lætitia, & ab ipso habitis aureis quinquaginta millibus, eum insignivit Ducatu Lucæ, Pistorii, Volaterarum, & agri Lunensis. Et profectus Pisas, eas obsedit per mensem, & redegit in sui potestatem, & ingressus die VIII. Octobris per Pisanos jussit dimitti Castrucio oppida Serezanæ, Rothinæ, Montis Caroli, & Petræ sanctæ ex agro Lunense, ac promisit in ejus gratiam dimitti facere Galeatium & Joannem Vicecomites ex carcere Modœtiæ, & postquam stetit Pisis per bimestre, exactis à Pisanis aureis octo centum millibus inde ivit Viterbium cum Castrucio, secum ducente mille pedestres & totidem velites cum CCC. equestribus, aliis mille dimissis ad præsidium Lucæ, Pisarum, ac Pistorii, & inde ad Castrumleonis Piscariæ, & ibi trajecto flumine Umbronis valde aucto ob pluvias, Comitibus sanctæ Floræ, & Ugone Basco DCC. equestribus & mille pedestribus cum præcedentibus accessit Viterbium tribus millibus equestribus, ubi fuit receptus per Gibertum Gattum ibi tyrannum. Romanengi & Soncini incolæ, qui per annos circiter XIII. inter se bellum habuerant ob Fondulos è Soncino expulsos, pacem fecerunt die ultima Octobris, & Fonduli, & alii eorum factionis restituti fuerunt Soncino præter nonnullos ex familia Fondulorum. Gibertus Corrigiensis nomine Ecclesiæ de mense Decembris recepit Burgum sancti Donini.

Anno sequuto Bavarus, accersitus per Stephanum Columnam, Jacobum Sabellum, & Theobaldum Statium, rectores Romæ, ex Viterbio die VI. Januarii abiit, & die VIII. Romam applicuit, & inde abeuntibus ipsis diversæ factionis ibi cum pompa receptus fuit, & factus Senator, & Dux per annum, die XVI. fuit coronatus per Sarram Columnam ex Viterbio MD. equestribus transmissis in agros Urbevetanorum, sequentium partes pontificias, eisque jussis everti, & ibi creavit equitem, & constituit rectorem, & Vicarium suum Castrutium, & solemniter deposito Joanne Pont. Max. creavit Antipapam Petrum Columbum Corbariensem Reatinum, Ordinis Minorum divi Francisci ex humili loco, & infimæ conditionis, & nominari jussit Nicolaum V. qui factis nonnullis decretis, & inter alia, ne summus Pont. Roma abesset ultra trimestre, fratre Nicolao Fabriatense religioso Heremitano concionante, eum, ac Nicolaum præsulem Venetum, nepotem Cardinalis Pratensis, & Abbatem S. Ambrosii Mediolani, Germanum præsulem Mutinæ, Petrum de Origo, & Joannem de Arlottis Rom. & Episcopos creavit Cardinales. Et dum classis Neapolitani Regis occupasset Ostiam, & Germani per Bavarum in eam transmissi per ipsius classiarios inde expulsi fuissent multa cæde, & Philippus Carnotensis dimissus Florentiæ, ad ibi & Hetruriæ factionis suæ subsidium in Bavarum, & Castrutium, nocte diei XXVIII. Januarii profectus Pistorium, DCCC. equestribus, & bis millibus pedestribus illud occupasset, & diripuisset, commisso prælio cum CL. equestribus, & D. pedestribus, ibi ad præsidium per Castrutium dimissis sub Henrico & Galarano, ejus filiis, ac filio & nepote Philippi Tedisii, Bavarus & Castrutius omissa expeditione, quam decreverant facere in Robertum, abierunt ex urbe die V. Februarii, & cum die VI. per Florentinos occupato oppido Castelinæ, Castrutius militibus, quos secum duxerat, properasset illinc Pisas, & inde Lucam, orto Romæ tumultu die V. Martii inter Rom. Bertoldo Ursino, duce Roberti, & Jacobo Columna filio Stephani ducibus, ac Germanos nolentes quicquam solvere pro annona, ex eis multis occisis, Bavarus reversus in urbem, illuc vocavit equestres, quos transmiserat in Urbeventanos, & Silvestrum Gattum, tyrannum Viterbii, captivatum & tormentatum, exsuit dominio, ac thesauro aureorum quadraginta millium. Et dum supremus Cancellarius Romæ ex familia Ursina, Princeps Scurarum, ab eo defecisset, ejus ibi palatium per populares Rom. diripi jussit, & ad preces Castrutii, Sarræ, & Stephani Columnæ, & Jacobi Sabelli, dimissis die XXV. Martii ex arce Modœtiæ Galeatio & Joanne Vicecomitibus, per Ancuinum Rizardum Noricum eorum custodem, & Gulielmum Monfortem Vicarium suum Mediolani, & Romæ sibi nato filio, & nominato Ludovico Romano, & creato Marchione Brandeburgi, illinc abiit Tybur, & die XXI. illuc reversus, & à Romanis exacto tributo aureorum triginta millium, ibi rursus se coronari fecit per Antipapam, & omisso bello Neapolitano, Aragonense Rege Siciliæ, & Genuensibus exsulibus invitis creato Romæ rectore Raynerio filio Ugotionis Fagiolani, & Spoleti, & in Latio, ac Flaminia ac Gallia Cisalpina constitutis Vicariis, inde subsequutus Castrutium ivit Velitras, & mox Tudertum, & illinc CCCC. equestribus, & MCCCC. pedestribus ad Castrum S. Ger-

A Germani profectus, per Spoletinos & Perusinos ad Narniam prælio fusis die IV. Junii, recepit Mulatam, inde dimissis incolumibus CCCC. equestribus, & D. pedestribus Roberti Regis, & deinde Cisternam, quam jussit diripi, & comburi, & mox rediit Velitras, & cum illuc non fuisset admissus, & orta fuisset discordia inter Saxones ac Gattos ex una, & Vindelicos & Suevos ex altera, secum militantes ob prædam Cisternæ per milites Roberti dimissæ, & combusta Ostia die XXVI. Junii inde transmisit Romam Saxones & Gattos, & aliis ivit Tybur, & ibi cum substitisset per mensem, nec inde ob penuriam annonæ ac pecuniarum valuisset irrumpere Apuliam, illinc die XXVI. Julii rediit Romam.

B Et cum Petrus Arago, filius Regis Siculi, classe LXXXIV. triremium, & aliarum navium, & exsules Genuenses ingressi Calabriam DC. equestribus ejus litora diripuissent, & in Latio occupassent & vastassent Asturas, & mox Orbitellum, & deinde ivissent Cornetum, Bavarus deceptus spe sibi data per Regem Siciliæ, & exsules Genuenses, & Gibellinos, & nec habens pecuniam, qua pendere posset stipendium suo exercitui, nec eo valens irrumpere Regnum Neapolitanum, munitum præsidiis per ibi Regem, cum Antipapa abiit Viterbium die VI. Augusti, & dum Joannes legatus Apostolicus, & Napuleo, & Bertoldus Ursini, ac Stephanus C Columna eorum factione Romam regressi fuissent, & inde abeuntibus Sarra Columnense, Jacobo Sabello, & aliis sequacibus Bavari, in eum, & Antipapam ibi factis processionibus, ejusque privilegiis combustis, quamplures domos sequacium suorum depopulati, & demoliti fuissent, illucque se recepisset Gulielmus dux Regis Neapolis DCCC. equestribus, diripi jussit agros Urbeventanorum, & dum intenderet ex proditione oppidum Bulsennæ occupare, re in lucem prodita, & sumpto multorum ultimo supplicio, ex Viterbio ivit exercitu MMD. equestrium Germanorum, ac multorum Italorum, die XXVI. Augusti Tudertum, & inde expulsis Guelphis, & ab ibi incolis exactis decem millibus aureis, & per Antipapam spoliata ecclesia di- D vi Francisci ibi omni thesauro, illinc transmisit Comitem de Ortigo ejus ducem D. equestribus in Flaminiam, & ejus marescalcum ipsius equestribus Fulginium, credens illud dolo occupare. Et dum Ortigus secum junctis Gibellinis diripuisset agros Imolæ usque ad ejus mœnia, & marescalcus re Fulginii in lucem prodita, ejus ac circumvicinorum depopulatis agris, & ibi commissis multis incendiis, inde multa abacta præda rediisset Tudertum, Bavarus instigatus per exsules Florentinos, & alios exsules factionis suæ, decrevit una cum Castrutio obsidere Florentiam, & ob id habere delectum militum, & dum Florentini, munitis militibus & annona Florentia, & aliis oppidis, & municipiis E suis, adversus eum audacter se accinxissent, ex Tuderto cum uxore, & Antipapa, & exercitu die ultima Augusti rediit Viterbium, & ibi dimissa uxore cum Antipapa illinc abiit DC. equestribus Cornetum, & ibi habitis comitiis cum Petro Aragonense, & exsulibus Genuensibus illinc rediit Viterbium, & mox Tudertum, & cum ibi haberet delectum militum, quibus Florentiam obsideret una cum Castrutio, eo die tertia Septembris annorum XLVII. exstincto, superstitibus Galarano & Henrico filiis, & die X. ad montem altum Marsilio Patavino ex ejus principalibus, rediit Grosetum die XV. Septembris, & cum filii Castrutii occupassent ac munissent Pisas, per Bavarum ejus uxori con- F cessas, ibi captivato Blasio Bobiense, & Philippo Capuano, & pluribus aliis, illincque excluso Comite Vituburgiense Germano, ibi rectore pro Bavaro, eisque electis ibi dominis per Pisanos biennio, illuc timens, ne urbem traderent Florentinis, profectus est, eisque illinc abeuntibus Lucam, per Pisanos ibi fuit receptus magna cum lætitia, & ibi rectorem & Vicarium suum constituit Tarlatinum de Tarlatis. Et dum Aragonenses & Genuenses exsules illuc ivissent, ibi cum eis habuit comitia, & dum inde abiissent in regiones suas, & filiis Castrutii sibi delatis, quod adhæsissent Florentinis, profectus Lucam die VIII. Octobris eos exsuit dominio, & sibi datis per ipsorum matrem aureis decem millibus ad eum placandum, ibi dimisso Vicario suo Com. Castellano Germano, exactisque à Lucensibus aureis centum quinquaginta millibus, inde abiit; & dum Vicarius suus ducta uxore filia Castrutii ejus filiis dimisisset dominium Lucæ, receptis oppidis Pissiæ ac Bagnani à militibus Castrutianis, qui ea reservarant filiis Castrutii, eis militibus data pecunia, & esset Spissiæ, reversus Lucam die VIII. Novembris eum ab ejus regimine deposuit, & filios Castrutii exsuit omni dominio, & una cum matre relegavit Pontremulum, & Pisani eos, ac Nerum Saggiam tutorem, ac exsules Florentinos uti proditores, cum diripuissent eorum agrum, ex ejus consensu damnarunt in ære & persona.

Anno subsecuto Antipapa una cum ejus Cardinalibus profectus Pisas, ibi habita concione in gratiam Bavari exauctoravit & anathematizavit summum Pont. ac Azone Vicecomite requirente creavit Anticardinalem Joannem Vicecomitem, & constituit Vicarium suum in Gallia Cisalpina, & cum Bavarus transmisisset Pisas marescalcum suum, ut cogeret ibi incolas adesse exsecrationi Antipapæ, dum eam proferret in summum PP. die XVIII. Februarii supervenit tanta vis ventorum cum grandine, & copia aquarum, ut marescalcus gravi frigore oppressus, & ut ab eo se liberaret, igne ibi accenso per ipsum ex miraculo omnipotentis Dei exstinctus remansit, & Bavarus die XVI. Martii, dum Lucæ esset, orto bello intestino inter Ponginquos, & Terminellos, & filios Castrutii, ex Pisis illuc profectus eam diripi jussit, inde expulsis Ponginquis, & filiis Castrutii, eorumque domibus combustis. Et cum summus PP. eum, ac Antipapam, & sequaces suos, die XXX. rursus Avenioni excommunicasset, habitis aureis viginti duobus millibus à Francisco Castrocane de Interminellis, eum constituit Vicarium suum Lucæ, & die III. Aprilis inde rediit Pisas; & dum filii Castrutii, & Philippi Tedisii affines, & Sarra de Sagina regulus Altipassi, eorum factione occupassent Pistorium, Vicariusque Bavari cum eorum hostibus arreptis armis inde eos expulisset die XI. Aprilis Pisis ibi constituto Vicario Tarlato, ac dimisso cum Antipapa, DC. equestribus, & Lucæ Francisco Castrocane Interminello CCCC. equestribus, abiit Marcariam agri Mantuani, & dum Saxones, & Gatti DCCC. equestres, qui erant ad præsidium Pisarum, & alii, qui erant Lucæ, concitato tumultu ob stipendium sibi non solutum, inde abiissent, & mox reversi Lucam, illuc non admissi, ejus suburbiis direptis, ductoribus duce Brambense Saxone, & Arnaldo, de mense Junii occupassent Montem cæruleum supra Vivianum Lucæ proximum, & Marcus, & Azo Vicecomites, penes Bavarum captivati, ipsi obtulissent pendere aureorum quatuor centum viginti quinque millia pro eorum liberatione, & restitutione Mediolani, quibus solveret eis stipendium, Bavarus retento Marco, ac dimisso obside penes Germanos, donec illi solveretur æs ipsum, permisit Azonem redire Mediolanum una cum Corrado Porcario, & aliis, qui, cum eis Azo solvisset aureorum viginti quinque millia, nulla habita ratione Bavari, eis aufugissent in Germaniam, Bavarus Marcariæ habuit comitia, quibus interfuerunt Mastinus Scaliger, Guido Gonzaga, Ponzinus Ponzonus Cremonensis, & Franciscus Rusca Tyrannus No-

A. C. 1329.

Novicomii, & decretum fuit movere bellum Vicecomitibus uti adhærentibus Ecclesiæ, & Mediolanum obsidere, quod Azo nolebat dimittere Bavaro, & cum Germani tumultuarii die XIX. Junii Marco Vicecomite duce profecti Lucam, eam ab Interminello ibi Vicario Bavari, ac Lucensibus, ne diriperentur, habuissent cum illic arce, & die XXV. Marco dimisso, & sibi duce constituto, & in ejus verba præstito sacramento, & facto domino Lucæ, ejus agrum cursitassent ac diripuissent, castro majore combusto, & ex ibi incolis supra CCCC. cæsis die sexta Julii, & mox eversis agris Pissiæ, obtulissent Lucam tradere Florentinis, sibi solutis aureis octuaginta millibus pro eorum stipendio, & Florentini nolentes dare veniam filiis Castrutii, ut requirebant Germani, & Vicecomes inter se discordes recusassent Germanis solvere eas pecunias, etiam sibi oblatas mutuo ab aliquibus eorum, ac Lucæ mercatoribus, & per Germanos habitis à Pistoriensibus Monte Murlo, Carmignano, Artimignano, & Vitulino, & nonnullis aliis oppidis, quæ occupaverant Florentini, una cum arce Tizani, Florentini eis dimisso Monte Murlo per Germanos pro aureis duodecim millibus solvendis pro stipendio militum, qui erant ad præsidium ipsius, destinassent Philippum Carnotensem, eorum ducem, ad Germanos ipsis offerendum ea octuaginta millia aureorum, ubi sibi voluissent Lucam tradere, & per Germanos penes eos, donec solverentur, retento Philippo, Bavarus ex Marcaria se recepit Cremonam, & ibi habuit delectum militum, & die XXI. Junii procurante Ponzino Ponzono, Cremonensibus concessit privilegium fluminis Ollii tenus agrum Cremonensem una cum oppidis Guardastalli, Gerardo de Corrigio Parmen. & Luceriæ Passarino de Bonacossiis olim concessis per Henricum VII. ejus præcessorem, & etiam oppidum Cremæ, & Insulam Fulcheriæ, & terras Ripæ Abduæ, & per Florentinos eadem die cum Moncatinensibus, & aliis incolis Vallis Arni fœdere percusso Pisanis indignatos, dum tractassent Lucam emere à Germanis sibi solutis aureis sexaginta millibus, bello moto, ex Cremona bis millibus equestribus, ac pluribus pedestribus profectus in agrum Mediolanensem, & castris positis ad Modœtiam, inde die XII. Augusti eum cursitavit, ac prædæ, ferro, & igni exposuit, & dum Pontificii equestres supra bis mille ex Bononia profecti Parmam & Rhegium, eis obsessis potiti fuissent, recepit die XXV. Papiam, & nulla alia re gravi facta, & habita pecunia ab Azone ad finem Augusti rediit Cremonam, & cum Pisani accersitis Marco Vicecomite, & Germanis ex consilio Facii Com. Donaticii à Luca, & introductis in Pisas de mense Maji, se vendicassent in libertatem, inde per eos Vicario, ac præsidiis Bavari expulsis, & Vicecomite sibi donatis multis muneribus, illinc die XXX. Augusti profecto Florentiam, & ibi eo auctore Florentinis & pontificiis invicem conciliatis, Bavarus ex Cremona se recepit Papiam, & illinc ad principium Octobris rediit Cremonam, & inde die VII. accessit Parmam, illuc sibi transmissis è Luca ab ejus marescalco mille equestribus, quibus intendebat occupare Bononiam ex proditione Alberti Manfredi, & nonnullorum Bononiensium, & re in lucem prodita, & ibi per legatum habitis à Florentinis CCC. equestribus, & CCCC. velitibus, Bononiensibus proditoribus captis, & decapitatis, ex Parma abiit cum legatis Parmensium, Mutinensium, & Rhegiensium die XIX. Novembris Tridentum, ubi habuit nuntium mortis Federici Austriaci ejus æmuli, vita functi ex dysenteria ob multa incommoda per eum perpessa.

Et Marcus Vicecomes una cum Babergio regulo, & Arnaldo præfecto castrorum Germanorum tumultuariorum, profectus Florentiam, cum Florentinis facto tractatu de eis tradi faciendo per Germanos Lucam pro aureis octuaginta millibus, quos Florentini adhuc discordes dissuadente Simone Tosa recusarent solvere, dono sibi datis per Florentinos aureis mille, illinc abiit Bononiam ad ibi legatum Apostolicum, & inde rediit Mediolanum, ubi fuit summo cum honore receptus per Luchinum, & Joannem fratres, & Azonem nepotem ibi Ducem, & cum prætenderet Ducatum Mediolani sibi spectare, per ipsum in eum inita conjuratione cum legato Apostolico, Rege Neapolis, & Florentinis pro eo vendicando tentatis amicis, & clientulis suis ibi veteribus in Azonem concitare, uxoreque Ottorini Vicecomitis ea invita in ejus vota, compulsa, & mox in eam, dum suspicatus fuisset ipsam alienum puerperium sibi supposuisse, indignatus, ipsam apud Rosatum in profundam foveam ibi arcis projecisset, & suffocasset, convivioque exceptus in palatio Curtis Arenæ Mediolani per fratres & nepotem, eo finito illinc abiret, per eos revocatus jussus fuit ibi teneri, elisisque faucibus strangulari, & in publicum extra fenestram projici. Parmenses, ac Mutinenses, & Rhegienses, dum Poretus legatus Apostolicus Bononiæ Rolandum Rubeum, ac Gibertum Corrigiensem cognatos invicem discordes illuc vocatos ibi jussisset detineri, defecerunt ab Ecclesia die XVII. Augusti. Hoc anno, & sequente, regnante Saturno in signo Leonis, in universa fere Italia viguit gravis annonæ penuria, & multi hoc anno in Italia ob aeris frigiditatem fuerunt oppressi febre.

Anno partus Virginei 1330. Bavarus imposuit Aloysio Gonzagæ, ut Cremonensibus dimitteret municipia Casalis majoris, & Platinæ, & alia, quæ occuparat ex agro Cremonense. Et summus Pont. Antipapam ad se Avenionem perductum à Bonifacio Com. Pisano, Pisis, ut rem ei gratam faceret, captivatum, inde expulsis Lanfrancis, & sequacibus contrariæ factionis, & coram eo genuflexum toto collegio Cardinalium assistente, ac petentem sibi dari veniam, postquam fassus fuisset se hæreticum, eo dimisso incolumi jussit eum carceri mancipari, in quo illinc ad triennium obiit. Et Joannem Regem Boemiæ, dum ad eum transmissis legatis institerit penes ipsum, ut in sui gratiam reciperet Bavarum, paratum dimittere imperium, modo ad illud eligeretur Dux Bavariæ, repulit. Mutinenses DC. equestres, & plures pedestres pontificios ex Bononia Beltramo, & Raymundo de Balzo, & Galeatio Andegavense, fratre naturali Regis Neapolis ducibus, profectos Formiginem, credentes eam dolo occupare, illis occurrentes utrinque consertis manibus fuderunt, ipsis omnibus fere cæsis ac captivatis die XXIV. Aprilis, & per Parmenses occupato Burgo sancti Donini de mense Junii alios equestres MCCCC. etiam pontificios ex Bononia ingressos agrum Mutinensem, ibi secum conjunctis Rhegiensibus DCCC. equestribus, & tribus millibus pedestribus, cum eis rursus prælio congressi, fugarunt usque Bononiam, sed pontificii reparatis viribus, & coactis in unum MD. equestribus, adhuc cursitarunt & diripuerunt agros Mutinensium. A. C. 1330.

Anno altero, Cremonæ Prætore Unzino de Azariis, flumen Padi præter modum auctis ejus aquis, disjectis ipsius aggeribus in agro Mantuano & Ferrariense, grave damnum ibi intulit, ex illic incolis submersis ultra decem millia. Summus PP. Joannem Vicecomitem, dum resignasset cardinalatum habitum ab Antipapa, ad eum destinato Avenione legato Vercellino Vicecomite, & alios Vicecomites in sui gratiam recepit, ac absolvit, & ipsum constituit præsulem Novariæ, & Mediolanenses ad eum transmissis etiam legatis Avenione Odofredo Cussano, Joanne de Pontirolo, & Guidone de Calice, & Pisanos liberavit ab interdicto à sacris, cui eos sub- A. C. 1331.

subjecerat. Et Forilivienses obsessos per Bononienses & pontificios MD. equestres, & plures pedestres, compulit in suas partes. Joannes Rex Boemiæ, vocatus anno præcedente per Brixienses in Mastinum Scaligerum, eorum agrum de mense Julii evertentem, occupata Brixia auxilio ibi Gibellinorum, & belligerantem cum Bergomensibus factionis Guelphæ, & nec valentes eis resistere ingressus Italiam DCC. equestribus profectus Brixiam, eam, & mox Bergomum, in suum arbitrium recepit, & vocatus per Gerardinum Spinolam Genuensem, à quo fuerat empta Luca à Germanis tumultuariis, ac Lucenses obsessos per Florentinos, eorum duce Beltramo de Balzo, illuc destinavit bis mille equestres, & totidem pedestres die XIV. Februarii, qui inito prælio cum Florentinis, eos à Luca repulerunt. Et dum legatus Apostolicus Bononiæ, Parmenses, Mutinenses, ac Rhegienses bello infestarent, Parmenses auctoribus Rubeis die II. Martii, & mox Mutinenses ac Rhegienses ipsi Joanni se subjecerunt; & dum Lucenses intenderent se subjicere Florentinis, die XV. Martii Florentinorum agros ejus equestres cursitarunt ac diripuerunt, multis eorum oppidis captis. Et cum legatus Apostolicus cum eo ad flumen Scultennam percussisset fœdus, & in ipsos Rex Neapolis, Florentini, Scaliger, Gonzaga, Estenses, & Vicecomites die XVI. Aprilis inivissent societatem, summus Pont. die X. Maji eos omnes excommunicavit. Et Joannes, constitutis Vicariis suis Mutinæ Manfredo & Guidone de Piis, & ibi, ac Parmæ, & Rhegii dimissis ad præsidium octo centum equestribus sub Carolo filio, inde reversus fuit in Insubriam, & direptis agris Papiensium, Novariensium, Mediolanensium, & Bergomensium ivit Mediolanum, & ibi factus fuit Rex Italiæ. Et cum Cremonenses se ei quoque supposuissent, illinc de mense Augusti Cremonam se recepit, & ibi constituto Vicario suo Ponzino Ponzono, & Mediolani Azone Vicecomite, & Ludovico avo suo Sabaudiæ, & Simone Pistoriense Lucæ, ex Italia abiit in Galliam, & inde in Germaniam, & illinc in Boemiam.

A. C. 1332. Anno sequente, Egidio Mandalberto Episcopo Cremonæ mortuo successit Ugolinus Ardingerius Parmensis, ex Religiosis Ordinis Prædicatorum divi Dominici de observantia. Azo Vicecomes Brixiam à Scaligero, qui eam die X. Junii ceperat auxilio ibi Guelphorum, inde expulsis Gibellinis, ac militibus Regis Boemiæ illic ad præsidium degentibus, dum ab eo Rege ob illius tyrannidem defecisset, habuit ac potitus est die XX. Septembris Bergomo, & die XXII. Octobris medio Ludovici ejus patrui à Gulielmo Castrofranco Vicario Regis Boemiæ accepit Piceleonem, inde expulsis Boemis, qui ibi erant ad præsidium, & mox eodem mense ejus acie dolo Cremonam ingressus, illinc expulsus fuit multa cæde, & mox una cum Gonzaga, & equestribus mille quinque centum, obsedit Mutinam per dies viginti, & ibi facta multa præda, dum Estenses auxilio Scaligeri, duce supremo Leone de Campo sancti Petri Patavino, obsedissent castrum sancti Fœlicis in agro Mutinense juris Manfredi Pii Carpensis, & per eum cum aliis viginti oppidis, quæ habebat in ea regione, commendatum Carolo filio Regis Boemiæ, Manfredus, & Carolus DCCC. equestribus illuc in auxilium profecti, utrinque commisso ibi prælio, illos profligarunt Picenardo Aliprando duce Vicecomitis, ac Nicolao Estense, & Nicolao & Theobaldo de Comestabilibus, & Jacobo de Algatiis una cum aliis L. nobilibus captivatis, & multis aliis occisis die XX. Novembris: Rex Boemiæ eo mense profectus Avenionem ad summum Pont. & ibi secum remotis arbitris habito longo sermone, per eum reprehensus, qui ausus fuisset occupare in Italia ea, quæ forent Ecclesiæ Rom. inde abiit in Galliam ad Philippum ibi Regem, intendens, debellatis Italiæ regulis, ibi Carolum fratrem Philippi creare regem.

Anno sequuto Rex Boemiæ ex Germania in Italiam reversus bis millibus equestribus, tercentum ex eis Com. Arminiaco duce cum Carolo filio ex Parma ivit Bononiam, ad ibi legatum, & per eum non receptus hilari fronte, inde ivit Lucam, & ibi dimisso Com. Arminiaco rediit Bononiam, & sibi per Bononienses datis quindecim millibus aureis pro stipendio ipsorum equestrium, illinc rediit Parmam, & cum Bononienses legato ob ejus tyrannidem ex Bononia expulso ope Florentinorum, ac Estensis, cæsis tam in urbe, quam in agris ejus militibus, ac demolita ibi arce die X. Septembris se vendicassent in libertatem, & legatus illinc properasset in Hetruriam, & cum Joanne Ursino Card. ibi legato ivisset Pisas, & Gibertus Folianus suppeditasset Rhegium, inde expulsis Manfredis. Et Scaliger Bergomum, & Azo Vicecomes Corradino duce Brixiam, & mox Papiam, dimisso Carolo filio cum præsidio Mutinæ, ex Parma exercitu properavit Papiam adversus Azonem ibi arcem oppugnantem, & non valens propugnacula ibi erecta per eum superare, irrupit agrum Mediolanensium, eisque direptis, & ibi Landriano, & multis aliis eversis, cum Florentini CCCC. equestres, & Scaliger DCCC. destinassent in auxilium Azonis, re infecta rediit Parmam, ubi cum intellexisset filios Castrutii penes ipsum detentos clam eo profectos Lucam, ipsam opera Almerici ipsorum avi paterni, & Avenionum ibi civium recepisse, & ibi arcem oppugnare, eo bis millibus equestribus properavit, ipsamque intra biduum recuperavit, habitaque pecunia à Lucensibus, declaratis rebellibus Castrutianis, & sequacibus, illinc regressus fuit Bononiam, & cum Florentini & Pisani Lucam sibi oblatam per eum recusassent emere, ipsam Marsilio, & Petro Rubeis, ei per ipsos aureis triginta millibus solutis, dimisit, & etiam commendavit Parmam, & Giberto Foliano Rhegium, & Guidoni, & Manfredo Piis Mutinam, ab eis etiam habitis pecuniis, concessit, & Ponzinum Ponzonum confirmavit Vicarium Cremonæ. Et pertæsus factiones Italiæ, ex ea una cum filio de mense Octobris rediit in Germaniam, illuc cum exercitu rediturus, sed in Boemiam profectus, ibi diu habuit controversiam cum uxore. Et eo mense Octobris inchoata fuit Cremonæ Societas Disciplinorum sub titulo Christi resurgentis in ædibus monasterii divi Dominici, & mox translata in ædes divi Michaelis, & deinde erecto sibi sacello è regione monasterii Monialium Conventualium D. Sanctæ Mariæ in Cistellis Ordinis Cisterciensium divi Bernardi in parochia sancti Galli, incedens induta indusio telæ coloris albi, mox anno 1577. commutati in colorem rubeum sub vocabulo Trinitatis cum signaculo Trinitatis ad latus sinistrum, & etiam per aliquos olim divi Michaelis, conditis ejus statutis anno 1336. dum anno 1288. fuisset inchoata Perusii, Ruglerio Fassano ibi incola auctore, cum ei apparuissent divi Hieronymus, Benvenutus, Florentius, Cæsarius, & Cyriacus una cum B. M. V. & Angelis Michaele, & Raphaele, ad ejus latera dimissis literis clausis dandis ibi Episcopo, & cum non potuisset ipsas aperire, super eis celebrata missa solemni, apertis. A. C. 1333.

Annoque subsecuto, alia sub titulo Passionis, sibi electo oratorio in Ecclesia Sancti Romani, & anno 1447. unita alii Confraternitati S. Joannis inceptæ jam annis circiter CC. sibi erecto alio oratorio in vico S. Joannis, & in domibus ibi hospitalis è regione monasterii Monialium Conventualium divi Jo. Baptistæ, & Ordinis divi Benedicti, sibi eo anno datis ordinibus, quibus viverent per tunc Episcopum ipsius civitatis Venturinum de Marnis: & alia sub titulo gloriosissimæ & B. M. Virg. in Parochia divi Syri, nunc Sepulchri, Ecclesia monasterii divi Francisci sibi electa, pro eorum congregatione, ac conditis ordinibus, eisque confirmatis A. C. 1334.

anno 1347. à Clemente VI. summo PP. ipsius Societatis tunc rectoribus Fachino Calignano, Ognabeno Cautio, Pasino Vida, & Gerardo de Temporalibus: & anno 1580. instaurato ea in Ecclesia, culta per Religiosos Ordinis Minorum Conventualium divi Francisci, sacello olim dicato divo Bernardino, ad honorem ipsius B. M. Virg. multo sumptu, & multa cum magnificentia. Et Cremonenses, obsessa Cremona per Azonem Vicecomitem exercitu, secum convenerunt ipsam ei dimittere, nisi Rex Boemiæ ac Ponzinus Ponzonus ei succurrissent aperto Marte cum eo confligendo, & Ludovicus Gonzaga Rhegium venditum per Folianum Scaligero habuit ab ibi incolis pro Philippino ejus filio, qui ei mortuo non multo post successit, & ducta uxore Anna filia Nicolai Dovariæ filia Bosii, & sola ex ejus descendentibus, ejus oppida & bona in agro Cremonense, tam citra quam ultra Padum, pro ejus dote habuit. Et Alidosius legatus Apostolicus Bononiæ destitutus omni præsidio ex Italia profectus fuit Avenionem ad Joannem summum Pont. qui instigatus per eum in Vicecomites ac Mediolanenses, rursus eis interdixit sacra, & nonagenarius die IV. Decembris mensis quarti anni XIX. sui pontificatus ibi obiit, ac sepultus fuit, & die XX. factus fuit summus Pont. Jacobus de Fumo Tholosanus, presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Priscæ, Ordinis Cisterciensium, & nominatus Benedictus XII. qui confirmavit censuras in Bavarum & sequaces, prolatas per ejus præcessorem.

A. C. 1335. Anno 1335. Azo Vicecomes die XV. Julii Cremam suppeditavit, ac dimisit Cremonensibus factionis suæ, & die ultima Augusti Laudem.

A. C. 1336. Et anno altero Novicomenses se ei permittentes, ex Novicomio expulso Rusca per Benedictum eorum Episcopum Ordinis Prædicatorum divi Dominici, jam septennio illinc exsulem ope Vitanorum, recepit in sui dominium, & suppeditavit Caravagium, Urceos, ac Burgum sancti Donini, & die XV. Decembris Placentiam per Franciscum Scottum ejus auspiciis occupatam obsedit per sex menses, ac redegit in sui potestatem. Et summus Pont. ordinavit perpetuo celebrari debere post Pentecosten per dies decem solemnitatem Corporis Dominici. Religiosi Heremitarum divi Augustini de observantia, habita ecclesia divi Jacobi in Braida nuncupati parochiali, die XXVII. Januarii se contulerunt habitatum Cremonam, eaque ecclesia ampliata progressu temporis, ibi sibi constituerunt monasterium valde magnificum, ejusque turris mox anno 1461. constructa fuit, per venerabiles primores ipsius totius Ordinis congregatos Centumcellis in Latio die XVIII. Januarii 1275. eorum supremo moderatore Joanne Cremonense, facundissimo Theologo, creato.

A. C. 1337. Anno sequente Azo Vicecomes suppeditatis Vercellis, ac Novaria jam quadriennio elapso liberata tyrannide Cazzini Tornielli per Joannem Vicecomitem ibi præsulem, & eo præsulatu dimisso Aicardo Comendeo archiepiscopo Mediolani, sibi etiam promissis, donec viveret, solvere quotannis aureis mille quinque centum factum archiepiscopum Mediolani, & Canturio, Leuco cum tota Riperia, ac Insula Fulcheria construi jussit super flumine Abduæ pontem prope Leucum turribus ab utroque capite, ac arce, & Mediolanum muniri centum turribus, Tirrone & Cantarana dugalibus expurgatis, & facta curia in arena, & juxta ibi templum erecto illic alio templo in honorem divi Gotardi, illic & Laudæ ex terræmotu quamplurimis ædificiis dirutis.

A. C. 1338. Et anno secuto construi etiam jussit in agro Bergomense Romanum, ac debellavit Leodrisium Vicecomitem, dum coacto in eum exercitu Helvetiorum ac Rhætorum sibi movisset bellum, in illum destinato exercitu sub Luchino Vicecomite patruo suo, & inter eorum acies die XXI. Februarii ad Parabiachum, seu Nervianum, & victoria inclinante ad Leodrisium, & superventa in auxilium Luchini ala equitum Ludovici Com. Sabaudiæ soceri Azonis sub Hectore Panigo, & viso mirabiliter divo Ambrosio equestre aciem Luchini præcedere cum flagello in manibus, eoque hostes fugare, acie Leodrisii profligata, eoque captivato una cum Joanne Flisco ejus sororio, ac occisis Dondatio Malvitio, & Lancilotto Anguissola, & die XV. Julii expugnavit, & sibi suppeditavit Cremonam, inde expulso Ponzino Ponzono, & conspecto comete in signo Tauri per menses quatuor, & antequam exstingueretur, altero per bimestre versus Aquilonem.

Anno subsecuto celebratis hastiludiis, ac multis ludis, A. C. 1339. & creatis Equitibus Francisco Pusterla & Piccinardo Aliprando, Mediolani obiit die XIV. Augusti, & anno ætatis suæ XXXVIII. & dominii XI. ex morbo podagræ, nulla prole superstite ex Beatrice, filia Ludovici Comitis Sabaudiæ, & cui successerunt Joannes præsul Mediolani, & Luchinus, ejus patrui, qui habuerunt die IX. Octobris Brixiam, sibi proditam per Guidonem Corrigiensem ibi ducem Scaligeri ad præsidium, ob cujus lætitiam Luchinus creavit Equitem Joannem de Besatia Cremonensem, Mediolani tunc Prætorem, & mox habuit Bergomum, jam per eum una cum Marsilio Rubeo exercitu Verona obsessa, eisque illinc expulsis per Scaligerum nuncupatum Mastinum, sibi per Venetos adempto Patavio, ibi captivato Alberto illius fratre, & ducto Venetias, Patavii constituto rectore Marsilio Carrariense. Summus Pont. timens vacante Imperio Italiam occupari per aliquem hostem externum, constituit ibi Vicarios suos pro Ecclesia Luchinum ipsum, & Joannem fratrem suum Mediolani, ac aliarum urbium ab eis occupatarum in Gallia Cisalpina, Scaligerum Veronæ, Vincentiæ, Parmæ, Rhegii, ac Lucæ, Estensem Ferrariæ, Mutinæ, ac Argentæ sub feudo annuo aureorum decem millium, Ecclesiæ pendendo pro Ferraria, Gonzagam Mantuæ, Ubertinum Carrariensem Patavii, Galeottum Malatestam nuncupatum Ungarum Arimini, Franciscum & Sinibaldum fratres Ordelaphos Forlivii, Joannem & Ricardum fratres de Manfredis Faventiæ & Imolæ, liberato Mediolano ab interdicto à sacris, cui suppositum fuerat per ejus præcessorem die I. Novembris, Guidone Alice ad cum transmisso Avenione legato per Mediolanenses, & ejus medio facta sibi promissione per Vicecomites de dimittendis Turrianis penes eos carceratis, illisque restituendo quæcunque eorum bona per ipsos & alios occupata, & transmisso ex Gallia in Italiam legato suo, & Stephano Columnæ dignitate Senatoria Romæ prorogata per quinquennium, sibi datis collegis annuis, & scilicet primo anno Jordane Ursino, & secundo Cintio agnato suo Com. Anguillaræ, qui Franciscum Petrarcham vocatum, & profectum ex Avenione Romam, ibi creavit vatem; & Bavarus profectus Tridentum, ut par pari redderet, constituit Vicarios suos in ditione Ecclesiæ Joannem de Vico urbis præfectum Viterbii, Malatestas Arimini, Pisauri, & Fani, Antonium Beltrandum Urbini, Delphum & Cathalusium fratres Scalii, Bulgaretum Matelicæ, Alegranzium Clavellum Fabriani, Imestruzium sancti Severini, Gentilem Varraneum Camarini, Michaelem Montis Milortii, Paganinum Cinguli, Nicolaum Bulgaregium Esii, Franciscum & Sinibaldum Ordelaphos Forilivii, Joannem Manfredum Faventiæ, & Guidonem Poletanum Ravennæ.

Anno 1340. comete viso Luchinus Vicecomes A. C. 1340. Cremonam, dum se vendicasset in libertatem, exercitu obsedit, & ibi commissis quam multis levibus præliis cum Cremonensibus, & militibus, qui erant ad ejus præsidium, re composita, & habita pecunia à Cremonensibus interventu Philippini Gonzagæ, illinc abiit.

Et

Et anno altero illuc exercitu reversus in sui ac fratris potestatem redegit. Et Benedictus summus Pont. ibi incolas sibi præstito juramento per eorum legatos ad ipsum transmissos Avenionem de parendo mandatis Ecclesiæ, nec auxiliando ejus rebellibus, nec gravando ecclesiasticos aliquibus oneribus, & erigendo ad honorem divi Benedicti in eorum ecclesia ibi cathedrali sacellum, ad quod dietim deberet celebrari missa, & in ejus solemnitate annua erogari pauperibus panes mille unius libræ pro singulo eorum, liberavit ab interdicto à sacris, cui suppositi fuerant per ejus præcessorem.

A. C. 1342. Et anno sequente die XXIV. Aprilis mensis quarti sui pontificatus Avenioni ex hac vita migravit, & die VII. Maji Petrus Ruglerius Lemovicensis, & præsul Rothomagi, & monachus, fuit ei substitutus, & nominatus Clemens VI. & profectus Mediolanum, ibi solos Vicecomites confirmavit Vicarios in Italia, & aliis constitutis ibi Vicariis per præcessorem suum concessit in feudum urbes & municipia, in quibus constituti fuerant Vicarii: & Guido Corrigiensis ope Philippini Gonzagæ occupavit Parmam, inde expulsis Scaligeris, & mox fuit expulsus per Atium fratrem ope Estensis Principis Ferrariæ, per eum & Scaligerum insimul junctis armis moto ob id bello Gonzagæ, adversus eum in agrum Mantuanum transmissis decem millibus pedestribus, & mille quinque centum equestribus.

A. C. 1343. Anno secuto summus Pont. procuravit per Electores Imperii haberi comitia apud Lucimburgum in Germania, & ibi eligi Cæsarem Carolum, filium Joannis Regis Boemiæ, Comitem provincialem, & virum multæ doctrinæ, & callentem multa idiomata, eumque electum per Moguntinum, Treverensem, & Coloniensem præsules, & Duces Saxoniæ, & patrem suum Regem Boemiæ, & coronatum Bonæ, cum Aquisgranum eum pro Cæsare noluerit agnoscere, confirmavit. Gulielmus ex Religiosis Heremitarum divi Augustini, & eorum supremus moderator, & episcopus Novariæ creatus per Clementem VI. summum Pont. & eximius Theologus, & J. C. Cremonensis, obiit, & qui sibi electis XII. ex ipsis Religiosis secum obivit divina officia, & multa templa & ædificia ecclesiastica ex ejus episcopatu erigi procuravit, Cremonæ monasterio, & alibi aliis valde auctis, nomine Joannis XXII. summi Pont. ad multos Reges & Principes Christiani nominis fuit Legatus, & dum per eum voluerit promoveri ad dignitatem cardinalatus, ipsam recusavit, & ab eo obtinuit anno 1327. Religiosos ipsius Ordinis, uti prius institutos per divum Augustinum, habere custodiam ejus corporis in templo divi Petri in Cælo aureo, illuc ex Novaria, ubi obiit, ejus Gulielmi corpore translato, & ibi in eo templo sepulto.

A. C. 1344. Anno subsecuto Atius Corrigiensis diffisus posse tueri Parmam obsessam per Luchinum Vicecomitem, & Philippinum Gonzagam exercitu, eam vendidit Obizoni Estensi Marchione Ferrariæ pretio florenorum sexaginta millium auri.

A. C. 1345. Anno 1345. Luchinus Vicecomes, destinatis in Pisanos MD. equestribus, eorum agros prædæ exposuit, & ibi multa occupavit, & cum eis inita pace Pisas accessit.

A. C. 1346. Annoque altero auctore Giberto de sancto Vitale nobile Parmense emit cum Joanne fratre ab Obizone Estense Parmam, dum eam diffisus fuisset posse tueri adversus Gonzagam, & ibi constituit prætorem Paganum de Besatia Cremonensem, ejus jussu ibi aquæductu tendente versus citadellam constructo, & omnes ibi feudatarios carcerari jussit, eorumque oppidis exsuit, & Franciscum Pusterlam, Martinum, & Pinardum fratres de Aliprandis, prodita in lucem medio Remenghi Casatini conjuratione, per illos adversus Luchinum facta, in gratiam Galeatii & Bernabovis nepotum suorum, & ad instigationem Margaritæ Vicecomitis, filiæ Ottorini uxoris Pusterlæ, commisit capi, & una cum aliis complicibus captis ultimo supplicio affici. Cremonenses adversus Corrigienses pro municipio Guardastalli sibi concesso per Bavarum (ut præfertur) ac Laudenses occasione limitum agrorum suorum coram Luchino moverunt litem.

Anno sequente die XXIV. Januarii vapor ingens ab orientali plaga, & multa copia insectorum ab aere effluxit, & ea die, & post per dies XV. viguerunt multi terræmotus, quibus multa ædificia Cremonæ, ibi prætore Ottone de Bonis, Laudæ, Mediolani, & Venetiis corruerunt, & multæ prægnantes mulieres fecerunt abortum, præcedente dura fame, ac subsequente dira peste, quæ sæviit triennio, & multos substulit. Luchinus Vicecomes Isabellam Fliscam ejus uxorem, Cremonam profectam, & inde Venetias, & illinc Ugolino Gonzaga comitante Mantuam, & inde reversam Mediolanum prohibuit egredi in publicum ex zelotypia concepta in Ugolinum ob multos honores ei per ipsum factos, ipsique Ugolino ac patri moto bello Mantuam obsedit; & Galeatius nepos suus superato singulari certamine apud Belgas ibi Nobile, cum exsuit insigni torrium duorum ardentium cum totidem scitulis aquariis, quo mox Vicecomites usi fuerunt: & Bavarus constituto Vicario suo Urbini Galesio Ferentano obiit anno XXXII. electionis suæ, nunquam obtenta absolutione à summo PP. licet multoties requisita, dum venaretur, & ursum ingentem impetu insequendo ex equo præcipitanter ceciderit, & corpore vehementer colliso viribus & sensibus destitutus remanserit, ejusque cadaver sepultum fuit in urbe Monachi. A. C. 1347.

Anno secuto Luchinus Vicecomes Corrigienses condemnavit versus Cremonenses ad eis dimittendum Guardastallum, & jus aquarum fluminis Padi usque ad pontem Brixelli, & occupavit Astam, & Genuensibus bellum movit. Simon ex Religiosis Heremitanis de observantia divi Augustini, Cremonensis, excellens Theologus, multis in ea scientia erudite compositis, tunc temporis cognitus fuit. A. C. 1348.

Et anno subsecuto Luchinus annorum LXII. & dominii decem, ex veneno sibi propinato per uxorem obiit, superstitibus Bosio, & Forestino, & alio Luchino, & Ursina filiis, ex quibus masculi obierunt in maxima egestate, & Bosius nonnullis annis dominatus fuit Laudæ. Et Joannes frater Luchini Genuenses compulit in jus suum, exauctorato Simone Boccanegra eorum duce. Summus Pont. peregrinantium turbas se flagellantium, per Germaniam & Galliam vagantes, jussit reprimi; terræmotu cum ventis & grandine facto, ex quo Cremonæ, & fere in tota Italia, & magis Aquilæ in Brutiis, & apud Vilachum in Illyrio, grave damnum illatum fuit, & die x. Aprilis ex pruina, quæ cecidit, vitibus & satis arefactis. A. C. 1349.

Et anno redemptionis humani generis 1350. Rom. petentibus constitutis Romæ Senatoribus Petro cognominato Sarra Columna, & Jordane Ursino, & illuc ex Gallia transmissis quatuor Cardinalibus concessit Jubileum; & cum Bononienses ex consensu Joannis & Jacobi Pepulorum regulorum suorum se subjecissent Joanni Vicecomiti Vicario Pontificio, & Imperiali in Gallia Cisalpina, & cui parerent Mediolanenses, Cremonenses, Papienses, Placentini, Parmenses, Novarienses, Novicomenses, Laudenses, Brixienses, Bergomenses, Alexandrini, Vercellenses, Hastenses, Bobienses, Cremenses, Pontremulenses, Derthonenses, Albenses, Burgienses, ac multi alii populi Galliæ Cisalpinæ, jussissetque Joannes Bernabovem nepotem suum obsidere ac expugnare Imolam Ecclesiæ, & Joannem Aulegianum de Bozulo, seu Cividate Cremonensem ejus ducem, ac rectorem Bononiæ, quinque millibus equestribus transire in Florentinos, eorumque agros diri- A. C. 1350.

pere, & cum eos curſitaret uſque mœnia Florentiæ, & ſuppeditato Burgo ſancti Sepulchri, & tentata occupatione Piſtorii, & facta multa præda ex agro Florentino, ſe recepiſſet in agrum Mugelanum, & Sacho Tarlatus ſequens partes Vicecomitis nonnulla oppida ſibi ſuppoſita olim à Peruſinis una cum Anguilara ſibi vendicaſſet, & Piſtorienſes ac Pratenſes timentes ſuppeditari per Vicecomitem ſe permiſiſſent Florentinis, & Parmenſes tranſiviſſent in dominium Eccleſiæ. Summus Pont. timens Vicecomitis potentiam nimis augeri, deſtinavit in Italiam legatum, qui Scaligerum & alios regulos Galliæ Ciſalpinæ, & aliarum regionum ibi vicinarum in unum conjungeret, & incitaret in Vicecomitem, Mediolanenſibuſque, ac Bononienſibus ſacra interdixit, Bononienſeſque privavit omnibus privilegiis, juſſitque ex Bononia transferri gymnaſium, niſi rediiſſent ad Eccleſiam, eique omnia damna illata inſtauraſſent, & Vicecomitem coram eo citari, & cum Vicecomes decreviſſet eum adire bis millibus equeſtribus, & ſex millibus pedeſtribus Avenionem, ibi omnibus diverſoriis occupatis, ipſum cum Mediolanenſibus abſolvit, & recepit in ſui gratiam. Cremonenſes habuerunt Guardaſtallum, ſibi anno præcedente per Luchinum adjudicatum, (ut præfertur) & ex eorum Jureconſultis fuit excellens interpres juris Nicolaus Ranzingus.

A. C. 1351. Anno altero cometes ſub Septentrione apparuit, eaque exſtincta graves ventorum flatus ſubſecuti ſunt, & cœleſtis trabs priori parte ardente viſa fuit, & Joanna de Viſellis, ſeu de Naviſellis, ac Riccha, & Beatrix, virgines Cremonenſes ſæculares profitentes regulam tertii Ordinis Servorum B. M. Virg. ob eorum probam, ſinceram, & abſtinentem vitam piis operibus incumbendo, inter electas Dei exiſtimatæ fuerunt, & Joanna obiit, & ipſius, & aliarum corpora ſepulta fuerunt in eccleſia divi Cataldi, culta per eos Religioſos in ſuburbiis Cremonæ.

A. C. 1352. Et anno ſequente cæleſtis flamma poſt ſolis occaſum inter Zephyrum ac Auſtrum latiſſime excreſcens, terribileque oſtentans incendium, tandem cum murmure magno per cœlum corruit.

A. C. 1353. Anno ſecuto ſummus Pont. dum Florentini, & confœderati miſſis legatis in Germaniam ad Carolum Cæſarem, eum vocaſſent in Italiam adverſus Vicecomitem, ei, ne Italia diriperetur, conceſſit Bononiam ſub feudo annuo aureorum duodecim millium Eccleſiæ Rom. pendendo per duodecim annos, dimiſſo ei per Vicecomitem Burgo ſancti Sepulchri, ac promiſſa conſervatione libertatis Florentinorum, & Cortonenſium, & confœderatorum, & nec vexare Piſanos, Lucenſes, & Peruſinos ſecum conciliatos, Gulielmo Pallavicino pro Vicecomite, & Carolo Strozzo pro Florentinis legatis, una cum aliis in unum conventis in Sargiano oppido Lunenſe. Et Carolus Cæſar ex Germania in Italiam ſe recepit, & ivit Patavium, & dum ibi exſpectaret exercitum, inde Guidone Gonzaga comite acceſſit Mantuam. Et Joannes Vicecomes, tentata fruſtra pace inter Venetos & Genuenſes, movit bellum Venetis, qui in eum percuſſo fœdere cum Carolo Cæſare, ac Scaligero, Eſtenſe, Carrarienſe, & Gonzaga, facto eorum exercitus duce ſupremo Beltrando de Landito, dum Scaliger & alii timuiſſent, ne Vicecomes ſuppeditatis Venetis, eos quoque ſuppeditaret, & de menſe Junii coacto exercitu nonaginta millium armatorum utriuſque factionis Galliæ Ciſalpinæ in locis campeſtribus Montiſclari agri Brixienſis, ut armis concurrerent, & nec pugna aliqua facta confœderati illinc profecti Guardaſtallum, ibi Pado ponte conjuncto trajecto, illud obſederunt, & ad ejus auxilium profecto Joanne Aulegiano, duce exercitus Vicecomitis, ex Veronenſibus, Patavinis, Ferrarienſibus, Mantuanis, & aliis Galliæ Ciſalpinæ factionis ſuæ, & ibi facto utrinque conflictu exercitu Vicecomitis ſuccumbente, capto Aulegiano, ejuſque oppugnatis caſtris in agro Mutinenſe, illinc progreſſi in agrum Cremonenſem, illum diripuerunt; cæleſtique flamma longum poſt ſe trahente limitem exſtinctum à Septentrione in Auſtrum repente lapſa, ac ſolis facto deliquio.

Anno ſubſecuto die Dominica quinta Octobris Joannes Vicecomes anno XVII. dominii ſui obiit, ſuperſtitibus, eique ſuccedentibus Matthæo, Bernabove, & Galeatio ejus nepotibus ex Stephano fratre. A. C. 1354.

Anno ortus Dominici 1355. Carolus Cæſar die XIV. Januarii divertit Cremonam, & illinc comitantibus Gonzaga, Carrarienſibus, & Vicecomitibus ivit Mediolanum, & ibi coronatus per Robertum Vicecomitem illic præſulem, inde abiit Piſas ſibi occurrentibus legatis Senenſium, Volaterranorum, Minatenſium, & totius fere Hetruriæ præter Florentinorum, & ex Piſis Senas, & illinc Romam profectus, eamque pedeſter ingreſſus ipſius habito dominio fuit inſignitus diademate imperiali per Cardinalem Hoſtienſem, & alterum illuc ad id miſſos per ſummum PP. & inde rediit in Galliam Ciſalpinam, & adhuc divertit Cremonam, & mox ivit Soncinum, & Vicecomitibus conſtitutis Vicariis ſuis in dominio Mediolani, multa auri copia in Germaniam rediit. Corradus Lindus Germanus, & Marcus Baldus Boemus Vicarius Imperialis, coactis in unum multis equeſtribus & pedeſtribus eorum nationis, & Anglicæ, & Italicæ voluntariis, eis pervagati ſunt fere totam Italiam, & cum, poſtquam aliquantiſper ſubſtitiſſent in Apulia & Calabria, illinc erupiſſent in Picenum, & inde in Inſubriam deſcendiſſent, & inde repulſi acceſſiſſent in agrum Bononienſem, & mox Faventinum, & illinc intenderent irrumpere Hetruriam, & per Florentinos faucibus & aditibus montis Apennini, dividentis Flaminiam ab Hetruria, impoſitis præſidiis militum ab eis impetrato libero redditu, eorumque parte tranſgreſſa in Hetruriam, reliqua ſubſtitiſſent ad fauces ipſas, & ibi incolarum bona deprædarentur, ab eis arreptis armis illinc repulſi etiam fuerunt, ſecum concurrendo armis, ex illis plurimis cæſis, & plurimis vulneratis una cum Baldo, ac plurimis captivatis, & bonis, quibus fuerant ſpoliati, ac ſuis ipſis exſutis, reliquis pedem referentibus in agrum Imolenſem, Cremonæ rectore Beltrando de Caymis Mediolanenſe, & Matthæo Ruſca Novicomenſe prætore. A. C. 1355.

Et ibi anno altero ſecum conjunctis aliis tribus millibus per Senenſes & Peruſinos, dum ceſſaſſent à bello, quod invicem geſſerant, de recenti dimiſſis ab eorum ſtipendio deſcenderunt adhuc in Flaminiam, & illinc in Galliam Ciſalpinam, & inde ſtatim regreſſi in Picenum, & illinc in agrum Fulginatum, & Peruſinorum, & ab eis, & Piſanis, & Senenſibus habita pecunia irruperunt agros Florentinorum, & cum Florentini eorum copiis, & aliis habitis in auxilium à Rege Neapolis, Eſtenſibus, Carrarienſibus & equeſtribus D. à Bernabove Vicecomite ſub Ambroſio filio ſuo naturali, ab Aretinis CC. & totidem pedeſtribus, & ex Neapolitanis L. & multis aliis populis profectis voluntarie illis obſtitiſſent, Pandulpho Malateſta eorum duce ſupremo poſt multas pugnas utrinque commiſſas illinc abierunt Lucam. Ugolinus Ardigerius Epiſcopus Cremonæ die VII. Februarii conceſſit in feudum Uberto ſecundo Marchioni Pallavicino, ac deſcendentibus ſuis, jus exigendi portorium à viatoribus trajiciendis navibus tenendis in flumine Padi, ultra & citra ipſum, à bucca fluminis Abduæ uſque ad buccam torrentis Ardæ agri Cremonenſis, præterquam à civibus ipſius civitatis, & aperto tumulo, in quo erat corpus divi Homoboni, ibi aſſiſtentibus illic præſule, & prætore, & aliis magiſtratibus, & multis prælatis, & in- A. C. 1356.

incolis, & factis multis miraculis, inchoata fuit Societas Consortii ipsius, & cœpta celebrari ejus solemnitas.

A. C. 1357. Anno sequente Corradus Lindus, & Marchus Baldus, eorum agminibus ex Luca per agros Lunensium & Genuensium progressi sunt adhuc in agros Insubrum, adversus Bernabovem Vicecomitem, subsistendo apud Ticinum flumen in vico Domus Auratæ sex millibus equestribus, & quatuor millibus pedestribus, & dum secum conjunctis copiis Ugolini Gonzagæ reguli Mantuæ, & Joannis Marchionis Montisferrati inimicorum Bernabovis, ibi diriperent quæcunque sibi occurrentia, Bernabos Vicecomes junctis armis cum Galeatio ejus fratre, ad eum transmissis in auxilium per Florentinos mille equestribus, eis & exercitu suo in illos transivit, & utrinque commisso prælio ipsos profligavit, Paulo duce vulnerato, & Baldo captivato cum plurimis aliis, & plurimis aliis occisis ex eis. Et Matthæus Secundus Vicecomes die XXII. Septembris ex humanis abiit, superstitibus ex Egidiola Gonzaga filia Philippini, & Annæ Dovariæ, Catherina nupta Ugolino etiam Gonzagæ, & Ursina Baldesari Pusterlæ, ac dimissis Parma, Placentia, Laude, Lugo, Massa, Pontremulo, Bobio, Burgo sancti Donini, ac Bononia tunc occupata per Joannem Aulegianum, & etiam Papia, Novaria, & Arbenga occupatis per Joannem Marchionem Montisferrati, Papiæ constituto Vicario Jacobo Bussolario Religioso Heremitano. Locustarum innumera multitudine ingressa Galliam Cisalpinam, frondibusque, & frugibus agrorum pene omnibus consumptis per illas, mox gravissima penuria subsecuta, ut plurimi, ne perirent, coacti fuerint cibos humanos comedere, & ex fœtore & corruptione locustarum sævissima peste causata, ut ex ea vix decem superfuerint ex centum.

A. C. 1358. Anno sequuto Bernabos Vicecomes, dum anno præcedente dolo tentasset occupare Mantuam, interceptis pontibus Burgi fortis super Pado, & alio super Mintio exsistentibus, & consertis manibus cum Ugolino Gonzaga ex ibi Principibus per ejus aciem profligatus fuisset, imposito ponte flumini Padi ad Burgum fortem de mense Januarii ejus exercitu cursitavit ac prædæ exposuit agrum Mantuanum, & ibi orta rixa inter ejus milites Italos & Germanos, & utrinque consertis manibus per eum conciliatis, & nisi se inter eos posuisset, Germani fere omnes occubuissent, & mox per eum ac fratrem inita pace cum Guidone Gonzaga Mantuæ Principe, ac Marchione Montisferrati, sibi dimissis per eum Papia, ac Novaria, ac Estensis movit bellum Joanni Aulegiano, seu Olegio, recusanti sibi dimittere Bononiam, per eum occupatam post mortem Joannis Vicecomitis, illinc expulsis magistratibus, ac militibus, qui ibi erant ad præsidium pro Matthæo fratre Bernabovis, sublatisque ab humanis multis ex ibi primoribus, & præsertim ex familiis Blancorum, Gocidianorum, Bentivoliorum, ac Sabadinorum, multisque aliis inde relegatis, obsedit Bononiam, & cum Aulegianus, Bernabove illinc prælio repulso, ipsam tradidisset Egidio Carillæ legato Apostolico reverso in Italiam, ab eo habita civitate Firmi, etiam movit bellum legato, & rursus obsedit Bononiam, ibi rectore Gometio Albernutio, & ducibus supremis militum ecclesiasticorum Galeotto Malatesta, & Petro Farnesio, destinatis aliis copiis sub Ancherino duce in Picenum ad infestandum ibi ditionem ecclesiasticam, & nova suborta simultate inter eum ac Gonzagam, eis copiis obsesso Rhegio, & per Carillam non valentem resistere Vicecomiti percusso fœdere cum Gonzaga, Nicolao Estense, ac Scaligero, & per eos à Carilla concitatos junctis copiis obsessa Brixia, commotus ejus periculo, dimissa parte exercitus ad obsidionem Bononiæ sub Francisco Estense,

A Joanne Bizaulo Vincentio Laudense, & Ludovico Albense, omisso Rhegio, reliquo exercitu transivit ad ejus auxilium, & dum apud Montemclarum occurrisset hostibus, ibi utrinque collatis signis fuit profligatus, ac gravi clade affectus, & reliquis copiis profectus Brixiam, vix eam ab illis tueri potuit, per Feltrinum Gonzagam invito Ludovico occupato Rhegio, & commissa alia pugna ad Bononiam inter ejus copias ibi dimissas, ac ecclesiasticas, copiis suis etiam profligatis, Albernutio tamen, & Garsia, & Fernando Hispanis ducibus cadentibus cum CC. millitibus, & Malatesta & Farnesio vulneratis, & Estense capto, ex ejus copiis desideratis DCC. & MC. vulneratis, & DCCCCXL. captis.

B Anno 1360. Ungarorum equitum quinque millia, eorum duce Simone, de mense Novembris obsederunt Parmam, superventaque hyeme ac habita pecunia à Bernabove, inde abierunt. Et Joannes Galeatius nepos suus duxit uxorem Isabellam, filiam Joannis Gallorum regis cum dote Comitatus Virtutum. A. C. 1360.

Et anno altero Carolus Cæsar concessit die XIII. Aprilis ei ac Bernabovi patruo suo jus erigendi gymnasium Papiæ. A. C. 1361.

Anno sequente, Ugolino Ardigerio præsule Cremonæ mortuo, ejusque cadavere posito in pariete sinistro chori ecclesiæ monasterii ibi sancti Dominici, ei substitutus fuit Petrus de Capellis patritius C Venetus. Innocentius summus Pont. solis deliquio præter modum facto Avenioni die XII. Septembris mensis octavi anni decimi sui pontificatus vitam cum morte commutavit, & Gulielmus Grisa Lemovicensis, Abbas S. Victoris Massiliæ, nepos Clementis olim summi Pont. ex fratre, & legatus apud Vicecomites, die ultima Octobris factus fuit Pont. Max. & Urbanus V. nominatus; & confirmavit in Italia summa cum potestate Egidium Carillam, qui renovato fœdere cum Philippino Gonzaga filio Guidonis anno superiori mortui, Nicolao Estense, Francisco Carrariense, & Cane Scaligero, in Bernabovem Vicecomitem bello infestantem Rhegienses, Gonzagæ, & Mutinenses Estensi suppositos, D ei movit bellum, & qui oppidis Scandolariæ & Binæ agri Cremonensis, & multis aliis in ejus dominio jubente ipso demolitis, & commisso prælio inter ejus exercitum, ac ecclesiasticorum, & confœderatorum in vico Salariæ agri Mutinensis, fuit superatus, Ludovico ejus filio naturale, & multis aliis occisis, & Andrea Pepulo, Sinibaldo Ordelapho, Paulo Picco, Guidone Foliano, Azone Corrigiense, Nicolao Pallavicino, Gulielmo Cavalcabove, & Joanne Ponzono ejus ducibus, & pluribus aliis captivatis ex ejus exercitu, ipso de fuga prolapso ad Cravacorum agri Bononiensis; & per Reges Galliæ & Cypri, motos ipsius calamitate, missis legatis ad Carillam pro pace ei reddenda, ipsam fecit cum eo, ac Scaligero, & aliis confœderatis. E Raymundinus Cavitellius ex meis majoribus Jureconsf. filius Ottolini, die ultima Septembris obiit, ejusque cadaver sepultum fuit in tumulo subterraneo constructo in sacristia ecclesiæ divi Bartholomæi Cremonæ, culta per Religiosos D. sanctæ Mariæ Carmelitarum de observantia. A. C. 1362.

Anno sequuto, Ambrosio Vicecomite, & Amizono ducibus Bernabovis Vicecomitis, ingressis copiis Flaminiam, eamque diripientibus, & Joanne Anglico duce Pisanorum, adhærente Vicecomiti, ejus acie diripiente agrum Camertium, Fulginii, ac Montis Regalis, & Imolensium, & infestante Florentinos, & secum commisso prælio per ipsos apud F Miniate oppidum, eis profligatis, adhuc exarsit bellum inter Vicecomitem & Carillam. A. C. 1363.

Annoque subsequuto per Carillam destinatis in auxilium Florentinorum tribus millibus equestribus, ac pluribus pedestribus sub Obizone Lucense, seu Bononiense, & per eum & alios Florenti- A. C. 1346.

norum duces facto conflictu cum Anglico, & ejus acie equestrium sex millium per quatuor horas inter Aretium & Cortonam Florentini & Ecclesiastici prævaluerunt, Anglico captivato cum omnibus fere equestribus, & cunctis populis, qui defecerant ab Ecclesia, reversis ad ipsam. Abbas & monachi divi Laurentii Cremonæ, dum haberent in vico & pertinentiis Calcii agri Cremonensis nonnulla prædia, dederunt ea in permutationem Gabrieli Aliprando pro nonnullis aliis, quæ habuit in vicis Rivi Alti, Gibelli, & Poleseni ultra Padum, etiam agri Cremonensis. De mense Augusti locustæ innumerabiles ex Pannonia in Italiam progressæ, & per eas, cum essent multum densæ, ibi occupato solo per quinque millia passuum fructibus ibi pendentibus, ibi grave damnum intulerunt.

A. C. 1365. Anno 1365. Bernabos Vicecomes tentavit Genuenses ejus dominio subjicere.

A. C. 1366. Et anno altero, Cremonæ prætore Francisco Ordelapho, junctis armis cum Galeatio fratre, ac Spinulis, & Fliscis, & aliis Genuensibus, eis moto bello Genuam obsedit. Et Galeatius construi fecit urbiculam Placentiæ, & Violantem filiam suam nupsit Duci Clarentiæ, filio Regis Angliæ, cum dote aureorum ducentum millium, & Albæ, & Montis regalis, & Bernabos moto bello Francisco, & Ludovico Gonzagis ob necem Ugolini eorum fratris, per illos patratam, expugnavit ac diripuit Burgum fortem in agro Mantuano.

A. C. 1367. Et anno sequente Carolus Imperator in eorum auxilium ex Germania descendit in Italiam exercitu viginti millium armatorum, & ad Burgum fortem factis multis levibus præliis cum Vicecomite, ejusque exercitu, & opera ipsius aggeribus ibi fluminis Padi apertis, dum ejus aquæ auctæ fuissent, inundatis castris Caroli, illinc se interponente Anchise Vindelico affine Vicecomitis, re secum composita, & per ipsum sibi data pecunia, nulla re per eum facta abiit die xx. Maji in Boemiam.

A. C. 1368. Et anno sequuto, mense Junio cum uxore & filiis ingressus Italiam, ibi Mutinam obsedit, ad cujus præsidium erant Baptista filius Bernabovis, & Lucam Pisanis, ac Miniate oppidum Florentinis ademit, & Romam profectus, & ibi alloquutus summum Pont. illinc abiit statim Pisas, & ibi habita pecunia à Florentinis, eis dimisit Miniate, & Lucæ dimisso Vicario Cardinale Gallico reversus in Germaniam, illic obsedit Ulmam, & Vicarius suus sibi solutis aureis viginti quinque millibus per Lucenses, eos restituit libertati.

A. C. 1369. Et anno subsecuto Bernabos, Cremonæ facto censu omnium ibi familiarum, ampliari jussit arcem ibi ad portam S. Michaelis, & in ea illic templum in honorem ipsius divi includi, in ejus vico tunc per ibi vicinos constructo alio templo sub titulo divi Gregorii martyris, ejus corpore ex templo divi Michaelis in illud exportato, & destinavit copias in Florentinos, eorumque agris cursitatis usque Florentiam, & ipsorum agminibus sibi occurrentibus profligatis, eis grave damnum intulit.

A. C. 1370. Et anno 1370. moto bello Joanni Marchioni Montisferrati, eum exsuit Valentia, & Casale sancti Evasii, & copias destinavit in Hetruriam ad opem Joannis Agnelli adversus Gambacurtas, Pisas occupantes, & quibus eas obsedit per bimestre, & facta pace cum summo Pont. Florentinis, Estensibus, ac Carrariense emit Rhegium à Guidone Gonzaga filio Feltrini pretio florenorum sexaginta millium, & Cremonæ in ædibus dicatis sanctissimæ Cruci construi fecit arcem, ac alias Tricii cum ponte lapideo super flumine Abduæ, Piceleonis, Laudæ, Sancti Columbani, Novicomii, Scanasii, Melegnani, Cremæ, Pontremuli, & Calestani, & Castrum novum buccæ Abduæ, vallari mœniis.

A. C. 1371. Et anno altero, dum per Estenses exsutus fuisset

A Rhegio, illud per arcem, quam de novo construi etiam fecerat, ingressus, recuperavit, Ludovico Teutonico eorum duce illinc expulso, & arce ipsa dirui jussa, & per eos adversus ipsum percusso fœdere una cum legato Apostolico, Scaligero, Gonzaga, & Carrariense.

Anno sequente commisso prælio per ejus exercitum, ipsius duce supremo Baptista filio, per sex horas cum pontificiis & confœderatis, eorum ducibus Joanne Anglico, & Estense Marchione Ferrariæ, ac Francisco Foliano, illos superavit, Foliano cum Gulielmo nepote suo & multis aliis captivato, & decapitari jusso in civitate Rhegii. A. C. 1372.

Et anno sequuto reparatis viribus per ecclesiasticos & confœderatos, collatis signis cum exercitu Vicecomitis ad flumen Primarium in agro Mutinense fuit superatus, multis tamen utrinque cæsis, & captivatis, & ecclesiastici & confœderati irruperunt, & cursitarunt agrum Placentinum, & re composita cum Fontanesiis tentarunt occupare Placentiam, & castrum sancti Joannis ceperunt, & Mutinam, dum ab Estense ad Bernabovem defecisset Gerardo Rangono occiso per Manfredum de Sassolo, obsederunt, & Ambrosio ejus filio acie ingresso valles sancti Martini, & Caprianæ, & cum ibi incolis commisso certamine de mense Augusti, interempto una cum Ludovico & Antonio Corrigiensibus, filiis Azonis, in eos profecti aliis copiis, & ad ultionem filiorum multis ibi cædibus, incendiis, ac rapinis magna cum sævitie factis, ipsisque debellatis, & alio facto conflictu cum pontificiis & confœderatis pari Marte per Vicecomitis exercitum, ipse pacem inivit cum summo PP. de mense Novembris. A. C. 1373. (B, C)

Et anno subsecuto Isabella uxor Galeatii Com. Virtutum Gallica, & soror Caroli Gallorum Regis, obiit, superstite Valentina filia, de mense Septembris. Annonæ penuria in Italia, ac multis aliis provinciis, vigente, Mediolanique, & Parmæ, ac Mutinæ, & Rhegii sæviente peste. A. C. 1374.

Anno 1357. summus Pont. ex Gallia in Italiam transmisit Petrum Bituricensem Cardinalem, & Episcopum Gebennensem, & legatum Apostolicum, qui cum Ferrariam divertisset, ad eum illuc convenerunt Nicolaus frater summi Pont. ac Com. Gebennensis, & Sabaudiæ, Joannes Anglicus, & Otho Provicensis, ambo duces copiarum ecclesiasticarum, & Guido Poletanus, & cum Bernabove Vicecomite fecit inducias biennales. A. C. 1375. (D)

Qui anno altero, Cremonæ rectore Hieronymo Sicco, nupsit Agnesinam filiam Francisco Gonzagæ, filio Ludovici Principis Mantuæ, & neptem Ugolino nepoti ipsius, ei promisso censu perpetuo annuo accipitris pro Rhegio, olim occupato per Feltrinum patrem Ugolini. Et Galeatius Vicecomes bello recepit multa oppida Novariensium, quæ à patre suo defecerant, sibi per eum assignatis Vercellis, Novaria, Alexandria, & Casale, vigente ingenti omnium rerum penuria in Italia, Germania, & Pannonia. A. C. 1376. (E)

Galeatius Vicecomes annorum XLVII. periit, superstitibus Joanne Galeatio, & Azone filiis ex Blanca, filia Aymonis Com. Sabaudiæ, & Azone non multo post mortuo, inter Joannem Galeatium & Bernabovem patruum divisis dominiis civitatum, quas habebant in Gallia Cisalpina, Flaminia, & Hetruria. Carolus Imperator die XI. Novembris anni XXII. imperii sui obiit, superstitibus Vincislao jam Cæsare electo, & Sigismundo filiis ex Anna nuncupata Jovina. A. C. 1379.

Anno 1381. Petro Capello Cremonæ Episcopo mortuo suffectus fuit Marchus de Porris Mediolanensis. A. C. 1381. (F)

Anno 1384. cognitus fuit Bartholomæus de Vulpis Soncinas, Jur. Conf. celeberrimus, & qui publice docuit leges Patavii, & ejus Gymnasii fuit Rector, A. C. 1384.

ctor, & ex Senatoribus Romæ, & prætor Bononiæ, & dum gereret magistratum Florentiæ, ejus statuta reformavit, & fuit ex supremis consultoribus Jo. Galeatii Vicecomitis.

A.C. 1385. Et anno sequente, Marco Porro præsule Cremonæ mortuo ei substitutus fuit Georgius: & Barnabas Vicecomes, dum nimis avare ac rigide dominaretur, & ali faceret ingentem canum venaticorum numerum, gravissimo sumptu suorum subditorum, & quos canum præfecti videntes eos esse strigosos, graciles, & enervatos, obesos, ignavos, & impexos esse, gravi pecunia mulctabant, & vel fuste percutiebant, conquisitis quoque his, qui ante per quinquennium apros silvestres occidissent, & ex eis centum furcis suspendi jussis, & plurimis gravi ære mulctatis, & ut filios exsultaret, affectaret è medio tollere Galeatium nepotem, ac generum suum, & per eum cognita illius mente, dum ex Papia profectus fuerit Mediolanum, ubi residebat Barnabas, qui ei mulæ insidens occurrerit, & ingressum Mediolanum, & ex eo egressum per portam Vercellinam sub simulatione eundi voti gratia ad templum B. M. Virg. in Monte supra Valesium comitatus fuerit, jussu Jo. Galeatii à militibus, quos secum habebat, fuit captus, & intrusus in arcem portæ Jovis, una cum Marco & Rodulpho filiis, ejusque domibus, & arce, ac publicanis, & quæstoribus ibi populatium prædæ concessis, & illinc conductus in arcem Tricii, ejus jussu constructam die XXVIII. Maji, ibi illinc ad septem menses, & die XVIII. Decembris annorum sexaginta sex, & triginta dominii sui, ex veneno sibi propinato in fasellis obiit in amplexu Dominicæ Porræ ex ejus concubinis, sibi facta jam prædictione per Medicinam Astronomum suum domesticum, ut sibi caveret à nonis Maji, eo anno sibi infausto ob trium syderum conjunctionem, & antequam caperetur per dies septem ejus palatio à fulgure percusso, & ex eo intimi cubiculi peristromatis combustis, & vipera marmorea ejus fastigio imposita dejecta, & comminuta. Et Jo. Galeatius potitus fuit dominio Cremonæ, Placentiæ, Parmæ, Laudæ, Brixiæ, ac Bergomi, cum ei prius parerent Papia, Novaria, Alexandria, & Vercellæ, & oppida usque ad Alpes, & Mediolanum utrique esset commune, superstitibus filiis ex Bernabove, & Anguina, seu Viride Scaligera, Ludovico Cremonæ & Laudæ, Marco Mediolani, Carolo Parmæ & Burgi sancti Donini, Rodulpho Bergomi, & Mastino Brixiæ rectoribus, & Viride nupta Leopoldo Duci Austriæ, ex qua in lucem prodiit Hernestes pater Federici tertii mox Imperatoris, Thadea Stephano, & Magdalena Federico Ducibus Bavariæ, Agnete Francisco Gonzagæ, Angelesca Federico, & Antonia Corrado Ducibus Virtembergi, & mox Antonia Federico Regi Siciliæ, & deinde Procamiro filio Vincislai Cæsaris, & postea Francisco Carrariæ, Valentina Perino Regi Cypri, Lucia Edemondo filio Regis Angliæ, & mox Ludovico Andegavensi primogenito Regis Galliæ, & deinde Balthesari Marchioni Missinensi, Elisabeth Hernesto Duci Monachi in Germania, & Catharina ipsi Jo. Galeatio, & Viride una cum Lacellotto suscepta ex Dominica Porra nupta Jo. Anglico, & Palamede, & Galeotto, & Bernardo Ricardo, Elisabeth, & Margarita ex Catharina Cremonense, & Sacramoro ex Montanara de Lanzano, Ambrosio, & Hectore ex Bellamella de Grassis una cum Lucia, seu Elisabeth nupta Com. Lucio de Landito Germano incolæ montium Brigentinorum, cum dote aureorum duodecim millium.

A.C. 1386. Anno proximo Rolandus de Medicis Mediolanensis anachoreta, postquam in locis asperis & solitariis Alpium Bargoni diœcesis Placentiæ per annos XXVI. moram habuit summa cum abstinentia, & in eis repertus per ibi incolas, illinc ductus fuerit in ecclesiam ibi B. M. Virginis, & illic facta confessio- A ne peccatorum Religioso Carmelitano, & è manibus ipsius sumpta Eucharistia multa cum reverentia, die V. Septembris emisit spiritum, ejusque corpus conductum fuit Buxetum, & conditum in sacello ibi sibi dicato, procurantibus illustribus Marchionibus Pallavicinis ibi, & in vico Bargoni dominantibus, & ad ipsum corpus ex gratia omnipotentis Dei, & ejus Rolandi meritis, facta fuerunt multa miracula, ex quibus reputatus fuit inter beatos.

Anno sequente compilata fuerunt statuta Cremonæ, ibi prætore Comino de Suardis, Equite Bergomense: & Joannes Galeatius Vicecomes, orto bello anno præcedente de mense Octobris, ex in- B stigatione Gulielmi Biba aquæ Veronæ exsulis inter Antonium Scaligerum ibi regulum Joanne Ordelapho ejus duce, & Franciscum Carrariensem Patavii tyrannum Joanne Ubaldino ejus duce, & instigatus per Carrariensem generum Bernabovis in Scaligerum, cum intra trimestre exsuit dominio Veronæ, ac Vincentiæ, cesso per eum Vincislao Cæsari die tertia decima Decembris, se ei permittente, ne subjiceretur per Carrariensem, receptoque Vicecomite in dominum, Scaligero aufugiente Venetias. A.C. 1387.

Et anno sequuto nupsit Valentinam filiam suam ex Isabella Gallica Ludovico Com. Turoni, fratri Caroli VI. Regis Francorum, cum dote urbis Astensis, & quatuor centum millium florenorum: & in- C dixit bellum Florentinis, nisi exauctorassent Antonium Scaligerum, & Carolum Vicecomitem filium Bernabovis, ab eis conductos ad sui stipendium, ac nisi destitissent à molestia Senensium, & quod dilatum fuit se interponente Petro Gambacurta Pisarum tyranno utrinque amico. A.C. 1388.

Et anno subsequuto, cum intellexisset Franciscum Carrariensem tentasse liberare Bernabovem Vicecomitem eorum socerum, percusso fœdere cum Venetis ac Nicolao Estense, ei movit bellum, ipsumque eorum ope exsuit dominio Patavii de mense Novembris Jacobo Vermio supremo duce, & Carrariense ibi captivato, & ducto una cum uxore D Mediolanum, & carcerato in arce Modœtiæ, ubi obiit, Francisco ejus filio ex fuga prolapso in Bavariam, & sequendo victoriam recepit Feltrum, & Belumnum. Georgio præsule Cremonæ vita functo suffectus fuit Franciscus Castillionæus Mediolanensis, nuncupatus del Anthe; & Nicolaus Zanasius Cremonensis, Archiepiscopus Neapolis, & ante Episcopus Beneventi, ac Brixiæ, decessit die XXV. Augusti, ut patet ex sequentibus metris: A.C. 1389.

QUEM *cernis*, NICOLAUS *erat de Zanasiorum*
Stirpe satus, *Doctor Canonis egregius.*
Justitiæ speculum, *decus*, *& lux ampla* CREMONAE,
Corde humilis, *patiens*, *officiosa laus.*
Serviit Ecclesiæ Romanæ tempore longo,
E *Præsulibus gratus Cardinibusque suis.*
Hunc tres Pontificem dignis successibus urbes
Promeruere suum, *mirificumque Patrem.*
BRIXIA *prima*, *sequens* BENEVENTUM, *tertia Regni*,
Et caput, *& sedes inclyta* PARTHENOPE.
Cumque vocante Deo meritis maturus, *& annis*,
Optaret jungi cœtibus Angelicis,
Annis octaginta novem cum mille trecentis
Præteritis, *ex quo Virgo Deum genuit*;
Augusti quina vicena luce sepulcro
Deposuit corpus, *regna superna petens.*

Anno 1390. Vicecomes, Joanne Ubaldino filio Azii, & Lantendesco Petra mala Aretino nepote F Saconis, ducibus, bello invasit Florentinos, eorum agris longe ac large vastatis ejus exercitu, ipsos ingresso per vallem Arni. Et etiam Bononienses, Jacobo Vermio duce, alio exercitu eorum agros ingresso, ipsisque direptis. Et Florentini, & Bononienses percusso fœdere cum Venetis, Alberto E- A.C. 1390.

sten-

stense, Francisco Gonzaga, Carolo Malatesta, & Roberto Duce Austriæ, ex regno Neapolitano revocato per Florentinos Joanne Anglico eorum duce antiquo, & Malatesta quatuor millibus equestribus, & bis millibus pedestribus, profecto ad opem Bononiensium, & transmissis legatis in Bavariam ad Stephanum ibi Ducem, & in Galliam ad Jacobum Com. Arminiacum, eos incitarunt, ut descenderent in Italiam exercitu adversus Vicecomitem multo ære soluto Arminiaco. Cremonenses factionis Guelphæ, orto rumore Vicecomitem obiisse, uniti in loco Offanenghi agri Cremonensis, & illinc profecti Gazzolum tunc ejusdem agri, ubi morabantur Gibellini, ipsum prædæ exposuerunt, multis ex eis tum occisis, tum captivatis. Et Veronenses die vigesima nona Junii pulso Vicecomitis præsidio vocarunt ad eorum dominium Antonium Scaligerum, olim eorum regulum, & ante de mense Augusti, eo mortuo in Piceno, superstite Gulielmo filio ætatis puerilis, ducti pœnitentia ad se vocarunt Ugolottum Blancardum Parmensem, unum ex ducibus Vicecomitis tunc stativa habentem in agro Cremonense, impetrata errati venia, & loco pœnæ soluta pecunia, & Blancardus ejus acie ingressus Veronam, ipsam diripuit, & deinde, intercedente pro Veronensibus uxore Vicecomitis, ab ejus depopulatione cessavit, & ibi una cum Jacobo Vermio constitutus fuit rector. Et Franciscus Carrariensis egressus Bavariam, & mutata veste, faventibus Venetis ingressus Patavium, eo potitus fuit præter ibi arcem, mox obsessam per Ducem Bavariæ, eum statim acie militari subsequutum, & dum fuisset per Florentinos fraudatus stipendio, ea deinde dimissa reversum in Bavariam, & postea per Joannem Anglicum, illuc copiis profectum jussu Florentinorum, sibi dato itinere per agrum Ferrariensem ab Alberto ibi regulo, redactam in sui potestatem, Jacobo Vermio duce Vicecomitis, exercitu ex Patavio, dum illuc transivisset causa ipsam recuperandi, abeunte in agros Vicentinos.

A. C. 1391. Altero anno Com. Arminiaci ex Gallia decem millibus equestribus, & quindecim millibus pedestribus, per montes Taurinos ingressus Galliam Subalpinam, & ibi ad fines Castelatio agri Alexandrini expugnato, & dum absque ullo ordine properasset Alexandriam, & eam obsedisset, inter illius copias, ac Vicecomitis, quibus Vermius per eum accersitus properarat ad præsidium Alexandriæ, facto conflictu, & profligatis Gallis, plurimis ex ipsis occisis, remansit vulneratus & captivatus una cum aliis circiter sex millibus, ac Raynaldo Zanfilatio, & Joanne Ritio Florentinis, qui eum conduxerant in Italiam, & interiit. Et Joannes Anglicus, dum ejus acie ex Patavio, ut se conjungeret Arminiaco, & ejus copiis properasset in agrum Cremonensem, & ivisset usque ad flumen Abduæ ad ejus fines labens, audita ejus morte, & copiarum suarum strage ex vico Paterni, ubi degebat, & habebat fundum, descendit in agrum Brixiensem trajecto flumine Ollii, eoque Vermio copiis suis ipsum insecuto, & dum pervenisset ad flumen Clissis junctum ponte, ex Paterno pago agri Brixiensis, ubi castrametabatur, copiis suis ex insidiis egressus eum invasit, ejusque copiis fusis, dum reliquis illinc aufugisset ad montem illorum de Serlis, & ibi à Joanne Rozono cive Brixiense receptus, & viatico adjutus fuisset, properavit in agrum Patavinum, plurimis quoque suis amissis ob derivatas aquas ex Mintio & Athesi per ibi incolas ad impediendum illius iter. Gulielmus Centenaria Cremonensis ex Religiosis Ordinis Minorum Conventualium divi Francisci fuit Episcopus Placentiæ, & mox Papiæ. Cremonæ, & alibi in Gallia Cisalpina, ex bello ibi intestino multi ex humanis erepti fuerunt.

A Anno 1392. multis Inquisitoribus institutis per Vicecomitem adversus illos, qui ab eo defecerant, & ex eis Joanne Castiono omnium sævissimo turma equestrium, & cohorte pedestrium, profecto Soncinum, & ibi carcerari jussis Cabrino & Pagano fratribus de Fondulis, qui factione Guelphorum iverant Gazzolum, & Pagano publice decapitato in foro Soncini, Cabrinus ex ibi arce, in qua asservabatur, aufugit, & ivit Casteletum de Barbobus contrariæ factionis, & ibi Anselmum de Barbobus cum uxore occidit. Et Cremonæ è regione baptisterii, & fori majoris, & ad fines ipsius versus Meridiem constructum fuit palatium ad usum magnificorum ibi Equitum, & mox Jureconsultorum. A. C. 1392.

B Et Vicecomes percusso fœdere cum Carolo VI. Rege Gallorum, jussit Jacobum Vermium ejus ducem duodecim millibus equestribus, & tribus millibus pedestribus, secum conjunctis aliis tribus millibus equestribus Senensium, transire in Florentinos, eosque infestare, Joanne Anglico eorum duce, accersito ex agro Patavino ipsius acie, & profecto in agrum Florentinum, & ibi eis occurrente, & cum non valeret aperto Marte resistere, illos arte compescente.

Et anno sequuto de mense Januarii cum eis inivit pacem, dimisso Patavio Carrariensi sub feudo annuo aureorum decem millium, auctore Bonifacio nono Thomacello Neapolitano summo Pont. A. C. 1393.

C Genuæ intervenientibus Antonio Adurno ibi duce, & Ricardo Caratiolo Neapolitano moderatore supremo militum Rhodiensium, & legato Apostolico, utrinque facto in eos compromisso.

Anno subsequuto Florentini, cum nonnullæ copiæ militares, quæ fuerant ad eorum stipendium, & Vicecomitis, in unum conjunctæ ex agro Parmense irrupissent Hetruriam, & illinc in Picenum, & mox regressæ in agros Senensium, diffisi Vicecomite renovarunt fœdus cum Bononiensibus, Estense, Carraria, & Gonzaga, & mox cum Malatestis, Polentis, & Manfredis. A. C. 1394.

Anno 1395. Cremonæ prætore Thoma de Sasso Mutinense, Vicecomes, Petro Philargo Cretense Mediolani præsule, ad Vincislaum Cæsarem in A. C. 1395.
D Boemiam Oratore destinato, ab eo obtinuit insignia Ducatus Mediolani, & Comitatus Papiæ, & Angleriæ, & dominii Cremonæ, & quorumcunque sibi suppositorum, ei solutis aureis centum millibus die prima Maji, & etiam secundum aliquos ab Emanuele Imperatore Byzantii Joanne ejus filio tunc profecto Cremonam, & inde in Galliam ad Francorum Regem, petitum auxilium adversus Turcas, jam quinquennio depopulatis Thessalia & Thracia, obsidentes Byzantium.

Et anno proximo Vincislaus Cæsar die quinta decima Octob. rursus confirmavit dominium ac Ducatum Vicecomiti. A. C. 1396.

Et etiam anno sequente die trigesima Maji mortuo, & sepulto Joanne Acuto Anglico, duce supremo Florentinorum, eisque infestantibus Bernardo Aquitano duce Jacobum Apianum Pisarum occupatorem, Vicecomes ipsis movit bellum Alberico Barbiano duce supremo, sub quo erant Joannes ejus agnatus Com. Cunii, Paulus Ursinus, Cecolus Brolia Allobrogus Assisii tyrannus, Brandolinus, Paulus Sabellus, Lucas Canalis, & Michael Attendulus, quibus obsedit Florentiam, illinc incursatis ejus agris, & ibi cædibus, incendiis, ac rapinis commissis, & mox ea dimissa, illinc revocato Balbiano exercitu, & per eum dimissis Sabello & Canali ad tutelam Apiani, & Pisanorum, Ursino ad Florentinos profecto, & Attendulo in patriam reverso, movit quoque bellum Francisco Gonzagæ Principi Mantuæ, ejus cognato, quia Agnetem filiam Bernabovis Vicecomitis ejus uxorem uti suspectam de adulterio decapitari fecerat; & cum Barbianus, receptis A. C. 1397.
E
F

ceptis per eum Mariana, Campedello, Casatico, & Sancto Michaele vicis Mantuæ, eam obsedisset, Carolus Malatesta, sororius Gonzagæ, habitis copiis auxiliaribus ex fœdere à Venetis & Florentinis, ad auxilium Mantuæ & Gonzagæ profectus, illum inde expulit, & mox commissis præliis tam terrestribus, quam fluviatilibus in flumine Padi, & tandem totis viribus ad Governum agri Mantuani inter eorum exercitus die vigesima octava Augusti ipsum profligavit, multa tamen hinc inde cæde commissa, & Gonzaga deinde diffisus viribus suis, ut se liberaret à bello Vicecomitis, cum eo factis induciis per decennium, se constituit ejus feudatarium. Joannes Palæologus, filius Emanuelis Imperatoris Byzantii, adhuc accessit Cremonam, ibi rectore Luchino Rusca, & prætore Antonio Vicecomite, & illinc Papiam, & inde in Galliam, petitum auxilium adversus Turcas, adhuc Byzantium obsidentes: & die vigesima sexta Decembris Cremonæ ex terræmotu multa ædificia corruerunt.

A. C. 1398. Et anno sequente, nocte præcedente diem octavam Augusti, ex imbre & impetu ventorum cum tonitribus immensis, & fulguribus ibi, & in ejus suburbiis causata fuit magna inundatio, & exstirpatæ multæ arbores, multaque alia ædificia corruerunt omnium stupore. Et Vicecomes die ultima Junii fecit inducias per decennium Papiæ cum Venetis, Florentinis, Estense, Gonzaga, & Carrariense, auctore summo Pont. instantibus Venetis, & pro eis, & confœderatis Michaele Stenno, & Petro Cornelio eorum patriciis legatis, & Ugolinus Cavalcabos in ecclesia Heremitarum divi Augustini Cremonæ erigi fecit sacellum ad honorem & memoriam B. Mariæ Virg. in quo ejus corpus mox in tumulo elevato marmoreo sepultum fuit.

A. C. 1399. Et anno subsequuto Vicecomes Perusinos, dum occiso Beordo Lantendescho eorum tyranno, auctoribus Raspantibus ex ibi primoribus, se vendicassent in libertatem, conducto ad eorum stipendium Jacobo nuncupato Sfortia Attendulo, & cum Ugolinus Tricius pro ecclesia Fulgini Vicarius tentasset ipsos in ejus partes trahere, sponte se ei permisissent, recepit in sui dominium, & etiam Senenses Tholomeis & Salimbenis ex eorum primoribus diversarum factionum conciliatis, ibi constituto Vicario Jacobo Soardo Bergomense, & à Gerardo Apiano regulo Pisarum, mortuo Jo. Jacobo ejus fratre, ob seditiones in eum incitatas per ibi incolas à Florentinis instigatos, exasperato, emit de mense Februarii Pisas pro florenis ducentum millibus, ei dimissis Plumbino, Searlino, & Insula Elbæ; & die prima Martii Facino Cane ejus duce potitus fuit Septimio Romano, & Carminio Galliæ Subalpinæ, eis direptis, & ibi, & alibi ea regione incursata usque Yporegiam, & depopulata multa cæde, & de mense Aprilis, Ottone Tertio etiam duce suo, Spoleto & Assisio. Et Florentini, tunc ejus metu conduxerunt ad sui stipendium Sfortiam, per eum ducta uxore Lucia de Terzano ex Martiano oppido Hetrusco, ex qua suscepit Corradum: & die vigesima quinta Aprilis ex pruina aruerunt pleræque vites in agro Cremonense.

Vincislaus Cæsar, ut ulcisceretur necem Comitis Arminiaci, ex Germania in Italiam per valles Lodroni & Sabiæ exercitu descendit adversus Vicecomitem, & nulla ibi re gesta illinc statim fuit regressus. In Anglia, Germania, & Gallia multis præcedentibus signis, & sole diversi coloris viso, quidam anachoreta primo vere ex Anglia per Galliam descendit in Italiam, innumeris viris & mulieribus indutis linteaminibus, & vestibus albis occultata facie, & qui appellabantur *Fraticelli*, & eos anachoreta præcedente statua Christi cruci affixi bini incedebant, & virgis ferreis se percutiebant, & vagabantur canentes *Stabat Mater dolorosa*, & nonnullos alios hymnos modo hic, modo illic concionando, & aliquos, inter quos erat discordia, componendo, & cum essent fessi, seu fames, aut sitis eos urgebat, & vel nox superveniebat, in viis passim nulla habita ratione subsistebant, ibi morando, ac edendo, & bibendo ex eis, quæ eis sibi subministrabantur gratis, & quos, dum multam sanctimoniam præ se ferrent, quamplurimi invitabant ad convivia, eisque continuo se conjungebat in itinere magna multitudo cujuscunque qualitatis, & ætatis. Et in eorum opinionem multi prælati ac Principes pervenerunt, & transeundo per Galliam Subalpinam & Liguriam accesserunt in Insubriam. Et summus Pont. appropinquante anno Jubilei accersitus per Romanos ad eum residentem Assisii missis Oratoribus, & sibi datis pecuniis pro itinere, & ex nutu suo magistratibus Romæ constitutis, inter quos fuit Malatesta, filius Pandulphi reguli Pisauri, Senator, & ipsa urbe munita propugnaculis illuc se recepit. Vincislao Cæsare die xx. Maji anni xxii. electionis suæ, ob ejus malos mores, ignaviam, & vecordiam captivato, & deposito ab Imperio, fuit ei surrogatus Robertus Bavarus.

Et anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo turbæ Fraticellorum peregrinantium Heremita ductore appulsæ fuerunt Cremonam, & Francisco Castillionæo Mediolanense, nuncupato del Ante, ibi episcopo, per eum, ac clerum & populum factis rogationibus, opera aliquorum ex eis concionantium contracta fuit pax inter multos ibi inimicos capitales, & antiquos, & qui per aliquos unquam ullo modo potuerant conciliari, inter quos fuerunt Dovariæ, & Burgi, & cum illinc facto recessu progressi per Flaminiam, & Hetruriam, Viterbium, ibi substitissent, intendentes illinc progredi Romam visitatum reliquias ibi Sanctorum, & ad accipiendum Jubileum. Summus PP. timens ne Heremita intuitu sanctitatis ipsum è sede expelleret, eamque occuparet, copiis militaribus coactis, & Viterbium destinatis, ipsum ibi jussit capi, & Romam perduci, illicque ultimo supplicio affici, multis eum sequentibus Viterbii occisis, & reliquis domum reversis, causata peste mox gravi ob colluviem illarum turbarum, & aliorum ex diversis partibus Europæ, & reliquis religionis Christianæ Romam profectorum ad accipiendum Jubileum, & ex ea innumerabilibus mortuis. Et cum Joannes Bentivolius, filius Antonioli, mortuo Antonio Zambecaria occupasset ope Nicolai Estensis, ac Francisci Carrariensis, Bononiam, moto bello per Albericum Com. Cunii Manfredo tyranno Faventiæ, & qui ope Vicecomitis conversis armis in Bentivolium, & Bononienses, eis movit bellum, quibus dum Florentini Carolo Malatesta duce opem tulissent, Vicecomes, ut eos averteret ab ope Bononiensium, eis ipsorum tunc duce supremo Rolando Malvolta Senense intulit bellum, ac tentavit dolo occupare Florentiam, & tractatu in lucem prodito, multisque ex conjuratis ibi Massio Albitio vexillifero ultimo supplicio affectis, Robertus Cæsar per eos instigatus in Vicecomitem sibi promissis ducentum millibus aureis, & centum millibus solutis ex eis pro stipendio exercitus sui, una cum præsule Coloniæ, Comite Palatino, & Leopoldo Duce Austriæ, & quindecim millibus armatorum autumni tempore descendit in Italiam, & receptis in ejus partes Francisco Carrariense, & illis de Bauco, & Acio de dosso majori, positis castris ad lacum Benacum in agro Veronense, & ibi sibi occurrentibus exercitu Facino Cane, Alberico Barbiano, & Ottone Tertio, ducibus Vicecomitis, & ibi utrinque commisso prælio victus aufugit Tridentum. A. C. 1400.

Et anno altero ivit Venetias, ei ex Ateste & Montagnana in agro Patavino sibi obviis factis Sfortia, & Francisco cognominato Bocaleto fratre, Bosio, Laurentio, Michaele, & Fuschino fratruelibus, & Santo Petracino Parente nuncupato avunculo ipsius, & Balthesare Rangono Mutinense tur- A. C. 1401.

mis equestrium Florentinorum, concessit Sfortiæ poni ad ejus insignia cotonei leonem fulvum erecta cervice, & altero pede infixo, & lævo sustinente cotoneum, & licet Florentini & Veneti multum rogarint, ac nixi fuerint ipsum retinere in Italia, sibi oblatis copiis sub Sfortia, & Rangono, quibus posset habere bellum cum Vicecomite, tamen per eos non potuit retineri, sed ex Venetiis rediit in Germaniam. Quamvis in quadam Chronica Germana legerim Vicecomitem inito conflictu cum Roberto fuisse victum & captivatum, & Robertum tunc destitutum à præsule Coloniense, & Duce Austriaco, negotio infecto properasse in Germaniam, & Vicecomes ad ejus quoque stipendium in gratiam Perini Derthonensis Sfortiam conduxit, & Philippum Ducem Aurelianensem ejus nepotem constituit Ducem Genuæ, ipsiusque subditis ob multa bella, quæ habebat, gravia tributa imposuit de mense Novembris, & Decembris. Et summus Pont. timens ejus potentiam augeri, ut pecunias cumularet, quibus ei resisteret, introduxit usum minatarum, quem omnes admiserunt, præter Anglos, nisi pro solis Episcopatibus. Et Franciscus Castillionæus Episcopus Cremonæ concessit in feudum perpetuum Galeotto de Casate Mediolanensi jura & bona, ipsi Episcopo spectantia, in locis Zanengi, Farsengi & sancti Martini de casa Pagana, Curiæ Oscasalis, prius concessa Nicolino, Lanfranco, & Egidiolo de Oscasalibus Cremonensibus, & antea illis de Cataneis cum bonis & juribus eidem Episcopo spectantibus in curiis Platinæ, Drizonæ, & Malangolæ.

A. C. 1402. Et anno sequente Vicecomes prosequendo bellum inchoatum adversus Joannem Bentivolium, Bononienses, & Florentinos, & à quo cessasset ab adventu Roberti Cæsaris adversus illum in Italiam, jussit obsideri per Berbianum una cum Francisco Gonzaga, Pandulpho Malatesta, & Othone Tertio, Bononiam, illinc expulsurus Bentivolium, & conductis per Florentinos ad eorum stipendia Bernardone Vicecomite filio Bernabovis, & Francisco Carrario cum duobus filiis, mortuo ac sepulto Florentiæ Raynutio Farnesio eorum duce ex epidemia, quæ ibi ac alibi sæviebat in Italia, & transmissis exercitu Bononiam ad auxilium, & Bononiensibus ob id factis audacioribus, egressis una cum eo Bononiam adversus exercitum Vicecomitis castrametantem ad Casalegium, & ibi utrinque facto conflictu succumbentibus, Bernardone, & Carrariensibus, Nicolao Lanzano, & Sfortia, & Angelo Lavelano captivatis die ultima Junii, ex culpa Joannis Tartaliæ deserentis ordines, & Carrariensibus dimissis in gratiam Gonzagæ, & Bentivolio incolume ingresso Bononiam, ut eam tueretur adversus Vicecomitem, obtruncato in ejus gratiam per Cabrinum Fundulum ex suis ducibus, nullo resistente, Bononiensibus se ei sponte permittentibus, & per eos introducto Barbiano ea potitus fuit, ut patet ex sequenti Jo. Galeatii Epistola: *Joannes Galeaz Dux Mediolani, &c. Papiæ, & Virtutum Comes, ac Pisarum, Senarum, & Perusii Dominus. Benedictus Deus, cujus exuberans gratia prosperiores prosperis nostris addens successibus, cives Bononiæ adeo fecit unanimes, quod post triumphalem victoriam, contra gentes hostiles, per gentes nostras obtentam, quam vobis per alias litteras nostras nuntiavimus, omnium ipsorum civium accedente consensu, ipsius civitatis Bononiæ Dominium nobis libere tradiderunt, quæ vobiscum ad solatium, & lætitiam participare decrevimus; Volentes quod, ad laudem altissimi Creatoris, à quo omnis principatus, & Dominatio pervenire dignoscitur, processiones solennes, & luminosa Falodia, & ferias, in illa nostra civitate, & districtu tribus successivis diebus fieri faciatis. Cæterum pro hujusmodi felicissimi novi susceptione, subditos nostros leviare cupientes, Datium Instrumentorum omnibus civibus, & subditis nostris remittimus, & harum serie, & harum serie, à die Dat. præsentium totaliter revocamus; Volentes insuper, ac vobis mandamus, quod quoscunque carceratos ex causa pecuniaria, ad instantiam singularis, vel singularium personarum, nec non condemnatos pecuniarie, in Communi, vel Cameræ nostræ, usque ad quantitatem librarum centum Imper. & ab inde infra, in bono omine libere relaxari, juribus privatarum personarum, Communium, & Cameræ nostræ semper salvis; De quibus publicas proclamationes in locis consuetis illius nostræ civitatis, & districtus in Dei nomine fieri faciatis, rescribendo nobis de receptione præsentium, & prout finis subsequetur. Dat. Papiæ die 11. Julii.* Et mox jussit exercitu viginti quinque millium equestrium, ac multarum cohortium pedestrium, ducibus supremis Barbiano & Vermio, obsideri Florentiam. Et dum esset in oppido Melegnani Ducatus Mediolani juxta flumen Lambrum, intendens ibi coronari regem Italiæ, præcedente comete à die prima Quadragesimæ usque ad Pascha in dies crescente, ejus cauda respiciente Mediolanum, & die Mercurii præcedente Pascha obscurato sole, & die secunda Augusti facta eclipsi lunæ, die tertia Septembris annorum quinquaginta quinque, & dominii viginti quatuor, ibi obiit in arce ex febre, seu ut aliqui dicunt ex epidemia tunc sæviente in Italia, superstitibus Jo. Maria Duce Mediolani annorum quatuordecim, & Philippo Comite Papiæ ejus filiis ex Catherina Vicecomite, & Gabriele filio naturale ex Agnete Mantegatia, sibi dimissis Pisis & Crema, ejusque cadavere ex ejus mente illinc delato Mediolanum in ibi ecclesiam cathedralem, & post ejus funebrem pompam dimembrato, illincque ejus parte translata Papiam in ecclesiam ibi Cartusianorum religiosorum, & reliqua parte Viennam Galliæ in ecclesiam D. Antonii, & ibi sepultis, & post se dimissis viginti quatuor civitatibus in Gallia Cisalpina, Flaminia, & Hetruria ejus dominii, Pandulpho, & Carolo Malatestis electis ad regimen Jo. Mariæ. Et Joannes de Vignate die vigesima tertia Novembris occupavit Laudam, illinc expulsis Fisiragis. Et Senenses, Francisco Sabellico & aliis factionis suæ ducibus, expulsis Barilottis, Rubeis, Cabrinis, & Maladversis contrariæ factionis, una cum Georgio Carello ibi pro Vicecomite rectore, se vendicarunt in libertatem.

Et anno sequuto Franciscus Suardus occupavit Bergomum, illinc expulsis Coleonis, Tornielli Novariam ea direpta, illinc expulsis Lavezariis, & multis ibi occisis, & commissis incendiis utrinque; & Rubei Peregrinum, & etiam cum Ottone Tertio Parmam; & Nicolaus Estensis Ferrariæ Princeps Rhegium, Sicus Ordelaphus Forilivium, Eustorgius Manfredus Faventiam, & Baldesar Cossa, legatus Apostolicus, & Cardinalis tituli sancti Eustachii, Neapolitanus, duce Andrea Brachio Montono Perusino, redegit in jus Rom. Ecclesiæ Perusium, mox dimissum promisso censu per Perusinos Ecclesiæ Rom. in cujus dominium etiam redierunt Assisiates. Joannes filius Bernabovis Vicecomitis cepit Canturium, Rolandus Pallavicinus Burgum Sancti Donini, Franciscus Gonzaga Princeps Mantuæ Gazzolum, Vitellianam, Pischeriam, & multa alia oppida ex agris Cremonense, Brixiense, & Veronense, finitima agro Mantuano. Et Anguissolæ expulsi Placentia per Scottos, & Landos Bobium. Et Joannes Columna Lunenses. Et Brixienses Guelphæ factionis expulerunt ex Brixia Gibellinos, ex eis multis occisis, illorum bonis direptis, illuc profecto manu armata Francisco Carraria, & illinc ad triduum expulso. Et Bononienses inter eorum factiones suscitato bello intestino, illuc supervento Facino Cane cum copiis sedati fuerunt. Et Genuenses Sarzanam & Liburnum ceperunt. Et Joannes Ponzonus die penultima Maji multa armatorum manu ingressus Cremonam ex ea expulit Joannem de Castiono, ibi commissarium Vicecomitis, & cives A. C. 1403.

A ves illic opprimentem. Et Ugolinus Cavalcabos
Cremonensis, & cujus majores dominium Cremonæ habuerunt, & qui habuit uxorem filiam Giberti etiam de Cavalcabobus, dolo dimissus è carcere, in quo eum poni fecerat Joannes Galeatius Vicecomes, quia adversus ipsum adhæsisset Joanni Acuto Anglico, eique voluisset prodere Cremonam, per Cremonenses, Parmenses, Placentinos, Bergomenses, Brixienses, Laudenses, Cremenses, & alios factionis Guelphæ in Gallia Cisalpina, factus fuit eorum dux supremus, & habitis copiis auxiliaribus ab Othone Tertio, Petro Rubeo Parmensibus, Joanne de Vignate Laudense, Suardis Bergomensibus, Bartholomæo & Paulo Benzonis, & Brixiensibus factionis Guelphæ, & assumpto in sui
B partes Joanne Ponzono, ejus, ac Gulielmi, & Caroli agnatorum suorum ope, ac assentiente Joanne de Summo duce factionis Maltraversæ, turmis equestribus coactis apud Casale majus, & cohortibus pedestribus ad Puteum Baruntium, ingressus fuit noctis tempore die ultima Junii Cremonam per portam Mosiæ, constitutisque suis ducibus Joanne & Cabrino Fundulo, & Gulielmo agnato suo, illinc mox eorum ope expulit Ponzonum, & Gibellinos, ex quibus plerique iverunt Soncinum, illudque die decima Julii occuparunt, ibi occisis in odium Fundulorum ex eis Petro, & Joanne, & Lanfranco de Cavallis.

C Et Dovarienses profecti Carzaghum, illud diripuerunt & combusserunt. Et Cabrinus ejus copiis profectus die vigesima nona Julii Castrumleonis, compulit ibi oppidanos sibi tradere Ugotionem Pallavicinum contrariæ factionis, quem occidit, & dimembrato ejus cadavere super strata, ejus caput ab ipso abscissum, & lancea infixum, ad illius ignominiam detulit Cremam, & ibi arci superimposuit, & Gibellinos ex Sorexina expulit, qui iverunt Tribulum, & in eorum auxilium illuc accersitis Soncinatibus, Fontanellensibus, & aliis ibi vicinis contrariæ factionis, & qui, dum Guelphi ex Sorexina in eos transivissent, ipsisque repertis accinctis ad pugnam illos insecuti, & assecuti, ex eis utrin-
D que commissa pugna occiderunt circiter quinque centum, & reliqui profecti Insulam Dovariensium, ubi erant Dovarienses cum parte Gibellinorum, obsederunt ipsam, & illuc ad auxilium profecto Petro Gambara cum valida manu Gibellinorum Brixiensium, ibi inter eos commisso alio prælio die nona Augusti, & ex Guelphis cadentibus aliis circiter tercentum inde expulsis aufugerunt Gadium, & Gambara copiis suis ipsos insecutus, illud expugnavit, ac diripuit, & combussit, ibi repertis fere ad unum occisis die undecima Augusti, & secum junctis Cremonensibus, Bergomensibus, Cremensibus, ac Rolando Pallavicino factionis Gibellinæ, profectus Soncinum, illud dolo recepit ab ibi arcis præfecto, & mox Castrumleonis, & Rumenengum. Et Guelphi trajecto flumine Padi in ditionem Ro-
E landi Pallavicini, & ibi inter illic incolas eo duce, & ipsos diripientes ea loca, commissa alia pugna, ibi quamplurimi occubuerunt. Et Cavalcabos die vigesima quinta Augusti arcibus SS. Michaelis & Lucæ Cremonæ receptis à Joanne Cribello, ibi præfecto, & depopulatis, & arce sanctæ Crucis ampliata, ad eum transmissis in ejus auxilium bis millibus equestribus per Florentinos, & Carrariensem die quinta decima Novembris simulata reconciliatione cum Joanne Ponzono, illum cum Ponzino filio veneno sustulit die sexta Decembris. Et Otho, & Franchinus Rusci de mense Julii occuparunt No-
F vicomum, illinc expulsis Vitanis, & mox fuerunt expulsi per Pandulphum & Galeatium Malatestas duces Viccecomitis. Et Facinus Canis Vercellas, & de mense Septembris Alexandriam, ea direpta, ac multa alia oppida in ea regione. Et Bucicardus Gallus, staturæ plusquam humanæ, & robustissimus, occupata Derthona movit bellum Vicecomiti, ut dominium Mediolani subjiceret Carolo duci Aurelianensium. Et Bartholomæus J. C. & Paulus Benzoni die secunda Novembris per Cremenses electi fuerunt eorum domini. Et Gentilinus Suardus Bergomensis, accersitus per Cremenses factionis Gibellinæ adversus Benzonos, & in eorum auxilium adversus ipsum ex Cremona per Cavalcabovem destinato Fondulo, ibi inter eorum acies & factiones commisso certamine fuit vulneratus, & illinc ductus Bergomum. Ab hora secunda noctis præcedentis diem decimam sextam Decembris usque in auroram conspecto in aere ingenti globo igneo.

Anno subsecuto, Cremonæ prætore Belmundo A. C. 1404.
de Canudatis J. C. Ariminense, Otho Tertius, Cabrinus Fundulus, Joannes de Vignate eorum factiosis ingressi die quinta decima Martii Placentiam, eam diripuerunt. Et Facinus Canis, dux supremus Jo. Mariæ Viceecomitis, eos insecutus, illos illinc expulit, & dum eam quoque depopularetur, Otho Tertius adhuc eam regressus, eo inde expulso, prædæ rursus exposuit, & per Jacobum Vermium illuc etiam profectum illinc expulsus, ejus agros deprædatus fuit, & deinde Philippus de Arcellis eam occupavit. Franciscus Suardus Soncini filius expulsus è Bergomo per Coleones, Mastino Vicecomite filio Bernabovis duce, multa utrinque patrata cæde cum ejus factione, ejus suburbia diripuit, ac ferro & igne evertit, & mox Reduviam expugnavit, & solo æquavit, & Cremam profectus adversus Benzonos, eis illinc expulsis, ipsam occupavit, & illinc profectus Piceleonem, ipsum obsedit, & dum illud oppugnaret secum junctis Cremonensibus ac Soncinatibus suæ factionis, spe sibi data per ibi arcis custodem eo potiundi, Guelphi illuc ad subsidium profecti Cabrino Fundulo duce, & eos obsessores aggressi, tum in aquis, tum super aggere fluminis Abduæ secus illum labentis profligarunt, ex eis supra ducentum occisis, & dum Suardus illinc aufugisset, Guelphis eum insequentibus, ibi sagitta vulneratus interiit. Paulus Coleo ejus factione occupavit Tricium. Ugolinus Cavalcabos permisso Hectore, seu Astorgio Vicecomite accedere Cremonam, & Gibellinis illic restitutis, Joannem, & Marchinum de Sfondratis, Petrum Canutium, Antoniolum, Lucam, Georgium, & Massonerium Oldoynos, Bartholomæum de Sancto Petro, Joannem Pavarum, & Betinum Molam, cum sibi delati fuissent tractasse prodere Cremonam Astorgio, ac Gadiis, & Picenardis factionis Gibellinæ, jussit capi, & post atrocissima tormenta de eis habita decapitari, & Joannem Amatum Vidiceti dominum per Joannem Aliprandum veneno tolli, ac multos alios factionis Gibellinæ occidi. Corradus, & Priamus, & alii Dovarienses, & domini Insulæ Dovariensium ex agro Cremonense, eam Francisco Gonzagæ Principi Mantuæ subjecerunt. Rusconi Balthesare duce commissa pugna cum Vitanis contrariæ factionis Novicomi, ex utraque factione desideratis octuaginta; una cum Balthesare ibi suburbia depopulati sunt, ac everterunt, & Belinzonam, & multa oppida ejus regionis suppeditarunt. Franciscus Carrariensis, adductis in ejus partes Gulielmo Scaligero accersito ex Germania, Rodulpho Vicecomite filio Bernabovis, inhiantibus recuperationi civitatum olim dominii antecessorum suorum, & ab eis habitis aureis triginta millibus, Scaligero promisso dominio Veronæ, & Vicecomiti Mediolani, exercitu coacto Veronam obsedit, ac recepit, & dimisit cum toto ejus territorio Scaligero die septima Aprilis, & decima nona eam ingressus Gulielmum die vigesima prima ex humanis sustulit, Brunorio & Antonio ejus filiis carceratis in arce Montis Cilicis, & Vicecomite etiam ex humanis sublato.

Pandulphus Malatesta, Paulo Sabello, Jacobo

A Vermio, & Jacobo della Cruce, Othone Tertio, & Facino Cane, ducibus Vicecomitis, ex Bononia expulsis, cum aliis magistratibus Vicecomitis per Bononienses, dum se permiserint summo Pontifici, per eum in Vicecomitem percusso fœdere cum Florentinis, & Bononiæ constituto Legato Apostolico Baldesare Cossa, & regressis in Galliam Cisalpinam eorum copiis, una cum eis, ac Petro Gambara, ac aliis factionis Gibellinæ ingressus Brixiam, ibi Urbiculam occupavit Cabrino Fundulo, qui ibi erat valida manu armatorum, & mille ducentum Bergomensibus ad ejus præsidium, illinc expulso in urbem, eamque cum vellet ingredi, & nec posset ob propugnacula ibi ad ripas Gardæ illac labentis erecta per Guelphos, & inita concordia inter utranque factionem, Cabrinus illud præsentiens, illinc aufugisset, ipsam cepit, & mox discordia inter eas factiones sequuta, Carrariensis per Guelphos accersitus fuit in Gibellinos, illinc expellendos, sibi promisso dominio Brixiæ, & admonito Gonzaga Principe Mantuæ, ut in ejus partes descenderet, sin minus eum haberet pro hoste, ad eam profectus copiis suis nixus fuit ex ipsa Gibellinos expellere, sed sibi resistentibus Tertio, & aliis ducibus, ac Gambara, & Gibellinis, ibi Jacobo Anello prætore, illinc abiit Vincentiam, eamque obsedit; sed Vincentini recusantes ejus dominium subire, destituti spe habendi auxilium à Vicecomite, ex consilio Catharinæ ejus matris, una cum Feltrensibus, Belunensibus, & Bassanensibus, se permiserunt Venetis. Rolandus Pallavicinus de mense Maji Jacobum & Petrum fratres de Rubeis, ac Corrigienses insimul junctis armis obsidentes oppidum Scipionis sui juris, eis occurrens copiis suis ad Costam medianam, illos fudit, per ipsos Costa mediana, ac palatio Pallavicini Varrani, & per Pallavicinum Plebe octo villarum direptis, ac combustis, & utrinque commissa pugna multa cæde. Otho Tertius, Rubeis ipsis expulsis ex Parma, ex eis, & aliis factionis suæ multis occisis, eam ac Rhegium occupavit. Ugolinus Cavalcabos die XIII. Decembris nocte intempesta, dum una cum Cæsare, & Marsilio ejus agnatis, Cabrino Fundulo, Georgio Benzono, & Brixiensibus, & multis aliis factionis suæ, & D. equestribus & mille pedestribus iret Brixiam, ut ibi haberent comitia, fuit interceptus, & captivatus per Estorem Vicecomitem, & alios factionis suæ Gibellinæ penes Manerbium cum Marsilio, & Cæsare, & multis aliis, & illinc conductus Soncinum, & inde Mediolanum, & ibi carceratus. Et die decimanona Carolus Cavalcabos factus dominus Cremonæ, ibi prætore Donino de Garimbertis.

A. C. 1405. Et anno 1405. Ugolinum, dum deceptis custodibus è carcere illuc aufugisset, eumque è medio tollere tentasset, die XIII. Maji occupata arce sanctæ Crucis ope Cabrini Funduli carcerari jussit, & dum in vico Piscaroli construi fecisset arcem, & multi ex ibi incolis in eum indignati, una cum Rolando Pallavicino, & Francisco de Agasonibus, olim prætore Cremonæ pro Ugolino, & Caroli duce supremo conspirassent, intenderentque prodere civitatem Estori Vicecomiti, illos jussit capi, & furcis suspendi extra portam Mosiæ, & Franciscum decapitari re in lucem prodita. Pisani occuparunt Massiam & Grosettum, & cum noluerint agnoscere Gabrielem Vicecomitem in eorum dominum, Gabriel vendidit Pisas Florentinis, & Genuam profectus jussu Bucicardi rectoris ibi pro Rege Gallorum, illic fuit captus & decapitatus. Et Florentini Pisanis recusantibus eorum dominium, orto inter eos bello intestino, Pisas exercitu obsederunt, Luca de Flisco supremo duce, & Massio Albitio, & Cinna Capone legatis. Bonifacius summus Pont. conciliatis Columnensibus & Ursinis, invicem belligerantibus, & per Ursinos fusis Columnensibus, ex dolore laterum die prima, seu sexta Octobris noni anni quintidecimi sui Pont. obiit. Et Gosmatus Melioratus Sulmonensis, & Cardinalis, factus summus Pont. & nominatus Innocentius VII. Catherina Vicecomite relicta Jo. Galeatii jussu Jo. Mariæ ejus filii carcerata, & ex dolore animi mortua in arce Modœtiæ die XV. seu XVIII. ejusdem mensis.

A. C. 1406. Anno proximo, Francisco Castillionæo Præsuli Cremonæ, defuncto Bartholomæo de Capris etiam Mediolanense substituto, Cabrinus Fundulus, cujus ope & consilio utebatur Carolus Cavalcabos tam in re pacis, quam belli, & cui æque ac Carolo parebant arcium præfecti, ac alii magistratus, intendens occupare dominium Cremonæ, facto tra- B ctatu cum Othone Tertio Parmæ tyranno, sibi pollicito Cremonæ dominio, præparato convivio in oppido Maccasturmæ agri Cremonensis sibi dono concesso per Carolum, cum redeuntem ex Mediolano, ubi cum Jo. Maria ibi Duce fœdus percusserat, Cremonam die vigesima quarta Julii una cum Andreasio Jurisconsulto, filio Giberti, & multis aliis agnatis suis, ac primoribus, ex itinere sibi obvius factus conduxit in ipsam arcem, & ibi excepit hilari fronte, & præparatis illic satellitibus, neglecta omni fide, ac violato jure hospitii, & convivii, incautum, & de eo non timentem, & jacentem in lecto una cum aliis novem ibi obtruncavit, & ad eum per Othonem Tertium admonitum de hac perfidia, & horrendo facinore, statim destinato Spa- C rapano duce suo equestribus sexcentum juxta conventa inter eos, ipsis & tribus millibus octo centum, & nonnullis cohortibus pedestrium, inde properavit Cremonam, & dato ingressu in eam per arcem à Fundulo de Fundulis & Mapheo de Moris ejus præfectis, & convocato populo Cremonense super ibi platea, & ad eum longa habita oratione ipsis persuadendo, ut vellent recipere illum in dominum, qui se adversus eos probe ac juste gessisset, sin minus ipsos ad id compulisset, ac civitatem diripi fecisset, per Cremonenses ob id, & cum viderent illum esse fultum tot militibus, deterritos, receptus fuit in eorum dominum D die vigesima quinta Julii, & communitis ibi arce & portis, simulans se velle ire spaciatum extra eam cum Sparapano, & cui commiserat Otho, ut civitatem teneret usque ad adventum illuc suum, illum ac milites suos bonis ac blandis verbis eduxit extra ipsam, & statim eam regressus, & occlusis ipsius portis jussit Sparapanum suis militibus, quibus non indigeret, illinc abire domum, quia dominium Cremonæ penes se tenere volebat, ut Sparapano ita deluso necesse fuerit inde redire Parmam ad Othonem, qui eum, quia permiserat se deludi, capi & decapitari jussit, & Fundulus, cum tredecim ex familia Cavalcabovum, audita nece Caroli & aliorum, se recepissent in arcem, eos in E potestatem suam habitos, & alios ex primoribus factionis diversæ Cremonensium, & sibi infensos ac suspectos, & inter alios illos de Picenardis, ut dominium Cremonæ sibi stabiliret, una cum Ugolino, & filio ipsius naturale infantulo humi alliso, & coram patre immaniter necato, jussit de medio tolli, eorumque domos everti, ac bona diripi, & etiam in vicis Rubeci, Plebis Delmonæ, Quistri, Sancti Danielis, & aliis agri Cremonensis propugnacula, Octobris mense præcedente munita, demoliri, & in vico sancti Johannis in cruce arcem erigi, ex familia ipsorum de Cavalcabobus ex virtute omnipotentis Dei uno tantum infantulo Gulielmo nominato reservato, & dominio ipso sta- F bilito, inducias fecit cum Joanne Maria Vicecomite Duce Mediolani, & arcis sanctæ crucis constituit præfectum Joannem de Fundulis, & à Joanne Maria Vicecomite habuit Soncinum sub feudo. Gravi penuria annonæ vigente, & ex gravi frigore hyeme elapsa congelatis torrentibus.

An-

A. C. 1407. Anno sequente Otho Tertius Mediolanum obsedit, & cum Mediolanensibus & copiis Vicecomitis factis ibi nonnullis præliis, inde ejus acie profectus Placentiam, eam ingressus nocte præcedente diem vigesimam Septembris diripuit, & inde etiam, ibi commissis nonnullis levibus præliis cum Jacobo Arcellano illic tyranno, per eum expulsus rediit Parmam, & pingi fecit in ejus scuto effigiem Arcellani uti proditoris, & coram se per armigerum deferri, & mox solemniter campana Parmæ sonata ibi in foro comburi, ejusque cineres exponi super turri altiori, & illinc urgentibus ventis dispergi per universas orbis partes, jam die vigesima sexta Julii recepto Burgo S. Donini à Rolando Pallavicino, Franciscus Rusca de mense Martii expulit ex Novicomio Vitanos, Petrus Colleo Bergomensis olim expulsus ex Bergomo, & relegatus Mediolanum per Piceninum Vicecomitem, uti hostis suus, inde cum ejus factione profectus Tricium, illud occupavit, & nec multo post à suis domesticis occisus fuit, superstite Bartholomæo filio. Joannes Suardus, expulso è Bergomo Picenino Vicecomite ob ejus tyrannidem, eo potitus fuit. Cabrinus Fundulus de mense Maji Pandulphum de Picenardis & duos ejus filios jussit decapitari.

A. C. 1408. Et anno sequuto, Cremonæ prætore Petro de Fusio Parmense, inter eum & Othonem Tertium gestum fuit bellum. Jo. Maria Vicecomes die vigesima prima Martii desponsavit Antoniam filiam Malatestæ de Malatestis. Et dum Jacobus Arcellanus, expulsus ex Placentia per Bucicardum Gallum, die vigesima secunda mensis Augusti occupasset Vercellas, in eum Facinum Canem ducem suum ex Alexandria, quam occupabat, destinavit copiis suis, & suppeditavit Placentiam, & Genuam recepit die prima Julii. Pandulphus Malatesta filius Galeatii, tentata occupatione Mediolani, inde re in lucem prodita Brixiam profectus, eam occupavit, illinc absente Estore Vicecomite ibi Vicedomino in pago Provalii, ubi eum captivavit, & mox dimisit, recepto ab eo Pallazolo, quod una cum Colonia, & multis aliis oppidis, ac pagis agri Brixiensis diripi, ac ferro & igne vastari commisit. Franciscus Gonzaga occupavit Bozulum, & Sablonetam Com. de Persico.

A. C. 1409. Anno subsequuto Otho Tertius die XXVII. Martii apud Ruberiam, cum ibi causa sedandi belli inter eum ac Nicolaum Principem Ferrariæ vigentis colloqueretur cum Nicolao, in ejus gratiam fuit obtruncatus per Sfortiam, & Michaelem Attendulos, ejus cadavere dimisso in terris, inde suis aufugientibus, tracto Mutinam, & ab ibi incolis lacerato, & tradito suibus ad devorandum, & seu ut aliqui dicunt Ruberiæ captivatus, & illinc conductus Ferrariam, & ibi decapitatus. Et Parmenses die XXX. Junii ob odium, quo ipsum prosequebantur, ac Rhegienses die XXIII. Julii se permiserunt Estensi, Guererio filio Othonis in arce Parmæ obsesso per Sfortiam, donatum ab Estense Monticulo cum insigne adamantis turbinati inclusi annulo aureo. Rolandus Pallavicinus recepit Burgum Sancti Donini. Veneti occuparunt Casale majus, & Brixellum die VIII. Julii. Joannes de Torso occupavit Soncinum, sibi data arce per Jacobum de Covo, commissa pugna inter Pandulphum Malatestam & adhærentes ex una, & Theodorum Palæologum Marchionem Montisferrati, Facinum Canem, & Hectorem Vicecomitem ex altera, eorumque acies in valle Ravagnana, multi occubuerunt, & mox se composuerunt.

A. C. 1410. Anno 1410. Cremonæ prætore Anitio Turriano, auditoque de mense Januarii tonitru procelloso, ac stella crinita die x. Martii conspecta, Jo. Maria Vicecomes constituit rectorem Mediolani Bucicardum Gallum, eoque dissuadente Antonio Turriano ex consultoribus Vicecomitis non admisso, & obsesso Novio oppido Genuensium per Palæologum, & Facinum, & Estorem Vicecomitem, in ipsos acie profecto, & ibi utrinque collatis signis profligato, constituit Palæologum gubernatorem Genuæ. Joannes de Vignate die x. Novembris, data pecunia Gallis tuentibus Placentiam pro Vicecomite, eam occupavit. Facinus Canis bello infestavit Carolum Malatestam, occupantem spreta fide ac tutela Vicecomitis Brixiam, ac Cabrinum Fundulum agris Cremonensium, Bergomensium, ac Brixiensium depopulatis, & cum Vicecomes, ut se, ac Papienses à molestiis, quas sibi quotidie inferebant Castelinus Becaria, & alii factionis suæ, cursitando ac diripiendo agros Papiensium, liberaret, pacem cum Becaria fecisset, sibi tradita arce pontis Ticini, Papiam ingressus, eam occupavit die XXIII. Decembris, ibi bonis utriusque factionis direptis. Roberto Bavaro Cæsare, anno Imperii sui decimo mortuo, substitutus fuit Sigismundus Rex Boemiæ & Ungariæ.

Altero anno summus Pont. una cum Sfortia ex Florentia abiit Bononiam, & Jo. Maria Vicecomes redegit in sui potestatem Bergomum. Facinus Canis, Joanne de Torso captivato in agro Bergomense per milites Cabrini Funduli occupavit Soncinum. A. C. 1411.

Anno sequente Jo. Maria Vicecomes, Dux omnium crudelissimus, & qui magnos canes ali faciebat, quos ad id assuefactos excitari jubebat in Mediolanenses, & alios sibi exosos, & ab eis crudeliter dilaniari, in mane diei XVI. Maji anni decimi sui Ducatus in ecclesia S. Gotardi, dum ibi interesset missæ, fuit occisus per Paulum & Andream fratres de Badagiis, Ambrosium & Othonem Vicecomites, Joannem Pusterlam, Franciscum & Luchinum del Farina, Ambrosium, Gabrielem, & Franciscum de Aliprandis, Parisium Concorregium, Magnum Paganum, illos de Mainis, & de Mantegatiis, & alios conjuratos in eum, non valentes illius crudelitati resistere, una cum Squarzino Germano. Et Jo. Carolus, & Estor, filii Barnabovis Vicecomitis, ingressi sunt Mediolanum, & Facino Cane ex oppido S. Evasii Galliæ Subalpinæ, ejus duce supremo, die IV. Maji mortuo ex febre contracta in obsidione Bergomi, inde delato Papiam, Philippus Maria annorum XX. die XXIV. Maji duxit uxorem Beatricem Attendulam, relictam Facini, quadragenariam, ingenti pecunia, ac supellectile valoris aureorum quatuor centum millium, Alexandria, Vercellis, Novaria, & Derthona, quas suppeditarat Facinus, habitis pro dote, & opera ipsius etiam receptis in ejus partes Francisco Busono nuncupato Carmagnola, & Sicco de Montagnana, ducibus Facini inter se discordibus, & constituto ejus duce supremo Matthæo Theutonico olim Pergulani milite, eis ac Vincentio Marliano, præfecto arcis portæ Jovis Mediolani, adhortantibus ac adjuvantibus, recuperavit dominium Mediolani, inde expulsis Estore, & Sacramoro, & Jo. Carolo filiis Barnabovis, illud occupantibus, & multis complicibus necis fraternæ captivatis, & ultimo supplicio affectis, habuit Seprium die x. Junii, & die XVIII. Novembris redegit in sui potestatem Modœtiam, cum Estore, qui illuc ex Mediolano aufugerat, introductus per ibi arcem, ac recuperavit Canturium, Jo. Carolo Vicecomite cognominato Picenino, illud occupante, inde expulso, ducibus Carmagnola, & Castelino Becaria. Et Joannes Lancius Bergomensis ei dimisit oppidum Molinellæ, in quo erat obsessus jam decennio per Malatestam, sibi data multa pecunia, & concessis multis privilegiis. A. C. 1412.

Cabrinus Fundulus occupavit Pumenengum illorum de Barbobus, ibi Christophoro & Gabrino de Barbobus captivatis, una cum Lancelago filio Christophori, & conductis Cremonam, & ex

 ejus

ejus juſſu ab ibi turre altiore præcipitatis, & occiſis, & etiam Cadegnanum, & acie profectus Soncinum, illud obſedit, ibi constructo propugnaculo, ad ejus præſidium impoſitis duabus cohortibus peditum, illucque conducto tormento bellico, ex quo per bimeſtre continuum fuerunt projecti globi ferrei in oppidum Soncini, illud oppugnando, illiuſque agros diripiendo, & Soncinates non valentes ei reſiſtere ſe ſubjecerunt Joanni Tuſco ductori equeſtrium Pandulphi Malateſtæ, & cui parebant Cadignanum, Fontanella, Covum, Antiniate, Romanum, & nonnulla alia municipia ibi finitima, & nupta erat filia Jacobi de Covo præfecti arcis Soncini, & qui expugnavit illud propugnaculum, inde expulſis militibus Funduli, & mox inter eos, dum vixerunt, fuit bellum continuum. Et cum Cabrino, & Gremenſibus, & Novicomenſibus confœderatis die XII. Novembris fecit inducias Philippus Maria Vicecomes, Bartholomæo de Capris præſuli Cremonæ, dum factus fuiſſet Archiepiſcopus Mediolani, ſubrogatus fuit auſpiciis Funduli Conſtantius agnatus ſuus. Et Reſpublica Cremonenſis conceſſit die V. Januarii mercatoribus fuſtanei palatium ſanctæ Agathæ. Sigiſmundus Cæſar, ad tollendum ſchiſma Eccleſiæ, Gallorum & Anglorum Reges convenit.

A. C. 1413. Anno ſequuto, Pandulphus Malateſta menſe Junio copiis ſuis curſitavit agrum Cremonenſem, Cremonamque obſedit, ac tormentis bellicis illuc conductis illam oppugnavit, & facta eruptione in eum per Fundulum ejus acie repulſus fuit, nonnullis ex ipſis tormentis obturatis clavis ferreis. Joannes ſummus Pont. ex Bononia ſe recepit Mantuam, Bononienſibus tunc ſe vendicantibus in libertatem, arce ibi erecta demolita, & mox Cremonam, & illinc Laudam. Et Sigiſmundus Cæſar ex Pannonia acceſſit in Galliam Ciſalpinam, & Papiam profectus, ibi ſummo cum honore fuit receptus per Vicecomitem; & illinc etiam Laudem ad ſummum Pontificem, ubi in eccleſia ibi cathedrali in die Natalis Dominici celebravit miſſam, & Cæſar ad eam cecinit Euangelium, exivit edictum ab Auguſto Cæſare, & creavit Equitem Joannem de Vignate ibi, ac Placentiæ tyrannum, & Joannem Jacobum Palæologum, filium Theodori, conſtituit Vicarium ſuum in Italia ibi aſſiſtentem, una cum Franciſco Gonzaga Mantuæ Regulo, & dum die decima octava Maji eſſet Utini in regione Forilivii, in gratiam & ad poſtulationem Funduli conceſſit privilegium, ut poſſet haberi Cremonæ gymnaſium, in quo poſſet vacari omnibus ſcientiis, & in eis creari doctores cum eiſdem immunitatibus, quibus fungerentur Lutetia, Bononia, & aliæ civitates, in quibus forent hujuſmodi gymnaſia.

A. C. 1414. Et anno ſubſequuto ipſe & ſummus Pontifex ex Laude iverunt Placentiam, ubi comiter & ſummo cum honore recepti fuerunt per Viniatenſem, Cæſari conſignatis clavibus portarum, eiſque munitis præſidiis, & illinc die ultima Januarii acceſſerunt Cremonam, quam ſummus Pont. ingreſſus fuit per portam Padi, & Sigiſmundus per portam ſancti Lucæ, & ibi per Fundulum egreſſum arcem, & ejus ac civitatem conſignatis clavibus Sigiſmundo, ſummo cum honore recepti fuerunt, & comitia habuerunt adverſus Ladiſlaum de eo expellendo ex Latio, ubi occuparat multa oppida Eccleſiæ, ac Piceno, & Hetruria, ubi gerebat bellum adverſus Florentinos, & quibus comitiis interfuerunt Fundulus, & Thomas Mocenigus patritius Venetus, & pro Venetis Legatus, & inde iverunt Mantuam, ubi etiam ſummo cum honore eos ſuſcepit Gonzaga, & ibi adhuc ab ipſis habita fuerunt comitia in Ladiſlaum, & mox ex Mantua ſummus Pontifex ivit Bononiam, & ibi juſſa inſtaurari arce ibi demolita, (ut præfertur) illinc diſſuadentibus amicis de menſe Septembris ivit in Germaniam, & Conſtantiam urbem provinciæ Moguntinæ, ubi indictum fuerat Concilium, licet jam pronunciaſſet illud Romæ fieri debere, tranſmiſſis jam ob id in Germaniam duobus Cardinalibus Conſtantiam, ad quam applicuit die vigeſima octava Octobris, jam multis prælatis & Principibus tum Italiæ, tum aliarum regionum Chriſtianorum illuc profectis, & nec multo poſt Sigiſmundo Cæſare, qui & in Natali Dominico Conſtantiæ celebrata miſſa per Joannem ſummum Pont. ad eam rurſus uti diaconus cecinit Euangelium, exivit edictum à Cæſare Auguſto. Vicecomes à Georgio Benzono, dum per Malateſtam bello infeſtaretur, eum accuſando, quod adverſus ipſum opem tuliſſet Fundulo, habuit Cremam, ejuſque, ac Pandini conſtituit Comitem ſub feudo.

A. C. 1415. Anno 1415. Cremonæ prætore Auguſtino de Ozula Parmenſe, inchoata fuit generalis Synodus Conſtantiæ, cui interfuerunt Joannes Coſſa, Sigiſmundus Cæſar, XXXII. Cardinales, IV. Patriarchæ, Archiepiſcopi XLVII. Epiſcopi CLX. ac multi Abbates, & Prælati, ac Religioſi, & inter eos Franciſcus Regatius Cremonenſis, filius Jacobi ex Apollonia de Oculo auri, ex Religioſis Ordinis Minorum Conventualium divi Franciſci, & inſignis Theologus, & ob ejus eximiam doctrinam, & diſputationes mirabiles ibi factas, fuit creatus Epiſcopus Bergomi, & triginta millia equeſtrium, & facta fuit Sanctio Synodum legitime congregatam habere ſtatim à Chriſto poteſtatem. Bononienſes Antonio Galeatio Bentivolio, Guidone Pepulo, & Matthæo Canedulo ducibus, expulſo ex Bononia legato Apoſtolico, ſe vendicarunt in libertatem demolita adhuc ibi arce, & apud eam commiſſa pugna inter eccleſiaſticos Gonzaga Principe Mantuæ, & Andegavenſes Pandulpho Malateſta ducibus, & ſuccumbentibus Andegavenſibus Malateſta illinc aufugiens in agrum Cremonenſem ejus copiis, ipſo occupato præter oppidum Piceleonis, & Caſtrumleonis obſedit, & oppugnavit Cremonam, & cum nequiverit occupare, habita pecunia à Fundulo, & ſibi reſtitutis omnibus, quæ occuparat, illinc abiit. Et Gonzaga exſuit Cavalcabo-ves Vitelliana.

A. C. 1416. Anno proximo Joanne Pragenſe, & Joanne Huſſo hæreticis Boemiæ, Conſtantiæ ibi in Synodo factis diverſis Seſſionibus ac diſputationibus per Theologos, ex omni ditione Chriſtianorum illic coactos, coram Sigiſmundo Cæſare data omnibus copia dicendi, quicquid ſentirent de religione Chriſtiana, cum nunquam ab eorum hæreſi aliquibus argumentis ac exhortationibus potuerint flecti, damnatis ad ignem, & combuſtis. Et Joannis Viclef eorum præceptoris damnata doctrina, Joannes Coſſa multis vitiis ſibi objectis, quibus laborabat, ad evitandum cenſuram bonorum, illinc aufugit cum ejus familia, & multis Cardinalibus per ipſum creatis auxilio Federici Ducis Auſtriæ Secuſiam, & mox Liburgum, & dum proficiſceretur ad Ducem Burgundiæ itinere retractus, in vico ſancti Marci prope Conſtantiam carceratus, & mox conſignatus Ludovico Romano Comiti Palatino, & carceratus non longe ab Edelburgo, datis ſibi cuſtodibus Theutonicis ignaris idiomatis Latini, privatus fuit Pontificatu ex ſanctione Synodi per eum approbata. Et Carolus Malateſta loco Angeli Cornelii, qui etiam creatus fuerat ſummus Pont. & cum mandato ſuo ſpeciali miſſus Conſtantiam ad Synodum, certioratus de ſanctione facta per eum, ut Cornelius quoque ſe abdicaret à Pontificatu, ſedendo in Sede Apoſtolica ad id ibi parata cum inſignibus & indumentis pontificalibus ſe ab eo ſolemniter abdicavit. Petrus Lunenſis Antipapa au-

autem, quamvis Sigismundus profectus cum legatis Synodi ad Reges Gallorum, & Aragonum fautores suos, & ad eum omne studium adhibuerit, ut ipse quoque pro quiete Reip. Christianæ deponeret pontificatum, & ab eo defecerint Hispani, & alii, qui prius ei adhæserant præter Scottos, & Arminiacos opinionem suam adhuc sequentes, pontificatum ipsum nunquam voluit deponere, sed cognita ejus pertinacia per Synodum, ab eo fuit depositus. Vicecomes die sexta Aprilis Leucum recuperavit, & de mense Augusti Laudam, dolo ibi captivatis Joanne, & Jacobo, & Ludovico patre, & filiis de Vignate, & conductis Mediolanum, & ibi furcis suspensis, & die XI. Septembris habuit Novicomum à Rusconibus, eis data pecunia cum Comitatu Lugani.

A.C. 1417. Anno sequente, Cremonæ prætore Antonio Barraterio Jurisconsulto Placentino, redegit in sui potestatem Tricium, Matthæo Theutonico illius duce supremo, illic infirmato ex fluxu ventris, & cum illinc fuisset delatus Mediolanum, ibi mortuo, eique substituto Carmagnola, eo duce recepit Cremam ex proditione facta in Georgium Benzonum, eam occupantem, per ejus nepotem ad id inductum pecunia, ac pollicitationibus à Carmagnola, adoptato in Vicecomitum familia, data etiam ei ex ipsa uxore, eumque jussit obsidere Placentiam anno superiore occupatam per Philippum Arcellanum, & Georgio Valperga etiam duce suo die tertia decima Maji equestribus circiter ducentum profecto Soncinum nocte diei quintidecimi, nulla habita ratione fœderis, quod erat inter Vicecomitem & Fundulum, occupavit Castrum Vicecomitis, & ibi dimissis decem & octo militibus ad ejus custodiam, eo Georgio profecto ad municipium Ponzonorum, Fundulus illuc profectus ipsum, ibi occisis eis militibus, recuperavit, & mox dimisit, & inchoato bello inter eum & Vicecomitem, Carmagnola dimissa Placentia ejus acie ingressus agrum Cremonensem, & ibi conjuncta cum turmis Valpergæ, & Joannis Olgiati etiam ducis Vicecomitis, die tertia Julii per Jacobum Covum, & Petrum de Barbobus pedestribus Soncinatibus sexaginta, & fossoribus centum pro Vicecomite, occupato Tribulo ad principium Julii cepit Soresinam, Grugnitortum, Luignanum, & vicum sancti Joannis in cruce, & multas alias terras agri Cremonensis, & die duodecima obsedit, & vigesima recepit vicum Jovis altæ, inde abductis quamplurimis tormentis bellicis, quæ ibi erant, & mox Pumenenghum, & parte exercitus trajecto flumine Abduæ, ea ingressus agrum Laudensem dimisso Pergulano equitibus tercentum ad custodiam terrarum occupatarum in agro Cremonense. Fundulus die prima Augusti expugnavit Plebem Dulmonæ, ad cujus præsidium erant equestres circiter ducentum, & pedestres quinquaginta multa supellectile, & annona, & inter quos fuerunt Cremonenses circiter centum, qui fuerunt capti, & conducti Cremonam.

Et cum in auxilium Funduli supervenissent Nicolaus Tolentinas & Biancharellus, ex ducibus Malatestæ, copiis sibi per eum destinatis recuperavit Piscarolum, Soresinam, Casalebuttanum, Casalemoranum, & Grugnitortum, & multas alias terras sibi ademptas per Carmagnolam, & ad quarum præsidium erant equestres circiter quinque centum sub Pergulano, Olgiato, & Joanne Cremonense etiam duce Vicecomitis, cum multa supellectile, & annona, & qui fuerunt captivati. Et incolæ Casteleti de Ponzonibus, & vicus sancti Joannis in Cruce metu, seu odio Funduli se permiserunt Malatestæ tunc degenti in Flaminia. Et Tolentinas die nona & decima Novembris expugnavit tormentis bellicis Pumenenghum, ibi occisis octo, qui erant ad ejus præsidium. Et Fundulus die duodecima recepit Bordolanum, & expugnavit Maccasturmam. Carmagnola autem die secunda Augusti in potestatem Vicecomitis jam potiti Vercellis redegit Placentiam, præter ibi arcem sancti Antonini, & Urbiculam, ei resistentibus Becariensibus, Thoma Fulgosio Duce Genuæ, ac Pandulpho Malatesta fœderatis, Philippo Arcellano ibi tyranno inde expulso, & diripuit, omnibus ibi incolis jussis abire Laudam, & Papiam; sed non multo post Arcellanus eam ingressus, omnia, quæ illic remanserant, rapuit, peste tunc in Italia sæviente.

Et Vicecomes anno sequuto Carmagnola duce debellavit in agro Papiense Becarienses, nonnullis ex eis occisis Papiæ, ibi capto Lancellotto, & furcis suspenso, & Vigleria, & nonnullis aliis oppidis ibi finitimis, quæ occuparant Becarienses, & mox proditione oppido Gavii receptis, movit bellum Antonio Fulgosio Duci Genuensium, ejus ac Genuensium exsulum acie ingresso Vallem Pulcefaram, & ibi captivato Bartholomæo fratre Philippi Arcellani, & filio, & die vigesima Maji captis Placentiæ arcibus post longam earum obsidionem, illuc conductis, & ibi ante mœnia suspensis ad furcas, illinc expulso Arcellano, & profecto ad stipendium Venetorum, & mox Patavii mortuo, superstitibus Lazaro filio, ac filia mox nupta Thadeo Estensi. Die vigesima quinta Maji equestres ultra mille quinque centum cum fossoribus quatuor centum Malatestæ reguli Brixiæ concursarunt, ac devastarunt agrum Soncinatum, ibi omnibus segetibus ac arboribus incisis, fundisque direptis, in quos, dum Soncinates, habitis in eorum auxilium à Vicecomite equestribus quatuor centum, irruissent, die vigesima septima utrinque commisso certamine, eos inde repulerunt, ex illis captivatis supra quinquaginta, & duodecim occisis. Et die vigesima nona ex copiis Funduli, dum irrupissent agros Romenenghi, ab ibi incolis fuerunt captivati sexaginta, & sex occisi. Constantiæ, dum ibi durasset Synodus per quadriennium, quo Sedes Apostolica vacasset, die undecima Novembris, & solemnitatis divi Martini horis tertiarum per Cardinales ibi congregatos, & alios sex ex unaquaque natione electos, per Synodum fuit creatus summus Pontifex Odo Columna, patre Agapeto, Cardinalis tituli sancti Georgii ad vellus aureum, & nominatus Martinus Quintus, cujus pedes osculatus fuit Sigismundus Cæsar, prius ingressus conclave nulla habita ratione suæ dignitatis, & multis gratiis actis electoribus per eos tanto viro electo, & qui approbata Synodo sancivit aliam celebrandam esse usque ad quinquennium, & aliam illinc ad sexcennium, & mox singulo decennio in aliquo loco idoneo, ut de rebus Reipublicæ Christianæ pertinentibus tractaretur, & pro prima elegit Papiam. Et Alemanum Aldimarium Florentinum Cardinalem tit. sancti Eusebii cum potestate legati à latere destinavit in Aragoniam, ut pœnis ac censuris ecclesiasticis cogeret Petrum Lunensem, illic se continentem in oppido Insulæ Paniscoliæ, se abdicare à pontificatu per eum nunquam deposito, licet enixe rogatum per anti-Cardinales, qui secum erant, & ex eis quatuor, ac Scotti ab illo defecerint. A.C. 1418.

Et anno subsequuto die decima nona Maji dissoluta Synodo Constantiæ, illinc per Sabaudiam rediit in Italiam, & die duodecima Octobris Mediolanum ivit, & ibi summo cum honore ac læto vultu receptus fuit per Vicecomitem, & illinc ivit Brixiam die decima octava, & inde Mantuam, & ibi eo, & Gonzaga auctoribus inter Vicecomitem, ac Malatestam, ei anno præcedente, quia opem tulisset Arcellano, ac Fundulo moto bello per Vicecomitem, ac dolo adepto Bergomo sibi prodito per Guidonem della Capella ibi arcis custodem Carma- A.C. 1419.

magnola duce, facta pace, Malatestæ dimissa Brixia, quousque vixisset, ex Mantua abiit Ferrariam, & illinc Florentiam, omissa Bononia, quæ in libertatem se vendicarat, expulso illinc præsidio ecclesiastico, & Florentiæ episcopum creavit archiepiscopum, ei suppositis præsulibus Pistoriense, Volaterano, & Fesulano, & jussit insigniri Joannam Andegavensem corona utriusque Siciliæ, ut ab ea haberet copias auxiliares in Brachium obsidentem arcem Adriani Romæ. Carmagnola die prima Maji exercitu Vicecomitis irrupit agrum Cremonensem, & ex eo cepit Castrum novum buccæ Abduæ, ac diripuit, ibi rectore furcis suspenso, & terras Maleti & Maccasturmæ, ac expugnavit Tribulum, & mox cepit Piceleonem cum arce, & die duodecima Junii Platinam, quam diripuit, & mox ferme ibi omnia redegit in sui potestatem præter vicum Binæ, & Castrumleonis, Malatesta acie auxiliari ei resistente, quamplurimis ibi in locis captivatis, & ad tecta laqueo suspensis, quia ei obstitissent. Et Joannes Olgiatus, cognominatus Piceninus, obsedit parte exercitus Cremonam. Et Vicecomes à Rolando Pallavicino habuit Burgum sancti Donini, & à Rubeis & Peregrinatensibus oppida, quæ occuparunt in agro Placentino. Et Beatricem Attendulam ejus uxorem insimulatam de adulterio cum Michaele Orobello ejus pincerna, seu citharœdo, cum eo decapitari jussit in oppido Abiati Grassi de mense Decembris. Egidiolus Cavitellius, atavus meus, Jurisconsultus celeberrimus, & qui publice docuit Leges Perusii, Patavii, Ferrariæ, ejus quoque reformatis statutis, & multis aliis civitatibus Italiæ, & multa composuit in Jure, obiit die vigesima Martii, ejusque corpus tumulatum fuit in sacristia ecclesiæ divi Bartholomæi, culta per religiosos Carmelitas D. Sanctæ Mariæ Cremonæ, superstite Nicolao filio etiam Jurisconsulto ex Magdalena Regazola conjuge.

A. C. 1420. Anno millesimo quadringentesimo vigesimo Redemptionis humani generis, Vicecomes die decima octava Februarii ingressus fuit Cremonam sibi deditam per Fundulum, noscentem se ei imparem, & nec posse resistere, postquam obsessa fuerat per quadrimestre, ibi inter Vicecomitis ac Funduli copias commissis multis levibus præliis, in quibus multi occubuerunt, per Vicecomitem dimissis Fundulo Castroleonis, ac omnibus bonis olim Ugolini Cavalcabovis, ac solutis aureis quadraginta millibus, & per eum data promissione de servanda sibi fide, illic constituit prætorem Sansonem de Arisiis. Et à Nicolao Estense Principe Ferrariæ die vigesima quinta Octobris habuit Parmam, sibi in gratiam summi Pontificis dimissis Mutina, & Rhegio, & Vercellas, Alexandriam, & Hastam à Jacobo Palæologo Marchione Montisferrati, & indignatus in Pandulphum Malatestam tyrannum Brixiæ, quia Arcellano & Fundulo opem tulisset adversus ipsum, præter fœdus secum factum interventu summi Pontificis, (ut præfertur) inita societate per decennium cum Florentinis, ac Venetis etiam odio prosequentibus Malatestam, quia Martinum Faventinum eorum ducem, & per ipsos sibi destinatum in auxilium, immeritum occidisset, illi movit bellum Carmagnola duce, qui ingressus agrum Brixiensem exercitu obsedit, ac expugnavit, evertitque Urceos, inde aufugientibus Brixiam ad Malatestam Andrea de Leuco, & Bernardo de Bellamusa ejus ducibus ad ibi præsidium, & fere toto agro potitus fuit excepto oppido Gardæ, ad cujus præsidium erat Nicolaus Tolentinas quatuor centum equestribus, & positis castris ad Montemclarum, inde ipsum fugavit usque Carpanetulum, & ibi captivavit Ludovicum Melioratum Principem Firmi nepotem Innocentii olim summi Pontificis, profectum in auxilium Malatestæ quinque centum equestribus, & bis millibus pedestribus, & mox obsedit Brixiam, & ibi in collo eo vulnerato sibi substitutus fuit Gasparinus Vicecomes die septima Octobris.

A. C. 1421. Et altero anno die undecima Februarii habito Rhegio ab Estense, & mox ei dimisso die sexta decima Martii potitus fuit Brixia, inde abeunte Malatesta in Flaminiam ad urbes sui dominii. Et die quinta Aprilis habuit à Suitensibus Dondosulam & Belinzonam, illosque cum ob id indignati irrupissent ad Ticini amnem, & fines Ducatus Mediolani repressit Carmagnola & Pergulano ducibus, eis exercitu occurrentibus, & utrinque commisso certamine die quinta Julii, ex eis occisis ultra bis millia, & ex suis cadentibus quatuor centum. Et die quartadecima Junii recepit Albingaunum. Et adversus Galvanum de Caimis, qui arcem jussu Vicecomitis ad Lanzanum construxerat, & occuparat, destinavit copiis Galeatium Gonzagam, & dum inter eas & Caimi copias multis commissis levibus præliis, & ex suis amissis tribus millibus, supervento Sigismundo Cæsare ex Germania cum inde abiisset, Carmagnola occurrens exercitu Vicecomitis Sigismundo Cæsari ingresso agrum Brixiensem, & hinc inde collatis signis profligato, ex sui exercitu desideratis quatuordecim millibus, & Vicecomitis tribus millibus, reliquis, ex quibus multi etiam fuerunt spoliati per Philippenses, & Brixienses, Sigismundus properavit in Germaniam, & Carmagnola arcem ipsam expugnavit, & solo æquari jussit. Et mox Vicecomes ejus jussu Cremonæ instauratis arcibus sanctorum Lucæ & Michaelis, jussit eum ope Raphaelis, Baptistæ, & Abrami Adurnorum, & Francisci Spinolæ, & aliorum exsulum Genuensium obsidere Savonam, Spineta Fulgosio eam tuente, omnesque Genuenses præter Fliscos recepit in sui partes, Thoma Fulgosio eorum duce exauctorato, ei concessa Sarzana, & pace facta cum Florentinis eorum dominiis distinctis limitibus Macra & Crusto fluminibus, jussit mox obsideri Genuam, & per Thomam Fulgosium Portu Liburni olim per Genuenses Pisanis adempto, vendito Florentinis pretio aureorum centum viginti millium, & dum Flisci affines Fulgosii declinarent in partes Vicecomitis novem triremibus munitis, eisque præfecto Baptista fratre, & per eum inita pugna cum exsulibus Genuensibus habentibus septem triremes profligato, & captivato cum multis aliis factionis Fulgosiorum die sexta Novembris, seu nona Decembris Genua potitus fuit, dimissis Fulgosiis Sarzana, & sex aliis oppidis. Summus Pontifex die vigesima Septembris requisitus per Romanos ex Florentia abiit Romam, ubi receptus fuit per ibi incolas summa cum lætitia ac pompa, Guidone Vicecomite Cremonæ prætore.

A. C. 1422. Et anno sequente, Aloisio de Besutio Mediolanense, & Constantio Fundulo ibi præsule defuncto substituto Venturino de Marnis Bergomense, Joannes Franciscus Gonzaga, Princeps Mantuæ, profectus Mediolanum ad Vicecomitem, ei congratulaturus ob tot victorias, & nec hilari vultu admissus, & monitus animum suum fore ab eo vendicandi omnia, quæ occuparat ex agro Brixiense, & Cremonense dominii sui, rediit Mantuam, & fœdus percussit cum Venetis & Florentinis timentibus potentiam Vicecomitis, & ne adversus eos moveret arma insimulando Venetos, quod nixi fuissent armis retinere in dominio Brixiæ Malatestam, & quia præter fœdus initum cum Florentinis, ne progrederetur ultra flumen Macram, & nec vexaret armis Bononiam, concesserat Vicecomes ultra ipsum flumen Thomæ Fulgosio exsuli Genuensi oppidum Sarzanæ, & Bononienses socios Florentinorum in partes suas flexerat, eorumque milites conduxerat ad sui stipendium, & una cum exsulibus Genuensium Florentinos, & etiam Venetos infestabat. Et Georgium Benzonum sibi insimulatum per illius inimicos, quod in eum per illum machinaretur, exsuit Pandino, & concessit Cremonensibus in Parmenses jus exigendi vectigal pro mercibus,

cibus, quæ conducerentur per flumen Padi ad ejus partes inferiores, ad locum Cellæ finitimum agro Cremonensi ac Parmensi. Tiberis, aquis ipsius adeo auctis de mense Novembris, & per portam Flaminiam ingressis, omnem urbem in plano sitam inundavit, templumque Pantheon implevit usque ad altare, ut æque per eam, ac per alveum Tiberis navigatum fuerit, & decrescens, ibi grave damnum intulit animalibus, & aliis secum abductis.

A. C. 1423. Papiæ anno sequuto inchoatum fuit Concilium juxta memoratam Sanctionem, & ibi sæviente peste illinc translatum Senas: & cum Alphonsus Arago ægre ferens summum Pontificem contulisse titulum regni Neapolitani Ludovico Andegavensi, renovasset causam Petri Lunensis adhuc viventis in Paniscola, aliquibus ex congregatis in Concilio pecuniis & pollicitationibus in sui sententiam pertractis, statim dissolutum approbatis omnibus decretis, quæ ad fidem Christi pertinerent, & indicto alio Concilio Basileæ illinc ad septennium. Mortuo Georgio Ordelapho Forilivii tyranno, superstitibus Theobaldo & Catharina filiis ex Lucretia Alidosia, filia Ludovici reguli Faventiæ, & Foriliviensibus male animatis in eam, quia uteretur opera Imolensium penes eos, & Imolæ educato Theobaldo decennali, & per Catharinam ejus sororem, uxorem Thomæ Fulgosii, ad eos ab ipsa avertendos empto Bolognesio prope Forilivium ab Antonio Bentivolio Bononiense, Vicecomes innuens velle opitulari Lucretiæ, transmisit de mense Februarii Lugum agri Ferrariensis, & ditionis Ludovici Comitis Cunii aciem equestrium quatuor millium septem centum sub Carmagnola, & aliis tredecim suis ducibus impigerrimis, & expulsis Catharina & Bentivolio ex Bolognesio per Alphonsum Carillam Hispanum legatum Apostolicum Bononiæ. Et cum Lucretia timens Vicecomitem, spreto ejus auxilio, habitis copiis auxiliaribus à patre, se recepisset intra palatium Forilivii, Forilivienses inita conjuratione cum Vicecomite arreptis armis illud una cum Lucretia in potestatem suam redegerunt, ejectisque ex Forilivio magistratibus, in illud introduxerunt Montagnanam ex Vicecomitibus ducibus mille equestribus Aloisio Storcio, & Alexandro Loculo Ferrariensibus verba facientibus ad Forilivienses tumultuantes sedandos nomine Estensis Ducis Ferrariæ, & Lucretia illinc fuga elapsa ad Forum Pompilii, sibi una cum Ravaldino & Humalo oppidis ex agro Foriliviano per Imolenses defensis, Forilivienses, & equestres Montagnanæ eam insecuti, potiti sunt arce Fori Pompilii, & aliis agri Foriliviensis; & cum Florentini destinassent in auxilium Lucretiæ sexcentum equestres sub Christophoro Lavelano, & Georgio Albitio, quibus cursitarent ac diriperent agrum Foriliviensem, Vicecomes in eos transmisit alios sexcentum equestres ex agro Brixiense, ubi habebant stativa, sub Fabritio Capuano, & per eos, & alios Vicecomitis, & Forilivienses commissis multis levibus præliis cum Florentinis, & copiis Lucretiæ, & in ejus auxilium per Florentinos transmissis aliis tercentum equestribus sub Malatesta Arimini, & Cesennæ regulo, & die septima Septembris, qua Forilivienses abducebant ex eorum agris uvas, licet immaturas, inito gravi prælio apud flumen Bidentium, & Runchum, Florentini, & socii, ad quos victoria prius inclinabat, succubuerunt, multis utrinque cadentibus, & Florentinorum ducibus aufugientibus ad Forum Pompilii, & mox Malatesta ad Brentinorium, & inde Cesennam ad Carolum fratrem ibi regulum.

A. C. 1424. Vicecomes anno subsequuto, Cremonæ prætore Ambrosio Spinola Genuense, die quinta Februarii dolo & opera Sicii & Pergulani, ducum suorum, occupavit Imolam, Ludovico Alidosio ibi regulo captivato, & illinc conducto Mediolanum, & inde Modœtiam, & ibi carcerato, & detento usque ad mortem, ac Cunium Ludovico ibi Comite mortuo, superstitibus Alberico & Malatesta ejus filiis, sub prætextu illis auxilium ferendi, & Albericus, qui erat ad stipendium Venetorum, profectus Mediolanum ad Vicecomitem ab eo petita Cunii restitutione, & nec obtenta, & ob id in eum indignatus, profectus ad Florentinos, eisque, se, & suis commendatis, per ipsos ad sui stipendium conductus fuit sexcentum pedestribus, quibus oppida Massæ, Zachonariæ, & sanctæ Agathæ tueretur, & Florentini ad eos misso per Principem Ferrariæ Pallante Strocio, & per Vicecomitem Franchino Castillionæo, & etiam ad Genuenses Hibleto præsule Genuensium Genuam, ad eos divertendos ab ope Lucretiæ, & per Florentinos aliis legatis ad Vicecomitem causa pacis tractandæ cum eo, quos audire noluerit, percusso fœdere cum legato Apostolico Bononiæ, & accepto in eorum partes Thoma Fulgosio, ipsi indixerunt bellum, & conscriptis duodecim millibus pedestrium, & sex millium equestribus sub Carolo & Malatesta Malatestis, & coactis ad pontem Ronchi obsederunt Forilivium, ad cujus præsidium erat Sichus quatuor centum equestribus, & Bonus Joannes Trottus, & Perinus Tronus duces Ferrarienses aderant ad præsidium Lugi, & Imolæ, & cum Florentini, expugnatis Flaviano & Sumana oppidis Foriliviensium, valde premerent Forilivium, ubi etiam sæviebat pestis, inter Forilivienses & Florentinos illic factis multis levibus præliis, & Albericus ex ejus oppidis facta incursione in agrum Imolensem, ac Lugum, ipsum etiam valde oppressisset, Vicecomes ad id prohibendum, illuc ex Gallia Cisalpina transmisit Pergulanum, & Guidonem Taurellum equestribus quatuor millibus, & pedestribus mille, quibus obsederunt Albericum in oppido Zachonariæ, in quod pedem retulerat, & Florentinos, dum per ipsum in sui auxilium accersiti ei opem ferre voluisset Carolo, & Pandulpho Malatestis, Nicolao Tolentinate, Urso Com. Montis Rotondi, Gentile Ursino, Ardistione Carrariense, Georgio, & Venturino Benzonis Cremensibus ducibus, eis copiis suis occurrentes ad Senogaliam, ibi utrinque collatis signis profligarunt, Carolo Malatesta, Urso Com. Montis Rotondi, & Carrariense captivatis, & conductis Mediolanum una cum multis aliis, Pandulpho Ariminum, & Tolentinate Cesennam aufugientibus, quamplurimis eorum militibus etiam cæsis. Taurellus irrumpendo agros Cesennatum, & Ariminensium, ibi oppida Vermiculæ, sancti Archangeli, & Savignani, & multa alia oppida occupavit, ex eis Vermicula, quia ibi incolæ sibi aliquando obstitissent, diripi jussa, & cum vellet etiam Ariminum occupare, monitus per Vicecomitem, ne ulterius progrederetur, ab ejus obsidione abstinuit. Et Vicecomes Carolum Malatestam ad se perductum bene habuit, ac tractavit, dimisitque donatum multis muneribus, sibi facta promissione se adversus eum nunquam arma sumpturum. Sed mox Pergulanus captivavit Galeatium filium Malatestæ reguli Pisauri divertentem, & cum uxore se oblectantem ad Gradinam vicum, eorumque bona ac incolarum diripuit.


Anno millesimo quadringentesimo vigesimo quinto ortus Dominici, Joannino Adurno Genuense Cremonæ prætore, Vicecomes Franciscum Sfortiam ab eo pro summo Pont. debellato Nicolao Tricio Fulginii Tyranno, eique parere recusante, plurimis ejus oppidis in jus Ecclesiæ vendicatis conduxit ad sui stipendium, & una cum Guidone Taurello transmisit copiis in Flaminiam adversus Bernardum Ubaldinum, & Nicolaum Piceninum duces Florentinorum, & per Sfortiam positis castris ad Faventiam adversus Manfredum, & per Taurellum ad Burgum adversus Ubaldinum, & ibi utrinque consertis manibus, superato & captivato A. C. 1425.

Ubaldino, multa hinc inde cæde edita, & Tyfernatibus, Petramolensibus, & aliis Hetruriæ populis declinantibus in partes Vicecomitis, ejusque partes quoque amplectentibus Aretinis, penes quos erat Piceninus, & Cortonensibus, & plerisque aliis populis, nisi Piceninus & Tolentinas ei obstitissent. Et Joanne Camertino, Arditione Carrariense, Antonio Pisano ducibus Florentinorum adversus Taurellum, eorum copiis castrametantibus, dimissis Florentinis, ei quoque adhærentibus. Et Pergulanus ejus acie obsedit Salsubrium, & direpto porticu occupavit Azulam, Cassanum, & Petrabum, ac prædæ exposuit vallem Balileam, & dum obsideret Garzanum, ad cujus præsidium erat copiis militaribus Gerardus Gambacurta, illinc revocatus per Vicecomitem, ibi dimisso Joannino Justoneapolitano ex ejus tribunis militum, illinc rediit in Galliam Cisalpinam. Et Nicolaus Tertius Guererius nuncupatus Parmensis alia acie militari Vicecomitis una cum Alexio, Nicolao, Urbano, Joanne Alvisio, & Antonio de Fliscis, & Antonio Doria præfecto classis Genuensis navium octo, & triremium decem & octo, dum Fulgosii, & alii extorres Genuensium occupassent Rechum, Gelphum, Rapallum, Segestrum, Morellum, & Castrumleonis Riperiæ una cum Clavario illud oppugnavit, & mox illinc delatus Rapallum, ibi commisso prælio eos fudit, multis ex eis occisis, & Thomam Fulgosium, dum aufugisset Segestrum, sequutus, cum eo ibi rursus commissa pugna per ipsum fusus fuit, multa strage Philippensium edita. Et dum Sfortia graviter urgeret Manfredum, & alia acies Philippensium cursitaret usque ad mœnia Florentiæ, & Carmagnola indignatus in Vicecomitem, eum neglectui habentem opera Oldradi Lampugnani, & Joannini Ritii ex suis intimis aulicis, eo Carmagnola, quem Ducatui Genuæ præposuerat, exauctorato, eique prælato Guidone Taurello in præfectura classis per Vicecomitem transmissæ Neapolim in auxilium Joannæ Andegavensis, à Vicecomite defecisset, & aufugisset ad Venetos, Florentini timentes suppeditari per Vicecomitem, & Veneti, Senenses, Alphonsus Aragonensis, Amadeus Com. Allobrogum, Nicolaus Estensis Ferrariæ, & Jo. Jacobus Palæologus Montisferrati, Jo. Franciscus Gonzaga Mantuæ, & Rolandus Pallavicinus Marchiones per Florentinos exhortati, & instigati per Carmagnolam pro tuenda libertate Florentinorum adversus Vicecomitem, inierunt fœdus, eique decreverunt movere bellum inita invicem concordia, ut quæ cepissent in Flaminia & Hetruria à Vicecomite eorum occupatore, cederent Florentinis, alia autem Venetis præter Parmam, quæ pervenire deberet in Estensem, ac Mediolanum, quod habere deberet Com. Sabaudiæ, & Corsicam, quæ dimittenda foret Aragonensi, & conscripto exercitu communi sumptu sexdecim millium pedestrium, & octo millium equestrium, ei præfecerunt Carmagnolam, præparatis etiam duabus classibus, una maritima, & alia fluviatili. Et Vicecomes usus opera Oldradi Lampugnani Cabrinum Fundulum, [ipsius effigiem, ex Ant. Campi *Hist. Cremon.* æri incisam hic exhibemus] sibi delatum in eum quoque adhæsisse Florentinis, jussit capi, & captum in vico Annici agri Cremonensis, seu, ut aliqui dicunt, apud Castrumleonis una cum Pomina de Gavatiis della Somalia uxore, & duobus filiis, eo oppido direpto una cum tota ejus Funduli supellectile immensi pretii Papiam conduci, & illinc post multas acerrimas ibi de eo habitas quæstiones Mediolanum, & ibi decapitari.

A. C. 1426. Altero anno, prætore Cremonæ Petro Raymundo Mediolanense, Veneti ac confœderati duce Carmagnola accersito per Petrum & Achillem Advocatos, aliosque Brixienses factionis Guelphæ, cum gravati forent, plusquam par esset, oneribus per Vicecomitem, Brixiæ pro eo rectore Oldrado Lampugnano, & introducto in eam nocte diei quintidecimi Aprilis, & Resurrectionis Dominicæ, septem millibus equestribus, & pedestribus quinque millibus sub Nicolao Tolentinate, Alvisio Vermio, & Henrico Zanga, & ibi receptus arce pillarum die quarta Septembris, exercitu Vicecomitis die præcedente illuc appulso in auxilium suorum illic obsessorum in urbicula, & arce majori appellata, de mense Novembris eam totam occuparunt, Petro Lauredano, & Fantino Michaele eorum legatis, & mox illinc eruperunt in ipsius agrum, & ibi multa oppida, & loca receperunt, Sfortia duce Vicecomitis ejus exercitu frustra resistente. Et Estensis, eorum sequens partes, ipsius acie facta incursione ex Rhegio in agrum Parmensem die decima Martii, illinc abegit prædam, Philippensibus illic fusis. Et Pergulanus, & alii duces Philippenses dimissis Forilivio & Imola Ecclesiæ Rom. medio legati Apostolici Bononiæ, ex Hetruria & Flaminia descenderunt in Galliam Cisalpinam trajecto flumine Scultennæ in agro Mutinense ad oppidum Persiceti, resistentibus Estense & Victore Pisano sex millibus equestribus, habentibus stativa Vignolæ, & intercepto Guidone Foriliviense proficiscente ad stativa die prima Maji, cursitarunt agrum Mantuanum, ut Gonzagam Mantuæ Principem obsidentem cum Carmagnola, & Tolentinate Philippenses Brixiæ, illinc averterent ad ejus defensionem. Et summus Pontifex ad exstinguendum tantum bellum transmisit Cardinalem sanctæ Crucis Venetias, & illinc Mediolanum, & per eum Venetis & Vicecomite inclinatis ad pacem, missis utrinque Oratoribus Ferrariam, ibi pax fuit stabilita, & nec exsequuta, per Philippenses classe fluviatili præparata sub Philippo Eustochio, & Turricellarum oppido Corrigiensium, & olim sibi donato per Vicecomitem, per ipsum occupato, cursitato, & direpto agro Mantuano per Philippenses, Pergulano, & aliis ducibus ipsius, & mox per eum facta irruptione in agrum Brixiensem, & ibi eorum copiis junctis cum copiis Sfortiæ facto exercitu viginti duorum millium armatorum, quibus occurrerunt exercitui Venetorum quatuordecim millium equestrium, & decem millium pedestrium sub Carmagnola, & Gonzaga, & aliis insignibus ducibus Italis. Et dum Thomas Fulgosius, & alii extorres Genuenses, instigati per Aragonensem adversus Vicecomitem, obsedissent Genuam, Vicecomes jussit Sfortiam ejus acie ire ad ipsius subsidium, & parte obsidentium ad impediendum iter suum, ipsi occurrente ad fauces Vallis Pulcepharæ Abramo Fulgosio duce, & ex illis, qui remanserunt ad obsidionem, multis abeuntibus, Genuenses illinc erumpentes in reliquos, illos fuderunt, omnibus ferme captivatis, Thoma & Baptista fratribus Fulgosiis aufugientibus Bavarum, & Rechum. Et Vicecomes inivit pacem cum Suitensibus & Aragonense, ei dimissis portubus Venetis, ac Ericis. Et Sigismundus Cæsar ei die sexta Julii confirmavit dominium ac Ducatum Mediolani.

Anno sequente, Petro Raymundo adhuc Cremonæ prætore, Veneti, dum Philippenses Nicolao Picinino duce, qui dimissis Florentinis se receperat ad stipendium Vicecomitis, terra, & Eustachio præfecto classis fluviatilis triginta navium aquis, expugnato Casale majore, & recepto oppido Brixelli perventis in Venetos, ejus arcem expugnarent, & classis Veneta triginta sex navium, ejus rectore Francisco Bembo patritio Veneto, à parte superiore fluminis Padi irruisset in classem Philippensem, eamque regressam prope Cremonam ad quartum lapidem insequuta fuisset, ibi utrinque commisso certamine de mense Martii classem Philippensium superarunt, & Bembus sequens victoriam ejus classe trajecit usque Cremonam, & ibi duobus propugnaculis ad utranque ripam, & alio in alveo fluminis expugnatis & combustis, multisque ex ejus militibus ibi amis- A. C. 1427.


CABRINVS FONDVLVS,
Soncini Comes,
Castrileonis Marchio ac Cremonae Sac. Rom.
Imp. Vicarius.



amissis una cum aliis tercentum, quos, dum classis Venetorum reliqui milites expugnatis propugnaculis egressi naves irent palantes juxta civitatem, & citra ripam citeriorem fluminis Padi, Lavelanus copiis, quibus erat ad Cremonæ præsidium, illinc erumpens die Dominica Olivarum occidit, Picenino ejus acie tunc castrametante ad Casale de Sicis, nunc de Malumbris, à civitate Cremonæ per milliaria tria distans. Et Bembus reliquis navarchis, expugnato alio propugnaculo ad ripam fluminis Abduæ, ejus classe adverso flumine accessit usque Papiam, & ibi repertis omnibus plenis pavoris & solitudinis, inde regressus fuit Cremonam, & ibi ad reparandam stragem, quam illic habuerat, ibi suis militibus expositis, Lavelanus, & Christophorus Guererius tunc ingressus civitatem ad ejus præsidium, facta illinc eruptione eorum militibus in illos, nonnullos alios ex eis occiderunt. Et Bembus signo dato receptui inde abiit ad superiora fluminis Padi. Et Paulus Ursinus, ex ducibus Venetorum, decem millibus equestribus ac multis cohortibus pedestrium destinatus ad præsidium Brixiæ una cum Petro Lauredano ad ibi regimen, Alberico Com. Cunii, & Perino Derthonense Turcho nuncupato, ducibus Vicecomitis, ex Ottolengho, quod tenebant, eorum turmis equestribus cursitantibus usque Brixiam, illinc in eas erumpendo ipsius copiis illas fudit, Perino captivato cum centum quinquaginta equestribus. Et Taurellus, Lavelanus, & Guererius dimissi eorum copiis ad præsidium Ottolenghi Venetorum exercitum quatuordecim millium equestrium, & sex millium pedestrium, ducibus supremis Carmagnola, & Gonzaga, dum frustra oppugnato Monteclaro Ottolenghum obsedisset, illinc eorum copiis egressi in hostes, ibi utrinque commissa alia pugna profligarunt, ex ipso occisis equestribus mille quinque centum, & plurimis ex turmis Nani Strocii cum Venetis pro Estense militantis, & observantis stationem eorum exercitus; & cum trajecto flumine Ollii ad vicum Binæ die tertia Julii, eoque occupato cum Platina, ingressus agrum Cremonensem, firmasset castra ad pagum Summi Cremonæ propinquum per lapides novem, equestribus decem & octo millibus, & pedestribus octo millibus stipendiariis, & aliis sex evocatorum, omissis lixis, calonibus, ac fossoribus, illuc etiam prope stante in flumine Padi classe Veneta aliis decem millibus navarchis, Vicecomes ex Mediolano properavit Cremonam, ut quindecim millibus equestribus, & sex millibus pedestribus Mediolanensibus, & Papiensibus, eisque junctis reliquo ejus exercitu duodecim millium equestrium, & sex millium pedestrium, & ut aliqui dicunt toto quadraginta millium pugnatorum ad Vicum Casalis illorum de Sicis, Carolo Malatesta, Sforcia, Lavelano, Picenino, & Carrariense ducibus, & illinc motis castris in Venetos, & inchoato prælio per Antonellum Mediolanensem ad ipsum pagum Summi, quod duravit ab hora nona usque ad finem diei circa exitum mensis Julii utrinque pari Marte, illinc discessum fuit. Et Carmagnola profecto ad Casale majus, eoque diu oppugnato, & redacto in sui potestatem, ibi ad præsidium degente Antonio Pisano pedestribus quatuor centum, & Sforcia resistente per eum arce vicus Binæ expugnata, & mox recuperata per Carmagnolam, & deinde per Sforciam, custodibus ibi repertis utrinque occisis. Et agminibus Amadei Com. Sabaudiæ, & Marchionis Montisferrati ex agro Vercellense concursantibus usque Mediolanum, Vicecomes illuc reversus, inde adversus eos destinavit Vercellas ad ibi præsidium Ladislaum filium Pauli Guinisii Lucensis tyranni cohorte peditum, ac constituit ejus ducem supremum Carolum Malatestam filium Pandulphi. Et Carmagnola, regressus exercitu agrum Brixiensem ad Maclodium, seu Machalium, paludibus circundatum castris firmatis, illud obsedit, Philippensesque eo profectos ad subsidium ex Pompeano, ubi castrametabantur, rursus utrinque ibi consertis manibus die undecima Octobris superavit, captivato Malatesta cum pluribus ducibus, ac octo millibus equestribus, & pedestribus mox dimissis per Carmagnolam, tradito Malatesta Principi Mantuæ ejus cognato, & mox recepit Urceos, Pontolium, & multa alia oppida Brixiensium, & Montemclarum obsedit. Et Vicecomes, dum imploratis auxiliis summi Pontificis, ac Sigismundi Cæsaris intenderet reparationi exercitus contraxit pacem cum Amadeo Com. Sabaudiæ ei datis Vercellis, & ducta uxore Maria ejus filia.

Anno sequuto summus Pont. motus calamitate Vicecomitis, ne dominio expelleretur ex Bononia, ubi erat, destinavit Ferrariam Nicolaum Albergotum Bononiensem, Cardinalem sanctæ Crucis, & Ordinis Cisterciensium, ubi ejus prudentia ac dexteritate summo Pont. Romam reverso die sexta Maji, inter Vicecomitem, ac Venetos, & Florentinos, Estensem, Gonzagam, Marchionem Montisferrati, Pallavicinum, Peregrinatenses in agro Parmense, Senenses, nonnullos alios Comites Ligusticos, & alios confœderatos, exceptis Fulgosiis, & aliis extorribus Genuensibus, & Paulo Guinisio Lucæ tyranno, illuc transmissis utrinque legatis stabilita fuit pax, Brixia, Bergomo, Insula Fulcheria ad flumen Abduæ respiciente, & oppidis ex agro Cremonense occupatis per Venetos, eis dimissis. A. C. 1428.

Et anno subsequuto Vicecomes moto bello duce Picenino Fulgosiis, Fliscis, & Malaspinis extorribus Genuensium, & Comitibus Peregrinatensibus Placentinis, occupavit Insulam Segestræ, & oppida Monaliæ Fulgosiorum, & expugnavit portum Delphini Fliscorum, Francisco Spinola Genuense amirata, & mox cepit Careggium, Turriliam, Montilium, Savignanum, & Varesium vallis Tarri, & multa alia oppida ditionis Pontremuli Joannis Alvisii, & aliorum Fliscorum, & multa alia Lunensium Malaspinarum, è medio sublatis Comitibus Peregrinatensibus incolentibus Alpes Apennini. A. C. 1429.

Anno millesimo quadringentesimo trigesimo partus Virginei per Florentinos, affectantes tollere è medio Paulum Guinisium Lucæ tyrannum, eamque sibi subjicere, ipsa anno præcedente obsessa, & inde facta eruptione per Guinisium, & ibi incolas, in eos illic secum commisso prælio ipsis expulsis gravi strage, Vicecomes procurante Antonio Petrucio Senensium protectore dimisit Sfortiam, qui suis turmis militaribus, & aliis copiis conscriptis in agro Parmense inde per saltum Pontremulensem descendit in auxilium Guinisii adversus Florentinos adhuc obsidentes Lucam, & ut eam compellerent in jus suum, tentantes aquis submergere, & in valle Grafinianæ consertis manibus cum Fortebracio, ibi sibi occurrente suis agminibus, & eo inde repulso, ejusque vallis receptis omnibus oppidis ac locis olim Guinisio parentibus, & cum Florentini timentes Sfortiam dimissa obsidione Lucæ pedem retulissent, in colle ripæ fractæ inter Lucam & Pisas expugnatis propugnaculis, & expulsis militibus Florentinorum, ibi dimissis ad præsidium adversus Lucam, eam fuit ingressus, & mox una cum Ladislao filio Guinisii ad compellendum Florentinos ad propria tutanda, irrupit agros Pistoriensium, eosque diripuit, Bugiano oppido ibi expugnato ac depopulato, Spisiamque obsedit. Et dum Guinisius insimulatus fuisset Vicecomiti velle descendere in partes Florentinorum, eisque sibi per ipsos datis nonnullis oppidis in Flaminia Lucam tradere, Ladislaum ad Spisiam captivavit, & Spisiæ omissa obsidione, & per Petrucium, qui Lucæ erat, ibi detento patre cum alio filio, & uxore, ac reliqua familia, jubente Vicecomite reversus Lucam illic omne ærarium cum tota supellectile Guinisii diripuit, ac A. C. 1430.

A ac divisit cum Petrucio, qui inde Guinisium, ac filios, & uxorem conduxit Genuam, & illinc Papiam ad Vicecomitem, qui eos in arce Modoetiæ carcerari fecit, Lucensibus restitutis libertati. Et cum Florentini solutis Sfortiæ triginta octo millibus aureis ea lege, ne adversus illos militaret per semestre, eoque sua acie profecto in agrum Mirandulensem ad ibi hyberna, adhuc obsedissent exercitu sex millium equestrium, & quatuor millium pedestrium, Guidone Antonio Urbini, Guidone Antonio Faventiæ regulis, ac Ubaldino, Fortebratio, & Frosinate ducibus Lucam, Vicecomes dimisit Piceninum, & Lavellanum, & qui conducti per Genuenses requisitos à Lucensibus in eorum auxilium octo millibus equestribus, & totidem millibus pedestribus impo-
B sitis præsidiis Librefactæ & Petræsanctæ, ex regione Lunense properarunt Lucam, & Florentinos, dum inde voluissent recedere, prælio aggressi ipsos, quamvis victoria prius inclinasset ad eos, Petro Livio Vermio, & Guercrio Tertio in ipsos irruentibus, & Lucensibus ex Luca erumpentibus, fuderunt, multa de eis facta præda, & captura, & nec multa cæde edita, & data annona Lucensibus, & recuperatis his, quæ sibi occuparant Florentini, inde regressi in agrum Lunensem, ibi Pontremulum receperunt. Et cum Florentini ac Veneti exercitum cogerent, quo Vicecomiti rursus bellum moverent, Vicecomes percusso, ut se ab eis defenderet, fœdere cum Genuensibus, Senensibus, & Ludovico
C Appiano regulo Plumbini, & promissa uxore Blanca unica filia naturale annorum quinque Sfortiæ, sub spe ei dimittendi dominium Mediolani, ubi aliqua proles ipsi non supervenisset, ipsum etiam requisitum per Florentinos, & Venetos in sui partes, constituit supremum ducem. Bartholomæus de Ravizengo ex Religiosis Ordinis Minorum Conventualium divi Francisci, Cremonensis, fuit Episcopus Castoriæ.

A. C. 1431. Anno altero Bononiensibus sponte in dominium Ecclesiæ perventis, & fluminibus Galliæ Cisalpinæ præter modum auctis, & facto deliquio lunæ per horam die decima sexta Januarii, & solis die duodecima Februarii Martinus summus PP. die vigesi-
D ma prima ejusdem mensis decimi anni quinti decimi pontificatus sui, & ætatis annorum sexaginta trium Romæ obiit ex apoplexia, & Gabriel Condelmerius patritius Venetus patre Angelo Episcopus Senensis, & Cardinalis, & olim ex monachis divi Georgii in Alga, Ordinis divi Benedicti, factus fuit summus Pont. & nominatus Eugenius Quartus. Et Florentini conducto ad sui stipendium Michaele Attendulo dimisso per summum Pont. una cum Venetis receptis in sui partes Jacobo Marchione Montisferrati, & Rolando Marchione Pallavicino, rursus indixerunt bellum Vicecomiti. Et Carmagnola eorum dux supremus, sibi data spe per præfectum arcis Papiensis eam sibi prodendi, ex agro Brixien-
E se die vigesima Martii exercitu descendit in agrum Laudensium, & re in lucem prodita, & præfecto captivato, & ultimo supplicio affecto, regressus in agrum Brixiensem, & ibi ad Urceos castris positis die nona Aprilis, inde secum assumptis nonnullis copiis militaribus, & occupatis Covo & Antiniate die sextadecima Maji profectus fuit Soncinum, etiam sibi spe data ibi arcem occupandi per illius præfectum, & à Sfortia & Tolentinate de hoc clam admonitis ex insidiis egressis, eumque aggressis ipsorum turmis, fuit inde fugatus, ex illius turmis mille quatuor centum cæsis, & multis captivatis, & aufugit Brixiam. Et mox ex ea abiens
F ingressus fuit agrum Cremonensem, & firmatis castris apud Costam sancti Abrahæ obsedit Cremonam, ad cujus præsidium erat Columna ejus acie, qui facta illinc eruptione in milites Venetos ibi inter flumen Padi, & civitatem liberius vagantes, & prædam agentes, ex eis tercentum occidit. Et Piceninus dux Vicecomitis ex agro Lunense descendens in agrum Pisanum, ibi secum junctis Pisanis suppeditavit incolas vallis Calcentiæ, & Vetralas, Trebium, ac Maram, & multa alia oppida, & amissa spe potiundi Pisis, tractatu, quem ibi habebat, in lucem prodito, abiit in agrum Volaterranum, & ibi secum juncto Alberico Com. Cunii, ejus acie multa alia ibi occupavit, & per Senenses irrumpendo agros Florentinorum ibi multis damnis illatis, ab eis deficientibus Tysernatibus, Volaterranis, & Arbensibus ad Vicecomitem, frustratus quoque spe potiundi Aretio pandito tractatu, quem ibi habebat, in eorum agris gravi damno illato. Et dum Tolentinas ejus turmis equestrium quatuor centum, habentibus stativa in vico Mozanichæ agri Cremonensis, deficiens ad Florentinos, per eos suffectus fuisset Fortebratio, qui ab eis aberat, ex Hetruria vocatus per Vicecomitem se recepit Cremonam ad ibi subsidium adversus Carmagnolam eam obsidentem exercitu terrestri duodecim millium equestrium, & totidem pedestrium cum Nicolao Trivisano classe fluviatili triremium triginta octo, & navium sexaginta in flumine Padi munita decem millibus navarchis, ei resistente Joanne Grimaldo alia classe Vicecomitis, munita etiam totidem aliis navarchis, & quæ inter eas apud Polesenum commissa pugna, dum Cremonam retrocessisset, amissis quatuor navibus, & per Sfortiam, & Piceninum clam ea navium quinquaginta communita illorum militibus, & per ipsam commissa alia pugna cum classe Veneta prope Cremonam die vigesima prima Junii eam profligavit, ex ipsa aufugiente præfecto ad Casale majus, post se dimissis viginti sex navigiis, & utrinque cæsis duodecim millibus navarchis, & ex classe Veneta octo millibus Sclavonis captivatis cum sexdecim patritiis Venetis, ac multa supellectile, & aliis quatuor centum vulneratis, qui conducti in hospitale Cremonæ ibi perierunt.

Et Rolando Pallavicino tunc à Venetis reverso ad Vicecomitem Carmagnola motis castris ex vico Costæ ad Fontanellam, eam redegit in sui potestatem, & inde profectus fuit Mozanicham, & illinc, cum Philippenses sibi occurrissent, regressus fuit Cremonam, & juxta ipsam firmato exercitu ad tres lapides, dum Gulielmus Cavalcabos ipsius patritius eam ingressus nocte præcedente diem decimam octavam Octobris turma equestri ibi portam S. Lucæ occupasset, & tenuisset per biduum, & cum sibi per Carmagnolam non dato auxilio Cremonenses, dum ibi non essent aliquæ copiæ militares Vicecomitis, arreptis armis eam continuo oppugnassent, ipsam dimisisset, Carmagnola pedem referens Bordolanum, & inde Turricellas, eas occupavit. Et Veneti juncta eorum classe triremium viginti octo cum classe Florentinorum triremium quinque, & Antonii Adurni, & Jacobi Flisci Genuensium exsulum triremium trium, & aliarum navium supremo præfecto Petro Lauredano patritio Veneto, eisque ductis in portum Pisanum adversus classem Genuensium triremium viginti quatuor sub Francisco Spinola filio Othoboni, & utrinque commissa pugna in sinu Rapalli, eam fuderunt, hinc inde occisis octo centum, & vulneratis quatuor millibus, Spinola, & multis aliis rectoribus classis Genuensis captis una cum octo ejus triremibus ductis Pisas, & inde Florentiam, & mox Venetias, occupato etiam Recho oppido per Antonium Fliscum ex extorribus Genuensium. Et Attendulus dux Florentinorum aggressus Albericum Cunii Com. per Piceninum loco sui dimissum in Hetruria, & castrametantem in agro Colense, & cum eo prælio congressus ipsum fudit, ex ejus equestribus ultra mille occisis, & qui ob id insimulatus de proditione fuit captus, & ductus Mediolanum jussu Vicecomitis, Bernardino Ubaldino, & Pergulano pro eo dimissis in Hetruriam ipsorum copiis in auxilium Senensium adversus Flo-

Florentinos, qui tunc recuperarunt Trebium, & multa alia oppida ex Volaterranis, & obsederunt vicum Pisanum. Sigismundus Cæsar de mense Octobris per saltus Belinzonæ ingressus Italiam se recepit Varesium, & inde Mediolanum in auxilium Vicecomitis, & ibi die vigesima quinta Novembris per Bartholomæum Capram illic præsulem fuit insignitus corona ferrea, Vicecomite se continente in arce, & nunquam auso eum accedere, & ex Mediolano cum duce Bavariæ, Brunorio, & fratre Scaligeris, & Marsilio Carrariense ivit Placentiam, & inde Parmam. Ex gravi frigore flumina Italiæ glacie concreta fuerunt.

A. C. 1432. Anno sequente, Cremonæ prætore Alberto Marliano Mediolanense, Barnabas Adurnus ex extorribus Genuensibus, habitis à Joanne Marchione Montisferrati octo centum equestribus, eis ac aliis tercentum, quos habebat ex incolis vallis Pulcepharæ, ac Bisaminis profectus fuit Genuam. Et Piceninus ope Galeotti Caretini Marchionis Finarii, & nonnullorum aliorum ibi oppidorum, in eum destinatus per Vicecomitem, ipsum obsedit in oppido Navariæ, & omnibus suis militibus in potestatem suam redegit, & in eos, ac ibi incolas valde sæviit, quamplurimis ecclesiasticis etiam hastæ subjectis, & mox conversus in Marchionem Montisferrati, eum intra mensem spoliavit triginta oppidis, & ejus Marchionatum diripuit, ac ferro & igne subvertit, inde ipso aufugiente Venetias, & inde rediens in agrum Cremonensem, ibi recuperavit Turicellas, Brixellum, & Bordolanum una cum multis aliis oppidis, quæ occuparat Carmagnola, qui oriundus ex oppido Carmagnola Galliæ Subalpinæ, & vilibus parentibus, & dum esset in ætate puerili ad custodiam suum raptus per milites, & secum ductus, & mox per Vicecomitem factus dux supremus ob ejus virtutem, recuperato dominio Mediolani insimulatus per Venetos, quod ei consentiret, captus Venetiis die vigesima secunda Aprilis ibi fuit publice decapitatus, ejusque uxore Brixiæ quoque captivata exsuta omnibus bonis valoris aureorum circiter tercentum millium. Et Veneti, Gonzaga duce supremo constituto, ac Georgio Cornelio, & Gabriele Venereo legatis, equestribus duodecim millibus, pedestribus decem, & evocatorum quatuor, ac fossorum multa manu, & sub quo fuerunt plurimi insignes ductores, & tribuni militum, & conjuncto ponte Ollii flumine ad Pontisvicum, Bordolanum, & vicum Binæ mense Junii irruperunt agrum Cremon. & Bordolano occupato, & everso, & Picenino die vigesima sexta, dum oppugnaret arcem Binæ, ibi tragula juxta occiput vulnerato, & ex quo fuerit in discrimine vitæ per plures dies, potiti sunt Rubecho, eoque direpto, Casalibutano, Tribulo, Soresina, ac Rumenengo, eo expugnato ac funditus diruto, & Fontanella, & mox oppugnarunt Soncinum per bimestre, eoque cum ipsius arce capto dimissis inde militibus, qui ibi erant ad præsidium, illinc accesserunt Mozanicam, & ibi, dum eam obsiderent, Sforcia, ac Picenino facto incolumi exercitu sexdecim millium armatorum sibi occurrentibus, & ibi factis nonnullis levibus præliis inde abierunt Caravagium, & Philippensibus eos insequentibus, & per Venetos tentata occupatione Trivilii & Brugnani ex Insula Fulcheria de mense Augusti, Gonzaga per eum factis induciis cum Vicecomite dimissis Venetis profectus est Mantuam. Et legati Venetorum exercitu ingressi vallem Tellinam, ibi multa occuparunt, & per Thadeum Estensem ex eorum ducibus nocte intempesta equestribus tercentum, & pedestribus quatuor centum, dolo illic intercepto Dorso, eam totam ac vallem Sabiam in suam potestatem redegerunt, Daniele Veturio ibi suffecto Venereo altero legato. Et per Philippenses recuperatis Brixello, & Casali ex agro Parmense, Veneti imposito ponte flumini Abduæ apud Brebium, & ibi ad præsidium præpositis Alvisio Severinate, & Comite Alvisio Vermio, & Petro Paulo Ursino equestribus quinque millibus, & pedestribus quatuor millibus de mense Octobris, trajecerunt de mense Novembris in agrum Mediolanensem, & inde facto cum eis prælio per Piceninum sibi copiis occurrentem territi, eo demolito ponte statim regressi sunt. Et cum Piceninus die decima octava Novembris irrumpens exercitu vallem Tellinam, & ibi die quarta Decembris, facta alia pugna cum tribus millibus Venetorum sub Georgio Cornelio illam tuentibus, illos profligasset captivatis Cornelio, & Estense, ac Cornelio, & Antonio Martinenghis, Italiano Forilivia-no, & Baptista Caputio, illorum ducibus, una cum Raynaldo Vicentino, qui Venetis Rumenenghum prodiderat, & consignatus Picenino ad formam edicti sui ejus jussu fuit occisus, & gravi strage de illis edita inde eos expulisset, etiam recuperata Valle Camonica mox recepta per Venetos auxilio ibi Guelphorum. Et transmisso per Vicecomitem ad præsidium Brebii Christophoro Lavelano equestribus quinque centum, & per Venetos adhuc constituto duce suo supremo Gonzaga, & Federico Contareno suffecto Cornelio, Lavelanoque repulso à Brebio profecti sunt ad hyberna ad valles ibi propinquas. Sigismundus Cæsar, cum stetisset Parmæ per septem menses, inde profectus est Lucam, & cum illinc destinatis in Florentinos sexcentum equestribus Ungaris, & nonnullis Lucensibus, & profligatis per Florentinos utrinque commisso prælio, ex eis aliquibus cæsis Attendulo & Tolentinate ducibus, facta mora Lucæ per dies quinquaginta, inde ope Antonii Pontaderæ abiit Senas.

Et anno sequuto, postquam ibi per menses quinque substitisset, inter eum ac summum Pont. missis utrinque legatis inita concordia, illinc accessit Romam, eamque ingressus die vigesima Maji, die ultima ibi per summum Pont. solemniter imperiali diademate insignitus fuit. Creatique de more Equitibus tum Italis, tum Germanis, illinc per Picentes ac Flaminiam accessit Ferrariam die nona Septembris, & inde Mantuam, & ibi Joanne Francisco Gonzaga creato Marchione additis sibi insignibus imperii, & Ludovico ejus filio desponsata Barbara filia Joannis Marchionis Brandeburgensis affinis sui, inde rediit in Germaniam, male animatus in Vicecomitem, quia, dum iverit Mediolanum, noluit eum accedere. Vicecomes Sfortiæ die tertia decima Februarii desponsavit Blancam Mariam ejus filiam, & mox dum Sfortia Cremonæ longam haberet moram, ei insimulatus per æmulos suos de proditione, & ob id in eum concepta suspicione jussit ipsum ad se vocari per Ginum Alexandrinum, ut ad eum Mediolanum accederet, & ubi recusasset, occideret, & cum ad ipsum profectus fuerit, eum accepit læta fronte, remota omni suspicione. Et die vigesima nona Aprilis, seu duodecima Maji, Ferrariæ inter eum, ac Venetos, & confœderatos fuit pax contracta Nicolao Estense ibi Marchione, & Ugone Cardinale auctoribus, & pro Venetis Fantino Michele, & Florentinis Pallante Strozzo, & Vicecomite Francisco Gallina legatis, qua cautum fuit, ut Vicecomes dimitteret Venetis omnia, quæ ex agro Brixiense, Bergomense, & Insula Fulcheria receperat, & Marchioni Montisferrati, & Rolando Pallavicino eorum dominia, quæ occuparat, restitueret, & quæ intercepta fuerant ex Florentinis, Senensibus, Lucensibus, ac Lunensibus ad pristinos dominos reverterentur, præter Pontremulum, qui Vicecomiti remaneret, & Alvisio Vermio, & aliis, qui pro Venetis militabant, pristina securitas daretur, & utrinque captivi nobiles dimitterentur. Genuenses Rolando Lampugnano Genuæ rectore classem Venetam triremium viginti quinque Lauretano duce mari, & Baptista Fulgosio terris obsidentem de men-

A. C. 1433.

mense Julii Segestrum, facta eruptione in eos per ibi incolas cum Clavarensibus, & Aspediensibus in eorum auxilium profectis, & Nicolao Nigrono ex Genua aliis copiis auxiliaribus supervento, inde expulerunt gravi clade, ex eis ducentum Ligustinis captis, & Genuam conductis. Et Fulgosius inde abiens Clavarum, ipsum diripuit, & illinc cursitavit usque Genuam, & ibi nullo facto motu Liburnum accessit. Et Lauretanus omissa obsidione Segestri depopulatis ejus agris trajecit in sinum Rapalium.

Et cum summus Pont. per Jacobum Vicensem præfectum urbis habitis à Senensibus navibus, ac quatuor centum equestribus, Vetralas occupasset, conducto ad sui stipendium Fortebracio, & per eum Jacobo Vetralis captivato, & mox dimisso sibi solutis aureis decem millibus, constituto legato Apostolico Joanne Vitellio Cornetano Patriarcha Alexandriæ, jussisset eos ipsum præfectum bello prosequi, eoque exsuto omni dominio, cum mox Fortebracius multa Ecclesiæ occupasset, conductis etiam ad sui stipendium Attendulo, & Sigismundo Malatesta, & Francisco Picenino, & nonnullis aliis insignibus ducibus cum eorum copiis, jussisset per eos illi quoque inferri bellum, eo utrinque gesto, & per Fortebracium obsessa urbe, & multis urbibus, & oppidis in Latio, & regionibus propinquis captis, & facta ubique multa præda, & commissis nonnullis præliis hinc inde diverso Marte, Romano Burgho Cremonense turma equestre cum Picenino militante, & per Fortebracium etiam expugnato palatio, in quo erat summus Pont. & suppeditata pleraque Campania, Vitellio & pontificiis non ausis secum prælio congredi, Vicecomes male animatus in summum Pont. adversus eum transmisit Sforciam, qui conscriptis militibus in agro Parmense, illinc eis, & aliis, quos prius habebat, descendit in Picenum, & fingens velle ire Manfredoniam, ac Beneventum in Apuliam, & aliis urbibus, ac oppidis ibi, ac tota regione ecclesiastica infra diem undecimam potitus fuit absque alicujus damno, præter Lupanensium, quos intra se discordes prædæ exposuit, Vitellio & ducibus pontificiis frustra sibi resistentibus. Et Tudertinis quoque ad eum ab Ecclesia deficientibus, una cum Joanne & Leone fratribus, captis Luceria & Toscanella, & obsesso monte Faliscorum, ingressis patrimonium divi Petri, illud quoque infra breve tempus sibi subjecit, Viterbiensibus quoque ac Cornetanis, Sabinis, Comitibus Anguillaræ, regulis Cereti, & Raynutio Farnesio Duce Castri, ei adhærentibus. Et Vicecomes insistens omnino perditioni summi Pont. destinatis in auxilium Corradi Tricii Fulginatis Italiano Foriliviense, & Antonello Senense octo millibus equestribus, tentavit eorum opera noctu occupare Forilivium, & ibi constituere regulum Antonium Ordelaphum, & Italianus, & socii illinc expulsi per Forilivienses fidem servantes Ecclesiæ, Picenum ingressi nonnulla oppida ibi Mondavii in fide Ecclesiæ persistentia occuparunt, & dimiserunt Guidoni Antonio Urbinati. Et Imolenses, dum Guido Faventiæ regulus occupasset quinque eorum oppida, per ipsum bello exagitati, recepto Vicecomitis præsidio pedestrium sexcentum, & equestrium ducentum, in ejus partes transiverunt. Et Malatesta Pisauri regulus occupavit circumvicina, & Pisanus Callium cum ejus ditione, ac decem oppida Mondavii. Et dum Faustinus Dandulus Venetus rector Bononiæ pro summo Pont. illinc auxilio Baptistæ Canetuli ejectis Zambecariis, & illuc accito Melita ejus acie, inde quoque tentasset expellere Canetulum, & per eum capta porta sancti Stephani, illinc expulsis militibus ibi præsidio expositis, ivisset Venetias, eique suffectus fuisset Marcus episcopus Amarini, Vicecomes destinato exercitu Bononiam, eam sibi ope Zambeccariorum & Bentivoliorum tentavit subjicere multis locis agri Bononiensis obsessis, & ex eis tantum occupato monte Velleo. Narniensibus, & Tyfernatibus auxilio Jacobi Mellæ, Spoletinis, Urbeventanis, Ursinis, Taliacozzis, & Imolensibus, ex Flaminia, Hetruria, & Piceno in fide Ecclesiæ persistentibus, & ab ea mox deficientibus Foriliviensibus ad Antonium Ordelaphum, & Perusinis neutri parti adhærentibus, Vitellius aufugit Ravennam, & ibi reperto Thoma præsule Tragunìense expulso Forilivio, ubi erat rector pro Ecclesia, cum eo ivit Venetias, & illinc Romam. Et Vicecomes Piceninum revocavit in Galliam Cisalpinam. Et dum Sfortia & Fortebracius vociferassent occupasse quæcumque, quæ occuparant, nomine Concilii Basileæ, illinc Oratores Sigismundi Cæsaris, ac Regis Gallorum, & Ducis Burgundiæ Romam profecti ad summum Pont. ei patefecerunt ea omnia facta fuisse, & fieri ipso Concilio inscio, Joanne Baptista Cicada Genuense J. C. ex Cæsareis Oratoribus pro omnibus verba faciente. Et summus Pont. habitis ad sui opem mille centum equestribus, & ducentum pedestribus hybernantibus in agro Bononiense apud Castrum Francum sub Melita, & Comite Brandolino, & totidem à Florentinis, transmisso ad Sfortiam Nicolao Episcopo Capuano ipsum constituit Marchionem Piceni, & Vicarium pro Ecclesia in patrimonio divi Petri, & ad ejus stipendium conduxit adversus Fortebracium. Et Sfortia, conjunctis suis & Attenduli copiis, obsedit Montem Faliscorum, & Attendulum & ejus fratres jussit obsidere Tybur, & Fortebracio ejus acie in ipsos profecto, & cum ipsis prælio congresso apud Numentum, per eos superato ac fugato, per ipsum amissis equestribus circiter ducentum, reversus fuit ad obsidionem Montis Faliscorum, ejus fratribus & Attendulo adhuc persistentibus ad obsidionem Tyburis. Et Vicecomes in auxilium Fortebracii ex Gallia Cisalpina transmisit Piceninum Sfortiæ æmulum, appulsum in Hetruriam die vigesima sexta Decembris. Ex pruina, quæ ecciderit die septima Aprilis, arefactis vitibus.

Et anno subsequuto conspecta stella Crinita, & cum frequentes pluviæ, & nives vigente hyeme ceciderint, gravi frigore vigente, & æstate, & autumno immenso æstu, cum Piceninus & Fortebracius secum junctis Columnensibus concursassent usque Romam, ejusque agris depopulatis ob id nonnulli Rom. dimisso Pont. in eorum partes transivissent, & ibi populares die vigesima octava Maji Ponceleto duce occupatis Capitolio, & omnibus ibi portis, & munitis præter Appiam interceptam per Attendulum & Leonem Sfortiam, illuc copiis suis intellecto tumultu Romæ excitato ex Tybure profectos, & dum instarent penes summum Pont. per eum sibi dari regimen urbis, & dimitti custodiam arcis Adrianæ & Hostiæ, & pro obside Franciscum Condolmerium Cardinalem, & quæstorem Apostolicum nepotem suum, & dum eos exhortatus fuisset ad quiescendum, captivatum, & in vincula conjectum, & Ursino, & Comite Cardinalibus ab urbe ex fuga prolapsis, per illos apposita custodia palatio, in quo erat summus Pont. ne illinc aufugeret, & ex eis constitutis septem urbis rectoribus institissent penes Piceninum, ut eam occuparet pro Vicecomite, & cum summus Pont. clam illis indutus habitu Monachali cum nonnullis ejus prælatis, & aulicis conscensa navicula, per Tyberim, eum incognitum insequentibus Romanis sagittis, & lapidibus, aufugisset Hostiam, & illinc urbem veterem, & mox Pisas, & inde Florentiam die vigesima Junii, Romani una cum Picenino, & Fortebracio, & Sfortia, & alii duces Pontificii cursitarunt, agminibus suis, ac diripuerunt Latium, & Baldesar Offidanus præfectus arcis Adrianæ illinc erumpens in urbem ipsam, ejusque suburbia. Et

A. C. 1434.

A Et per Piceninum & Fortebracium Sfortia omni genere injuriarum affectus ob id indignatus, coactis per eum omnibus copiis suis, illos insequutus ad pugnam provocavit, & cum ipsi de eo timentes ab ipso aufugissent, auctore Vicecomite, Bono Dordono, & aliis Legatis transmissis ad Sfortiam, omnino intendentem manus secum conserere, factis utrinque induciis Piceninus, & Fortebracius, regressi Romam, & trajecto Tyberi ad pontem Milvium facta incursione in Sabinos, omnia ibi prædæ exposuerunt, Maliano, quod Sforciæ parebat, dolo etiam occupato, & Utriculo obsesso, & Sfortia rursus ex his indignatus motis castris à Monte Faliscorum, quem obsidebat, profectus est adversus illos, qui omisso Utriculo pedem retulerunt in Malianum, & dum Sfortia, & Tolentinas dux Florentinorum, & per eos transmissus in auxilium summi Pont. profecti fuissent ad urbem veterem illinc statim abierunt, & Sfortia, omissa obsidione Montis Faliscorum ob inopiam stipendii, ivit Radicofanum, & Piceninus in agrum Viterbiensem.

Et cum Brandolinus & Carolus Estensis Venetorum duces recuperassent in agro Bononiense arcem Persiceti, ibi intercepto & captivato Gaspare Canetulo equestribus sex centum, quibus dimissis Venetis iverat ad Vicecomitem, Bononienses auctore Baptista Canetulo adhæserunt Vicecomiti, Marco Tartalia pro summo Pont. Bononiæ Rectore, & Paulo Trono Veneto Patricio ibi captivatis, & Alvisio Equite Hierosolymitano, & Floriano summo Pont. germano, & Grisonibus sibi resistentibus occisis, & ex Imola accersitis copiis Vicecomitis. Et Sfortia, dum esset febre oppressus, inter eum & Bratianos factis rursus induciis, de mense Augusti profecto Tudertum, ejusque acie destinata ad stativa, Fortebracius accessit ad oppugnationem arcis Adriani. Et Piceninus trajecto Apennino, ejus copiis properavit in Flaminiam ad auxilium Bononiensium adversus copias Venetorum, & Florentinorum, castrametantes in agro Bononiense ad Olivetum, per eos receptis Persiceto, Plumatio, & Bazano, & una cum Erasmo Trivultio substitit Imolæ quatuor mille equestribus, & decem millibus pedestribus. Et dum Vitellius Legatus Apostolicus firmatis castris in illos ad Bolognesium equestribus sex mille, & pedestribus octo millibus sub Melita, & aliis insignibus equestrium ductoribus, & Tribunis, & per Piceninum lacessiti, appositis nonnullis copiis ad Galesium, seu ad Rhenum flumen in vico Lici distans à Bolognesio per quatuor millia passuum, irruissent in ipsum, facto conflictu utrinque die vigesima octava, seu ultima Augusti, eos prostravit, ex illis captivatis Tolentinate, Ursino, Estense, Martinengo, & Martiano tribus millibus quinque centum equestribus, & pedestribus mille, occisis tantum quatuor, & vulneratis triginta quinque, Vitellio, & Melita, & Brandolino ex fuga prolapsis Faventiam, dimissis Bolognesio ad ibi custodiam centum pedestribus. Et Piceninus eo, ac Plumatio Gazzano, & Castro Franco, quæ tenebant Pontificii, receptis, rediit in Galliam Cisalpinam, dimisso ad præsidium Bononiensium Francisco filio sex centum equestribus: & summus Pont. hac clade recepta consternatus rursus conduxit ad sui stipendium Sfortiam equestribus tribus millibus, & duobus millibus pedestribus per triennium, & constituit vexilliferum Ecclesiæ, declaravitque Marchionem Piceni, quousque vixisset, & Tuderti, & Tuscanellæ per triennium, & perpetuum Vicarium Firmi Ecclesiæ, eidem quoque dimissis omnibus aliis, quæ occuparat, & Fortebracium, dum ab eo timens, dimissis civitatibus & oppidis Ducatus Spoleti, quæ occuparat, Sfortia omnibus ejus copiis eum insequutus, ibi obsedit, spretis pollicitationibus sibi factis per Vicecomitem, ad eum destinatis Legatis Francisco Gallina, & Marco Sicco. Et astu, & fraude Offidani præfecti arcis Adriani, & Antonii Ridii Hispaniæ militis, captis Lelio Magdalena, & Valeriano Massio, & nonnullis aliis optimatibus Romanis ingressis arcem ipsam, sibi data spe per Ridium eam ipsis prodendi, & cum ipsis commutato Francisco Condulmerio nepote summi Pont. & dimisso post quartum mensem, tumultus concitati per Romanos, summus Pont. in sui gratiam recepit, & reversus in urbem, ibi constitutis magistratibus nomine Ecclesiæ, jussit muniri Capitolium præsidio & annona.

Anno à partu divino salutifero B. Mar. Virginis millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, Cremonæ Prætore Joanne Lampugnano Mediolanense, Joanna Andegavense, Neapolis Regina, die nona mensis Februarii mortua, nulla relicta prole instituto herede Renato agnato suo, jam prius adoptato Alphonso Aragonense, & Regno Neapolitano occupato per Comitem Paleani, & nonnullos alios ibi proceres, Alphonsus ipse accersitus per Joannem Antonium Martianum, & nonnullos alios ibi regulos, ad illud capescendum, illuc ex Sicilia accessit, & ad sui stipendium conductis multis Principibus, & insignibus viris militaribus Italis, & sub eis conscriptis equestribus sex millibus sex centum, & multis cohortibus pedestrium, & Capua obsessa, ejusque arce dimissa per Joannem Caramanichum, ipsius præfectum, Comiti Laureti sequenti partes Alphonsi, ac instructa & munita per eum classe undecim triremium, ac biremis, & aliorum decem & novem navigiorum, obsedit mari & terris Gajetam, ad cujus præsidium erant pro Vicecomite Genuenses, Francisco Spinula & Ottolino claudo ducibus, & dum jussu Vicecomitis Genuenses trajicerent ad ipsius subsidium classe navium duodecim, & quatuor triremium, ac lintris, Blasio Serreto, seu Agireo, Genuense olim notario, ejus præfecto, & cum quo erant multi alii insignes Genuenses præfecti triremium, ducentum equitibus, & mille quatuor centum navarchis, Alphonsus dimissis ad obsidionem Gajetæ Francisco Ursino, Ludovico Columnense, & Christophoro Gajetano, ex suis ducibus, parte exercitus, die quinta Augusti eis occurrit apud Insulam Pontiam in mari Siculo quatuordecim triremibus, super quibus erant Joannes Rex Navarræ, Henricus moderator Equitum divi Jacobi, & Petrus Infans ejus fratre, & multi alii inclyti duces cum aliis centum proceribus, & equitibus ducentum, & utrinque commissa pugna fuit superatus, ejus classe dissipata, & ipso, & Joanne Rege Navarræ, & Henrico fratribus suis, Joanne Antonio Ursino Principe Tarentino, Menegatio Aquilano Duce Sinuessiæ, Fosio Aquaviva Duce Adriæ, Jordane Com. Anversæ, Nicolao ejus nepote Com. Didacho, & Joanne magistro Equitum Hispanorum, & aliis centum proceribus, & tribus millibus quinque centum navarchis, aliis sex centum desideratis, & ex Genuensibus centum quinquaginta, & per Gajetanos facta eruptione ex Gajeta in exercitum, quem Alphonsus dimiserat ad ejus obsidionem, & ipsius castris, dum aufugisset, depopulatis, ejus classe & captivis conductus fuit in eam, & illinc Savonam, ubi pro Vicecomite erat prætor Franciscus Barbavarra, & illinc Mediolanum ad Vicecomitem, & qui, dum jussis dimitti ejus captivis, percussoque fœdere cum Alphonso, ipsum quoque dimisisset, & transmisisset ad portum Veneris, ut illinc trajiceret in Apuliam, Genuenses ob id indignati, ac Savonenses, & alii ejus regionis incolæ, pinnaculo ecclesiæ divi Ambrosii Genuæ fulgure tacto, & illinc excussa imagine pietatis ibi picta, die vigesima sexta Decembris defecerunt ab eo, & se vendicarunt in libertatem, auctoribus Thoma Fulgosio filio Petri, & Francisco Spinula, Ubi-

Ubicino Olgiato ibi rectore, & habente ad ejus præsidium bis mille pedestres, occiso, & quem Vicecomes illuc transmiserat una cum Alvisio Crotto, & Erasmo Trivultio, & facta conjuratione in Venetos, tentavit reducere in Patavium Ubertinum filium Francisci Carrariensis, olim ibi & Vincentiæ Tyranni, ex Pannonia accersitum in Italiam; & dum cognitus fuisset per molitorem in agro Vicentino, die quinta decima Martii fuit per ibi incolas captus una cum duobus ex stipendiariis Vicecomitis sibi datis socios, ac viginti Patavinis, eum comitantibus, & ductus Venetias, & ibi de eis & multis aliis Patavinis, de proditione suspectis, ultimum supplicium sumptum.

Et Piceninus copiis, quas ex mandato Vicecomitis paratas habebat, ut succurreret Carrariensi, ubi occupasset Patavium, re in lucem prodita ex Gallia Cisalpina properavit Assisium ad opem Fortebracii ibi obsessi per Sfortiam. Et dum Franciscus Ridius re composita cum episcopo Novariense penes summum Pont. commorante, & Picenino castrametante in agro Senense apud Balneum, & Jacobo Capone Florentino ipsum tentasset capere, reque in lucem prodita, Ridio & Capone captis, & ultimo supplicio affectis, capto etiam episcopo, sed in gratiam Cardinalis sanctæ Crucis ei data venia, Sigismundus,& Carolus Malatestæ sex centum equestribus, per summum Pont. conducti ad sui stipendium, diripuissent agros Forilivienfium, & Franciscus Piceninus sibi transmissis per patrem ex agro Lucense ad ipsius subsidium sex centum equestribus, in illos transivisset, & per Sforciam omissa obsidione Assisii, & dimissis Vitellio, & Leone fratre quatuor centum equestribus adversus Fortebracium in Piceno, aliis bis mille & octo centum pedestribus, & aliis Malatestarum ad Forilivium, Pasquino Attendulo illuc præmisso, facta profectione in Piceninum, & per Fortebracium ad movendum Joannem Sfortiam ab injuria Tudertinorum facto accessu Falcum copiis suis, eique inde abeunti simulata profectione in Flaminiam contractis omnibus aliis copiis suis ex Tuderto, & Falcone, ut ei occurreret, facto descensu in subjectam planitiem, & ex Tuderto in eum per Joannem facto impetu, & utrinque ibi collatis signis, eo captivato cum omnibus fere suis, & mox auxilio Tricii, & Fulginatis obsesso, & capto Tricio; & Sfortia his intellectis, ne erumperet Picenum, ei occurrisset copiis suis, Venetorum, & Florentinorum, & Nicolaus Piceninus ex Hetruria quatuor millibus equestribus & mille pedestribus in auxilium filii properaverit Cesennam, velletque mox illinc regredi Picenum, ut ipsum occuparet, & Sforcia ei obvio facto ad flumen Sapim, sibique occupatis locis, & pontibus, quibus sibi erat necesse transire, & per Christophorum, & Joannem Balduinum, Tolentinates valli Galleata, transmissis, ut sibi pararet ferro iter ultra Sapim in Picenum, Francisco filio & Sacramoro Parmense versus Maturanum equestribus tercentum, eisque occurrisset Cattabriga, & Troilus duces Venetorum equestribus ducentum, & Thomas Michael eorum patricius, & Legatus balistariis centum quinquaginta, & ibi die penultima Junii commisso utrinquæ prælio, & Francisco filio & Sacramoro captivatis cum aliis quinquaginta tironibus, Piceninus vellet descendere ad extremum agmen, & prohibitus per Erasmum Trivultium, & erepto filio è manibus Sfortiadum regressus fuit ad Caramatam; & Sforcia per Florentinos sibi in auxilium transmissis equestribus quatuor centum, & totidem pedestribus, & per Venetos aliis copiis ex Brixia ibi eorum jussu coactis per Gonzagam, eis, & aliis Melite ex Castro Franco agri Bononiensis, & Manfredo ex Faventia, castra firmasset ad Martinianum, & ibi utrinque commissis levibus præliis, in quibus semper prævaluissent Sforciades, Piceninus omnino intendens sibi ferro parare viam, motis castris à Caramano die duodecima Julii, directo itinere ad oppidum Mandulæ Malatestarum, illud oppugnaturus, eique occurrisset Sforcia, & Cerpellonus ejus dux quatuor centum equestribus copias Picenini impetiisset, & ex eis nonnullos captivasset, & Piceninus credens Sfortiam illuc accessisse toto exercitu retrocessisset, & Sfortia regressus fuisset Forilivium.

Summus Pont. Veneti, & Florentini una cum Vicecomite die decima Augusti Ferrariæ se interponente Nicolao ibi Marchione, una cum Gerardo Castillionæo Mediolanense, & Joanne titulo Sancti Petri in vincula, Cardinalibus, iniverunt pacem: Qua cautum fuit, ut Vicecomes dimitteret Ecclesiæ omnia, quæ ei occupaverat in Flaminia, & illinc revocaret Piceninum, & alios duces suos ipsorum copiis, quas ibi, & in agro Mutinense habebat, & nec suo, nec alieno nomine se interponeret in Regno Neapolitano. Et Vicecomes ea ratificata restituit Ecclesiæ Imolam, & Piceninum, & alios suos duces ex Flaminia revocavit in Galliam Cisalpinam, Lancelotto Crotto ad eos destinato die sexta Septembris. Et Bononienses sibi per Piceninum dimissis Bolognesio, & oppido sancti Petri, ei solutis aureis bis mille, & per Sfortiam in eorum agro ad Medicina oppidum firmatis castris, & ibi receptis nonnullis redierunt in jus Ecclesiæ die sexta Octobris, Baptista Canetulo ex Bononia aufugiente ducentum equestribus, die quinta decima ibi constituto rectore Balthesare Offidano, ex illius jussu decapitatis Antonio Bentivolio, & Thoma Zambeccaria ex illic primoribus indicta causa, & Ecclesiæ quoque dimiserunt Comes Brandolinus, & Melita, ea, quæ & ipsi habebant ex agro Bononiense. Et Guido Antonius Feltrensis Urbini regulus promisit dimittere oppida Montoni, & Pergulæ, & septem alia agri Tyfernatis, & tria Mondavii, quæ occuparat. Et Guido Antonius Manfredus ea, quæ ex agro Imolense, & Mondaviense, ac circumvicinis habebat: & ad eam quoque redierunt omnes, qui ex Piceno, & Hetruria, ac patrimonio divi Petri, qui ab ipsa defecerant. Et Fortebracius ea spreta pace, Fulconensibus descendentibus in partes suas, ivit Tricium oppidum Ecclesiæ, & ibi coacto omni suo exercitu, illinc per Tamertes nonnullis oppidis occupatis, trajecto Apennino obsedit Montem Floridum; & cum Alexander Sfortia, & Italianus octo centum equestribus per Franciscum Sfortiam ex ejus castris, quæ habebat adversus Piceninum factis induciis eum eo, ad ipsos transmissis in illum transivissent, & applicuissent prope castra ipsius, quæ habebat ad Montem Clarum, & ibi consertis manibus ad medium Augusti cum illius copiis, eas profligassent, & ipse, cum cecidisset ex equo, nunquam alicui se vellet permittere in captivum, & equestrem Foriliviensem Alexandri petentem, ut se permitteret ipsi Alexandro, ense impetiisset, per eum gladio vulneratus sub oculo, ibi vita functus fuit, Carolo ejus filio, ac filio Caroli Fulginatis, aufugientibus Assisium. Et Alexander & Italianus victoriam prosequuti multis militibus Fortebracii interceptis & captivatis, ac receptis oppidis Camertinorum, quæ occuparat, eorumque copiis trajecto Apennino, Monte Falconi, & Tyferno, se eis permittentibus, transiverunt in Ursinos, qui adhæserant Fortebracio, & dum cum Dentesalvio profecti fuissent Assisium, Carolus filius Fortebracii illud ex consilio Perusinorum dimisit Ecclesiæ, Picenino tunc castrametante agminibus suis in agro Bononiense apud Clanternam torrentem.

Et Vitellius Legatus Apostolicus captis Vetralis una cum Jacobo Vincense urbis præfecto, eoque jusso decapitari, & recepto Monte Faliscorum, Romam profectus, & conductis ad stipendium Ecclesiæ ex acie Fortebracii mille octo centum equestribus,

bus, aliisque quinque centum habitis à Sfortia, eis, & aliis quinque centum, quos habebat, illinc abiens obsedit, & in jus Ecclesiæ redegit Pupium, & Burgum sancti Sepulchri, & compulit deficere ad Florentinos oppida Pontis Veteris, & Vallis Bonæ, Reateque tumultu exorto per ibi incolas, illic Prætore occiso, eo properavit, & redegit in sui potestatem. Et dum Antonius Pisanus Ponceletto auctore capta urbis porta majori, qua itur Præneste, eam ingressus, omnia ibi adjacentia diriperet, ac ferro & igne absumeret, & ibi ob id causato tumultu illuc acceleravit, & ope Com. Anguilaræ inde illum expulit, & domibus eorum, qui tumultum concitarant, eversis, & Ponceletto captivato, & forcipibus ignitis super curru excruciato, & in campo Floræ furcis suspenso: & ibi, ubi vigebat gravis annonæ penuria causata ubertate, ex jussu ipsius, quem omnes timebant, delata super plateas multa granorum copia, bello insequutus fuit fautores Pisani, & cepit Roccam Priorem, eaque direpta transivit in Pisanum, & recepto Colle Sabelli obsedit Scevam Privinatum, & Pisanum, dum illuc in auxilium properasset, secum consertis manibus captivavit, & furcis suspendi jussit, & deinde recepto Castro novo obsedit, & diu obsesso, & in jus suum redacto Præneste Laurentii Columnæ, & inde ibi incolis jussis migrare Romam, & postmodum ad lacum Albanum captis Gandulpho, Sabello, Burgieto, & Zaccarolo, ac direptis, ex jussu summi Pont. requisito sibi auxilio per Isabellam Andegavensem uxorem Renati, valde oppressam per Alphonsum, ad ejus opem progressus fuit in Regnum Neapolitanum. Et Francisco Picenino, & Menegutio Aquilano, & Ricio Monclarense ex Aquila, quam copiis suis obsidebant, repulsis, & Picenino, dum se recepisset in Amatricem, insequuto, & compulso aufugere in Montem Regalem, & agro Amatricis direpto, ac ferro & igne everso, & Monte Regali depopulato, & obsesso Theate, in quod aufugerant Menegutius & Ricius, & mox eo dimisso ac direpto, & combusto Corbario profectus in Marsas, & ibi prædæ & igni exposita Adria, & potitus Albesio, illinc profectus in Campaniam Apuliam, & Arpinates, eis, & aliis ejus regionis incolis se ipsi permittentibus, receptis, eversis eorum agris, illinc rediit in Latium, & inde Romam, ubi tota hyeme moram habuit.

A. C. 1436. Et anno altero Piceninus exercitu viginti millium equestrium, & pedestrium, jubente Vicecomite accessit Genuam, ut eam compelleret ad pristinam sanitatem, sed cognita Genuensium pertinacia, & per eos ibi recepta arce, illinc depopulata regione Pulcephara die septima Martii accessit Albingaunum, illudque obsedit, eoque, & Serezana, & Castro novo ibi occupatis, eisque ac multis aliis præter Serezanam prædæ expositis, illinc accessit Parmam, & inde Lucam, & mox in agrum Pisanum, ubi diripuit multa oppida Florentinorum. Et Genuenses habitis copiis auxiliaribus à Florentinis sibi ducem crearunt die prima Aprilis Thomam Fulgosium, quem Baptista frater Viecomite auxiliante ingressus Palatium Genuæ tentavit Ducatu expellere die tertia, sed statim illinc repulsus fuit. Et summus Pont. Florentiæ ecclesia Cathedrali consecrata, illinc abiit Bononiam die vigesima Maji, & jussit Sfortiam ejus acie ex Piceno se conferre in Flaminiam, & ibi obsidere Forilivium, eoque obsesso, & post multas per ibi incolas factas eruptiones in Sfortiadas, & utrinque commissa multa levia prælia, & gravia damna illata, illinc expulso Antonio Ordelapho, ipsoque redacto in potestatem Ecclesiæ, Bononiæ die quinta decima Julii construi fecit arcem, ac palatium, in quo resident Legati Apostolici, & Balthesare Offidano, & Petro, & Joan. Paulo ducibus ex Lugo expulit Com. Cunii. Et Sfortia Offidanum, dum tentasset cum è medio tollere, re sibi patefacta, facto impetu in illius copias degentes ad Ricardinam in agro Bononiense, captivavit, suppositumque tormentis compulit pandere ea, quæ in ipsum machinatus fuerat, & reservatum incolumem ad preces Hermolai Oratoris Venetorum penes summum Pont. & in ejus gratiam transmisit in arcem Firmi, ubi mox lapide percussus interiit. Et Sfortia profectus exercitu in Picenum adversus Piceninum. Et dum Piceninus factis ibi utrinque levibus præliis rediisset in agrum Lunensem, & illinc Novium proximum Genuæ ivisset ejus copiis, ut auxiliaretur Baptistæ Fulgosio, ubi obtinuisset Ducatum Genuæ, Sfortia omnia, quæ Piceninus ex agro Pisano occuparat, recuperavit, & illinc regressus in agrum Lucensem, eo direpto obsedit Lucam, quam tuebatur Moretus Sanazarius turma equestrium, & cohorte pedestrium tercentum pro Vicecomite. Cremonæ de mense Februarii inchoata fuit confraternitas sub tit. D. N. Jesu Christi sibi fabricato oratorio ad honorem divi Hieronymi Confessoris, & ex quatuor doctoribus Rom. Ecclesiæ in vico ibi majori Piscariæ factis ejus ordinibus, & confirmatis anno 1453. per Venturinum de Marnis illic Episcopum.

Anno sequente Piceninus, cum Genuenses occupassent portum Veneris, illuc copiis properavit, ut ipsum recuperaret, & spe ipsum recuperandi postposita, inde abiit cum Com. Alvisio Vermio mille quinque centum equestribus, & octo centum pedestribus, de mense Januarii in auxilium Lucensium, qui ad extremam inopiam redacti, & gravi obsidione oppressi, essent descensuri in dominium Florentinorum, ex agro Lunense in agrum Lucensium jubente Viccecomite transivit, & ibi receptis nonnullis oppidis, & obsesso Berceto distante à Luca per lapides triginta, & ibi ejus copiis, dum absque ordine illic essent, per Brunorium ducem Sfortiæ eas aggressum una cum Bercensibus, qui ex Berceto eruperunt, fusis, capto Ludovico Gonzaga filio Jo. Francisci, invito patre cum Picenino militante, & direptis eorum impedimentis, & Brunorio ingresso oppidum, & ibi dimisso præsidio, Piceninus diffisus eo potiri, inde cum Vermio regressus fuit in agrum Lunensem, & ibi Serezana, & nonnullis aliis oppidis Macræ proximis captis, Sarzanellam oppugnavit, & cepit. Et Veneti inito novo fœdere cum summo Pont. Renato Andegavense, Genuensibus & Florentinis tertio moverunt bellum, Vicecomiti constituto eorum duce supremo, Gonzaga Marchione Mantuæ, & Legato Petro Lauredano, ipsorumque jussu Erasmus Narniensis, Gattamelita nuncupatus, ejus acie militari ex agro Bergomense irrupit agrum Mediolanensem, & dum eum diriperet, Alvisius Vermius, tunc hybernans ejus copiis in regione Briancensium, ipsorum auxilio ei factus obvius ipsum inde repulit, utrinque ibi de mense Februarii commisso prælio, in quo ex Philippensibus fuerunt desiderati mille, & ex Venetis tria millia, absorptis etiam nonnullis aliis ex eis in flumine Abduæ tunc intumescente, & ob id super eo non facto aliquo ponte reliquo exercitu non valente sequi Melitam. Et Piceninus per Vicecomitem vocatus in Galliam Cisalpinam ad ejus auxilium dimissa Sarzanella una cum Pontremulo, & per Sfortiam recuperatis quibuscunque per eum ademptis Florentinis, illuc properavit. Et dum Melita oppugnaret oppida Insulæ Fulcheriæ, ei occurrit, & per Gonzagam firmatis castris prope Bulgariam in agro Bergomense, interceptis impedimentis ipsius, ac militum suorum, quæ ad eos ducebantur, ingressus agrum Bergomensem multa ibi occupavit Venetorum, Calepio oppido illic funditus demolito, ejusque valle, ac Triscoria sibi suppeditatis, & expugnato oppido divi Petri proximo Bergomo per tres lapides, amotisque tormentis bellicis arci ipsius, illam cum Bergomo obsedit. Et Sfortia accersitus

situs per Venetos adversus eum, dimissis per ipsum nonnullis copiis Florentinis, quibus perseverarent in obsidione Lucæ, & Italiano Foriliviano transmisso in Picenum octo centum equestribus, quibus ipsum una cum Sfortiæ fratribus adversus Vitellium, quem timebat, ne illud bello infestaret, de mense Maji se recepit in agrum Rhegiensem. Et Piceninus dimissa obsidione Bergomi, & nonnullis dimissis copiis ad Forum novum, progressus fuit in agrum Cremonensem reliquo exercitu adversus Venetos castrametantes Bordolani, & dum ipsi pede relato ad Vicum Binæ, inde factis incursionibus in agrum Cremonensem, ex eo fructus abducerent, illis occurrit, & ut illos averteret ab illa abductione, irrupit agrum Brixiensem, & illinc in agrum Cremonensem, ac Cremonam adductis granis, & aliis fructibus, annona ea munita, & dimissis in Insula Fulcheria tot copiis, quot sufficerent ad ibi præsidium, trajecto Pado, & ultra ipsum super Gazzina per Cremonenses constructo ponte assideo elevatorio, profectus est in Sfortiam castrametantem in agro Parmense.

Et factis induciis inter Vicecomitem ac Venetos per totum mensem Augusti, Sfortia, dum Piceninus motis castris ex agro Parmense tentasset proficisci Lucam ad ejus auxilium, illi occurrit: & Guido Antonius Manfredus Princeps Faventiæ, & Borsius Estensis filius Nicolai Marchionis Ferrariæ, & Guidone Antonio, & Eustorgio fratribus de Malatestis dimissis per Venetos, Guido Antonius per Florentinos conductus fuisset ad eorum stipendium, Picenino eorum turmis se conjunxerunt. Et cum Imola se subjecisset Vicecomiti, eaque dimissa per ipsum Manfredo Faventino, Manfredus Vicecomiti adhæsisset, & ab eo stipendium accepisset, Piceninus Eustorgii, & Manfredi copiis suis conjunctis transmissa annona cum peditatu, quam volebat subministrare Lucensibus, ad Castillionem, non valens transire Apenninum, ejus turmis regressus fuit in agrum Mutinensem, & inde permittente summo Pont. in agrum Bononiensem, omnibusque itineribus, quibus itur in Hetruriam, obsessis, & munitis per Sfortiam, ibi firmavit castra ad flumen Ibicem, Bononiæ tunc pro Ecclesia prætore Daniele Episcopo Concordiæ, & illinc destinato Eustorgio equestribus suis in agros Aureoli, eisque per ipsos depopulatis, ipsum sequutus Aureolum obsedit, captumque diripi jussit. Et Sfortia indignatus in Venetos ob denegatum sibi stipendium eis dimissis, ipsoque auctore factis induciis per Florentinos cum Lucensibus de mense Aprilis, quibus interim parerent loca Lucæ proxima, & reliqua Florentinis, redditis tamen omnibus privatis, quæ eorum essent, & nec Piceninus, nec alii Duces Vicecomitis Florentinos infestarent, die undecima Junii adhæsit Vicecomiti, sibi per eum data fide transmittendi in arcem Firmi Blancam ejus filiam jam ipsi promissam uxorem. Et Piceninus, dimisso Aureolo, illinc abiit in agrum Foriliviensem, & cum ibi firmatis castris apud Camaratium ad fines agrorum Ravennæ, & Cesennæ, Spoletini concepto odio in Pyrum Abbatem Cassinensem eorum Rectorem pro summo Pont. ipsum obsedissent in ibi arce, & Franciscus filius Picenini, & Italianus Forilivianus, qui Sfortiam deseruerat, accersiti per Corradum Tricium Fulginatem in auxilium Abbatis ingressi agrum Spoletinorum, eo depopulato ope Fulginatum, & Ursinorum hostium Spoletinorum, dolo Spoletum occupassent, diripuissentque; & Eustorgius Manfredus non valens Ostasium Spoletanum regulum Ravennæ maritum Genebræ sororis suæ inducere, ut posthabita Venetorum amicitia adhæreret Vicecomiti, induxisset incolas Balnei Cavalli, Russii, & Tusignani oppidorum suorum, & quæ ab Ecclesia recognoscebat, ab eo deficere ad Piceninum, Joanne Tolentinate Ravennam transmisso in auxilium per Venetos copiis, quibus soluta fuerant pro stipendio, jubente summo Pont. aureorum quinque millia illinc expulso per Genebram uxorem Ostasii, Piceninus obsedit Ravennam, & Ludovico Demolino Patricio Veneto illuc classe appulso, & Ravennam ingresso, in potestatem suam redegit, & Ostasius mox sequutus fuit partes Vicecomitis, eique etiam auctore Picenino adhæserunt dimissa Ecclesia Forilivienses, & Bononienses, & multi alii populi in ea regione nimis oppressi oneribus per Ecclesiasticos facto ingressu per Bentivolium in Bononiam. Et Philippenses finitis induciis factis inter eos ac Venetos, recensito exercitu, quem habebant in Gallia Cisalpina, in Insula Fulcheria, & ibi ejus parte dimissa reliqua, die undecima Septembris transiverunt in Venetos castrametantes in vico Binæ agri Cremonensis; & cum Veneti diffisi viribus suis Ollio trajecto pedem retulissent in agrum Brixiensem ipsorum impedimentis interceptis, & ex eis quam plurimis captivatis à Philippensibus absque pugna, eos insequuti sunt, & ibi multa oppida ceperunt, & Brugnanum obsessum per multos dies, in quo erant multa bona Venetorum, receperunt, dimissis inde incolumibus quinque millibus, qui erant ad ejus præsidium, & mox iverunt ad hyberna. Et Veneti firmatis castris ad Quinzanum ibi recensito exercitu quoque hybernati sunt. Et Gonzaga, cum ab eo requisivissent per ipsum reconsignari vexillum suum eorum Legatis in civitate Brixiæ, in ipsos indignatus, dimisso eorum exercitu Federico Contareno uni ex ipsorum Legatis, rediit Mantuam. Sigismundo Imperatore de mense Octobris anno vigesimo septimo Imperii sui, & regni quinquagesimo, septuagenario mortuo apud Zurlam Austriæ, & sepulto in Varadino, seu apud Albam, Albertus Dux Austriæ gener ducta Elisabeth ejus unica filia, ex Barbara uxore, fuit electus Cæsar.

Anno sequuto, Cremonæ Prætore Bartholo- A. C. 1438.
mæo Roncarolo Mediolanense, tribus solibus conspectis, & ex vehementi vento quam plurimis arboribus evulsis, & domibus eversis, & navibus in mari submersis, & in vesperis diei undecimi Januarii audito gravi terræmotu, summus Pont. abrogato Concilio Basileense, illud indixit Ferrariæ die vigesima nona Februarii, asserens Græcos, qui cum Ecclesia Rom. in fide volebant consentire, nolle ire Basileam, sed Ferrariam, uti sibi magis commodam, & quos cum Principes Concilii precibus ac promissionibus invitassent, ut illuc se conferrent, nec inducere potuissent, conversi in summum Pont. ei denuntiarunt, quod nisi accessissent Basileam ad Concilium, eum deposuissent à Pontificatu, illuc ad se excusandum destinato Jo. Baptista Capitalista J. C. Patavino ivit Ferrariam ad Concilium ibi inchoatum. Et Joannes Palæologus Imperator Byzantii die quarta Martii ex Venetiis una cum Demetrio Despoto Peloponnesi fratre suo, ac Josepho Patriarcha Byzantii, & Legatis Patriarcharum Hierusalem, Antiochiæ, Imperatoris Trapezuntii, Hyberorum, & Vallachorum, & multis aliis prælatis diversarum gentium Ecclesiæ Orientalis, illuc ad ipsum Concilium applicuit Juliano Cæsarino Cardinale sancti Angeli auctore, & ex Venetiis illuc eos deducente, quo non multo post applicuit Præsul Ruthenorum centum equestribus. Et summus Pont. die decima septima Septembris per eos, qui Concilium habebant Basileæ, Carolo Gallorum Rege, Alphonso Aragonense, & Philippo Vicecomite consentientibus, deposito à Pontificatu Amadeus Dux Sabaudiæ filius Aimonis, & primus creatus Dux per Sigismundum olim Cæsarem, & qui vitam heremiticam ducebat ad Ripam altam prope Lacum Lemanum in agro Gebenense, ibi constructo cœnobio, Ludovico filio dimisso Ducatu, factus fuit Antipapa, & nominatus Fælix, & coronatus Basileæ, ubi creavit Cardinales.

Pice-

Piceninus, dum Melita Dux Venetorum receptis his, quæ occuparant Philippenses ex agris Brixiense & Bergomense, descendens ejus acie in agrum Cremonensem, eum diriperet, adversus ipsum ex Flaminia ibi dimisso Italiano ejus acie ad præsidium, & ad se vocatis Francisco filio, & Italiano Foriliviano, & conducto ad sui stipendium Jo. Paulo Ursino, eoque turmis suis præmisso in Galliam Cisalpinam, illuc properavit exercitu, & trajecto Pado ad vicum Summi in agrum Cremonensem, ibi obsedit Casale majus, quod una cum Soncino Veneti præsidio muniverant, eoque in potestatem suam redacto intra diem decimam nonam ivit in exercitum Venetorum Melita duce castrametantem ad vicum Binæ, eumque sibi occurrentem apud Calvatonum, utrinque consertis manibus profligavit, & Platinam, & quicquid Veneti ibi occuparant, recuperavit. Et cum Melita ad ripas fluminis Ollii disposuisset frequentes excubias, & copias ad ibi custodiam habito transitu à Gonzaga die vigesima septima Junii per pontes Caneti, & Marchariæ irrupit agrum Brixiensem. Et cum Melita sibi timens exercitu properasset ad loca Brixiæ propinqua, firmatis castris per Piceninum ad Balneolum, omnia planitiei Brixiensis à Venetis ad eum sponte deficientia recepit in sui fidem, præter Monclarenses, Palatienses, & Orivenses. Et cum Melita parte exercitus sui voluisset ingredi Brixiam, & ibi Gibellini obstitissent Francisco Barbaro Patricio Veneto illic rectore, ejusque prudentia insimul conjuncta, ibi utraque factione, contracta affinitate inter Martinengos, & Advocatos illic principes factionum, Petroque Advocato & Petro Lodronio, invicem inimicis, factis amicis interventu Leonardi Martinengi, Piceninus motis castris ea firmavit ad Bidentiolum Clesi amni adjacentem die vigesima septima Julii, ut potitus omni agro Brixiense deleret exercitum Venetorum, Bergomi & Brixiæ morantem, fame seu ferro, secum confligendo, per eum & Gonzagam ibi eorum exercitu occlusis omnibus itineribus, ne transiret in agros Veronensem & Vicentinum, & per Melitam ad Gavardum firmato exercitu viginti quinque millium stipendiariorum, & evocatorum illuc profectorum ex Brixia, & Vallibus Tropiæ & Sabiæ, Piceninus se conjunxit Gonzagæ quatuor millibus equestribus & pedestribus. Et dum Melita timens, ne aliqui ex ejus ducibus consentirent Vicecomiti, abiisset ex Gavardo, & transmissis plerisque ex ejus militibus ad præsidium Brixiæ, & reliquis distributis in ejus municipiis adhuc in fide Venetorum persistentibus, & aliquibus ex ejus ducibus deficientibus ad Gonzagam, Piceninus positis castris ad Salodium, & mox ad Felicianum, & deinde Minerbium, Salodium, ac Sarolam, & Montemclarum in fidem suam recepit. Et Gonzaga ejus acie trajecto Mintio recepit omnia inter ipsum ac Athesim, ex agro Veronense adjacentia una cum Valegio ibi intercepto, Joanne Malvolta illuc ad præsidium ex Brixia transmisso tercentum equestribus, exsutis una cum eo omnibus bonis, & mox trajecto Benaco omnem ibi regionem occupavit, ad Vicecomitem etiam deficientibus incolis Vallis Sabiæ, arce eorum oppidi funditus diruta die vigesima secunda Augusti. Et Piceninus exercitu ex Salodio profectus Balneolum & Pontiolum, ea recepit, & Pallazolum expugnavit, ibi inter ejus copias ac Venetorum ducibus Bartholomæo Coliono, & Paride Lodronio, inito certamine, in quo succubuerunt Veneti, ex eorum militibus mille quinque centum captivatis, & mox Clarium ex proditione recepit, ibi interceptis Guerrerio Martiano, & Michaele Gritto equestribus septem centum, & pedestribus tercentum. Et dum Melita ei auxiliaturus coactis omnibus copiis ejus regionis, ipsis illuc profectus fuisset, illinc retrocessit Coloniam, & Melita eum sequuto eduxit copias in campos patentes Rovadi, & ibi dimicavit cum exercitu Veneto die vigesima quinta Septembris, & ex ejus militibus cæsis ducentum, & totidem captivatis, recepta aliqua clade abiit Coloniam. Et Melita Brixiam una cum Thadeo Estense, Antonio Martinengo, Petro Navarino, & Bartholomæo Coliono, illincque transmissis ad Urceos Navarino, & Coliono Pallazolum ad ibi præsidium copiis suis. Et Veneti parata classe fluviatili centum sexaginta navium, & quinque triremium, qua vexarent agrum Mantuanum, eidem præfecerunt Petrum Lauretanum.

Et Piceninus abiens ex Colonia Rovadum, in fidem suam recepit ibi incolas, & Bonadenses, Patermianos, Bassanenses, Monticulenses, Conclugineneses, Orianos, & Briensas, & Tropiensibus ad Melitam deficientibus expugnavit Iseum. Et cum Melita quinque millibus equestribus ex Brixia profectus ad Mintium, ut illinc trajiceret in agrum Veronensem, & ibi repertis Custodis militum Gonzagæ inde retrocessisset, obsedit Urceorum oppidum, illudque die vigesima secunda Octobris sibi proditum per Petrum Lucensem, ibi præsidio impositum ducentum equestribus, recepit. Et dum Estensis Marchio Ferrariæ sibi dimissa Peninsula Rodigii auctore summo Pont. eis adhæsisset, Melita dimisso filio Brixiæ sexaginta equestribus, ac Theosalvio, & Crasso eorum turmis ad ibi præsidium, una cum Navarino & Coliono die vigesima quinta Octobris auxilio Paridis Comitis Lodroni per montes inaccessibiles vallis Tropiæ, & circumvicinos interjacentes, Brixiam & Veronam sibi resistentibus Episcopo Tridentino, & Alexandro Marliano duce Pollonorum, & per Gulielmum Cavalcabovem Cremonensem, & Guidonem Rangonum Mutinensem, duces Venetorum, equestribus tercentum occupatis viriliter saltibus montium commisso prælio cum ibi accolis, & per Ludovicum ducem Vicecomitis obsessis vadis lacus Benaci, & ad subsidium Melitæ ad ejus ripam ulteriorem occurrente Pelusio tribuno Venetorum pedestribus quatuor centum, accessit Veronam ejus legione, ex ipsa amissis octo centum equestribus, occisis per incolas eorum montium. Et Gonzaga classe Veneta appulsa Figarolum, illic apud Hostiliam ac Sermium jussit muniri ripas, ne progrederetur. Et Antonius Beccaria dux Vicecomitis bis millibus pedestribus ingressus Vallem Camonicam, eam vendicavit. Et Joannes Contes, Bartholomæus Colionus, & Joannes Martinengus hominibus ibi Alpinis eorum factionis profecti in eum, & utrinque ibi facta pugna, de ejus militibus magnam stragem ediderunt, & Vallem prædæ, incendioque, cædibusve exposuerunt. Et Piceninus dirutis fistulis, quibus aquæ derivantur in Brixiam, & illinc eorum aquis aversis, & erectis tribus propugnaculis adversus eam, ipsam obsedit toto exercitu Vicecomitis de mensibus Novembris & Decembris, ejusque multis in locis apertis mœniis, pilis librarum tercentum emissis ex tormentis bellicis illuc conductis, & factis cuniculis subterraneis pluries oppugnavit, sed gravius diebus solennibus divi Andreæ, & divæ Luciæ, & dominicæ sequentis omni genere armorum, ibi commissis præliis inter Philippenses ac Venetos, illic ad præsidium degentes, & etiam Brixienses equestres & pedestres, quibus etiam se conjunxerunt mulieres & Ecclesiastici, ibi Francisco Barbaro rectore, Christophoro Donato Prætore, Andrea Valerio, Gerardo Dandulo, Petro Grimano, & Andrea Leone omnibus Patriciis Venetis, ac strenuis viris, summæque auctoritatis, illic assistentibus, militum autem supremo duce Thadeo Estense, & illic sævientibus peste ac fame, ad eam leniendam per illic rectorem quam plurimis remediis factis, in eam advehi faciendo de rapis ac seminibus herbarum. Et Piceninus diffisus ea potiri, die vigesima Decembris

Zzzz 2

bris illinc evulsis tentoriis, ac tormentis bellicis, & quibuscunque aliis impedimentis abductis abiit, dimissis tamen juxta eam ad petram in sinu collis recurvi in insidiis duabus cohortibus militum, ut, ubi Brixienses ac milites ad ibi præsidium illinc egressi fuissent, in illos irruerent, & insidiis in lucem proditis ad se vocatis, eis ac reliquo exercitu ivit hybernatum ad pedes montium Brixiensium, Gonzaga vero ad loca finitima Benaco, desideratis ex eorum militibus in illa obsidione bis millibus, ac fossoribus quinque centum, & ex Venetis ducentum, & Brixiensibus octo centum: Vicecomes ordinavit incolas quorumcunque municipiorum, oppidorum, vicorum, & pagorum diœcesis Cremonensis conferri debere oblationi faciendæ quotannis in mane B diei Assumptionis B. M. V. ad æthera fabricæ ecclesiæ Cathedralis ipsius civitatis, etiam quod facta fuisset aliqua separatio de eis ab ipsa civitate.

A. C. 1439. Et anno subsequuto Comete conspecta, Piceninus & Gonzaga, dum Melita dux supremus Venetorum, Penetra & Turbula oppidis communitis, tentasset annonam ibi congregatam ope Lodroni ex Veronensibus Brixiam importari per montes ad ibi limites interjacentes à quatuor ejus tribunis militum, imposuerunt præsidia Archo & Tieni oppidis præsulis Tridentini. Et cum per Italianum eorum ducem equestribus sex centum, & pedestribus mille, facto in illos ad saltum Tieni noctu impetu, ipsorumque militum parte occisa, reliquave captivata cum Tribunis, & annona intercepta, Melitaque apud Turbulas, ubi hyemabat, alias cogeret copias cum annona, Piceninus & Gonzaga ad prohibendum, ne ipsa importaretur Brixiensibus, die quinta decima Januarii ingressi fuerunt exercitu Vallem Sabiam, & ibi erigi fecerunt propugnacula tria ad Nucem, Cangios, & Thoseti, Cæsare Martinengo Guelphorum duce pro Venetis ibi moram faciente ad Mompianum, per eum dimissa Valle Tropia, & Foriliviano profecto Lodronum, Gerardus Dandalus, & Dentesalvius Tribuni Venetorum eam Vallem ingressi fuerunt ad auxilium Paridis ibi Comitis sexcentum pedestribus, & aggressi turmam pedestrium Philippensium degentium ad Nucem, ex eis multos occiderunt, multosve captivarunt, & secum conjunctis aliis quatuor centum, illinc iverunt ad Paridem, & cum Italianus coactis ibi ex Gibellina factione pedestribus bis millibus, & una cum aliis tribus millibus, & sexcentum equestribus profectus fuisset adversus Paridem, Paris in eos facto impetu ad pontem Sarchii fluminis ipsos profligavit, ex eis multis occisis, una cum filio Italiani, ac Petro Capotio duce Episcopi Tridentini. Et Italianus reliquis in hostes facto etiam impetu, ex ipsis multos occidit, & sequenti die utrinque etiam facto certamine fuit profligatus & fugatus, ex suis desideratis mille, & totidem captivatis, una cum Galeatio ex Comitibus Arcus, & ex fuga properavit ad oppidum Ripæ equestribus tercentum, & pedestribus mille. Et Piceninus & Gonzaga copiis accersitis ex hybernis obsederunt & ceperunt Lodronium, & mox obsesso Romano die vigesima quarta Februarii redierunt ad hyberna in oram Benaci. Et Veneti per Lauretanum, classe Philippensium stante ad Sermium frustra oppugnata, pararunt aliam classem triremium sex, & scapharum triginta quinque, qua conducere possent annonam Brixiam fame oppressam, Petro Zeno duce, & conduci fecerunt per terras & montes multo labore & sumptu in lacum Benaci.

Et Franciscus Sfortia, delusus spe nuptiarum Blancæ sibi totiens promissæ, percusso fœdere inter Florentinos & Venetos, per eos constitutus fuit dux supremus annuo stipendio quatuor millium equestrium, & bis millium pedestrium die septima Februarii, & etiam conductus ad eorum stipendium Nicolaus Estensis Marchio Ferrariæ, una cum Guidone Antonio Manfredo equestribus mille sub Borsio ejus filio, & quem, & Manfredum Veneti jusserunt se conjungere equestribus mille quinque centum, & pedestribus tercentum Sfortiæ. Et inter eorum ac Philippensium classes commissa pugna die sexta decima Maji in lacu Gardæ apud Salodium per octo horas, utrinque multis cadentibus, intercepta eorum navi, in qua fuerunt tercentum Dalmatæ, qui fuerunt occisi, & in lacum projecti, eis succumbentibus, Piceninus & Gonzaga die vigesima profecti fuerunt Ceretum & Sanguinetum agri Veronensis, ut illinc transirent Veronam, Vincentiam, ac Patavium. Et Veneti ad id prohibendum alia classe substiterunt apud Clugiam. Et dum Piceninus tentasset trajicere Athesim, jusserunt Andream Donatum equitem, ac Hieronymum Contarenum copiis militum raptim coactis ei resistere, & cum Gonzaga effosso & dilatato ore fluminis Tartari, quo profluit in flumen Padi, jussisset classem, quam habebat in eo, ex ipso per illud os traduci in stagna ipsius, ac Athesis inter Limiacum ac aggeres Padi Hostiliæ & Melariæ suppositos, Marinum Demmolinum, & Ludovicum Contarenum, etiam eorum Patritios, obturatis vadis Athesis alia classe, & Andream Donatum Prætorem Patavii copiis evocatorum militum, & Tibertum Brandolinum Forilivienscm tercentum equestribus, ei etiam resistere. Et dum Piceninus & Gonzaga direptis munitionibus Venetorum ad Maloperam, octo galeonibus, super quibus erant mille navarchi, & plerique sagittarii, ingressi fuissent Athesim, ibi utrinque alia commissa fuit pugna, in qua, Contareno & Brandolino vulneratis, Contarenus occubuit. Et Piceninus & Gonzaga retrocesserunt Ceretum & Sanguinetum, & conductis galeonibus in Bussam stagnum, & ibi excavata fovea per fossores sex millia Mantuanos, Brixienses, Bergomenses, & Cremonenses, ob id vocatos per ipsos, eos adduci fecerunt in Athesim, expositis super ejus ripa quadraginta tormentis bellicis, Melita octo millibus equestribus, & sex millibus pedestribus, & Dario Malipiero illuc Venetiis destinato, & aliis prænominatis patriciis Venetis, classe fulcita decem millibus navarchis resistentibus, die vigesima quarta Maji, ponte ibi constructo, facto transitu ultra ipsum flumen obsederunt & oppugnarunt Limiacum, & dolo sibi proditum per ibi incolas ceperunt una cum Federico Contareno, Bernardo Navareno, Andrea Mozenigo, & Dario Malipiero patriciis Venetis, ab ibi præsidium degentibus, & mox oppida Baldi Leonicii, Brendularum, & Suapii, & quæcunque ibi alia Veronensium & Vicentinorum, & munitis præsidiis Leonicio, Suapio, & Brendulis adversus Venetos, apud Montagnanam Melita duce castrametantes, incursarunt usque Patavium, ex ejus agro ac Vicentino abducta multa præda jumentorum & aliorum. Et Italianus ejus acie militum, ac quatuor centum factionis Gibellinæ, dum niteretur redigere in potestatem Vicecomitis Madernum, Penetras, ac Turbulas, ne illac Veneti possent importare annonam Brixiam, & Petrus Zeno classe in Benaco, & Petrus Advocatus factione Guelphorum, ei resisterent, consertis utrinque manibus ad Madernum, fusisque ejus copiis, eoque dejecto ex ejus equo, & Nicolao Guererio, Antonio Trivultio, Gerardo Tertio, aliis quadraginta septem equestribus nobilibus, & aliis ducibus tum occisis, tum captivatis, & conductis Brixiam, succubuit, & aufugit Salodium. Et Piceninus & Gonzaga die prima Junii obsederunt Veronam, quam tuebatur Tolentinas, & ibi inita alia pugna inter eorum ac obsessorum copias prævaluerunt, ex eis captivatis septuaginta equestribus.

Et Sfortia interim ex Piceno se recepit Ariminum, & cum ab eo defecisset Guido Antonius Manfredus, coactis aliis copiis ad pontem Ronchi, eis

eis de mense Maji Faventino & Francisco Picenino A
se continentibus intra Forilivium equestribus quin-
que centum, inde abiit per agrum Bononiensem in
agrum Ferrariensem ad Bondenum, & illinc trans-
missis classe Venetorum impedimentis Clodiam, per
Ferrariam Gorrum, & inde junctis pontibus Pado
& Athesi fluminibus ivit Clodiam, & illic quamplu-
rimis Patriciis Venetis sibi occurrentibus in agrum
Patavinum transivit sex mille ducentum quinqua-
ginta equestribus, & mille quinque centum pede-
stribus, quibus Melita reliquis agminibus Veneto-
rum se conjunxit. Et dum Sabiensibus & Tropien-
sibus adhærentibus Venetis opera Petri Advocati
Brixiæ Patricii, adhuc peste & fame illic vigenti-
bus, & Italiano jugiter bis millibus armatis eos infe- B
stante, & prohibente illuc annonam deferri, aliqua
ejus copia data, & ibi lenita fame, procurante Bar-
baro ejus rectore, ac expugnatis & demolitis propu-
gnaculis adversus eam erectis, Thadeus Estensis ter-
centum equestribus, Dentesalvius sex centum pede-
stribus, & Advocatus aliis tercentum evocatorum
Vallium Sabiæ & Tropiæ, profecti fuissent Salo-
dium, illud oppugnaturi, & Italiano ex Canedulo
progresso Felicianum, ibi utrinque prælio inchoato,
per ipsum fuerunt profligati, ex eorum agminibus
captivatis septuaginta Brixiensibus, & Estense de
fuga reverso Brixiam, per eum, & ejus milites, &
alios, quos habuit ex Bergomo auxiliares, in itinere
expugnato propugnaculo Euphimiano prope eam C
stante. Et Sfortia ex agro Patavino tredecim milli-
bus equestribus, & sex millibus sex centum pedestri-
bus, accessit die prima Julii Leonicum, illudque,
ad cujus præsidium erant tercentum pedestres, op-
pugnavit, dum Piceninus & Gonzaga ad ei impe-
diendum iter, omissa obsidione Veronæ, ivissent
Suaprium, & illinc transmissis impedimentis in agrum
Mantuanum, ibi excavari & muniri fecissent foveam
quinque millium passuum, & dum Petro Brunorio
& Troilo ducibus suis ibi vulneratis, ob id indigna-
tus gravius oppressisset, ab ejus incolis habuit, &
receptis multis aliis oppidis Vicentinorum occupatis
per Philippenses, ut præfertur, ivit Suaprium, &
illinc ad Montem bellum, profecturus Veronam, & D
dum ibi Piceninus & Gonzaga ei occurrissent agmi-
nibus suis, ipsis evitatis, ita volentibus Legatis Ve-
netorum, retrocessit ad Vicum sancti Joannis ad
Rognam, & dum Philippenses ibi etiam sibi occur-
rissent, ivit ad vicos sanctorum Marini & Alberti
cum eis præliando, & ab ipsis recepta aliqua clade,
& ex suis tercentum equestribus fessis ob iter per ibi
incolas occisis, die sexta decima Julii Veronam in-
troivit, & ibi sæviente peste inde abiit, & trajecto
Athesi castra firmavit prope eam per tria millia pas-
suum ad viam Hostiliæ. Et dum Philippenses, ti-
mentes se infra Athesim claudi, eum trajecissent, re-
diit Suaprium, ipsumque expugnavit, & sibi ibi
adhuc occurrentibus Philippensibus, Gardo & La- E
gisio oppidis tentatis, & cum essent munita præsidio,
diffisus eis potiri, die vigesima secunda retrocessit in
agrum Vicentinum, & Picenino ægroto delato in
Insulam Porchariam recuperavit reliqua oppida,
quæ illic occuparant Philippenses.

Et Petrus Besatia Cremonensis tribunus, dum iret
ejus cohorte Montolium, flumini Pado propinquum,
ad ibi præsidium, quammulta impedimenta exer-
citus Veneti sibi occurrentia intercepit. Et Piceni-
nus die decima sexta Augusti recensito toto exerci-
tu, eique stipendio dato, ad Villam Francam. Et
cum Barbarus rector Brixiæ decrevisset delere clas-
sem Vicecomitis exarmatam stantem in lacu Benaco
ad Salodium, & Ripam, & Pischeriam, eo trans- F
missis Thadeo Estense, ac Andrea Valerio, & Leo-
ne copiis suis, id prævidens una cum Gonzaga ex
Vigasio, ubi castrametabantur, clam abeundo du-
centum equestribus ad Felicianum, & ibi secum
conjunctis Italiano & Severinate eorum turmis, ipsos
degentes in montibus invasit, & compulit redire Bri-
xiam. Et Italianus die vigesima Augusti facto impe-
tu in classem Venetam, degentem in lacu Benaci
apud Salodium, capta una ex ejus triremibus, inde
fugavit Madernum, ubi ex lacu, dum sibi timeret,
extracta fuit super terras, & die vigesima secunda,
dum Piceninus & Gonzaga exercitu ex Villafranca,
& Italianus & Belmondus eorum turmis equestribus,
ut ipsam interciperent, se recepissent ad ripam lacus
Larii propinquam Guardasanæ, Sfortia ibi castra-
metans, ut prohiberet, exercitu properavit ad Bran-
dolinum, & ibi sibi occurrentibus Philippensibus,
commissa pugna utrinque pari Marte, pedem retulit
in vallem Pulesellæ prope Pontolium, & Picenino
ibi sibi adhuc occurrente copiis, die vigesima prima
Septembris trajecto Mintio retrocessit Genium, &
ibi substitit, & mox inde abiit ad lacum Zenii tenus
Athesim, & Philippenses se receperunt Vigasium,
utrinque vallis & propugnaculis munitis castris, &
juncto ponte Athesi, ut eorum militum saluti, qui
peste consumebantur, consulerent. Et Italianus &
Severinas, dum Cavalcabos & Martianus equestri-
bus mille ex exercitu Venetorum irent Brixiam, &
die decima nona repulsi fuissent Gavardum, & Se-
prium egressi insidias, in quibus erant, ibi eos ex-
spectantes, invaserunt ipsos, & ibi hinc inde alia
commissa pugna, & multis utrinque cadentibus &
vulneratis, coegerunt retrocedere, ex eorum eque-
stribus captivatis quatuor centum quinquaginta. Et
Piceninus dimissa parte exercitus Gonzagæ, reliqua
ingressus Valles Tropiæ & Sabiæ sequentes partes
Venetas, eas prædæ, ferro, & igni expositas sup-
peditavit, & die vigesima quinta profectus fuit Fe-
licianum, & cum ibi Severinas ejus acie conscendis-
set classem Philippensem, & Italianus occupasset
montes Maderno adjacentes, & inter ipsum ac Bena-
cum degentes, & Piceninus & Gonzaga profecti
fuissent per viam Maderni, ubi erat classis Veneta,
eam noctu invaserunt, & interceperunt, & multis
utrinque vulneratis & desideratis, & vulnerato Pe-
tro Zeni regulo, ac tribus Legatis Venetis una cum
Zeno classis præfecto, ac Andrea Valerio, & Leo-
ne, & Thadeo Estense, & Baldatio Longena sex
centum equestribus, ac pluribus pedestribus, una
cum aliis ducibus captivatis multa præda, Burlatio
Cremonense uno ex ducibus classis Philippensis stre-
nue se gerente, & Foriliviano suis copiis per arduos
montes Benaco interjacentes pedem referente, &
mox occupato Maderno cum quatuordecim millibus
aureis ibi expositis pro stipendio exercitus Veneti,
& tribus navibus combustis cum remigibus, & na-
varchis Dalmatis in eis repositis, ac toto pulvere sul-
phureo in classe Veneta reperto, & deinde per Ita-
lianum & Severinatem parte exercitus positis castris
apud Brixiam, & in eos destinatis per Sfortiam Mar-
tinense & Cavalcabove equestribus quinque centum,
& pedestribus tercentum, Piceninus, & Gonza-
ga, ac Severinas reliquo exercitu redierunt Viga-
sium, & Madernum, & dum Melita parte exer-
citus Veneti se accingeret, ut annonam Brixiam
conduceret, Piceninus, ut id prohiberet, copiis
suis ivit in vallem Lodronii, & illinc Pischeriam,
& mox classe se recepit ad Ripam Tridenti. Et Cre-
monenses tunc ex Cremona super curribus per a-
grum Brixiensem usque Sermionem armati ad exer-
citum Philippensem duxerunt annonam.

Et Piceninus die vigesima quarta Octobris ingres-
sus vallem Ideam quinque centum equestribus, per
ibi incolas eis omnibus fere occisis, vix solus e-
vasit, & mox dum per Gonzagam ejus acie firma-
tis castris Vigasii, Sfortia illuc ivisset, & mox Ro-
veretum, & Anonium Prevedæ proximum, &
illic quoque firmasset castra, ut inde se conferret
Brixiam, reliquo exercitu Philippense ivit Tenium,
& Ripam Tridenti, ubi inter Philippenses ac Ve-
netos fuerunt commissa nonnulla levia certamina,

in quibus multi occubuerunt. Et per Venetos inchoata fossa prope Limiacum per tres lapides usque ad aliam fossam, illinc per quatuor distantem, gratia derivandi in eam aquas Athesis in paludes Vinculi, & præparata alia classe in lacu Benaco, Stephano Contareno præfecto, ad id prohibendum ex Ripa ejus equestribus profectus Turbulas tentavit incendere triremem ibi resarcitam, & illic commisso prælio cum Troilo duce Sfortiæ, ibi ad præsidium degente ejus turmis, illinc fuit repulsus, & dejectus ex equo tractus per suos milites ad loca tuta, ex eis amissis tercentum. Et dum Sfortia coacta multa copia granorum Brixiam ducendorum, ad Turbulas & Penetram destinasset Melitam ad Ripam præsidio classis Venetæ, & ibi construi fecisset propugnacula, & Joannem Contem Romanum, & Dentesalvium, Martianum & Crassum Venetum cum Georgio filio Paridis Reguli Lodroni, ad ipsum occupandum, cum Gonzaga ivit Ripam, & inde solus equestribus centum, & pedestribus quatuor centum, superato saltu interjacente Tiennium & Vallem Lodronii, Severinate aliis equestribus quatuor centum, & totidem pedestribus profecto ad caput lacus Benaci, & cum ejus primi milites diripere cœpissent ibi domos, illic inter eos, ac milites Martiani, & aliorum commisso certamine noctu, fuit profligatus, & fere omnibus militibus amissis fuga evasit ad supercilium ibi Montis Ponalis, & illic dimisso equo, inde fuit delatus per Teutonicum stipendiarium suum usque Benacum, & illinc cymba trajectus ad Ripam, & Martianus, & alii duces Venetorum, Nicolao Guererio, Antonio Trivultio, Gerardo Tertio, & aliis circiter octuaginta ex primoribus Philippensium ab eis captivatis, ipsos conduxerunt Brixiam, & ibi carcerari fecerunt, Italiano quoque ab equo dejecto, umbra noctis fuga prolapso Salodium, & Severinate equestribus tantum viginti Madernum, & Sfortia firmatis per Piceninum castris apud Arcum & Tiennium, accessit exercitu ad collem Tiennio proximum, ubi Carolus Gonzaga ex ducibus Vicecomitis habebat aciem, illac etiam per medios hostes transiturus, & cum conspecta eorum cohorte à Ripa petere Tiennium, credens illorum exercitum, qui erat Vigasii illuc tendere, jussit Troilum & Flascum eorum turmis equestribus illis occurrere, ac Nicolao Picenino alia turma equestrium ex suis militibus prætorianis quatuor centum collem adscendente, eosque aggredi, & die nona Novembris cum Joannes de Mediolano dux ad præsidium propugnaculi Arcus illud Venetis prodidisset, ibi facto alio conflictu rursus Philippenses eorum duce Picenino, cum quo erat Severinas, profligavit, Martinengo, & Carolo Gonzaga ducentum equestribus, & quinque centum pedestribus captivatis, & Picenino vix incolumi profecto Tiennium, & illinc per medios hostes ab eodem Teutonico pannis involuto super humeris delato ad Ripam, ubi Gonzaga reliquo exercitu substiterat, obsesso & capto Tiennio, ibi commissis multis levibus præliis, in quibus occubuerunt Sfortiani centum, & Malatesta Cesennæ regulus fuit captivatus, & via sibi aperta armis deferri fecit annonam Brixiam, & dum classe Venetorum conducta terris Roveretum, expugnaret Tiennium, & Piceninus & Gonzaga die decima octava Novembris nocte occupassent Veronam, Blanchino Feltrense ibi duce ad præsidium illic captivato, illinc aufugientibus Antonio Dandulo prætore, & Victore Bragadino rectore, una cum Christophoro Tolentinate, Bartholomæo Pellegrino, & Francisco Madio ex ibi primoribus eis tantum consentientibus, parteque ejus direpta dominio dimisso Gonzagæ, & dum arces forent adhuc apud Venetos, & mœnia arcis veteris, in qua erat Carolus filius Gonzagæ captivatus, quaterentur, Joanne ejus fratre ictu tragulæ illinc transmissæ ibi occiso.

Sfortia audita ejus occupatione, dimissis sub Melita nonnullis cohortibus apud Turbulam & Penetram, reliquo exercitu una cum Jacobo Antonio Marcello penes eum legato, illuc properavit, eamque ingressus per arcem Felicianam, illic commisso prælio cum Philippensibus, eisque inde expulsis recuperavit infra quatriduum, ex Mantuanis illuc accersitis ad custodiam per Gonzagam eorum Principem circiter mille occisis, & ex equestribus tercentum, & pedestribus quinque centum mercenariis tum captivatis, tum vulneratis ex eis, & aliquibus mortuis cum Joanne Gonzaga fratre Jo. Francisci, & multis submersis in flumine Adigis fracto ponte, cum invicem manus consererent, eis tam intra, quam extra civitatem insequutus multa præda recepta, Armanino de Summo Cremonense, & tribuno militum Vicecomitis, dum esset ejus cohorte Cremonensium ibi ad præsidium portæ Calcariæ, per horas tres oppugnatæ à Sfortiadis, eam viriliter tuente, & qui nec illinc expelli potuit, nisi conjecto igne in eam per Sforciadas, à quibus invasit incolumis cum cohorte Valegium, quo reliquus exercitus Philippensis se receperat, & per eum occupatis propugnaculis erectis & munitis Tiennii Ripæ Tridentinæ, & Arcus per Venetos, ex Valegio progressos in agrum Brixiensem Manerbium, & cum illinc ex eo quatuor millia equestrium electorum cursitassent Franciam Curtam, & Gusacchum profectorum, illud cepissent, diripuissentque, ac evertissent, & Pompeanum, & Narniam, & Vallem Tropiam igne, ferrove subverterent, Sfortia dimisso præsidio Veronæ inde profectus in illos diripientes Franciam Curtam, alioque prælio ibi auxilio accolarum cum illis commisso Tiennium oppugnavit. Et Zerpellonus & Troilus, duces sui, dum per montes Tridentinos conducerent Brixiam annonam, ex equestribus Philippensibus quamplures captivarunt, & annonam Brixiam conduxerunt. Et Piceninus, dum Sfortiades oppugnarent Tiennium, ei opem ac annonam tulit die vigesima quarta Decembris, & Italianus ad prohibendum deferri annonam Brixiam ejus acie substitit Tiennii, & die trigesima Decembris inter Sfortiadas oppugnantes Ripam Tridentinam, ac Philippenses, duce Picenino, commisso adhuc alio prælio, in eo multi occubuerunt, & nisi ei Gonzaga copiis suis opem tulisset, de ipso actum fuerat. Albertus Cæsar, dum Amurates rex Turcarum suppeditasset Thessalonicam, & moto bello Georgio Despoto ejus socero, expugnataque Syderegia ibi urbe, & ibi capto Gregorio filio, & per eum ibi dimisso ad præsidium, & cum inde aufugisset, rursus captivato & excæcato, ingressus Pannoniam exercitu, eam prædæ, igni, & ferro subjecisset, vocatus per Despotum in ejus auxilium, coacto multo exercitu, eo in illum transivit, & dum ipso appulso ad Dravum flumen, Rex Turcarum illinc territus rediisset in Thraciam recepta Syderegia, & expugnata Thessalonica, regressus Austriam, ex morbo contracto in ea expeditione, die vigesima quinta Octobris decimi anni secundi sui imperii obiit apud Villam longam Viennæ, seu prope Strigoniam ex dysenteria, & ejus cadaver sepultum fuit apud Albam Ungariæ, superstitibus Anna & Elisabeth filiabus, ex Elisabeth ejus uxore, & filia Sigismundi olim Cæsaris, dimissa prægnante, ex qua natus est Ladislaus. Summus Pont. Græcorum Imperator, ac prælati, & Principes, & alii habentes Synodum Ferrariæ, illinc, dum ibi sæviret pestis de mense Januarii, iverunt Florentiam. Vicecomes ad preces civium Cremonensium, ne cogerentur eorum patriam & fundos, quos habebant in ejus agro, deserere, & alio migrare, ad evitandum onera, quæ eis necesse erat subire ob multas cursitationes, quas hostiles copiæ sæpe facerent per ipsum agrum, & sæpe ibi copiæ militares, quas Vicecomes cogebatur alere, ut se, & ejus dominium tueretur ab hosti-

hostibus, haberent stativa, ordinavit ejus rurales, ut conferrent ad ipsa onera & damna.

Anno ortus Dominici 1440. Federicus tertius, filius Hernesti filii Leopoldi ex Liburgia filia Simoitis Ducis Moscoviæ, annorum xxv. per Electores fuit electus Cæsar. Sfortia, dum ex Germania quatuor millia Germanorum in auxilium Vicecomitis sclopis armati descenderent in Insubriam eis evitatis; & cum ex multa copia nivis, quæ ceciderit, & supergressa fuerit humum per brachia quatuor, grave frigus vigeret, vitesque, & aliæ arbores aruerint, dimissa obsidione Tiennii, accessit Veronam die octava Januarii, Picenino & Gonzaga exercitu castrametantibus ad Ripam Tridenti, quo annonam Brixiam conduci prohiberent; & dum durante hyeme Philippenses ac Veneti multa levia prælia in agro Brixiense commiserint, & in eis plurimi occubuerint, Dominico Malatesta Sfortiæ genero captivato, & ducto Mantuam, & commutato cum Carolo filio Gonzagæ Veronæ carcerato, & ambobus dimissis, Piceninus, dum Sfortia apud vicos Sancti Martini, Albergi, & Porcilis exercitu Venetorum viginti millium armatorum recensito, eique dato stipendio, apud Turbulas esset intentus perfectioni ibi classis Venetæ in lacu Benaco, ut inde posset conduci annona Brixiam, ad id prohibendum exercitu Philippensium quatuordecim millium equestrium, & sex millium pedestrium, eique dato stipendio ad Manerbium, & Bassianum agri Brixiensis, ex eo adversus Venetos & Brixienses dimissis Gonzaga, Italiano, & Severinate eorum copiis, reliquo abiit, & trajecto Pado substitit Florenzolæ, & in agris Placentino & Parmense, & ibi eo exercitu instaurato, & sibi rursus soluto stipendio die prima Martii illinc ivit in agrum Bononiensem, & ibi exactis aureis viginti millibus, & occurrens equestribus ducentum, & pedestribus quinque centum Florentinorum, illic castrametantibus, dum transmitterentur ex Hetruria in Galliam Cisalpinam per eos in auxilium Venetorum, & utrinque commissa pugna, eis fusis ac spoliatis, Baldatio ipsorum duce captivato, & carcerato in oppido Bolognesii, & ibi mortuo, illinc die quinta decima Maji accessit Forilivium, & moto bello Sigismundo & Malatestæ fratribus Regulis Cesennæ, & dum in ea Sigismundus & Jo. Paulus Ursinus copiis se continerent, Forilivio, ac Mandola, Tuderano, Molivichio, & Coliano oppidis diripi jussis, eos exsuit, & cum Florentini & Veneti destinassent ad eorum opem Cesennam pedestres bis mille, & illuc se recepisset ex Piceno Attendulus ejus turmis, & Balduinus Tolentinas equestribus quinque centum, & Malatesta frater Sigismundi equestribus sex centum, jussu Sfortiæ adversus ipsum transivissent, & occupatis per Guidonem Antonium Faventinum illius ducem Cassiano, Porticu, Monte veteri, Terdutio, Aureolo, & Mutiliano oppidis Florentinorum cis Apenninum, tentavit eum transcendere in ipsos duodecim millium armatorum, & cum Florentini die vigesima septima Maji conscriptis copiis equestrium & pedestrium, præfecissent stipendiariis Nicolaum Pisanum, & evocatis Bartholomæum Rolandinum, & una cum summo PP. percusso fœdere Pisanus ejus acie trajecto Apennino profectus in eum obsidentem Primalorium, illinc ipsum expulisset, & Rolandinus expavefactus est Camarate, ubi substiterat, abiisset, eo direpto vico Apenninum transcendit, Hetruriamque ingressus, ibi obsedit Politianum, & Florentinis timore perculsis in potestatem redegit, & inde progressus in agros eorum, & ibi per ipsum castris firmatis prope Florentiam, per septem millia passuum usque eam cursitavit, & Florentinorum quatuor millium egressorum adversus eum omnia ibi diripientem, & pedem referentem usque Tractam insequutorum, ibi facto impetu in eos, & utrinque commissa pugna, in qua multi occubuerunt, & quatuor centum capti fuerunt, fudit, & Malatestæ, reguli Arimini, filii Pandulphi, una cum Borsio Estense à Venetis ad Vicecomitem sibi aucto stipendio defecerunt.

Summus PP. Vitellio penes eum per Florentinos insimulato de proditione, & nec recte, nec fideliter se habere in re ecclesiastica, & dum secum haberet quatuor millia equestrium, & bis millia pedestrium, captivato per Antonium Ridium Patavinum præfectum arcis Adrianæ, dum ipsum tenuisset secum ad loquendum, & per illos, qui ipsum captivaverant, cum ab eis se tueri voluisset, vulnerato & ducto in arcem ipsam, & ibi mortuo, ei substituit Ludovicum Scarampum Patavinum, Patriarcham Aquilejæ, & olim Physicum, qui equestribus tribus millibus, & pedestribus bis millibus una cum Attendulo, & Bosio, Sforcia, ac Troilo, & Petro Joanne Paulo Ursino profectus fuit in Piceninum accersitum per Franciscum Comitem Pubii in agro Casentino, & cum ibi occupatis Bibienna, & nonnullis oppidis cum oppido divi Nicolai, illinc accessit ad oppidum Clausorum agri Aretinorum, ut inde transiret in eos ac Senenses, & dum Pontificii & Florentini ivissent Aretium, pedem retulit ad radices Apennini, & cum ipsi castrametarentur ad Cassium vicum apud Aretium per tres lapides, direptis agris Tyferni, castra firmavit prope Perusium per quinque millia passuum, & in illud introductus ipsum occupavit, Archiepiscopo Neapolitano illic pro Ecclesia rectore inde expulso die undecima Junii, & inde exhausto ærario pontificio, habitisque dono à Perusinis decem millibus aureis, inde accessit Tyfernum, illudque obsedit, & cum Troilus & Paulus Valerianus Rom. tercentum equestribus per media ejus castra transeuntes, ipsum ingressi fuissent, motis inde castris transivit equestribus sex millibus & pedestribus tribus millibus in hostes, etiam totidem equestrium & pedestrium castrametantes ad Anglare oppidum, & utrinque ibi facto conflictu per quatuor horas, & victoria prius inclinante ad eum die vigesima nona Junii, & solemnitatis divi Petri tribus solibus tunc in aere conspectis, & ex vehementi vento arboribus evulsis, & domibus eversis, & navigiis in mari submersis, fuit superatus, ejusque acies fusa, ex ipsa occisis octuaginta, & vulneratis quatuor centum una cum Eustorgio Manfredo, & captivatis mille octo centum, inter quos fuerunt duces viginti octo, & ex ecclesiasticis, & Florentinis decem occisis, & ducentum vulneratis, sed hinc inde equis sexcentum suffossis, & hac clade recepta incuria Francisci ejus filii, ac Guidonis Antonii Manfredi, qui ordines militares deseruerant, eis, ac reliquis accessit Burgum oppidum, & mox eo dimisso, ac recepto per pontificios, & Florentinos, ac per ipsos dimissis omnibus captivis præter Eustorgium, Sacramorum Parmensem, Romanum Burgum Cremonensem, & alios tres conductos Florentiam, illinc ad octavum lapidem sub Alpinis jugis castra firmavit, nonnullis etiam ex suis militibus cum impedimentis interceptis ad Burgum per Troilum & Valerianum, egressos Tyfernum audita suorum victoria, & Eugubium profectus, ibi ope Guidonis Antonii Feltrensis reguli Urbini reparato exercitu tentavit regredi Perusium, & nec admissus per Perusinos, sed ab eis donatus aliis aureis octo millibus properavit in Flaminiam, & ibi omnia, quæ Vicecomiti adhæserant, confirmavit in fide. Et legatus Apostolicus, per eum ac Florentinos oppidis Androsinæ matronæ Petramalensis, & Tyfernatum receptis, ivit Tyfernum, & acceptis Perusinis in sui partes una cum Petro Balbo nepote summi PP. accessit Florentiam, & per Florentinos exsuto Francisco de Guidis Comite septem oppidis, quæ habebat in agro Casentino.

Et per summum PP. conductis ad sui stipendium Sigismundo, & fratre Malatestis mille quinque centum equestribus, & totidem pedestribus, & ex eis mox deficiente fratre ad Vicecomitem, exercitu

tu septem millium equestrium, & quatuor millium pedestrium obsedit, & cepit Balneacavallum, Bagnanum, Vilanum, Mordavum, & Gelphum, & mox obsedit Forilivium, sed superventis pluviis, & gravi frigore, eo dimisso inde exercitu rediit in Hetruriam ac Latium ad hyberna, Sfortia transmissis de mense Februarii octo centum pedestribus ad auxilium Piceni, & dum pervenissent ad portum maritimum Arimini, ex procella ibi suborta obrutis, & commissa pugna inter classes Venetorum sex triremium, & aliorum navigiorum sub Petro Zeno, & Philippensem in lacu Benaco ad Ripam Tridenti, & Philippense profligata ejus comitibus, & octo centum navarchis captivatis, & amissis omnibus navigiis præter duo, quibus aufugit Blasius Asaretus Genuensis illius præfectus cum Foriliviense, & Italiano duce, dum ei affuisset in tempore, perducta ad Sermionem, & per Venetos tunc ducta annona Brixiam, ponteque imposito flumini Mintii, exercituque super ipsum traducto die septima Junii in agros Mantuanorum ac Brixiensium, eisque depopulatis, Sfortia cepit Puteum longum, & Pontionum, & expugnata Rivoltella Benaco adjacente ope Stephani Contareni præfecti classis Venetæ, Desentianum, Pedicolensem, & Salodium expugnatum, & direptum per Petrum Brunorium, & Scariottum Faventinum, ibi captivatis tercentum militibus, qui illic erant ad custodiam, & cum Italianus & Vermius duces Vicecomitis castrametarentur ad Baxianum vicum quatuor centum equestribus, & quinque centum pedestribus, & Italianus die nona Junii incursato agro Brixiense usque ad mœnia Brixiæ, inde abegisset prædam, in illos transivit, & cum pedem retulissent Urceos, & Italianus illinc se recepisset Cremonam ad ejus tutelam, progressus fuit, & potitus Pontisvico, & multis aliis ibi oppidis, & illinc facta cursitatione in agros Cremonenses, ex eis abegit prædam, Borsio Estense tunc Cremonæ rectore, dum die decima octava Junii equestribus mille quinque centum, quibus ex agro Mutinense exspectabatur per Florentinos in eorum auxilium adversus Piceninum, ab ipsis defecisset ad Vicecomitem, & Binæ oppido agri Cremonensis capto per Petrum Romanum tribunum suum militum, etiam eo potitus, & per ipsum obsessa Roccafranca, ivit ad Urceorum oppidum, & ibi consertis manibus cum Italiano & Vermio, eisque profligatis, & inde fugatis, ex ipsorum equestribus mille captivatis cum multa præda, circiterque bis millibus tum vulneratis, tum occisis, illud in potestatem suam redegit, & mox Soncinates, & Romenengates ad se deficientes recepit; & dum Borsius Estensis esset ad vicum Jovis altæ ejus copiis, eas aggressus profligavit, omnibusque impedimentis exsuit, ex ejus equestribus captivati sex centum, & dum una cum Italiano & Vermio reliquis copiis aufugisset Cremam, & Capriolenses, Clarienses, Trivianenses, Martigianenses, Romanenses, & omnes accolæ lacus Sebuini una cum Mozanica pervenissent in potestatem Venetorum, motis castris ad Caravagium, Trivilium, & Ripam altam sibi subegit, & cum Vicecomes jussisset Gonzagam, Cremona & Crema munitis præsidiis, ei occurrere ad Ripam altam, ne trajiceret in agrum Mediolanensem, omnibus ibi accolis metu perculsis inde abeuntibus cum armentis, & aliis bonis, & ex Placentia destinasset classem Cremonam ad ibi præsidium, præparatis omnibus ad Ripam altam necessariis obsidioni Caravagii, illud obsedit die vigesima Junii, & cum Leone ejus fratre ictu sagittæ lethaliter in crure percusso ob id indignatus illud graviori obsidione præmeret, ejus mœnia ictibus trium tormentorum bellicorum illuc conductorum quassari faciendo ab ibi oppidanis metu perculsis recepit die trigesima Junii, & per Contarenum classis Venetæ in Benaco præfectum una cum Brunorio expugnata, ac direpta Ripa, ibi utrinque multa cæde edita, & per Brunorium mox ejus arce vi compulsa in sui potestatem, quodam tribuno perfuga eam pertinacius tuente, & deinde expugnato ac direpto Gardo, & Jacobo Antonio Marcello agrestium manu ingresso Arcum, & per Contarenum quoque oppugnato Lagisio militibus ibi per Gonzagam impositis ad præsidium ipsum strenue tuentibus, Sfortia, dimisso Petro Advocato cum Brixiensibus militibus, evocatis ad oppugnationem arcis Caravagii, ingressus agrum Cremonensem, ibi exsuit Vicecomitem omnibus oppidis, quæ adhuc ei parebant præter Casalis majoris ibi incolis prædæ expositis per milites, qui erant ad ibi præsidium jussu Italiani, & recepta arce Caravagii redegit etiam in sui potestatem Marcariam, Asulam, & Canetum cum ibi arcibus, ex eis expugnata arce Marcariæ, & deinde obsessa arce Lunati una cum Contareno, die vigesimo primo Augusti expugnavit Pischeriam, ejusque arcem obsedit, terra & aquis eam tuentibus equestribus & pedestribus, ad ejus præsidium per Gonzagam impositis, & Philippenses una cum Gonzaga & Picenino ex Flaminia ibi dimissis ad præsidium Francisco filio, & Guidone Antonio Manfredo regresso in Galliam Cisalpinam quatuor millibus equestribus, & bis millibus pedestribus, & profecto Mantuam, ibi die quinta decima Septembris habuerunt comitia, ad quæ accessit Nicolaus Estensis Marchio Ferrariæ, qui mox illic ad Sfortiam obsidentem arcem Pischeriæ profectus, eum coram Paschale Maripetro patricio Veneto, & penes ipsum Venetorum legato, tentavit de pace facienda inter Venetos & Vicecomitem, ipsumque ei conciliando, sibi data uxore Blanca Maria Vicecomitis filia totiens ipsi promissa, & dimisso Sfortia illinc profectus Mediolanum, inde die vigesima conduxit Cremonam Blancam, & illinc die vigesima quarta Mantuam, & cum Sfortia requisitus ad illuc eundum per Estensem, eo invitis Venetis noluisset accedere, illinc conduxit Ferrariam una cum Sophia Imperatrice Byzantii, filia Theodori Marchionis Montisferrati.

Piceninus ex Mantua exercitu ibi coacto Bononiam profectus fuit, ubi proditione in lucem prodita, ibi arcis præfectum, & multos alios Bononienses illius complices jussit capi, & de eis ultimum supplicium sumi, & mox Bononia & Flaminia dimissis sub custodia filii & Manfredi, illinc properavit Mediolanum ad Vicecomitem sex millibus equestribus, & bis millibus pedestribus, ut ejus rebus perditis succurreret. Et Sfortia, recepta & direpta arce Pischeriæ, trajecto Mintio, & habitis Villafranca, & Vigisio, & mox Valesio, expugnatoque Sanguineto, nonnullis oppidis propinquis Mantuæ potitus est, & mox factæ fuerunt induciæ inter Venetos & Vicecomitem pro agro Cremonense; & Insula Fulcheria per totum mensem Octobris, ibi commissis multis levibus præliis utrinque gravi strage, & præda hinc inde abacta, & die prima Novembris legatis summi Pont. Venetorum, Florentinorum, Vicecomitis, Estensis, Gonzagæ, & Marchionis Montisferrati, & aliorum Principum Italorum coactis una cum Sfortia & Picenino Mantuæ pro pace adhuc contrahenda inter Venetos, & confœderatos, & Vicecomitem, & nec stabilita, Venetis Cremonam requirentibus, Sfortia die octava Novembris exercitu obsedit Lignanum, & pro cujus subsidio dum Vicecomes destinasset ad Piceninum duodecim millia equestrium, & sex millia pedestrium super classe per flumen Padi, & Veneti aliam classem Ostiam, & ibi exercitus firmassent, illinc utrinque bis terræ & aquis fuit pugnatum, victoria prius inclinata ad Venetos, & mox ad Philippenses, multis hinc inde desideratis, & mox Sfortia profectus Godium, dum illud obsedisset, & Severinas ejus acie illuc ad auxilium properasset, ob inopiam pabuli die decima Novembris illinc abiit ad Bidocellas, & positis castris die quintadecima inter Lunatum & Pischeriam, omnibus ibi poti-

potitus fuit excepto Lunato, & die XXIV. ob immensum frigus cum autumno vigente multæ, & frequentiores solito, & fere semper pluviæ cecidissent, transmisso exercitu Veronam, & Bergomum, & in eorum ac Cremonensium agris, & pagis ibi Venetis suppositis ad hyberna, Veronæ turma equestrium substitit, & Philippenses Cremonæ, ac in eis, & Insulæ Fulcheriæ oppidis, & vicis Vicecomiti parentibus, ac Insubrum, Parmensium, Placentinorum, & Mantuanorum hybernati sunt celerius solito, Picenino ejus turmis ac cohortibus commorante in Castro veteri Rolandi Pallavicini ultra Padum, & vigente hyeme Sfortia, & Franciscus Barbarus rector Brixiæ, una cum Petro Advocato, & Paride Com. Lodroni accesserunt Venetias, & per ibi Ducem, ac Senatores læto animo suscepti fuerunt, & ob multa beneficia in eorum Rempub. collata præmiis condignis honoraverunt, & in gratiam Advocati Brixiensibus onus vectigalis macinæ remiserunt. Et Sfortia secum tractata re bellica enixe penes ipsos laboravit pro pace inter eos ac Vicecomitem facienda, sed cum postulassent sibi concedi jus construendi pontem super flumine Padi, quo possent ad sui libitum trajicere in agros Parmensem & Placentinum, ei locus esse non potuit.

Latini & Græci, præter Marcum præsulem Ephesi, post multas disputationes habitas Florentiæ de mense Junii in unum convenerunt, & consenserunt in dogmatibus fidei Christianæ in his, quæ jam diu utrinque discordarant, Josepho præsule Byzantii ibi defuncto, & summus Pont. missis Oratoribus Florentiam ad ibi Synodum per Armenos, & per eos receptis institutis Rom. Eccl. postpositis Græcorum in his, quæ pertinerent ad fidem Christianam, die XX. Novembris dissoluta Synodo, die XVIII. Decembris creavit Cardinales Jo. Antonium Lasitanum, Joannem de Turrecremata Hispanos, Raimundum Rhemensem, Joannem Morinensem, Gulielmum Andegavensem, & Ludovicum Rhotomagensem Gallos, Joannem Eboracensem Anglum, Sibineum Polonum, Guerrerium, & Petrum Avignensem Germanos, & Dionysium Agriensem Pannonium, Joannem Tarentinum, Nicolaum Capuanum, Gasparem Novicomensem, ex Mediolano, Albertum de Albertis Camertinorum Florentinum, & Georgium Fliscum Genuensem Italos.

A. C. 1441. Et Piceninus die XI. Februarii anni proximi recensito exercitu Vicecomitis, eique dato stipendio, & juramento fidelitatis ad Castrum novum, inde se recepit Cremonam, & inde Romanengum, & postea Pumenengum, & illinc die XIII. ibi trajecto Ollio in agrum Brixiensem, & ibi ducentum equestribus, & totidem pedestribus sub duce Napo interceptis ac spoliatis, & multis aliis fugatis ad Montemclarum, eoque die XIV. expugnato ac direpto, ibi etiam aliis sexcentum equestribus Venetorum interceptis, spoliatisve, & aliis mille quinque centum equestribus, & quinque centum pedestribus eorum proficiscentibus ad subsidium Roadi, eis occurrendo, & cum ipsis consertis manibus die XVI. illis quoque interceptis, exsutisque aliqua cæde, inde die sequenti cursitavit usque Brixiam, & ibi cum hostibus commissa pugna, multis hinc inde desideratis, occupavit Franciam curtam, & Palatiolum multa copia annonæ, & pulveris sulphurei, excepta arce, ibi, dum eam oppugnaret, Italiano vulnerato spiculo in coxa dextra, eaque potitus die XXIV. profectus Iseum, illud obtinuit, & Martinengo, cum toto agro Bergomense, & Insula Fulcheria, ac Covo, Antiniate, Romanengo, & multis aliis ibi oppidis reversis ad Vicecomitem, & ad Gonzagam Valegio, Volta, Capriana, Castelucio, & multis aliis illic oppidis, inde destinata ejus acie suppeditavit quoque Quinzanum, Manerbium, Bassanum, Alfianellum, Pontisvicum, quem diripi jussit, expulsis illic incolis cum tot bonis, quot secum ferre potuerint, & mox Ponzanum, & alia loca agri Brixiensis citra flumen Mellæ, direptis Roate, & Urceis novis Italiano duce, & die prima Martii Canetum, expugnata & depopulata ibi arce, & mox Marcariam, illic etiam arce & ponte expugnatis, & deinde Bozulum, sanctum Martinum ab Aggere, Riparolum, ac Sablonetam, & reversus ad Urceos veteres, illisque suppeditatis, mox oppugnavit & obtinuit Soncinum, illinc quinque centum equestribus, & totidem pedestribus, qui ibi erant ad præsidium, dimissis incolumibus, cum duobus Genuensibus, & Bartholomæo Longena, sibi solutis aureis quatuor millibus. Et Sfortia abiens Venetiis Brixiam, illicque etiam Venetorum recensito exercitu, illinc rediit Veronam die XXVII. Februarii, & habita copia pabuli, & receptis copiis auxiliaribus, per eum olim transmissis in Hetruriam in auxilium Florentinorum, & Erasmo Narniense Gattamelita nuncupato mortuo, & sepulto Patavii, eique subrogato Michaele Attendulo, ex Pischeria abiit exercitu quindecim millium equestrium, & sex millium pedestrium, & firmatis castris ad Montemclarum ibi oppidum Carpanedulum die XXX. Martii expugnavit, ibi ex ejus equestribus plurimis desideratis. Et Philippensibus regressis ad stativa, & ad stipendium Vicecomitis ducentum ex Venetis, & viginti septem ex pontificiis, & Florentinis equestribus profectis, & die XV. Aprilis per Estensem, Gonzagam, & Piceninum Blanca Maria conducta Cremonam, & illinc Mediolanum ad patrem, & per Troilum Zerpellonum, dum indignatus in Sfortiam ab eo defecisset ad Vicecomitem ingressum militibus suis Vallem Camonicam, ea vendicata Vicecomiti, & etiam per eum, ac Darium Sfortiæ generum, dum die IV. Junii ipsum quoque deseruisset ducentum equestribus, & defecisset ad Vicecomitem, qui eum constituisset ducem sex centum equestrium, & quatuor centum pedestrium, ac Severinatem facto accessu Soncinum eorum copiis, ac quamplurimis fossoribus, & illinc facta incursione in terras hostiles Brixiensium & Bergomensium, eas diripiendo, & die XV. facta in eos irruptione per Bergomenses, & utrinque facto certamine, in quo multi hinc inde occubuerunt, & per Zerpellonum die XXI. interceptis triginta sex equestribus ex quadraginta, qui ex Bergomo accurrerant Pallatiolum, & Joanne Matto tercentum pedestribus, & viginti equestribus, quibus militabat ad stipendium Florentinorum, ab eis deficiente ad Vicecomitem.

Sfortia die XXI. Junii exercitu Venetorum duodecim millium pedestrium, & totidem equestrium, castrametavit ad Balneolum, & Philippensibus quatuordecim millibus equestribus, & totidem pedestribus, ad Manerbium castrametantibus in agro Brixiense, & ibi factis multis utrinque levibus præliis die XXV. per Sfortiam motis castris, & firmatis ad Curticellas, & per Philippenses ad Offlagam, hinc inde expositis aciebus ad Cignanum fuit pugnatum pari Marte per septem horas, centum utrinque cadentibus, & tercentum vulneratis, inter quos fuit Barnabas Barbos Cremonensis, dux equestrium Philippi, qui vulnere sibi illato super supercilio obiit, & dum Bartholomæus Coleo dux Venetorum irrupisset ejus copiis agrum Cremonensem die vigesima sexta. Sfortia firmatis castris ad Manerbium, & per Philippenses ad Pontisvicum, & dum Piceninus eorum dux inde profectus in Venetos, ut cum eis rursus manus confereret, se recepit, ita vo-

A volentibus Venetorum legatis, una cum exercitu in tutum ultra torrentem Mellæ, & Prato Alboino, & aliis oppidis circumvicinis potitus juncto Ollio flumine ponte die octava Julii, illinc trajecit in agrum Cremonensem, & Cividate, & Calceo, & aliis oppidis ad fines ipsius, & agri Bergomensis, redactis in sui potestatem, ibi commissis nonnullis levibus præliis, in quorum uno occubuit Gulielmus Cavalcabos patritius Cremonensis, & ex primoribus præfectis turmarum equestrium Venetorum viriliter dimicans cum hostibus, aliqua illorum cæde, die XIV. exercitu triginta quinque millium armatorum firmavit castra ad Martinengum, ad cujus
B præsidium erat Jacobus Pavesius, nuncupatus de Gabiano, Cremonensis Vicarius Picenini mille equestribus, & sexcentum pedestribus, Picenino eum continuo insequente exercitu Philippensium aucto copiis ejus filii, & Gonzagæ etiam triginta millium armatorum adversus exercitum Venetorum per mille passus, & Martinengo ab eo continuo oppugnato tormentis bellicis, & utrinque ibi commissis multis levibus præliis, in quibus multi occubuerunt, militibus etiam Picenini, & aliis Venetorum degentibus ad præsidium Bergomi, vicissim armis sæpius se infestantibus, & nec commisso prælio gravi, licet ad id Sfortia, cujus exercitus
C erat compulsus in grave discrimen, & nec inde sine periculo educi poterat, & nec aliqua annona in ejus castra subvehi, sæpius provocatus fuisset per Piceninum, die octava Augusti, & anno octavo ipsius belli præter omnium spem pax jam diu tractata medio Eusebii Caimi Mediolanensis, & Urbani Rosei Papiensis, ultra & citra commeantium, enuntiata fuit, & factis induciis per dies XV. inter Pontificios, Venetos, Florentinos, Genuenses, ac Vicecomitem, & illinc digredientibus exercitibus in agrum Cremonensem, ubi multa illata fuerunt damna per utriusque milites, Sfortia ex Soncino dimisso loco sui Attendulo ivit Venetias, &
D re composita ad Caprianam agri Brixiensis inter eorum legatos ibi coactos, præsule Aquilegiæ pro summo Pont. Francisco Barbarico cognomento divite, & Paulo Trono pro Venetis, Raynerio Capone, & Angelo Aciolo pro Florentinis, Baptista Cicada pro Genuensibus, Nicolao Arcimboldo, & Francisco Castillionæo pro Vicecomite, intervenientibus, una cum Gonzaga Principe Mantuæ, & promissa per Vicecomitem Blanca filia sua naturali uxore Sfortiæ cum dote Cremonæ, ac Pontremuli in agro Lunense loco Piceleonis, exceptis oppidis, quæ Gonzaga & Pallavicinus ex agro Cremonense possidebant, reliquisque com-
E missis arbitrio Sforciæ, die XIV. Octobris ex Venetiis applicuit ad vicum Castelelti Ponzonorum bis millibus equestribus, & totidem pedestribus, & inde die XXV. digressus fuit ad monasterium sancti Sigismundi in suburbiis Cremonæ, ubi eadem die hora decima septima desponsavit Blancam Mariam annorum sexdecim, antea per dies decem & septem conductam Cremonam, ibi assistentibus Petro Vicecomite Cremonæ rectore, Vitelliano Borromæo, Francisco Landriano, Eusebio Caimo, & Lanfranco Castillionæo, qui habuit orationem nuptialem, & cum ea hora vigesima ingressus Cremonam per portam sancti Michaelis,
F nocte sequente in arce sanctæ Crucis consumpsit matrimonium, habita Cremona cum ejus territorio demptis Piceleone, ac terris Cavalcabovum, Marchionis Mantuæ, & Rolandi Pallavicini una cum Pontremulo, & die XX. Novembris, cum ejus judicio pacis pacta essent commissa, declaravit, inscriptis Cremonæ, ibi Venturino de Marnis Episcopo, Ruberto de Viano prætore, Galeatio Ponzone, Guidone Amato Cremonensibus, Ugotione de Contrariis Ferrariense, & Pasino de Bagnis Papiense præsentibus, Bononiam cum tota Flaminia debere dimitti Eccl. Rom. & dominos Faventiæ restituere Florentinis ea, quæ ipsis ademerant, & etiam ex dominio Ravennæ præter dotalia, Ecclesiæ, & Genuenses sua obtinere demptis his, quæ spectarent Spinulis, solvendo consuetum tributum Duci Mediolani, cui cederet alveus Abduæ cum utraque ripa, ac Castrum novum in agro Genuense, dimissis aliis, quæ tenebant ex agris Brixiense, & Bergomense, & Veronense, Venetis, & etiam ducibus Tridenti ea, quæ ex agro Veronense occuparant, & per Aloysium Vermium oppido Baldo Venetis, etiam ei restituentibus ea, quæ penes se haberent sui juris, & etiam Venetis per Gonzagam Liniaco, ac Portu, & aliis, quæ eorum occuparat ex agris Brixiense & Veronense, & ipsi per Venetos omnibus, quæ illic occuparant, exceptis Asula, Lunato, & Pischeria, & die XIII. Decembris fuit publicata pax. Et ad stipendium Sfortiæ inter alios fuerunt Jacobus cognominatus Jacomatius, & Mazeus de Guarna ex Salerno Campaniæ, Franciscus de Ghytiis ex oppido Celani in Brutiis, Marianus Therdous de sancto Demetrio Calabriæ ductores turmarum equestrium, & qui cum eodem Sfortia ex Regno Neapolitano accesserunt in Insubriam, & pro eo militarunt adversus Venetos, Mediolanenses, & alios hostes suos, & dum potitus fuerit dominio Insubriæ, & finitis bellis substiterunt Cremonæ, & eorum familiæ denominatæ fuerunt à municipiis, unde oriundi fuerunt, & scilicet Salerna, Celana, & Calabria, & ex quibus multi alii insignes viri tum armis, tum toga processerunt.

Anno sequente de mense Februarii ex gravi fri- A. C. 1442.
gore gelu flumine Padi concreto, & arefactis vitibus, & ob id subsequuta penuria vini, & cum fere ubique in Gallia Cisalpina vigeret gravis annonæ penuria, quamplurimis Veronensibus, Brixiensibus, & Bergomensibus Cremonam, ubi non erat multa penuria, profectis, summus Pont. Paulo Lamolara, & Betino Bino Albanense, armorum peritissimis, jussu suo ultimo supplicio affectis, ex Florentia Romam rediit die XXVIII. Septembris percusso fœdere cum Vicecomite, indignato in Sfortiam ejus generum magis inclinatum in partes Florentinorum & Venetorum, quam ipsius. Et Picenino ex Bononia accito, eum constituit exercitus sui supremum ducem in Sfortiam, ut eum expelleret ex Piceno, & per Vicecomitem Borsio Estensi concessa Crema præter arcem Serri die XVI. Octobris.

Anno sequuto factis inter Sforciam & Piceninum A. C. 1443.
induciis per octo menses, Piceninus eis postpositis ex Gallia Cisalpina destinavit quatuor millia equestrium, & totidem pedestrium, sub Ludovico Gonzaga in Senenses Sforciæ socios, & dum Sforcia de mense Septembris dimisso Esio Alphonso ex Piceno, ibi constituto Vicario suo Troilo de Rosenno, ivisset Venetias, & ab ipso ad Alphonsum defecissent Italianus Forilivienses, & Petrus Brunorius ejus duces quinque centum equestribus cum eo Troilo, rursus facto conflictu per reliquas ejus copias, ibi dimissas, cum pontificiis & Aragonensibus, eorum supremo duce adhuc Picenino prope montem Abbatis, & Foliam die octava Novembris ipsi prævaluerunt, ex hostibus desideratis mille quinque centum equestribus, sed deinde alio commisso prælio die XXIX. Decembris succubuerunt, captivatis Thadeo Estense, Guidone Rangono, Dulcio, Tiberto nepote Melitæ, & Simone Florentino suis ducibus, mille quinque centum equestribus, & quamplurimis desideratis, aliisve vulneratis; & Cremonenses ad subsidium Sfortiæ eorum domini tunc destinarunt ad eum, dum esset apud Fanum, aureorum octo millia, habita eorum medietate à clero.

Anno

A. C. 1445. Anno 1445. Cremonæ prætore Liberio de Bonarellis Equite Florentino, summus Pont. una cum Alphonso Aragonense conduxit ad sui stipendium Sigismundum Malatestam, & exercitu transmisit in Sfortiam, ad eum expellendum ex Piceno ad instigationem Vicecomitis, per eum etiam transmissis in Bononienses Gulielmo Marchione Montisferrati, & Carolo Gonzaga copiis suis, eisque ingressis hostiliter eorum agros, ipsisque per illos direptis, & à Florentinis motis periculo Bononiensium, in eorum auxilium destinato Eustorgio Faventino equestribus mille quinque centum, & pedestribus ducentum, & per Vicecomitem introducto onere taxarum equorum in dominio Mediolani solvendo equestribus suis pro hospitationibus per ibi rurales super eorum fundis, & capitibus ad conservandum eorum turmas, quas in multo numero ad sui stipendium habebat, & jusso Annibale Bentivolio occidi per Baptistam Canetulum, & alios factionis suæ, in ejus partes adductos in solemni die Natalis divi Joannis Baptistæ, dum ejus ecclesiam adiret, & per Bononienses arreptis armis obtruncatis Canetulo, & aliis factionis suæ, qui sibi occurrerunt, illiusque cadaver ignominiose, antequam sepeliretur, interdiu tracto per civitatem, & ex Florentia accersito exhortatione summi PP. Xanto filio naturale Hestoris Bentivolii, ibi exercente artem lanificii Bononiam, & ibi constituto tutore & rectore ipsius Joanne filio Annibalis, & per Venetos ac Florentinos destinatis in eorum auxilium aliis copiis sub Tiberto Brandolino duce impigerrimo, Bononienses, eis secum conjunctis, & præmiis, pollicitationibusque redacto in partes suas Marchione Montisferrati, & Bessarione Cardinale Bononiæ legato Apostolico, & Xanto duce, facto impetu in Gonzagam castrametantem illius acie ad vicum sancti Joannis eorum agri, illinc, & extra agrum ipsum, eum cum acie sua expulerunt, & oppida, quæ ibi Piceninus ac fœderati pro Vicecomite occuparant, recuperarunt. Et Sforcia die XXII. Augusti, seu X. Septembris facto conflictu cum pontificiis & Aragonensibus, Firmano legato Apostolico, & Francisco Picenino dimisso per patrem loco ipsius duce supremo ad Ulmum copiis suis, ipsos profligavit, ac superavit, & Nicolaus Piceninus pater Francisci annorum sexaginta quatuor, dum Vicecomes decrevisset eum transmittere Bononiam recuperandum, ita requirentibus illic exsulibus, obiit die XIII. Octobris ex dolore animi concepto, ut creditum fuit, ob rem male gestam per filium superatum à Sforcia, qui Zerpellonum, dum in gratiam summi Pont. ac Alphonsi Aragonensis eum decrevisset tollere ex humanis, re in lucem prodita, captivatum per Alexandrum Sforciam ejus fratrem jussit furcis suspendi, & intendens adhærere Vicecomiti socero suo, dimissis Venetis constituto supremo duce, eique concesso Pisauro accessit Cotignolam.

A. C. 1446. Et altero anno Vicecomes, cum eum inducere nequivisset ad sibi dimittendum Cremonam pro aureis decem millibus, quos ei quotannis pendere obtulisset, indignatus in ipsum, accersito ex Piceno Francisco Picenino, filio Nicolai, in Galliam Cisalpinam jussit per eum exercitu ipsam obsideri, & per illum direpto ejus agro, & ibi vico Vidiceti combusto, & Soncino sibi prodito per Franciscum Sclavum, & Romanengo, & Castroleone occupatis, ei admovit exercitum die prima Maji, ipsamque per plures dies, die ac noctu oppugnavit, ad cujus præsidium erant Jacomatius Salernitanus, & Angelus Simoneta, credens eam occupare opera ibi Gibellinorum, & Rolandi Pallavicini. Et Veneti, transmissis legatis ad Vicecomitem Mediolanum, ei indixerunt bellum, nisi desisteret ab oppugnatione Cremonæ, eisque, cum ipsum adire nequivissent, per internuntium responso dato ipsos tutiores fore alibi, quam Mediolani, transmiserunt è Brixia ad sub-

A sidium Cremonæ sex millia equestrium, & totidem pedestrium sub Michaele Attendulo, Antonio Marcello, & Gerardo Dandulo legatis, & trajecto per eos Ollio in agrum Cremonensem, & ex eis destinatis tercentum Cremonam sub Scaramutia Foriliviense, & toto agro occupato per Piceninum, reliquis profectis Casale majus, & per Piceninum, qui eos exercitu insecutus fuisset, firmatis castris in insula Padi, haud longe oppido utrinque commisso prælio die XXVIII. Septembris Philippenses succubuerunt, ex suis turmis equestribus quatuor millibus captivatis, centumve occisis, & totidem in aquis ibi B fluminis Padi submersis, Picenino, Erasmo Trivultio, Alvisio Vermio, paucis inde aufugientibus Cremonam versus, & Attendulus receptis oppidis Cremonensibus, per Piceninum occupatis, illuc properans, & ibi commisso alio prælio cum Philippensibus, ipsisque profligatis, ex eis aliis quinque centum equestribus, & bis millibus pedestribus evocatorum captivatis, eam liberavit ab obsidione, & per Joannem Ludovicum Gonzagam, receptis Casale majore, & aliis ibi adjacentibus, conjunctis in unum eorum copiis ingressus Insulam Fulcheriam, nil ibi Vicecomiti citra flumen Abduæ præter Cremam reliquit, & trajecto flumine omnia igni, & ferro, ac prædæ usque Mediolanum exposuit, direpto C Briantiæ monte, & Bremio capto, obsedit Leucum ad Larii caput, iis, qui erant ibi ad præsidium, illud strenue tuentibus, Vicecomite eis subministrante sæpius per lacum ipsum annonam & copias auxiliares, & mox Cassano occupato, & Abdua ibi juncto ponte, & illinc ad præsidium dimisso Gentile Varaneo cum copiis, reliquo exercitu ivit Caravagium hybernatum, Cremonam ad opem appulso Angelo Simoneta legato Sforciæ apud Venetos ex agro Brixiense nonnullis cohortibus pedestrium. Et Attendulus, dum intellexisset Sforciam exhortatum per summum Pont. ac Alphonsum Aragonensem, dum se, ac Picenum ab eis nequiret tueri nullo auxiliante, descendisse in partes Vice- D comitis soceri sui, penes eum legatis pro Sforcia Maceo Guarna Salernitano, & Vincentio Amidano, & in ejus auxilium descendere exercitu in Galliam Cisalpinam, dimissa Leuci obsidione, ac dimissis Casali majore, & aliis receptis ex agro Cremonense, Insula Fulcheria, ac Ducatu Mediolanense per eum ac Gonzagam, una cum ipso ac exercitu inde abiit, per Venetos munita præsidio Ravenna, & per Florentinos ad impediendum iter Sfortiæ in Galliam Cisalpinam destinatis copiis in agrum Bononiensem, Jacomatius de Guarna ex Salerno fuit receptus inter cives Cremonæ, unde Salerna fami- E lia ibi degens fuit ab eo denominata, & habuit originem.

Et anno sequente, Eugenio summo Pont. mortuo die XVI. Februarii, completo anno XVI. sui pontificatus, & ætatis LXIII. dum una cum Alphonso Aragonense intenderet agitare bello Florentinos, qui auxiliati fuissent Sfortiæ, ne eum expellerent ex Piceno, & Thomas Physicus ex Sarzana oppido Lunense, Bartholomæo Physico etiam patre, & Bartholomæa matre humilis conditionis, & quæ vendidit pullos & ova, Episcopus Bononiæ, & cujus, ac Joannis Caravalliæ, Ordinis Heremitarum divi Augustini, mox Cardinalis, opera usus fuit F Eugenius ad tollendum Concilium Basileense, factus fuit Pontifex Maximus, & nominatus Nicolaus Quintus. Et Veneti, occupato Casali majore, rursus agros Mediolanenses cursitarunt usque Mediolanum, ac Papiensium, omnia ibi diripiendo, Brevio occupato una cum Lario monte, qui fuit direptus, & Leuco oppugnato; & de mense Aprilis Gerardo Dandulo auctore tentarunt Cremonam occupare medio ibi factionis Guelphæ, Fuschino Attendulo illic rectore. Et summus Pont. misit Ferrariam A. C. 1447.

 Do-

Dominicum Capranigrum Cardinalem Hostiensem, ut ibi Alphonsum, Vicecomitem, Venetos, & Florentinos componeret, sed mortuo Vicecomite ex profluvio ventris Mediolani die XIII. Augusti, & dominii sui anno XXXV. & ætatis XLIX. omnia imperfecta remanserunt, Petro Pusterla pro eo legato penes Sfortiam, & pro ipso eo Pusterla, & Andrea Birago penes Vicecomitem intercedentibus. Et Mediolanenses se in libertatem vendicarunt, Federico Cæsare asserente dominium Mediolani ad eum devolutum esse. Et Alphonso Aragonense, se de eo fuisse institutum hæredem per Vicecomitem opera Brocardi de Persico, & Jo. Francisci de Landriano, & Carolo primogenito Ludovici Aurelianensis Ducis prætendente sibi illud spectare ab intestato ob Valentinam matrem suam, & sororem Vicecomitis, ex qua etiam nati sunt Joannes Princeps Angolismorum pater Francisci, qui mox fuit Rex Gallorum. Et Philippus Comes Virtutis una cum Isabella nupta Fusio ex regulis Navarræ, ex qua descendit Gastonus Fusius, qui fuit Dux supremus in prælio Ravennæ, in quo fuit occisus, ex conventione inita per Ludovicum Ducem Aurelianensem, maritum Valentinæ, cum Philippo Maria Vicecomite, & imperio vacante approbata per summum Pontificem. Et Veneti, ex vico Soresinæ agri Cremonensis, ubi habebant stativa, sperantes Cremonam transire debere in eorum jus, ibi tumultuantibus Guelphis, & ea spe delusi, receptis Casali majore & Soncino, profecti Laudam, eam, & mox Placentiam, Dandulo etiam legato, & Estense duce, in eorum fidem susceperunt, & ibi dimissis ad præsidium bis millibus equestribus, & totidem pedestribus, fere omnia usque Mediolanum occuparunt una cum Brembio, Mandello, & Leuco, & ibi ponte occupato, ex valle Sassinæ, & montibus Briantiæ prædam & captivos abducendo. Et Mediolanenses destinatis legatis Venetias ad ibi Ducem, & Senatores, ab eis requirendo restitutionem eorum, quæ sibi occuparant ex Dominio Mediolani, & sibi dato responso per eos, ipsa esse restituturos sibi solutis omnibus per ipsos expenditis in bellis, quæ gesserant cum Vicecomite, conscripto exercitu, & conjuncto ponte Ollio flumine ad Senigam, eoque trajecto incursarunt agrum Brixiensem usque ad vicum sancti Gervasii, & inde longe & late abduxerunt prædam & captivos. Et Sfortia, audita morte Vicecomitis soceri sui, ex agro Bononiensi, in quo consederat, pulsus ex Piceno, ejus acie, & uxore habitis mutuo pecuniis à Petro Rubeo, constructo ponte super flumine Padi die XXIV. Augusti properavit Cremonam, & transmisso per eum Venetias, & mox Mediolanum Benedicto Physico Nursino legato, & ad ipsum destinatis legatis per Mediolanenses Aloysio Bossio, & Petro Cotta, factus eorum dux supremus, sibi promissa Brixia, ubi eam cepisset, Pado flumine ponte conjuncto, & præsidiis & machinis firmato, ne Veneti classe fluviatili Placentiam tenderent, die XXX. trajecto Abdua ad Piceleonem castra sua firmavit adversus Venetos, qui erant ad Camairagum in agro Laudense, & ibi secum junctis copiis Mediolanensium sub Francisco Picenino, & invicem factis aliquibus levibus præliis, & inde motis castris ad Casale Pusterlarum, Papiam, dum Papienses opera Agnetis Mainæ socrus suæ, degentis in arce Papiæ, per Matthæum Bologninum ibi præfectum sibi concesso oppido sancti Angeli in agro Papiense, inclinatis eorum animis versus Sfortiam, cum pari odio Venetos & Mediolanenses prosequerentur, sponte se ei permisissent, recepit, timens, ne occuparetur per Ducem Sabaudiæ, & exercitu ex sua, & Bratianorum suorum adversariorum factione, & in quo erat robur militum Italorum, coacto, recepto sancto Columbano in agro Laudense, obsedit Placentiam medio autumno, & auctis aquis fluminis Padi ob pluvias tunc superventas, terrestri & navali prælio hyeme oppugnavit, & die XVI. Novembris expugnavit, ac diripi jussit, ibi captivatis Gerardo Dandulo rectore, & Thadeo Estense duce, ibi ad præsidium decem millibus pedestribus, & nonnullis turmis equestrium, inter quos fuerunt Baptista Azanellus, & Nicolinus Ungaronus tribuni militum Cremonenses, Venetis Attendulo duce ex agro Papiense cursitantibus, ac diripientibus agrum Mediolanensem, & transmisso exercitu ad hyberna accessit Cremonam, ubi erat Blanca uxor. Et Raymundus, dux Caroli Aurelianensis, de mense Septembris ex Gallia in Italiam descendit exercitu, & sibi prodita urbe Astense per Thomam Bononiensem ibi rectorem, obsedit Boscum in agro Alexandrino, & per Mediolanenses ad ejus opem destinatis copiis Hestore Faventino, & Bartholomæo Coleono ducibus facto utrinque prælio die XVII. Octobris succubuit, & Coleo mox dimissis Mediolanensibus mille quinque centum equestribus ivit ad stipendium Venetorum, hybernantium in agris Bergomensium & Brixiensium, Sforciadis autem in agro Cremonense cis & ultra Padum junctum ponte, & propugnaculo constructo ultra Padum, quod tuebatur Rolandus Pallavicinus, & altero cis Padum, quod tuebantur Cremonenses, & per Mediolanenses transmissa classe ex Papia Cremonam, ibi tunc prætore Jo. Francisco de Botichiellis Papiense.

Anno sequuto Sfortia, die prima Maji recensito exercitu inter oppida Cremæ & Castrileonis, eique soluto stipendio, profectus Mozanicam, Vailatum, Trivilium, & Cassanum, eis potitus fuit, & classis Veneta triremium viginti sex, & plurium navium, Andrea Quirino duce, dum die XV. Junii appulsa Cremonam, oppugnasset pontem constructum super flumine Padi, commissa pugna cum ejus navarchis per Sforciadas, & Cremonenses Salernitano duce, & Blanca Maria eis assistente, ipsosque incitante ad prælium una cum Ruglerio Gallo ex Piceleone, cognominato Bilanciono, strenuo viro, profligata fuit, & dum audivissent Sfortiam ex agro Laudense supervenire exercitu, retrocessit ad Casale majus, & Sfortia, cum summus Pont. frustra tentasset componere Mediolanenses, Venetos, & Alphonsum, & Florentinos, qui ad id inclinassent, & Veneti recusassent Laudam Mediolanensibus dimittere, nonnullis oppidis Venetorum receptis eam classem, dum adhuc infestaret Cremonenses, classe Mediolanensium viginti quatuor triremium Blasio Asareto præfecto die XVII. Julii oppugnavit, ejus præfecto diffiso eam tueri, ea combusta aufugiente intra Casale majus, & Castro Ponzonorum per Sfortiadas die XXI. Julii, & Mozanica per Venetos depopulatis, & eis castrametantibus ad vicum sancti Joannis in cruce, ex vico Turricellarum, ubi castra habebat, eis motis ex consilio & impositione Mediolanensium die XXIX. Julii exercitu tredecim millium equestrium, & multorum pedestrium, Alexandro, Bosio, & Gerardo ejus fratribus, & Francisco, & Jacobo Piceninis, & multis aliis insignibus ductoribus, & tribunis obsedit Caravagium munitum præsidio Venetorum, & quorum exercitus etiam multorum equestrium & pedestrium sub Michaele Attendulo, & Francisco Dandulo legato, cum quibus erant etiam plurimi insignes præfecti turmarum equestrium, & tribuni cohortium pedestrium, dum se recepisset ad ejus auxilium, & factis ibi invicem nonnullis levibus præliis, die XV. Septembris esset descensum ad extremum certamen, illos superavit, & occupatis eorum castris, refertis multis bonis, & ex eorum exercitu captivatis duodecim millibus equestribus, & quinque millibus pedestribus una cum Dandulo, & Antonio Donato legatis, Matthæo de Ca-

Capua, Rangono, Catelano, Roberto de Monte alto, Gentile Leonisano, Teosalvio, & Ludovico Malvetio, & multis aliis ex eis præfectis, & tribunis Cremonam ductis, illinc aufugientibus Attendulo, & Cæsare Martinengo paucis Brixiam.

Et cum Piceninus, ita volentibus Mediolanensibus, ab eo habita parte exercitus, profectus Laudam, eam obsedisset, ac redegisset in sui potestatem, ex Caravagio reliquo exercitu trajecto Ollio transivit in agrum Brixiensem, & ivit Brixiam, eamque die XXII. Septembris obsedit, reparato exercitu bis millibus equestribus, & mille pedestribus, & mox orta inter eum ac Mediolanenses discordia, & Thadeo Estense mortuo, & sepulto Brixiæ cum multa pompa, Attendulo autem exauctorato, & relegato in agrum Trivigii, percussit in eos fœdus cum Venetis ac Florentinis, se interponentibus Pasquale Maripetro, & Angelo Simoneta, quo cautum fuit, ut sibi per eos singulo mense, donec potiretur Mediolano, penderentur sexdecim millia aureorum, & darentur quatuor millia equestrium, & bis millia pedestrium, & quicquid cepisset ultra Padum & Abduam, esset sui juris, citra vero Abduam Venetorum, & habitis ab eis ipsis equestribus & pedestribus, & sibi dato legato Jacobo Antonio Marcello, ex agro Brixiense regressus exercitu in agrum Cremonensem ad Castrumleonis, & constructo ponte super flumine Abduæ ad Macasturmam, sibi dimissam per Hermestem & Onofrium fratres de Bibaaquis, & ad pontis custodiam imposito Jacobo Salernitano congruis copiis, progressus fuit in agrum Laudensem, & firmatis castris ad Casale Pusterlarum, Placentinos prius sibi consignatis clavibus Placentiæ per Joannem Anguissolam, & Com. Manfredum de Lando, recepit in sui fidem, eisque dato juramento fidelitatis, & ad ibi custodiam dimissis Jacobo Salernitano, & Thoma Theobaldo sexcentum equestribus, & totidem pedestribus, & omnia, quæ Mediolanenses occuparant ex dominio Vicecomitis præter Mediolanum, Derthonam, ac Alexandriam redegit in sui potestatem. Et cum Mediolanenses, missis ad eum legatis Bartholomæo Morono J. C. & Jacobo Cussano, tentassent eum adhuc sibi conjungere, id recusavit facere, & die XXIX. Augusti hora sexta fuit eclipsis Solis, & ea durante viguerunt multi terræmotus, & sæviit pestis, ac viguit dura fames, & peste in Asia exorta, & illinc in Illyrium, Germaniam, & Galliam penetrata, pauci ex multis superfuerunt, & in Anglia, & etiam Gallia, & Germania, Perusia, Pannonia, ac Italia viguerunt bella, in quibus fuerunt commissa incendia, rapinæ, & cædes. Franciscus, cognominatus Cichus de Canturio, scriba à secretis Sfortiæ, dum esset Cremonæ, & habitaret in vico sancti Apollinaris, receptus fuit in Collegium Notariorum Cremonæ, & inter cives ipsius civitatis una cum Mariano de Bidoia, & Petro Baldino de Lanzonibus.

A. C. 1449. Anno subsequuto, Cremonæ prætore Alberto Marliano Mediolanense, Sfortia de mense Februarii obsedit Mediolanum in vicis ibi propinquis positis castris, & ex eis transmissis obsessum Modœtiam, Picenino Vermio Vintimiliense, Dulcio Taurello, ac Capuano eorum turmis, & copiis Carolus Gonzaga dux supremus Mediolanensium, dum eam oppugnarent, illuc profectus, eorum valida manu ad auxilium, & eam egressus, & ibi utrinque commisso prælio, illos inde fugavit, ex eis interceptis tercentum equestribus, multisque tum occisis, tum vulneratis una cum Vermio, & Dulcio mox mortuis, eis non opitulante Picenino, qui mox eo suadente ipsa per Sforciades secum rursus obsessa, ipsis dimissis una cum fratre tribus millibus equestribus & mille pedestribus, à Sfortia defecit ad Mediolanenses. Et Veneti Sigismundo Malatesta duce supremo, & Jacobo Lauretano legato, obsederunt Cremam, & cum Franciscus Piceninus, & Carolus Gonzaga, duces Mediolanensium, eorum jussu ad illius præsidium irent, Veneti habita Insula Fulcheria cum Caravagio, illinc pedem retulerunt Fontanellam; & Carolus Gonzaga mox cum ipsius acie defecit à Mediolanensibus ad Sfortiam, die quarta Septembris sibi prodita Laude, & dum Ludovicus Dux Allobrogum destinasset in auxilium Mediolanensium copias militares Joanne Campesio duce, quibus obsedisset, & oppugnaret Novariam, direpto ejus agro. Sfortia adversus eum ad auxilium Novariensium transmisit Corradum fratrem, & Christophorum Taurellum sexcentum equestribus, & Angelum Lavelanum cognatum suum tercentum, & Salernitanum mille quinque centum, & mox Bartholomæum Coleonum ejus acie, qua dum occurrisset Campesio ad flumen Sicidæ, ibi cum eo prælio congressus ipsius copias profligavit, eo captivato. Et Veneti, regressi Fontanella Cremam, eam nullo sibi resistente, nec dato sibi aliquo auxilio per Mediolanenses, habuerunt die XVI. Septembris, eaque habita, & ibi constituto rectore Gentile Leonisano, percusso fœdere cum Mediolanensibus, Venetias per eos destinato legato Henrico Panigarola, & per Venetos Mediolanum Paulo Venereo ex consilio Jacobi Antonii Marcelli die XXV. Octobris, quo cautum fuit, Papia, & Cremona earum territoriis dimissis Sfortiæ, alias urbes, quæ fuissent Vicecomitis tempore ejus obitus, Mediolanensibus cedere, oppido Cremæ Venetis remanente, denunciarunt Sfortiæ ad eam destinatis legatis Pasquali Mariperto, & Orsato Justiniano, ut desisteret ab obsidione Mediolani, & à Mediolanensium molestia, nec amplius ab eis speraret auxilium cum eis conventum, revocato ab ipsius exercitu Bartholomæo Coleono eorum duce suis copiis, & Sfortia factis induciis cum Mediolanensibus ob id destinavit Venetias ad Franciscum Foscarum Ducem, & Magistratus ibi Alexandrum Sforciam fratrem, Angelum Simonetam, & Andream Biraghum conquestum de hoc fœdere, ipso inscio facto per ipsos, & cum exhortati per Ducem & Magistratus illud approbare noluissent, & mox minis eis factis approbassent, & ex Venetiis mox properassent Ferrariam, & illinc ad Sfortiam, qui re cum prudentibus discussa ipsum approbare noluit, & adjutus pecunia Cosmæ Medicæi Florentini, & sibi dimissis oppido ac arce Piceleonis per Antonium Cribellum ibi præfectum arcis, obsedit Mediolanum. Et Alphonsus Arago, Rex Neapolis, prætendens dominium Mediolani sibi dimissum fuisse per Vicecomitem, ut præfertur, per Venetos instigatus in Sfortiam, ne eo potiretur, receptis Bononiensibus in partes suas, conduxit ad auxilium Othonis Tertii Parmensis ipsius inimici, & cum eo belligerantis in agro Parmense, ad sui stipendium Jo. Ludovicum Gonzagam Mantuæ Marchionem, & mox transmisit Eustorgium Manfredum, & Christophorum Lavelanum illius duces, illorum copiis in eos destinato per Sfortiam Alexandro fratre suo ejus acie, & Manfredo ejus copiis in gratiam Sfortiæ, amici sui, cæteris reversis domum, & per Alphonsum loco sui transmisso Raymundo Anichirino Brutio aliis copiis, ipsum bellum sedatum fuit per Alexandrum Raymundo expulso gravi strage, secum & ejus copiis commissa pugna, & Nicolao ex fuga prolapso Mantuam, dimissis Guardasono, & Colornio juris sui, receptis per Sfortiam, & ipse, ac Veneti Florentinos, cum nunquam voluissent deserere partes Sfortiæ, ex eorum dominiis expulerunt. Et Amadeus, & Ludovicus, duces Allobrogum, post grave damnum illatum per Sfortiadas Vercellensibus, cum Sfortia pacem fecerunt.

Anno Redemptionis humani generis 1450. Cremo- A. C. 1450.

 mo-

monæ prætore Petro de Lunate Papiense, Alexander Sfortia mense Januario ejus agminibus profectus fuit Felinum, & cum ope Petri Rubei tenens Parmam recipere, illinc ad ipsam accederet, & inter eam ac Tarrum ipsi occurrissent equites mille quinque centum, & pedestrium tria millia Parmensium, ducibus Campo Basso, ac Picenino, utrinque consertis manibus, plurimis hinc inde cadentibus, eis, qui essent plures, cessit & pedem retulit adhuc Felinum, & dum Parmenses eum obsedissent, ac oppugnassent, supervento in ejus auxilium Salernitano turmis suis, in illos facta eruptione, ipsos fudit, & illinc fugavit, ex eis DC. equestribus captivatis, Carolo Gonzaga aufugiente Parmam, & Picenino Florenzolam, & mox profectus Parmam, & porta ibi D. Barnabæ occupata ex tractatu habito cum nonnullis Parmensibus factionis Guelphæ, & Rubeæ, illinc repulsus fuit, & re in lucem prodita CC. ex Parmensibus proditoribus, furcis suspensis, fuerunt & alii extremo supplicio affecti, & deinde Parmenses ab omnibus dimissi sponte de mense Februarii Sfortiæ se subjecerunt, conductis per eum ad sui stipendium Manfredo, & Giberto Corrigiensibus, Ludovico Malvetio, Petro Maria Rubeo, & Nicolao Tertio Guererio nuncupato. Et dum Veneti copias militares Sigismundo Malatesta duce in eum destinassent, eisque firmatis in monte Calcho, transmissis per Sfortiam in occursum copiis suis, ibi facta utrinque pugna multi occubuerunt, & dum mortuo Francisco Picenino ex ydropisi, Jacobus ejus frater ei surrogatus per Mediolanenses, agminibus suis proficisceretur ad Venetos, ut se eis conjungeret, Sfortiades quoque eis occurrentes, utrinque consertis manibus ipsum fuderunt, ac fugarunt usque Modœtiam, plurimis ex ejus agminibus cæsis, spoliatis, ac captivatis, & Venetos fame oppressos coegerunt ex eo monte abire, ducibus Severinate, & Salernitano, & dum Vitomeliensis dux Sfortiæ Canturium, cui preærat, Venetis prodere voluisset, Sfortia de hoc monitus eo profectus ipsum captivavit, & carcerari jussit. Et Mediolanenses post longam & gravem obsidionem, ac multas hinc inde acceptas & illatas clades, ac transitum aliquorum ducum, ac militum ad Sfortiam, & necem Leonardi Venerii Patritii Veneti, penes eos pro Venetis Legati, patratam per ibi eorum populares Joanne Stampa ac Jacobino, & Theodoro Bosiis, Gregorio, & Jo. Francisco patre, & filio de Caimis, Gregorio Lampugnano J. C. & Galeatio Toscano instigantibus una cum Carolo Gonzaga, ac duram famem die XXV. Februarii, & Com. Gaspare Vicomercato, eos exhortante longa oratione, ejus, ac Petri Cottæ, ac Joannis Stampæ, ac Melchioris de Mariliano opera Sfortiam in dominum suum admiserunt die sequenti, quem prius de hoc admonuerunt Joannes de Gariboldis Cremonensis, & Aloysius tubicina, & die XXVII. ingressus fuit Mediolanum, & die XXV. Martii, qua solemnitas Incarnationis Dominicæ celebratur, & annus Cremonæ inchoatur, multa pompa, ac lætitia ipsius Ducatus habuit insignia, Guererio Castillionæo, J. C. Mediolanense, orante, ad ibi custodiam impositis Carolo Gonzaga, & Jacobo Salernitano, ibi Prætore Petro de Lunate Papiense, & Papiæ Comitem constituit Galeatium ejus primogenitum, & Aloysium de Pithiis Prætorem Cremonæ, & mox cum Florentinis pacem fecit per XXV. annos, Mediolani, & toto ejus in dominio, peste sæviente.

A. C. 1451. Anno altero, Cremonæ rectore Joanne Tolentinate, & Prætore Alberto Marliano, die XVI. Novembris juxta Templum ibi divi Francisci erectum fuit Sacellum in honorem divi Bernardini, per eum rectorem projecto primo lapide in ejus fundamentis, Petrus Baldinus Tolentinas, ex familia illorum de Lanzonibus à Tolentino oppido Piceni, unde de-
A scendit una cum Sfortia in Insubriam, & cum subsederit, & obierit Cremonæ ducta uxore Elisabeth de Pallavicinis Marchionibus Varani, ex ipsa superstite Nicolao filio, qui duxerit uxorem Ursulam ex nobili familia Ponzona, Tolentini ibi degentes ab eo habuerunt originem. Et Sfortia ordinavit dies, quibus celebratur memoria in honorem divorum Francisci & Bernardini, Pantalemonis, Cosmæ, & Damiani feriari debere.

Anno sequente, Cremonæ Prætore Alto Blanco de Codonatiis, domus Hospitales, quæ ibi, & in ejus diœcesi erant, quibus daretur hospitium, ac victus peregrinis mendicantibus, earumque redditus A. C. 1452.
B distribuebantur in usus pauperum, & alios pios per eorum ministros laicos, & scilicet in Parochia S. Prosperi sub vocabulo S. Spiritus seu beati Facii, patronatus illorum de Ponzonibus, & in Parochia Sanctæ Luciæ domus fundata sub vocabulo ipsius divæ anno 1433. per Luchinum de Lazolis, in Parochia divi Pauli sub vocabulo divorum Simonis & Judæ, patronatus ipsorum de Alegris, in Parochia S. Michaelis veteris sub vocabulo Incoronatæ, patronatus illorum de Bonetis, & in Parochia S. Matthiæ sub vocabulo divi Alberti, in Parochia divæ Margaritæ sub vocabulo domus Burlandæ, & in Parochia Sanctæ Mariæ in Bethleem sub vocabulo presbyte-
C rorum dominæ Sanctæ Mariæ Molinariæ, in Parochia majori sub vocabulo B. M. Virginis fratrum divi Gaudentii Ordinis militiæ de Canova, in Parochia S. Syri sub vocabulo Sepulchri Dominici, & penes mœnia sub vocabulo charitatis, & in burgo divi Ambrosii sub vocabulo ejusdem, & divæ Mariæ, patronatus ipsorum de Bordolano, in burgo S. Creati sub vocabulo ejusdem divi, patronatus ipsorum de Ciconiis. Et in diœcesi in pago S. Petri in Mendicate, sub vocabulo ejusdem, patronatus ipsorum de Schitiis, in pago Gataroli sub vocabulo divi Antonii, patronatus illorum de Guazonibus secus stratam Mantuæ, in pago Mottæ de Baluffis sub
D vocabulo divi Cathaldi, patronatus ipsorum de Codelupis, in pago Solaroli Raynerii sub vocabulo divi Stephani, in pago S. Jacobi ab Oboppio sub vocabulo divi Jacobi, in vico Rubecci sub vocabulo D. Sanctæ Mariæ de Curte Melia, in vico Tribuli sub vocabulo divi Petri, in oppido Soncini sub vocabulo divi Marci, in oppido Piceleonis sub vocabulo divi Juliani, in municipio Casalis majoris sub vocabulo venerandi Sepulchri Dominici, in contrata Roncharoli pagi fossæ Caprariæ ejus territorii, sub vocabulo Annunciationis B. M. Virginis, fundata per Antoninum de Gotiis, in Curia Vitelliana sub vocabulo divæ Mariæ de monachabus, in muni-
E cipio Bozuli sub vocabulo divæ Mariæ, & Riparoli foris sub vocabulo divi Bartholomæi, unitæ fuerunt cum redditibus ex auctoritate concessa per Beatæ in Christo patrem Nicolaum summum Pont. Cremonensibus, & ad eorum preces demum erectæ, cum oratorio in Parochia divi Antonini sub vocabulo B. M. Virg. de pietate gubernandæ, ut gubernantur Hospitalia Florentiæ; & Senarum per seculares, ex eis electis sexdecim, ex quibus sint quatuor J. C. & reliqui ex familiis Cremonensium alicujus conditionis, ex eis sexdecim electis duodecim singulo anno quinto die XVIII. Januarii, & solennitatis divi Facii, erant in Parochia S. Erasmi, etiam domus hospita-
F lis, sub vocabulo divi Bartholomæi, quæ fuit unita ipsius Ecclesiæ, & in Parochia sanctæ Crucis, sub vocabulo divæ Agathæ, quæ, dum devenerit ad ruinam, asportata fuit ad forum Ecclesiæ divæ Agathæ, & ejus præposituræ unita, & sub vocabulo sanctæ Mariæ Misericordiæ, quæ fuit unita Archipresbyteratui Ecclesiæ Cathedralis, & in Parochia S. Joannis Novi, sub titulo ejusdem concessa disciplinis D. sanctæ Mariæ de Passione.

Federicus Cæsar de mense Januarii descendit in Ita-

Italiam, & ivit Florentiam, & cum Eleonora filia Alphonsi Regis Lusitaniæ ex Odoarda sorore Alphonsi Aragonensis ex sorore Isabellæ, filiæ Joannis Secundi Regis Castiliæ, ejus uxor applicuisset Senas, cum ea die VIII. Martii ingressus fuit Romam munitam præsidiis, & propugnaculis, quindecim Cardinalibus, & honorato quoque ibi cum multa populari turba eis occurrentibus. Et summus Pont. die sequente celebrata missa solemni in ecclesia divi Petri, eis tanquam sponsis benedixit, & die XIX. imposuit coronam Imperialem. Et Federicus, creatis prius de more nonnullis Equitibus super ponte divi Adriani, illinc abiit cum uxore Neapolim ad Alphonsum ibi regem, & avunculum Eleonoræ, ubi multa cum pompa ac summo cum honore receptus fuit, & deinde Romam reversus, illinc abiit Senas, & cum in Liguria caro, & Romæ sanguis, una cum aquis pluissent, & infans sex dentibus in lucem prodiisset, & Cometes horribilis toto mense Junii apparuisset, nec procul à Salodio mons magno hiatu, ab imo ad summum anno præcedente absorptus, Veneti, jam biennio elapso, percusso fœdere cum Alphonso Aragonense, Ludovico Duce Sabaudiæ, Gulielmo Marchione Montisferrati, & Corrigiensibus, Parmensibus ad excidium Sfortiæ, comparato exercitu sexdecim millium equestrium, & sex millium pedestrium, ingressi die XVI. Maji Gentile Leonisano duce agrum Cremonensem, omnia ibi longe & late diripuerunt, Soncino oppido, & aliis ibi vicinis expugnatis, & dum Cremonam obsedissent, per Salernitanum, qui ibi erat ad præsidium, ipsius acie, facta inde eruptione in illos castrametantes in Vico Braidæ de Bugnis, & cum ipsis consertis manibus expulsi fuerunt usque ad flumen Ollii, & mox irrumpentes agrum Laudensium, & Mediolanensium, & ibi potiti multis oppidis concursarunt usque ad portas Mediolani, Sfortia tunc non habente aliquas paratas copias militares in promptu, cum de eis non timeret; qui assumpto in socium belli Ludovico Gonzaga Marchione Mantuæ, eo ipsius acie supervento irrupit exercitu decem & octo millium pedestrium, & trium millium equestrium, Venetis inter Romanengum, & Soncinum regressis, & castrametantibus prælio profligatis die prima Junii, in agrum Brixiensem, & ibi recepto Pontisvico die XVI. illorum duces adeo terruit, ut ducto eorum exercitu intra paludes, nunquam inde elici potuerint, & ausi fuerint cum eo aperto Marte congredi, sperantes ipsum inopia ærarii haud diu duraturum, & Mediolanenses aliquid pro libertate molituros, per aliquas copias Sfortiæ militares die XVII. Augusti commissa pugna ad Castrumleonis in agro Cremonense, Corrado ejus fratre duce cum quatuor millibus Venetis, eorum duce Matthæo Campano, eis præda, quam abduxerant ex agro Cremonense, ablata, occisisque eorum exploratoribus nocte sopore oppressis, paucis ex Venetis incolumibus inde aufugientibus.

Et cum Palæologus, Marchio Montisferrati, equestribus quatuor millibus, & bis millibus pedestribus, habitis ab Alphonso Aragonense, Alexandrinos & Papienses infestaret, Corradus Sfortiæ frater una cum Joanne Nuceo Cremonense equestribus tribus millibus, & quinque centum pedestribus, ei occurrens in agro Alexandrino, & ibi utrinque commisso prælio illius copias fudit, ipso fugiente intra Castrum Novum, mox Nuceo suspecto Sfortiæ, ejus jussu capto, & ducto Cremonam, & ibi decapitato die XXIII. Septembris. Et cum Corrigienses, facta quoque impressione eorum acie in agrum Parmensem, ibi occupassent oppidum Cunei, Bosius etiam Sfortiæ frater illis copiis occurrens, & utrinque consertis manibus eos profligavit: qui tamen hoc biennio bello infestarunt Parmenses, commissis quoque aliis certaminibus in-

A ter Venetos, Carolo Montono eorum duce, & Sfortiadas, Alexandro Sfortia ad Vicum Jovis Altæ agri Cremonensis, & Cereti agri Laudensis, ubi Veneti prævaluerunt, sed eos nocte proxima delitiscentes intra paludes, Alexander, dum ipsum tendentem Laudam ad ibi præsidium MD. equestribus, quibus substitisset apud Ceretum, intercepissent imparatum, eis firmatis, & animatis, ac ordinatis invasit, ac delevit, & ad Ottolengum, & Insulam, & inter Manerbium, & Cignanum agri Brixiensis pari Marte utrinque multa cæde commissa. Et Colleo dux Venetorum ex Brixia ad Asulam facta irruptione inde abegit multam prædam.
B Et Ludovicus Gonzaga, Carolum ejus fratrem quoque eorum ducem, dum ipsius acie ipsum de eo non timentem invasisset ad Godium in agro Veronense, facta pugna inter eorum agmina fudit. Et Sfortia juncto ponte flumine Ollii inter Quinzanum & Bordolanum exercitu, & Veneti ad Urceos Novos via Soncinate in agro Brixiense hybernati sunt. Ex venerandis Religiosis Cremonensibus, tunc temporis fuerunt extimati inter beatos & dilectos omnipotenti Deo, & D. N. Jesu Christo ob eorum probam vitam & laudabilem, Nicolaus, Gregorius, & Georgius de Lazolis, Ordinis Heremitarum de observantia divi Augustini, ex quibus Nicolaus fuit Episcopus, & Gregorio, & Roccho Papiense ejus-
C dem Ordinis auctoribus instaurata ipsa religio in his partibus erecto templo Papiæ ad honorem divi Augustini ipsius institutoris.

Anno sequuto Federicus Imperator die XXVII. Januarii ex Senis ivit Ferrariam, ubi creavit Borsium A.C. 1453.
illic Ducem, eis concessis Mutina & Rhegio, & mox Venetias accessit, & inde Mantuam, ubi nupsit Margaritam filium Ducis Bavariæ, Ludovico ibi Marchioni, & vulnerato ad Manerbium una cum arce compulsum in jus Venetorum, spiculo illinc à Scorpione transmisso, Leonisano supremo eorum duce, & ducto Brixiam, & ibi mortuo die prima Aprilis, & ab ejus die penultima usque ad
D diem XVII. Junii, fere continuis pluviis cadentibus, & sæpe grandine gravi fructuum pendentium damno, Jacobus Piceninus, Leonisano substitutus, tentavit occupare Quinzanum, & Pontisvicum, & mox Senigham, ibi ad præsidium degente Sacramoro Vicecomite copiis suis, & cum Robertum Severinatem, & Tibertum Brandolinum Sfortiæ duces, egredientes agrum Brixiensium eorum copiis cum præda ibi facta, invasisset, prælioque fudisset, ac præda exsuisset, Sfortia his intellectis illuc exercitu properavit, & secum Severinate, & Brandolino eorum aciebus conjunctis, munita pugna cum Picenino eum profligavit, & fugavit usque Pontisvicum, multis ex
E ejus acie captivatis, & mox per Piceninum Manerbio, dum ad Sfortiam defecisset, direpto, Sfortia erecto propugnaculo ad Monticulum adversus Brixiam, & ibi sibi occurrente Picenino cum eo manus conseruit pari Marte, hinc inde ultra quinque centum tum captivatis, tum occisis. Rex Gallorum, cum Florentini ex consilio Francisci Sfortiæ transmisissent Angelum Atiolum equitem, civem suum, in Galliam ad eum, & Renatum Andegavensem, ab ipsis petitum auxilium adversus Venetos, & incitandum Renatum ad recuperandum regnum Neapolitanum, unde expulsus fuerat per Alphonsum, ut eis morem gereret, missis Legatis ad
F Ducem Sabaudiæ, bello Sfortiam infestantem, ipsi denuntiavit, ut desisteret ab ejus molestia, sin minus illius hostem futurum, & Ludovicus filius suus, & gener Ducis Sabaudiæ, ob Carlottam ejus filiam, & uxorem Ludovici, multa acie militum in auxilium Sfortiæ sibi ferro parata via, prohibita per Allobroges & Gallos Subalpinos, multa illorum cæde, descendit in Italiam & ivit Mediolanum, & ibi facta aliqua mora, inde rediit in Galliam, & Renatus

natus Andegavensis bis millibus equestribus, & totidem pedestribus impeditus per Allobroges recto itinere descenderet ex Gallia in Italiam, descendit Savonam, & facta pace cum Marchione Montisferrati, illinc se contulit Mediolanum, & inde Cremonam die VI. Octobris, & mox ad Sfortiam castrametantem in agro Brixiense die VIII. unde Venetorum duces omisso omni prælio, licet pluries provocati per Sfortiam, se receperunt ad montes Brixienses, & Sfortia, expugnato & direpto oppido Pontisvici die XVIII. oppida circiter XL. Venetorum in agris Bergomense & Brixiense recepit. Et Alexandro fratre, & Michaele Attendulo ex Florentia, copiis suis appulsis Cremonam die penultimo prohibitus per Venetos, ne ejus exercitu se conjungeret copiis Ludovici Gonzagæ, per eos bello etiam infestati, Carolo Gonzaga ac Brandolino ducibus, misso Tibicine ad Piceninum & Carolum, supremos duces exercitus Veneti, castrametantes ad Gadium altum in agro Mantuano cum epistolio, ad eos & Legatum scripto, illos provocavit ad prælium, & dum acceptassent, dispositis copiis suis militaribus die III. Novembris descendit in campum patentem, ut cum eis confligeret, & cum ipsi, exercitu suo tento intra munitiones castrorum suorum, non ausi fuissent sui copiam facere, Gadium altum oppugnavit, & habuit, & mox receptis Martinengo, Urceis, Soncino, Valle Camonica, & aliis, quæ Veneti intra Padum, Abduam, ac Alpes occupassent, præter Cremam, Ripam altam, & Trivigium, & Veneti ivissent ad hyberna superventa hyeme præter modum aspera, die VII. Novembris ad ea quoque se contulit. Et tunc temporis ex insignibus Philosophis, & Mathematicis Cremonensibus cogniti fuerunt Girardus Sabloneta, qui ex Arabico idiomate in Latinum convertit libros Averrois, & Almansoris Physicorum; & Apollinaris Orphidius, vulgo Offredus, qui interpretatus fuit libros posteriorum, & *de anima* Aristotelis; & Nicolaus de Amidanis, Archiepiscopus Mediolani obiit, ibique sepultus in Ecclesia cathedrali, in qua visitur ejus statua habitu Archiepiscopali, cum hisce metris:

Romam Pontificis qui nomine rexit, & idem
Ipse Placentina Præsul in urbe prius.
Dehinc cathedra Ambrosi residens, Amidanus in urna
Hac Nicolaus inest pulchra Cremona tuus.
Ille animo invictus, docta probitate, fideque
Æquabat priscos, & pietate patres.
Impia mors nimium Pastorem tollere nobis
Heu properas, qualem sæcula rara ferunt.

Et Vincentius frater suus fuit Episcopus Placentiæ, & Nicolaus Ferrarius J. C. Romæ periit, dum ibi degeret, valde gratus ob ejus doctrinam Nicolao summo Pontifici.

A. C. 1454. Anno subsequuto Renatus male animatus in Sfortiam, ac Florentinos, ejus acie ex Placentia, ubi hybernabat, rediit in Galliam, unde mox transmisit Joannem ejus filium in Galliam Cisalpinam, unde ibi nulla re memorabili gesta ivit Florentiam. Et Bartholomæus Colleo dux Sfortiæ, ejus copiis commisso prælio de mense Januarii in agro Bergomense cum nonnullis Venetorum copiis, eorum duce Ludovico Malvetio, ipsas fudit, & dum ad mandatum Venetorum Jacobus Piceninus, eorum dux supremus, ac Carolus Gonzaga suis turmis equestrium hyeme irrumpentes agrum Mantuanum, ibi occupassent oppidum Voltæ, & Angelum de Comitibus, ducem Ludovici ibi Marchionis, eis occurrentem aliis turmis, utrinque commissa pugna repulissent in Godium, ubi foret Ludovicus, magno incommodo & damno, inter Venetos, & fœderatos, & Sfortiam, ejusque adhærentes die XIII. Aprilis facta fuit pax per annos XXX. toties tentata per summum Pont. medio & labore Joannis Simonetæ Ordinis Heremitarum divi Augustini, ultra & citra commeantis sæpius, eosque adhortantis ad pacem ipsam, firmataque Laudæ, Paulo Barbo Legato Apostolico ibi assistente, & cujus vigore utrinque occupata reddenda erant præter Insulam Fulcheriæ, quam Sfortia ceperat e Venetis, jussu eorum demolita arce Cereti in agro Cremense, & quæ nunquam erigi posset, & Castilionum, quod Alphonsus Florentinis ademerat, & si quæ interim orta fuisset discordia inter eos, summus Pont. pro tempore haberet arbitrium ejus tollenda cognita causa, & qui alii arma intulissent, communis omnium hostis haberetur, & quæ mox Alphonsus Aragonensis approbavit, Dominico Capranigro Cardinale sanctæ Crucis Legato misso ad eum, & alios Principes Italiæ per summum Pont. præterquam ad Sigismundum Malatestam, Eustorgium Faventinum, & Genuenses hostes Alphonsi, & cui Genuenses tributum ei promissum dare recusabant, & nec ad illam pacem convenire voluerunt, & mox Sfortia recepit ea, quæ occuparant ex dominio Mediolani Ludovicus Dux Allobrogum, Leonellus Ferrariæ Marchio, & Gulielmus Montisferrati, & Corrigiensis, sibi his, quæ penes se habebant Ludovicus & Gulielmus, sponte restitutis, Bartholomæus Sfondratus Cremonensis, ob ejus doctrinam & animi puritatem tunc temporis fuit ex intimis familiaribus Federici Imperatoris, & dum penes eum opitulatus fuerit Ragusinis populis Liburniæ, per eos receptus in ipsorum civitatem, & factus scriba, & regulator rerum ipsorum perpetuus.

Et anno 1455. Cremonæ Prætore Jacobo Castilionæo Mediolanense, Nicolaus summus Pont. die XXIII. Martii, & anno sui pontificatus octavo completo obiit, & Alphonsus Borea, Satinensis Valentianæ diœcesis ex Hispania, patre Joanne, & matre Francisca, & Cardinalis tit. Sanctorum quatuor coronatorum, & qui bellum, per septennium gestum inter Alphonsum Aragonensem & Joannem Castiliensem Reges, sedavit, factus fuit Pontifex Max. die VII. Aprilis, & nominatus Calistus Tertius. Sfortia desponsavit Hippolytam filiam de mense Octobris Alphonso Aragonensi filio Ferdinandi, & nepoti Alphonsi Regis Neapolis, etiam per ipsum desponsata Eleonora filia Alphonsi Joanni Galeatio filio ipsius Sfortiæ, mox nupta Herculi Duci Ferrariæ, & dum esset Cremonæ una cum Blanca uxore, conductis multis architectis, inter quos fuit Angelus de Agutiis, construi fecit turriculas arcis Sanctæ Crucis, & in Parochia sancti Bassiani propinqua ipsi arci erectum fuit monasterium Monialium Ordinis de observantia divi Augustini, sub titulo & ad honorem divæ Monicæ ejus matris. A. C. 1455.

Anno altero apparuerunt Cometes horribiles coloris nigri, una scilicet de mense Januarii in XX. gradu Piscium, & altera die V. Decembris, & XX. die fuerunt terræmotus Neapoli, Salerni, Capuæ, Gajetæ, Anversæ, & Ariani, & alibi in Regno Neapolitano, ibi Ariano fere everso, & etiam Florentiæ, & Volaterris, & in Hetruria cum vehementibus ventis de mense Augusti, ex quibus multæ ædes corruerunt, arboresque exstirpatæ fuerunt, & excitata procella maritima multi perierunt, & mons in Lacum Gardæ die XXIV. Augusti corruit, & in Hetruria, & Romæ, & ad Portum Veneris, pluit sanguis, & in Piceno natus est infantulus insolitæ staturæ, & in Sabinis vitulus biceps de mense Februarii. Et Orpheus de Ricavo Florentinus, Quæstor ærarii Sfortiæ, fuit factus civis Cremonæ, & Orphei, qui olim ibi habitarunt, ab eo denominati fuerunt, & habuerunt originem. A. C. 1456.

Anno sequente fuit Prætor Cremonæ Paulus Amizonus, & inter Cives Cremonæ receptus fuit Joannes de Tolentino, à quo processerunt Tolentini, A. C. 1457.

ni, degentes Mediolani, dum illuc se transtulerit habitatum.

A. C. 1458. Et anno sequuto Calixtus summus Pont. cum intenderet movere bellum Ferdinando, filio Alphonsi Regis Neapolis, asserens ipsius regnum spectare Rom. Ecclesiæ, cum Ferdinandus esset naturalis, die octava, seu xv. Augusti mensis tertii cum dimidio anni quarti sui Pontificatus octuagenarius obiit, & die xix. Æneas Picolomineus Senensis ex Cursignano oppido, patre Silvio, & matre Octavia, & Cardinalis, factus fuit Pontifex Max. & Pius secundus nominatus, qui indixit Concilium Mantuæ, & Venturino de Marnis Episcopo Cremonæ mortuo die xix. Octobris, substituit Bernardum Rubeum Parmensem.

A. C. 1459. Et anno subsequuto, inchoato Concilio Mantuæ profectus Ferrariam die xv. Aprilis, inde illuc accessit, ubi etiam convenerunt multi Prælati ac Principes Christiani, & legati aliorum Principum, & liberarum civitatum Italiæ, & eo Concilio inchoato die xxvi. Maji, & factis multis sessionibus, & per eum nonnullis habitis orationibus, fuit indictum bellum Turcis de mense Junii, ad ipsum constituto duce supremo Francisco Sfortia, & Georgio Castriotta Scanderbecho nominato Vicario suo. Et Bernardus Rubeus, præsul Cremonæ, eam fuit ingressus die xxvi. Novembris Confanoneriis, Zanebonis, & Viscardis, ibi civibus contendentibus pro ejus equo, Paulo Amizono Mediolanense adhuc illic Prætore.

A. C. 1460. Et anno 1460. ex Vico plebis sancti Jacobi diœcesis Cremonensis die xviii. Octobris translata fuerunt Cremonam, & in Ecclesia ibi cathedrali reposita ossa divorum Babillæ, & Simpliciani martyrum, ex quibus Babilla fuit Patriarcha Antiochiæ, & una cum Urbano Præladuro, & Apollonio impuberibus, & Theodosia eorum matre passus fuit martyrium ibi, ex jussu Valeriani Imperatoris, dum voluerit ipsi prohibere ingredi templum illic divinum, & Simplicianus fuit etiam Episcopus, sed non reperi cujus civitatis, & quo tempore fuit martyrio affectus, & quorum ossa asservabantur in arca marmorea in ecclesia ipsius plebis, dicata divo Jacobo Apostolo jam annis circiter tercentum, in eam translata ex jussu Reginæ Mathildis, dum eam, & alias ecclesias, ex diœcesi Cremonense erigi fecerit in Plebes, (ut præfertur) & in territorio Castrileonis diœcesis Cremonensis, etiam erectum fuit monasterium sub tit. B. M. Virg. Beato Amadeo Lusitano, ex Religiosis Ordinis de observantia divi Francisci, procurante cum ædibus pro habitatione Religiosorum ejusque ejusdem Ordinis tunc inchoati. Et Sfortia Placentinos, dum eo infirmato ex infirmitate, qua timebatur de ejus vita, ab ipso defecissent Honofrio Anguissola auctore, transmisso in illos Donato de Comite duce suo copiis, & utrinque inita pugna die v. Martii, & fusis Placentinis, captivatove Anguissola, Mediolanumque transmisso, exsutoque omnibus bonis, redegit ad pristinam sanitatem, & Tibertus Brandolinus intellecta ejus salute sibi mortem conscivit.

A. C. 1461. Altero anno Cremonæ fuit Prætor Benedictus de Curtis Papiensis.

A. C. 1462. Et anno sequente Antonius Melius Cremonensis, Abbas monachorum ecclesiæ S. Laurentii, Ordinis divi Benedicti Cremonæ, ex ejus ordine & sumptu erecta arca marmorea valde elegante in ipsa ecclesia, in ea poni fecit ossa divorum Marii, & Martæ Audifacis, & Abachuc matris, & filiorum, cum reliquiis divorum Urbani summi Pont. & Quirini martyrum, Cremonam conducta ex urbe anno 1131. Lamberto tunc Abbate ejusdem Abbatiæ procurante.

A. C. 1463. Anno sequuto Blanca Maria Vicecomes, uxor Francisci Sfortiæ, dum esset Cremonæ, ibi Præsule Bernardo Rubeo Parmense, Benedicto de Curte

A J. C. Papiense Prætore, Galeatio Castillionæo Mediolanense Referendario, & Bartholomæo de Gadio architecto, in ejus suburbiis, & loco, ubi erat templum in honorem divi Sigismundi, & desponsata fuerat die xxv. Octobris 1441. ad perpetuam memoriam ipsius desponsationis, & honorem, & gloriam omnipotentis Dei, & Sigismundi martyris, qui fuit Rex Burgundionum, jussit eo templo demolito, aliud majus erigi, cum domibus, in quibus habitarent Religiosi Ordinis Heremitarum de observantia divi Hieronymi, & in eo templo die ac nocte celebrarent officia divina consueta, eis assignato congruo redditu annuo, ex redditu datii introitus portarum ipsius civitatis, & pro ædificandis

B ipsis domibus, & ecclesia summa cum magnificentia, ea ecclesia inchoata die Lunæ xx. Junii, per ipsam Blancam projecto primo lapide in ejus fundamenta eo in loco, ubi fuit erectum altare majus, & qui lapis fuit marmoreus, & super eo fuerunt impressæ imagines divorum Hieronymi & Sigismundi, cum insignibus Vicecomitum, & literis denotantibus nomen & cognomen Francisci Sfortiæ, & Blancæ Vicecomitis, & die Jovis xxiii. assistentibus ibi ejus magistratibus, & multis nobilibus, ac popularibus Cremonensibus, per ipsum Præsulem celebrata missa solemni, & dictis hymnis, & orationibus divinis consuetis, in ea ec-

C clesia appositi fuerunt etiam in eis fundamentis alii duo lapides albi marmorei, & scilicet unus versus portam S. Michaelis, super quo fuerunt impressæ etiam imagines eorum divorum cum nominibus & cognominibus ipsorum jugalium, & alter versus portam Moxiæ, in quo impressa fuit imago divi Sigismundi, & penes eum appositæ fuerunt tres ampullæ vitreæ, in quarum una fuit oleum olivarum, in alia aqua, & in alia vinum merum. Et Sfortia ipsius Bartholomæi Gadii insignis architecti mirabili opera usus fuit in faciendis foveis, aggeribus, vallis, machinis, & constructionibus, in bellis, quæ habuit cum Mediola-

D nensibus & Venetis, ut præfertur. Genuenses, dum bello infestarentur per Ferdinandum Regem Neapolis, se subjecerunt Sfortiæ die xiii. Aprilis, Ludovico Gallorum Rege permittente.

Qui anno subsequuto, Bernardo Rubeo Episcopo Cremonæ defuncto substituto Stephano Botichiella Papiense, & Bernardo de Zambellis Parmense Prætore, ei dimisit Savonam, se interponentibus Antonio Nivello penes summum Pont. & Jacobo Papiense, penes Regem Sfortiæ Legatis, & quam ad Albingaunum Sfortia, destinato illuc legato Corrado Foliano ab ibi legato Regis, habuit die prima Februarii, & Genuæ rectorem constituit Pau- A. C. 1464.

E lum Fulgosium; qui dum, cum ibi non se bene haberet, ad querelam Genuensium illuc transmisso Georgio de Ancona coram Sfortia vocatus, ad ipsum ire recusasset, transmisit ad eum reprimendum Gasparem de Vicomercato, & Donatum de Comite acie militum; sed Fulgosius dimissis sibi arcibus, quas habebat, uxori Bartholomæi Fulgosii, illinc abiit, & Gaspar, & Donatus, Spineta Adurno auxiliante, Genuam demptis arcibus in sui potestatem redegerunt, & dum ibi exorto tumultu Gaspar sibi timens illinc abire voluisset, & ibi nobiles ei affuissent, sedato tumultu illic Gaspar factus fuit Dux, & obsessis per eum

F arcibus, in quibus erant Fulgosii, ex pacto eas recepit concesso oppido Novarum, & solutis aureis tredecim millibus uxori Bartholomæi, & mox Genuenses missis Oratoribus Mediolanum ad Sfortiam, se, ac dominium suum ei permiserunt, ac præstiterunt juramentum fidelitatis, orante Baptista de Joanne J. C. Genuense ex ipsis Oratoribus. Fulgosius ingressus Genuam, ibi classem invasit, & commisso prælio inde victus aufugit in

Siciliam, & mox in Corsicam, amissa spe recuperandi patriam suam, Pius summus Pont. missis legatis ac literis ad Reges, & potentatus Christianos pro Turcis bello inferendo, Anconam delatus, ut inde exercitu, quem habebat, & cogere potuerat, in Syriam trajiceret classe Venetorum Christophoro Mauroceno præfecto in Turcas, & qui, dum illuc cum nonnullis Patriciis Venetis trajecturus, conscenso bucentauro suborta procella maritima eo se conferret, prohibitus fuit, & Ravennam redire compulsus, ibi die x. Augusti duodecimi anni sexti sui Pontificatus septuagenarius ex hac vita migravit, omnium doctissimus, literatorum amator, ac religiosissimus, & ecclesiæ optimus defensor, & Petrus Barbo patritius Venetus, patre Nicolao, & matre Polixenna, presbyter Cardinalis tit. S. Marci, die IV. Septembris fuit ei surrogatus, & nominatus Paulus II. Joannes Simoneta scriba à secretis Sfortiæ, & cujus vitam, & præclara ejus gesta in bello & pace eleganti stilo, dum esset Cremonæ in Vico S. Apollinaris, receptus fuit in collegium notariorum ipsius civitatis.

A. C. 1466. Anno 1466. Cremonæ Prætore Alberto Bruscolo Bononiense, Franciscus Sfortia annorum LXVII. & Ducatus sui sexdecim die VIII. Martii, Mediolani ex hac vita migravit, cui successit Galeatius Maria primogenitus suus, qui dum esset in Gallia Transalpina, illuc anno præcedente per patrem transmissus tribus millibus quinque centum pedestribus, & V. centum equestribus in auxilium Ludovici ibi Regis adversus Franciscum Ducem Britaniæ, & multos alios illic proceres, qui instigati per eum Ducem ipsi Regi moverant bellum, inde auditâ morte patris abiit, & dum rediret in Italiam indutus vestibus Antonii Placentini mercatoris, Antonio de Romagnano duce, ei in Sabaudia juxta radices Alpium, & ad oppidum Novacense insidiati fuerunt Augustinus Figinus Abbas, & Joannes Alboinus, ut eum interciperent, & ex humanis tollerent, & Mediolanum appulsus, ibi fuit insignitus insignibus ducalibus, superstitibus etiam ex Francisco & Blanca Vicecomite Jugalibus, Philippo Maria, Duce Baruli, Ludovico, Ascanio Maria, Octaviano, & Hippolyta, ac Elisabeth filiis, & Bartholomæus Petronius, insignis Rhetor Cremonensis, eos docuit litteras grammaticales, & humanitatis. Summus Pont. commendavit Antonio Archidiacono Cremonensi ex scriptoribus Apostolicis Præposituram Ecclesiæ S. Agathæ Cremonæ, cultam per Canonicos regulares divi Augustini, eis illinc dimissis.

A. C. 1468. Anno sequuto, Cremonæ Prætore Joanne Balduino Papiense, Galeatius Maria Sfortia inita societate cum Venetis, ac Rege Neapolis, die VI. Julii duxit uxorem Bonam, filiam Ludovici olim Ducis Sabaudiæ, & mox orta inter ipsum ac Philippum sororium suum controversia, eique indicto bello de mense Septembris, agro Vercellense & toto ejus dominio incursatis copiis suis, ibi grave damnum intulit, & Antonio, & Manfredo Comitibus Corrigiensibus, & Principibus Brixelli movit bellum; stellaque crinita conspecta ad principium Octobris die XXIII. Blanca ejus matre defuncta in oppido Melignani.

A. C. 1469. Et anno subsequuto nupsit Blancam ejus sororem Gulielmo Marchioni Montisferrati, & ex Bona ejus uxore suscepit, dum esset in Abiate Grasso, Joannem Galeatium primogenitum, auctisque ex pluviis frequentibus præter modum fluminibus Galliæ Cisalpinæ, quamplurimi, ab eis superventi, obruti remanserunt.

A. C. 1470. Anno 1470. Prætore Cremonæ Jo. Antonio Eustachio die XXII. Julii, ibi suborto ingenti turbine ventorum cum nimbo, & ex turre ibi altiore evulsis duobus turriculis, & templo divi Dominici ma-

A jori parte tegularum, multisque ædificiis prostratis, arboribus exstirpatis, & domibus ab aquis submersis, per Turcas fuit ex proditione Thomæ Liburni occupata & direpta Chalcis insula maritima, nuncupata *Nigroponti* Venetorum, obsessa per dies XI. classe CCCC. navium, super qua erant centum viginti millia armatorum, commissis cum illis multis præliis ibi per Venetos, Genuenses, & Florentinos, qui illic erant ad præsidium, Paulo Quirino Patricio Veneto rectore, ex illis desideratis quadraginta millibus, & per ipsos occisis omnibus ibi incolis, & militibus præsidii, qui illorum manus effugere nequiverunt, inter quos fuit Cremoninus Cremonensis.

B Galeatius Maria, dum Amedeus Dux Sabaudiæ, & Philippus ejus frater, militantes ad stipendia Venetorum, irrupissent copiis dominium Mediolanense, ejus acie illis occurrens, ipsos repressit, & compulit sibi petere pacem, & quam reddidit ex intercessione ejus uxoris, ac Renatæ sororis uxoris Ludovici Gallorum Regis. Et Brocardus ex familia Cremonense nobilium Comitum de Persico, Vates, & J. C. celeberrimus, obiit Neapoli, dum ibi esset supremus scriba Ferdinandi primi Aragonensis illic Regis, dum antea fuerit ex supremis consultoribus Philippi Mariæ Vicecomitis, & Nicolai Picenini ipsius supremi ducis, & mox Jacobi

C ejus filii, cum quo iverit Neapolim.

Altero anno, Veronæ ex muliere enixo porten- A. C. 1471.
to solo capite, duobus pedibus, totidem faciebus, quatuor brachiis, duobus femoribus, & totidem uteris circa stomachum, & ex alia Brixiæ cane, & alia mustica, & Laudæ supervento grandine crassiori præter modum, ut ex ea grana ponderata reperta fuerint esse libræ unius, dieque XXIV. Januarii stella crinita coloris ignei crinibus longis ac nigris in Occasum directis in principio Libræ, & mox versus Septentrionem per dies XL. & altera coma ignita in Occasum directa, in signo Arietis, conspectis, & die XXV. Martii facto gravi terræmo-

D tu, & vitibus, & plerisque aliis arboribus ex nimio gelu causato, ob frequentes nives & pluvias arefactis, Paulus summus Pontifex, creato Borsio Estense Duce Ferrariæ, obiit apoplexia die XXVI. mensis Julii decimi anni sexti sui Pontificatus, & Franciscus de Rupere, minister generalis Fratrum minorum divi Francisci de observantia, Savonensis, patre nauta, suffragiis Francisci Gonzagæ, & Roderici Borgiæ Hispani, Vicecancellarii Sedis Apostolicæ, & aliorum XVI. Cardinalium die x. Augusti fuit electus summus Pont. & nominatus Sixtus IV. qui approbavit Ordinem Religiosorum, inchoatum per Beatum Amadeum Lusitanum (ut præfer-

E tur) alio inchoato templo cum monasterio, etiam sub tit. B. M. Virg. Mediolani, in quo templo, dum ibi obierit anno 1482. ejus corpus fuit sepultum, & asservatur multa cum reverentia.

Et anno sequente, comete horribili mense Janua- A. C. 1471.
rio viso, creavit Cardinales Petrum Riarium nepotem suum, & ex Religiosis Ordinis Minorum de observantia divi Francisci infimi generis, tit. sancti Sixti, & Julianum alium nepotem tit. sancti Petri in Vincula, una cum Christophoro & Dominico fratribus de Rupere ex Taurino, & Raphaele Savonense affinibus suis, & Ascanio Maria Sfortia, & multis aliis, tunc temporis Andrea Sculptore e-

F gregio Cremonense cognito.

Anno sequuto, Cremonæ Præsule Jacobo Anto- A. C. 1472.
nio della Turre, & Prætore Urso Ariminense, die VII. Maji, ex ingenti terræmotu facto, multa ædificia corruerunt, & ingens penuria viguit, & sævit pestis, & vites ex nimio gelu causato ob nives frequentes, quæ hyeme ceciderint, aruerunt, & Dux Mediolani ægrotavit ad mortem ex morbo variolarum.

Et anno subsequuto, Cremonæ Prætore Ambro- A. C. 1473.
sio de Mirabiliis Mediolanense, desponsavit Blancam

cam Mariam sororem Philiberto Duci Sabaudiæ, & Catherinam filiam Alexandri patrui Hieronymo Riario nepoti summi Pont. cum dote aureorum quadraginta millium, ac Fori Cornelii, Imolæ nuncupatæ, habitæ à Thadeo, & Guidone patre, & filio de Manfredis inter se discordibus anno superiori, eis dato Castro Novo in agro Alexandrino, & nupta Guidoni Fiordelisia filia naturali cum dote Boschi & Gusaghi in eodem agro, & patri assignatis quotannis, quousque vixisset, quatuor millibus aureis, ex nimia aeris siccitate fontes perennes aruerunt.

A. C. 1475. Anno Natalis Dominici 1475. Cremonæ Prætore Philippo Petrasancta Mediolanense, celebrato Romæ Jubileo, Christiernus Rex Daciæ, Sueviæ, Norvegiæ, & Gottiæ die x. Martii Cremonam applicuit, & illinc accessit Romam, ubi annixus est Principes Christianos adversus Turcas unire, de mense Novembris auctis Italiæ fluminibus in immensum ob frequentes pluvias, ibi fuit grave illatum damnum.

A. C. 1476. Altero anno, Cremonæ Prætore Antonio Sicco, Galeatius Maria Dux Mediolani de mense Maji movit bellum episcopo Gebennarum patruo, & inimico Ducis Allobrogum sororii sui. Et Genuensibus sibi confœderatis Ludovico Gonzaga, Gulielmo Montisferrati Marchionibus, Joanne de Vintimillia, Joanne Bentivolio, & Donato del Comite ducibus, multis eorum oppidis direptis, igneque ac ferro eversis, & timens, ne Carolus Dux Burgundionum bello infestaret Sabaudiam, Philiberto ejus Duce cognato suo captivato cum Blanca Maria Sfortiæ sorore, eam ingressus exercitu in fide confirmavit, recuperatis oppidis Sancti Germani, & multis aliis occupatis per Burgundiones, & superventa hyeme illinc abiit reversurus Mediolanum: & stella crinita visa in principio mensis Decembris, & per locustas innumerabiles ingressas Galliam Cisalpinam consumptis ibi quibuscunque humi virentibus, & superventa nive supergressa altitudinem brachiorum duorum in multa copia, & in agro Veronense nato infante bicorporeo, & dum ex Abiate Grasso Mediolanum proficisceretur, duobus corvis sibi occurrentibus, & cum ipsos eum nimis infestantes crocitatu suo voluisset expellere, ejus caput supervolantibus die XXVI. Decembris, & solemnitatis divi Stephani protomartyris, audita legatione Regis Babyloniæ ad eum transmissa, in mane in templo ei divo dicato Mediolani, ibi divinis assistens annorum triginta trium, & dominii undecim, fuit occisus, per Jo. Andream Lampugnanum, in eum indignatum, quia faveret Brando Castillionæo præsuli Novicomii secum litiganti, Hieronymum Olgiatum, Carolum de Magistris, nuncupatum de Vicecomitibus, & Franzonum famulum Lampugnani, ei illatis quindecim vulneribus, superstitibus Joanne Galeatio annorum novem, & Hermete octo filiis, & ex parricidis per Franzonum occiso Francisco Ripa ex stipatoribus Galeatii Mariæ, solo ipsis resistente pro ejus salute, interemptis Lampugnano, & mox Franzono, dum aufugeret, & deinde aliis captivatis, & de eis sumpto ultimo supplicio, & ex quibus Olgiatus fassus fuit se ad id fuisse inductos per Collam de Montanis de Sagio Bononiensem Grammaticæ Professorem.

A. C. 1477. Et anno altero, Cremonæ Prætore Angelo Trovamala Papiense, Jo. Galeatius die VI. Januarii Mediolani fuit insignitus bireto ducali, & Ludovicus, & Sfortia patrui sui ex Gallia Transalpina, in quam relegati fuerant, reversi Mediolanum, inita conspiratione cum Ascanio Maria & Octaviano fratribus, annixi sunt ibi sibi vendicare regimen, & mox auctoribus Legato ibi Apostolico, & Ludovico Gonzaga Principe Mantuæ, inita concordia cum illic rectoribus inde abierunt, & per Suitenses moto bello Duci Mediolani, & statim sedato, Genuenses auctoribus Ibleto, & Jo. Aloysio fratribus de Fliscis ingressis acie Genuam de mense Martii ab

A ipso defecerunt, & Ludovico & Octaviano Sfortiadis, Roberto Severinate, Donato Comite, & Prospero Adurno illuc exercitu duodecim millium equestrium & pedestrium profectis, & die ultima Aprilis, cum illis commisso prælio ad pristinam sanitatem fuerunt compulsi, illinc expulsis Fliscis, eorumque sequacibus, & Jo. Baptista Guarco ex illis mox profecto Genuam acie quatuor millium armatorum, & illuc prope eum cum Sfortiadis congresso prælio, ejusque acie profligata, captivato & ducto Mediolanum, eoque finito bello Ludovicus, & Octavianus, & alii duces illuc reversi, ibi adhuc una cum aliis fratribus auxilio Severinatis & Comitis

B tentarunt sibi vendicare regimen, & re patefacta, & Comite captivato, & ob id tumultu causato, illinc fuerunt per Philippum Mariam relegati, & Severinas aufugit in Galliam Transalpinam ad Ludovicum ibi Regem, & Fliscus fuit captus in itinere, & ductus Mediolanum, & Octavianus, dum inde abiret una cum fratribus, & trajiceret flumen Abduæ ad vicum Spini in agro Laudense, ibi ruralibus illos, ut occiderent, insequentibus in ipso cecidit, & obrutus remansit, & Sfortia ivit Barulum Ducatum suum, Ludovicus Pisas, & Ascanius Perusium, Anna eorum sorore desponsata Alphonso Estensi filio Herculis Ducis Ferrariæ.

C Anno sequuto facta conjuratione in necem Juliani & Laurentii fratrum de Medicis Florentinorum, & Reipub. Florentinæ moderatorum, assentiente summo Pont. in eos indignato per Franciscum Salviatum Cardinalem, & Præsulem Pisarum Bernardum Bandinum, Jacobum de Pogio, & Jo. Baptistam de Satia, & Franciscum, Laurentium, Jacobum, & Renatum fratres de Pazis ex primoribus Florentiæ, & Antonium Volaterranum eorum fratrum de Medicis inimicos, & in mane diei XXVI. Aprilis in æde ibi divæ reparatæ, dum illic adessent divinis, eis assistentibus Salviato & Raphaele Riario nepote summi Pont. & Legato Apostolico, in A. C. 1478.

D Hetruria interceptis per Bandinum, & Franciscum de Pacis, & Volaterranum, & Juliano occiso, & per Volaterranum Laurentio affecto duobus vulneribus, & per illic populares arreptis armis, eis aggressoribus una cum Riario & Salviato, præter Bandinum, captivatis una cum aliis conjuratis, eisque omnibus, præter Riarium Legatum, laqueo suspensis, Bandino autem ex fuga prolapso Byzantium, & per ibi Imperatorem Turcarum tradito Laurentio, ejusque jussu decapitato, & per summum Pont. ob hæc Florentinis interdictis sacris, & in eos percusso fœdere cum Ferdinando Aragoniæ Rege Neapolis, & Senensibus coacto exercitu, ejusque supremo duce constituto Federico Urbinate, moto

E bello, eisque secum conjunctis Ludovico Francorum Rege, ac Ducibus Mediolani, & Ferrariæ, per illos coacto alio exercitu, ejusque supremo duce facto Roberto Malatesta, summo Pontifici, & confœderatis viriliter armis resistentibus, Comete, & multis aliis prodigiis antea in cælo conspectis, & ex peste, & aliis infirmitatibus contagiosis infinitis morientibus: Prosper Adurnus, Dux Genuæ pro Duce Mediolani, ab eo ex instigatione Regis Neapolis defecit, Robertoque Severinate ex Gallia profecto, una cum eo ibi arcem expugnavit, & per Ducem Mediolani in illos destinato exercitu triginta millium equestrium & pedestrium, & utrinque

F die VII. Augusti consertis manibus fuit profligatus, & Ibletus Fliscus ex Mediolano dimissus, & aggressus de mense Septembris ejus aciem Manfredum Landum, ex ducibus Sfortiadis, castrametantem quatuor millibus equestribus & pedestribus in agro Genuense, eum quoque fudit, & cum Adurnus Fliscus & Severinas ærarium divi Georgii diripere tentassent, Genuenses ob id orto tumultu arreptis armis id ipsis prohibuerunt, & Baptistinus Fulgosius con-

conciliatus Flisco die xx. Octobris illinc Adurnum, & Severinatem, aliosque ex eorum factione expulit, & habita arce à fratribus de Burris, eam pro Duce Mediolani tenentibus, ibi factus fuit Dux, ibi sibi dimisso dominio per Mediolani Ducem, & Severinas de mense Decembris obsesso Pontremulo, illinc à Sfortiadis in eum transmissis fuit expulsus, Suitenses ex instigatione summi Pont. ac Ferdinandi superato Carasso monte ad fines Ducatus Mediolani, eum ingressi, & firmatis castris apud Luganum, ipsum prædæ, ferro, & igni exposuerunt, & in illos Federicus Gonzaga, cum Petro Francisco Vicecomite, Jo. Baptista Comite Anguilariæ, & Com. Borello, multis equestrium turmis ad Belinzonam, & Francisco Longimano multa pedestrium manu Desium, & Francisco Bosio classe usque Locarnum pro Duce Mediolani protectis, illinc redierunt domum præter nonnullas cohortes, quæ remanserunt in Valle Telina, & Sfortiadis, qui Belinzonæ ad præsidium erant, in ipsos irrumpentibus facta utrinque pugna profligatæ fuerunt, ex eis occisis septuaginta. Luna die XIII. & Sole XXIX. Julii passis deliquium præter morem, & in agris Brixiense & Mantuano ingenti numero glirium silvestrium exorto, & mox locustarum immensa multitudine ingressa Galliam Cisalpinam, & ibi ab illis & gliribus consumptis fere omnibus fructibus pendentibus, & in tota fere Italia sæviente epidemia, ex qua Venetiis circiter viginti octo millia, & Mantuæ circiter decem & octo millia perierint, Cremonenses ad placandam iram divinam, & pestem avertendam, ex intercessione divi Rocchi confessoris Narbonensis voto ei nuncupato, & ad memoriam ipsius, & honorem omnipotentis Dei, in suburbiis, extra portam Mosiæ, Cremonæ, erigi fecerunt templum cum domibus, in quibus habitarent Religiosi Ordinis Servorum divæ Mariæ, & in eo templo celebrarent officia divina.

A. C. 1479. Anno subsequuto Sfortia Dux Barri, & Ludovicus Sfortiades, instigante Rege Neapolis, secum assumptis in socios Severinate, & Ibleto Flisco, ad principium Februarii turmis equestribus irruperunt agrum Genuensem, & inde de mense Martii publicati hostes Ducis Mediolani progressi sunt in agrum Pisanum, & ex eo, ac locis finitimis multis occupatis, ac facta multa præda, illinc regressi sunt in agrum Genuensem, & ad Serezanam die XVII. Aprilis Hercule Estense Duce Ferrariæ acie militari, quam regebat pro Duce Mediolani, sibi occurrente cum eo pari Marte dimicarunt, & Estensis, & Federicus Gonzaga mox profecti sunt copiis Ducis Mediolani in auxilium Florentinorum adversus summum Pont. & Ludovicus Sfortia, fratre suo defuncto mense Julio non sine veneni suspicione, factus est per Regem Neapolis Dux Barruli, & secum junctis Severinate & Flisco, ex agro Genuense copiis irrumpendo agrum Derthonensem die XXI. Augusti Derthonam, & alia ibi finitima occupavit, & illic arcem ingresso Estense die VII. Septembris, inde profectus Mediolanum, ibi summo cum honore & magno gaudio fuit receptus, ex consilio Antonii Tassi, ex supremis consultoribus ibi Ducis, ad instigationem Petri Pusterlæ captivatis & carceratis Francisco nuncupato Zicco Simoneta Calabro, supremo rectore etiam ibi Ducis, & Antonio filio, & Joanne fratre ipsius, & Orpheo Ricavo Florentino Quæstore, factus fuit Rector Dominii Mediolanensis, & Ascanius Maria, & Severinas ab exsilio revocati fuerunt, & ex eo Orpheo, cum ejus descendentes se contulerint Cremonam, & ibi firmarint sedes suas, familia nuncupata Orphea processit.

A. C. 1480. Anno redemptionis humani generis 1480. pace per summum Pont. ac Regem Neapolis inita cum Florentinis, & Laurentio Medicæo, eorum moderatore profecto anno præcedente Neapolim ad ipsum Regem ex Florentia, ac Duce Mediolani die XXIV. Martii, & ad finem mensis Aprilis per summum Pont. ea postposita, inito fœdere cum Venetis, & per Mediolanensem Ducem die XXI. Maji cum Suitensibus, per eum, ac Regem Neapolis, summo Pont. ac Venetis, & Florentinis indicto bello, & per eos constituto duce supremo Severinate, motis armis in Constantem Pisauri Regulum, Ascanius Maria Sfortia Cardinalis, & Legatus Apostolicus fuit relegatus Ferrariam cum multis aliis, & Ludovicus frater suus desponsavit Beatricem Estensem, filiam ibi Ducis, annorum octo, & Philippus alius frater duxit uxorem Joannam filiam Principis Salerni, & Ambrosius Longimanus, præfectus arcis Mediolani, pedestribus mille, & Joannes Petrus de Carminate de Bergamino equestribus quatuor centum pro Duce Mediolani transiverunt ad opem Mariæ Atendulæ adversus Genuenses, eam bello infestantes. Hieronymus Mutius, seu Mutianus, ex Religiosis Ordinis de observantia divi Hieronymi, Cremonensis cognitus fuit, ob ejus doctrinam & bonitatem.

Et anno altero, Bona Maria relicta Galeatii Mariæ Ducis Mediolani, ibi arcis Præfecto facto Gabriele Taina, exauctorato Philippo Galiono, ob id indignata illinc abiit profectura in Galliam Transalpinam, & dum provenisset ad municipium Abiati Grassi Ludovicus Sfortia patruus, & rector Ducis Mediolani, ibi eam teneri jussit; Baptista de Sacchis ex Vico Platinæ agri Cremonensis, & ab eo nuncupato Platina, excellente Historiographo, & qui scripsit Vitas summorum Pont. & multa alia opera, Romæ ex epidemia mortuo. A. C. 1481.

Et anno sequente conscriptis quatuor millibus equestribus, & bis millibus pedestribus, de mense Januarii, eorumque parte destinata in auxilium Ducis Allobrogum adversus Præsules Zambræ Millavensium, & Taurini, qui occupatis Vercellis, decreverant eum ex Ducatu expellere, & captivato Præsule Taurini, aliis aufugientibus, Duci illum conservavit, & per eum Roberto Severinate coram se vocato, & dum comparere recusasset, declarato rebelle, in illum destinavit Constantem Sfortiam Regulum Pisauri reliquis copiis, & per eum Ibleto Flisco nonnullis copiis Ligurum sibi occurrente ad opem Severinatis, prælio utrinque commisso profligato, & Severinate fugato, & cum fuisset diffisus viribus suis aufugiente Genuam, & illinc per mare in Hetruriam Senas. Et accersito etiam coram se Petro Maria Rubeo, & cum ipse veritus Jo. Franciscum Pallavicinum æmulum suum, ex supremis & intimis consultoribus ducalibus, eum accedere negasset, declarato hoste, adversus eum, quem Veneti, ad quos confugerat, receperant in sui protectionem, transmisit Constantem exercitu, quo obsedit oppidum sancti Secundi dominii Rubei in agro Parmense, & Constante illinc abeunte die x. Maji Jo. Jacobum Trivultium, & Jo. Petrum Bergaminum, & die XVII. Augusti Bonifacium ex Marchionibus Montisferrati equestribus MCC. & pedestribus D. & deinde Thomam ex Marchionibus Salassorum, qui obiit in hac expeditione ex ictu pillulæ archebusii in eum emissæ, ipsumque exsuit XVII. oppidis, eoque defuncto Beltrandum unum ex filiis suis, tenentem quinque oppida, die II. Septembris, & postea Guidonem alium filium obsessum in oppido sancti Secundi, & ibi ad præsidium habentem DC. equestres, & totidem pedestres, die XIII. diffisos viribus suis se ipsi permittentes suscepit in sui gratiam, eidem per Guidonem dato obside ad servandum erga ipsum fidem filio suo. Et cum Jacobus alius filius Petri Mariæ per Venetos, ad quos confugerit, receptus in sui protectionem, noluerit se ei permittere, & Guido Taurellus militans ad stipendium Venetorum sibi assisteret, in eos copiis destinatis Trivultio Duce, & per eum obsesso Jacobo in oppido Turris claræ, & Taurello in oppido Fellini, illos rede-

redegit ad pristinam sanitatem. Orta discordia in-
ter Venetos ac Ducem Ferrariæ ob limites eorum
dominii, & Salinas Comacli possessas per Ducem,
& quas Veneti sibi spectare pertinebant, summus
Pont. adhæsit una cum Senensibus, & Genuensi-
bus, Venetis, Ducemque anathematizavit; & cum
Rex Neapolis, & Dux Mediolani, & Florentini Du-
ci adhæsissent, & coacto exercitu per Venetos, du-
cibus Uberto Malatesta, & Severinate, & legato An-
tonio Lauretano, indictoque Duci bello die XVI. Maji
Federicus Urbinas constitutus dux supremus Ducis
Ferrariæ, & alii ejus duces, & belli consultores cum
Ludovico Sfortia Cremonæ habuerunt comitia de
modo resistendi Venetis, Duxque Mediolani in au-
xilium Ducis Ferrariæ destinavit octo millia, &
DCCC. equestrium, & octo millia pedestrium sub Urbi-
nate, Federico Gonzaga Principe Mantuæ, & Gu-
lielmo Montisferrati, & Urbinate etiam die X. Se-
ptembris mortuo, ei suffectus fuit ad bellum Ferra-
riense Constans Pisauri Regulus, cognatus suus.
A. C. 1483. Et summus Pont. ejus copiis, Tifernum obsiden-
tibus, per Nicolaum Vitellium profligatis, indigna-
tus in Columnenses, timens ne adversus eum coge-
retur Synodus generalis, dimissis Venetis, & sibi per
Regem Neapolis promisso feudo solito pendi pro e-
jus regno, ipsum cum Florentinis ac Columnensibus
recepit in sui gratiam, & cum ipsis ac Duce Medio-
lani de mense Januarii fœdus percussit in Venetos,
gravius prementes Ferrariam, ad cujus præsidium
erant equestrium quatuor millia, & pedestrium tria
millia, & Dux Calabriæ transmissis D. equestribus,
& MD. pedestribus Ferrariam, ad ibi præsidium, de
mense Februarii Cremonam accessit, & ibi Præto-
re Ambrosio de Mirabiliis Mediolanense, illic ha-
buit comitia cum Carolo Gonzaga Legato summi
Pont. ac Legatis Regis Neapolis, Ascanio Maria,
& Ludovico Sforciadis, Bonifacio Palæologo Le-
gato Gulielmi ejus fratris, Laurentio Medicæo,
& aliis Legatis Florentinorum, Joanne Bentivolio
Bononiense Legato Ducis Ferrariæ ibi conventis,
de bello in Venetos prosequendo ad opem Ducis
Ferrariæ, ad quod elegerunt supremum ducem Fe-
dericum Gonzagam Marchionem Mantuæ, rursus-
que ibi habitis comitiis per eos factus fuit dux su-
premus Alphonsus Dux Calaber, qui illinc D. eque-
stribus, & totidem pedestribus die XXII. Junii trans-
ivit in Severinatem, ejus copiis diripientem agrum
Mediolanensem, & castra firmavit ad Modœtiam,
& in ecclesia & domibus divi Hilarii monasterium
pro usu Religiosorum Ordinis Jesuatorum erectum
fuit.
A. C. 1484. Anno subsequuto, Cremonæ Prætore Petro Lan-
driano Mediolanense, die XXI. Januarii Mediolani
aliis habitis comitiis per Galeatium Mariam ibi Du-
cem, & Ascanium Mariam, & Ludovicum patruos,
& rectores suos, Alphonsum Aragonensem, Fran-
ciscum Tolentinatem Legatum summi Pont. Lau-
rentium Medicæum Florentinorum, Joannem Ben-
tivolium Bononiensem, Franciscum Siccum Mar-
chionem Mantuæ, Principem Salassorum, Mar-
chionem Montisferrati, Legatos, & alios consul-
tores rei bellicæ, ratione gerendi ipsum bellum, &
etiam aliis, ad quæ etiam intervenerint Philippus
Eustachius ibi arcis Præfectus, & Antonius Marlia-
nus die XXIV. Aprilis, quibus decretum fuit bellum
ipsum prosequi, & Duce Calabro Cremonam pro-
fecto die VII. Augusti, & anno tertio ipsius belli
post multa prælia inter exercitus Venetorum, &
Ducis Ferrariæ, facta, & clades sibi invicem infli-
ctas, cædes patratas, rapinas commissas, ac damna
illata in eorum dominio, ac Insubriæ, inter Vene-
tos, ac Ferrariæ, & Mediolani Duces, apud Bri-
xiam die VII. Augusti auctore Ludovico Sfortia, fa-
cta fuit pax invitis summo Pont. & aliis confœde-
ratis, utrinque, quæ occuparant, restitutis, præter

A Insulam Rhodigii per Estensem Venetis dimissam,
& Dux Calaber die XXV. Septembris, hac pace se-
quuta, ex Gallia Cisalpina domum rediit, & cu-
jus fuit scriba à secretis Leonardus Botta, nobilis
Cremonensis, Vir eximiæ doctrinæ. Et summus
Pont. ejus copiis, Tifernum adhuc obsidentibus,
per Nicolaum Vitellium profligatis, indignatus in
Columnenses, qui Ursinis repetentibus Taliacotium
sibi per Regem Neapolis ademptum, & concessum
Columnensibus, illud recusassent restituere, Lau-
rentio Columna protonotario captivato, & decapi-
tato, Vitellium, quo eos possit reprimere, recepit
in sui gratiam, & constituit ducem supremum, &
B die XXII. Maji Columnensibus, inter eos & Ursinos
commisso prælio fusis, jussit eorum domos Romæ
ac dominium diripi, ipsoque illos exsui, & die XIV.
Augusti, & anno XIII. sui Pontificatus, ex hac vi-
ta migravit, eique die IV. Septembris fuit surroga-
tus Jo. Baptista Cibo Genuensis, mediocris gene-
ris, patre Azone, Presbyter Cardinalis, & Inno-
centius VIII. nominatus.
Et anno 1485. Cremonæ Joanne Antonio della A. C.
Turre Episcopo mortuo, & ibi Alberto Bruzulo 1485.
Prætore, & Renato Trivultio rectore, ei substi-
tuit Ascanium Mariam Sfortiam diaconum Cardina-
lem tit. sancti Viti in macello, & Legatum Apo-
C stolicum Bononiæ, & Joannes de Cavalcabobus ex
descendentibus eorum, qui dominati fuerunt Cre-
monæ, & fuerunt Marchiones Vitellianæ, Vero-
nicam unicam filiam suam nupsit ei Renato ex pri-
moribus Mediolanensibus, sibi datis in dotem o-
mnibus bonis, quæ Cremonæ, & in ejus agro ha-
buit. Et Joannes Galeatius, Dux Mediolani, Joan-
ni Matthæo filio Hunniadis Regis Pannoniæ anno-
rum XIV. interventu Francisci Fontanæ Brixiensis
Legati sui penes Regem, nupsit Blancam Mariam
Sfortiam, dum Justinianus Cavitellius, filius Nico-
lai J. C. ex Guidutia della Cella, propatruus meus,
& J. C. & Eques, esset Præses Senatus excelsi i-
D psius Regis, & nec multo post, cum obierit apud
Belgradum in Pannonia inferiori, ejus corpus ibi
sepultum fuit. Orto bello inter summum Pont. &
Ferdinandum Regem Neapolis, dum ab eo, aucto-
re summo Pont. defecissent Pyrrus Bautius Altemu-
ræ, Antonellus Salerni, & Hieronymus Bassigna-
næ Principes, & alii septem Proceres Neapolitani,
ob aucta per ipsum eo in Regno suo vectigalia, &
Ferdinandus in illos, ac summum Pont. percussisset
fœdus cum Duce Mediolani, ac Florentinis, Dux
ipse in auxilium Ferdinandi ex dominio Mediolani
in regnum ipsum destinavit D. equestres. In Italia,
Gallia, ac Britannia, ac toto fere orbe sæviente peste.
E Et anno proximo ea durante, Ludovicus patruus, A. C.
& Rector suus die XXII. Aprilis, alios DC. sub Jo. 1486.
Jacobo Trivultio, & mox alios mille, cum bis mil-
libus pedestribus, & deinde alios D. sub Marsilio
Taurello ejus ducibus, & ope eorum Ferdinandus,
& aliorum MD. equestrium, sibi etiam in auxilium
transmissorum per Florentinos, ac Virginii, & a-
liorum Ursinorum inimicorum summi Pont. inter
ejus exercitum, Alphonso Duce Calabro filio suo
illum regente, & ingressum Latium, eo direpto,
ac pontificium, & rebellium Roberto Severinate
duce suo, consertis manibus, eo profligato, & per
summum Pont. dum Renatus Rex Lotharingiæ in
F ejus auxilium requisitus copiis se accingeret die XI.
Augusti, auctoribus Legatis Regis Hispaniæ, Lu-
dovico Sfortia, & Laurentio Medicæo, inita fuit
pax cum Ferdinando, eo recepto in sui gratiam, &
facta sibi promissione solvendi Rom. Ecclesiæ feu-
dum ei solvi consuetum pro Regno Neapolitano per
ejus præcessores, & ejus rebellibus, modo deposi-
tis armis per eos se ei subjecissent, dandi veniam, &
Renatus Trivultius, gener Marchionis Joannis de
Cavalcabobus, fuit creatus civis Cremonæ.

A. C. 1487. Anno sequente Ludovicus Sfortia, requisito sibi auxilio per summum Pont. in Bocalinum Guzzonum Principem Auxumi, qui defecisset ad Turcas, ad eum reprimendum transmisit ad ipsius opem equestres mille sub Jo. Jacobo Trivultio, & per copias Pontificias eorum ope cum Guzzono, & ejus copiis factis multis præliis, Guzzonus ipse cum Auximo se permisit summo Pont. & Ludovicus Sfortia Sedunenses, dum ad finem Februarii egressi limites suos Bornium, ac nonnulla oppida Vallis Tellinæ occupassent, diripuissentque, in illos copiis profectus die XIV. Martii, illinc territos repetere regionem suam compulit. Et dum ad principium Aprilis eorum episcopo Valesiæ nuncupato ducto sex mille Suitenses ac Rhæti, occupatis vallibus Vigetii, & Andricola direpta Ducatus Mediolanensis, & ad præsidium ibi, & Domi parte eorum dimissa, progressi in Ducatum ipsum, inde prædam abigerent, & ibi incendia & cædes committerent, in illos transmissis equestribus MCC. & bis millibus pedestribus sub Renato Trivultio, Giberto Borromæo, Jo. Petro Bergamino, & Cottino de Cottis, & per eos cum illis inita pugna die XXVIII. eisque superatis, ex ipsis occisis circiter mille, illos repressit. Et Joannes Episcopus Varradinus, Legatus Regis Pannoniæ, & ex suis primis Consultoribus, CL. equestribus die XVI. Novembris Mediolanum applicuit, & ibi uti mandatarius Jo. Matthæi Ducis Oppamiæ, & Comitis Biriatini, & filii Regis Pannoniæ, desponsavit Blancam Mariam amitam Ducis Mediolani Joanni Matthæo promissam uxorem (ut præfertur) Joanne Francisco Marliano orationem nuptialem habente. Joannes Balistarius, præceptor Blondi Flavii Forilivienfis Historiographi insignis, Rhetor Cremonensis vixit.

A. C. 1488. Anno sequuto, Cremonæ Prætore Signarolo Homodeo Mediolanense, ibi, ac Mantuæ ex turbine ac vehemente vento tegulæ è domibus projectæ, earumque parietes ac cacumina turrium dejecta fuerunt, Genuenses, dum Ibleto Flisco & Baptistino Fulgosio noctu ingressis hostiliter Genuam die VI. Augusti, Paulus Fulgosius Cardinalis, & ibi præsul, se recepisset in ibi arcem, & per Ducem Mediolani, ad ejus subsidium destinato copiis Joanne Francisco Severinate, Ibletus die XIII. Septembris adhæsisset Vicecomiti, & secum conjunctis Adurnis, & Spinulis, & aliis Genuensibus primoribus, captivato Baptistino sibi resistente, se cum Genua, ejusque dominio supposuerunt Duci Mediolani, & per eos ac Severinatem obsessa arce, in qua erat Paulus, die XV. eoque diffiso viribus suis, ipsam egresso, ibi dimisso Baptistino nuncupato Fulgosio filio, & profecto Romam, & per Baptistinum ea Genuensibus dimissa, per ipsos sibi concessa Savona die ultima Octobris transmissis Mediolanum die II. Novembris sexdecim legatis, & ibi habitis orationibus coram Duce ac ejus consultoribus per Franciscum Sophiam, & Joannem Marinum J. C. ex eis legatis, & sibi dato responso per Jo. Franciscum Marlianum ex consultoribus ducalibus, Duci ipsi præstiterunt juramentum fidelitatis, qui Genuæ constituit gubernatorem Augustinum Adurnum.

A. C. 1489. Anno subsequuto Isabella Aragonensis, filia Alphonsi Ducis Calabriæ, desponsata Jo. Galeatio Duci Mediolani, ex Neapoli mari Genuam ducta per Hermetem Sfortiam, Simonem Belpratum, Regis Neapolis ejus avi Legatum, die prima Februarii ingressa fuit Mediolanum magna cum pompa & lætitia, eam comitantibus Hercule Estense filio Ducis Ferrariæ, Annibale Bentivolio filio Joannis, Petro Medicæo filio Laurentii, ac Legatis Regis Pannoniæ, & aliorum Principum Italiæ, & die sequente desponsata, Joanne Borromæo, & Joanne Francisco Pallavicino ex consultoribus ducalibus inter alios assistentibus. Et Ludovicus Sfortia die IV. Decem-

A bris ibi carceratis Aloysio Terzagho à Secretis ibi Ducis, ac Philippo Eustachio ejus sororio, arcis Mediolani præfecto, insimulatis, quod prodere vellent illic dominium Maximiliano Cæsari, & arcis constitutis Præfectis Guentio Novariense ejus domus magistro, Christophoro Bencardo olim clitellarum artifice, ac Bernardino de Curte Papiense puerilis ætatis ejus armigero, ac Jacobo ejus fratre, supremis ducibus suorum militum, & Joanna Blanca filia naturali legitimata, desponsata Galeatio Severinati cum dote Vigleriæ, sibi ipsi dominium vendicavit. Æstate frequentibus imbribus cadentibus fructus in agris attriti fuerunt, arbores exstirpatæ, tecta

B prostrata, & multa animantia interempta.

Anno 1490. Augustino Olgiato J. C. adhuc Cremonæ Prætore, die II. Junii inter Abduam & Ticinum flumina grandine grandiori præter solitum, quæ cecidit, cum multis tonitribus ac fulguribus, fruges ibi pendentes attritæ fuerunt, & infiniti mortales cum animantibus percussi perierunt, & die V. Octobris cecidit pruina, qua vites aruerunt. A. C. 1490.

Altero anno ad principium Januarii conspecta stella crinita cum cauda alba, fuit dura hyems, & grave frigus, quo fere omnia flumina glacie concreta fuerunt. Et die XXIII. Maji ad Ripam altam Glatiæ Serrii agri Cremonensis è cœlo cecidit lapis sulphu- A. C. 1491.

C reus coloris nigri, & viguerunt terræmotus, ex quibus ad finem Octobris in Insula Choos corruerunt tria loca, & circiter quinque millia ab ibi ædificiis oppressi perierunt. Ludovicus Sfortia ex Ferraria Mediolanum traducta Beatrice uxore sua die XXI. Januarii, die XXIII. nupsit Alphonso Estensi cognato suo Annam ejus neptem, & sororem Jo. Galeatii Ducis Mediolani, & per eum suscepto Francisco primogenito ex Isabella uxore die Lunæ XXX. inter horam XII. & XIII. Et ad sublevandam inopiam pauperum in ædibus hospitalis magni Cremonæ erectus fuit mons Pietatis.

Anno sequente Innocentius summus Pont. die XXII. A. C. 1492.

D Julii anni octavi sui Pontificatus sexagenarius obiit, & illinc ad XX. dies, Rodericus Hispanus ex Borgia familia Cardinalis, & Vicecancellarius Apostolicus, suffragiis præsertim Ascanii Mariæ Sfortiæ fuit surrogatus, & nominatus Alexander VI. qui Ascanium Mariam Sfortiam constituit loco sui Vicecancellarium.

Anno sequuto Federicus Imperator die II. Augusti anni XXXVII. Imperii, & XLVII. Regni sui nonagenarius obiit ex dolore stomachi, & fluxu corporis, apud oppidum Litisium, Christophoro, Maximiliano, Joanne, Helena, & Cugundi nupta Alberto Bavariæ Duci, filiis susceptis ex Eleonora fi- A. C. 1493.

E lia Odoardi, Lusitaniæ Regis, & ejus cadaver sepultum fuit Viennæ, & Maximilianus perseveravit in Imperio, & duxit uxorem Blancam Mariam Sfortiam sororem Ludovici, & R. Joannis Matthæi Hunniadis cum dote aureorum tercentum quadraginta millium, Joanne Bontempo ejus Legato, ac Erasmo Bruscha Sfortiæ procurantibus. Et Ludovicus Sfortia requisitus per Alphonsum Aragonensem Ducem Calabriæ ad dimittendum dominium Mediolani, quod occuparat, Joanni Galeatio genero suo domino legitimo transmisso Balbiano Comite Belzoiosi, ac sum. Pont. destinatis legatis in Galliam ad Carolum ibi Regem, & Julianus de Rupere Car-

F dinalis illuc ad eum profectus, ipsum instigarunt, ut sibi vendicaret bello regnum Neapolitanum, olim dimissum Ludovico ejus patri per Carolum nepotem Renati Andegavensis, illinc expulsis Ferdinando patre Alphonsi, eoque Alphonso, ac Federico fratre suo illud occupantibus: aquis Padi, & Athesis, & aliorum fluminum Galliæ Cisalpinæ præter modum & morem auctis, & per eas gravi illato damno finitimis, & tribus solibus lugubribus in Apulia conspectis, ac sole die X. Octobris passo deliquium,

& tonitribus valde strepentibus, & fulguribus coruscantibus, & in agro Aretino visis in aere turmis equestribus, & cohortibus pedestribus, auditoque clangore tubarum, sonitu tympanorum, & in diversis partibus Italiæ multis imaginibus & statuis visis sudorem emittere, & multis aliis prodigiis.

A. C. 1494. Anno subsequuto Carolus ipse post multa comitia habita cum suis proceribus, quibus decreverit bello sibi vendicare regnum Neapolitanum, facta pace cum Regibus Angliæ & Hispaniæ, ac inita concordia cum Maximiliano Cæsare, præmisso Ludovico Duce Aurelianense sororio suo cum copiis Genuam, ubi Gaspar & Antonius Maria Severinates erant aliis copiis illuc ad ibi præsidium destinati per Sfortiam, & illinc per ipsum & Severinates expulsis Federico Aragonense, filio Ferdinandi Regis Neapolis defuncti ex apoplexia de mense Januarii, ex Neapoli classe profecto in Liguriam, & Paulo Fulgosio, Ibleto Flisco, & Adurnis Genuensibus, & Rolandino, & Aloysio de Rampallo secum conjunctis, & per illos obsesso Rampallo, & occupato Portu Veneris, & concursato, & direpto agro Genuæ, & tentata ejus occupatione, secum per ipsos eorum milites, Gallos, & Italos ope Rapalli accolarum, & Jacobi Bauli ibi Ducis ad præsidium, commisso prælio die IV. Julii multa cæde fusis, & ex ipsis captivatis Fulgosio, Rolandino, & Paulo Ursino, descendit ex Gallia Transalpina in Italiam exercitu viginti quinque millium equestrium, & pedestrium, & die IX. Septembris applicuit Astam, & illinc recuperata valitudine, qua ibi per aliquot dies oppressus fuit, accessit Papiam, & ibi visitato Joanne Galeatio Sfortia ægroto, & Alphonso, percusso per eum fœdere cum summo Pont. Progresso in Latium exercitu, & Ferdinando ejus filio progresso copiis suis, & auxiliaribus summi Pont. & Florentinorum multis ducibus impigerrimis in Flaminiam ad impediendum iter Gallorum in regnum Neapolitanum, & ut sibi data occasione irrumperet dominium Mediolani, & ibi Sfortia bello infestaret, & in illos facto transitu per Embrandum Stuardum cognominatum Obegninum Scottum parte exercitus Gallici, & Jo. Franciscum Severinatem cognominatum Frachassium, ejus copiis illinc pedem referente una cum Alphonso in regnum Neapolitanum, progressus ex Papia Pisas, & Florentiam, & ibi incolis restitutis libertati, & per Gallos, & Columnenses conductos ad sui stipendium Ascanio Maria Sfortia procurante progressos in Latium, & ibi ad flumen Sarni eis Latium diripientibus occurrente exercitu Alphonso, & utrinque facto prælio fuso, & viribus suis diffiso, dimisso regno Ferdinando filio annorum XXIV. conscensis triremibus profecto in Siciliam, Romam, eam ingressus fuit die XXX. Decembris exercitu quadraginta millium pedestrium, & equestrium; & durante hyeme viguit aeris serenitas, & nec pluit, nec ninxit, & in agro Cremonense, & circumvicinis agris pluit mel silvestre, vulgo nuncupatum *manna*, occidentibus Vergiliis ob aeris serenitatem & siccitatem, & collectum fuit ex frondibus arborum. Et Jo. Galeatius Sfortia die XX. Octobris obiit, superstitibus Francisco annorum quatuor, & Bona Maria filiis, & Ludovico patruo suo, sibi concesso in feudum dominio Mediolani per Maximilianum Cæsarem die V. Septembris, Erasmo Bruscha pro eo penes ipsum procurante, inchoata fuit confraternitas Cremonæ sub tit. Christi ad Columnam flagellati sibi concesso perpetuo sacello in parochia ibi divorum Viti & Modesti, constructo ad honorem divorum Gervasii & Prothasii martyrum, cum ejus domibus per D. Canonicos Ecclesiæ illic Cathedralis ac Capellanum altaris divi Hymerii in ea constructi, & ibi sibi electo oratorio, dum forent ex disciplinis Christi resurgentis, eosque dimisissent, sibi assumpto indusio telæ coloris cœrulei ab eorum capite usque ad tibias cum signaculo Crucis insuto ad ejus latus dextrum.

Anno Redemptionis humani generis 1495. Cremonæ Prætore Ilario de Gentilibus Derthonense, A. C. 1495. Dux Aurelianensium una cum Ludovico Salassorum Marchione profectus Novariam alio exercitu eam sibi proditam per Manfredum Torniellum, & Joannem Caciam cognominatum Piceninum, & Obicinum Nigrum, dum Sfortia sibi tentasset subjicere Astam, occupavit die X. Januarii. Et Carolus percusso fœdere cum summo Pont. & per eum sibi dato obside Joanne ejus filio Cardinale, ex urbe abiit die XXVI. & parte exercitus ingressus viam Latinam, altera data Antonello Sabello, qua transivit per Sabinos Terracina, Carpineta, & pluribus aliis oppidis ex Latio ibi ecclesiæ Rom. occupatis, direptisque, combustisve, & Jacobo Fundorum Comite ex dominio suo expulso, illinc ivit in Brutios, & inde ad oppidum sancti Germani, & illic sibi occurrente Ferdinando tribus millibus equestribus, quinque centum velitibus, & sex millibus pedestribus, inde levi prælio repulso profectus Capuam, eaque sibi dimissa per Joannem Jacobum Trivultium ex ducibus Ferdinandi properavit Neapolim, & illinc Ferdinando aufugiente XXII. triremibus in Insulam Ischiæ, & inde in Siciliam, ingressus eam die XXVI. Februarii spatio dierum XIII. summa felicitate totum regnum ipsum sibi vendicavit, & per summum Pont. omisso fœdere Regis, percusso in eum alio cum Maximiliano Cæsare, Ferdinando Rege Hispaniæ, Venetis, Sfortia, Duce Ferrariæ, Marchione Mantuæ, & aliis potentatibus Italiæ, dum timerent Caroli potentiam ibi nimis augeri, coactoque exercitu quinquaginta millium equestrium, & pedestrium, & ejus supremo duce constituto Marchione Mantuæ, & per Regem Hispaniarum illinc in Siciliam ad ejus præsidium destinata classe munita quinque millibus pedestribus, & sex centum equestribus Fernando Ægidario Cordubense Gundisaldo nuncupato rectore, & per Sfortiadas obsessa Asta. Carolus his intellectis, dimissis ad præsidium regni Neapolitani Duce Borboni una cum Obegnino, & Prasildo Alegriæ fratre de Stuardis Scottis, parte exercitus illinc abiit die XX. Maji octo millibus pedestribus, & quatuor millibus equestribus, rediturus in Galliam Transalpinam, & dimissis præsidiis Florentiæ, Senis, ac Pisis, & tribus millibus Suitensibus, & aliis copiis sub Camillo & Paulo fratribus Vitelliis, conductis ad sui stipendium, transmissis adversus Genuenses, & cum die sexta Junii ad Vicum Gerolæ agri Parmensis prope Tarrum sibi occurrisset Marchio Mantuæ, supremus dux summi Pont. ac confœderatorum cum legatis apud eum Venetis, ac multis Regulis, proceribus, ductoribus, & Tribunis militum exercitu, & per Carolum ab eis petito libero reddditu, & per ipsos denegato, nisi sibi dimissis Hostia ac Novaria, per eum occupatis, & ex consilio & stratagemate Jo. Jacobi Trivultii, qui erat cum Carolo, præmissis impedimentis regiis, ac sui exercitus multi valoris, & dum diriperentur per Sfortianos, à Gallis, & cum illis facto conflictu, & supervento imbre cum turbine, quo impeditum fuit prælium die XIII. Julii progressus fuit victricibus armis in Galliam Subalpinam amissis impedimentis, & desideratis ex suis bis millibus, multis Regulis, ac Proceribus, nobilibus, ductoribus, ac tribunis tum occisis, tum captivatis, & ex Pontificiis, & confœderatis quatuor millibus ex humanis sublatis, etiam cum multis ex illorum Proceribus, nobilibus, ac ductoribus, & tribunis, inter quos fuit Braceschus Cremonensis Tribunus, seu ex utroque exercitu decem millibus, & ivit Astam.

Et Sforciades quatuor millia equestrium, tria millia velitum, & quinque millium pedestrium, Joanne Francisco Severinate duce, secum conjunctis mille

mille Suitensibus, & supervento exercitu Venetorum septem millium equestrium, & pedestrium sub Jo. Paulo Manfronæ, obsederunt Novariam à Gallis occupatam, eorum Rege admonito per summum Pont. ut sub pœna anathematis eam ac Regnum Neapolitanum dimitteret eorum dominis pristinis, & exercitus, quos ibi & in Gallia Subalpina haberet, illinc intra decendium revocaret, & si quid juris in regno Neapolitano ac Novaria prætenderet, juridice ageret, & dum haberet in armis exercitum triginta millium pedestrium, & mille octo centum equestrium, quibus intendebat opem & annonam ferre Novariæ, ac Duci Aurelianensi, ejusque militibus ipsam tuentibus fame oppressis, & esset concursurus cum Sfortiadis eam obsidentibus, inivit die VII. Septembris, interventu Bernardini Vicecomitis, Petri Gallarati, & Hieronymi Stanghæ Cremonensis, cum Sfortia pacem, eique jussit dimitti Novariam per Ducem Aurelianensium, sibi solutis per Sfortiam aureis quinquaginta millibus pro stipendio militum, quos habuerat ad ejus præsidium, postquam ipsam occuparat. Et Regi per Genuenses dimissa classe ab eis Genuæ, & apud Rapallum occupata, & per illorum exsules dimissis etiam quibuscunque ab eis sibi occupatis; & per Sfortiam revocatis ejus ac Genuensium copiis una cum Francisco Severinate earum duce ex Pisis, eisque permissis per Florentinos recuperari, & arce Genuæ dimissa per biennium penes Ducem Ferrariæ, & quod liceret Carolo parare ac habere Genuæ quamcunque classem absque damno Sfortiæ, qui etiam teneretur parare duo navigia, illinc cum aliis quatuor transmittenda Neapolim in Aragonenses, & anno proximo alia tria, ac concedere copiis militaribus Caroli illuc proficiscentibus ad ejus auxilium, transitum tutum ac liberum per dominium Mediolani, modo illac non transirent in unum ultra CC. equestres, & ubi Carolus illuc ivisset, eum comitari nonnullis turmis, & Jo. Jacobum Trivultium recipere in sui gratiam, eisque restituere omnia bona, quibus eum exsuerat, ac deberent utrinque dimitti captivi, & per Regem restitui Sfortiæ centum viginti millia aureorum ex ducentum millibus olim sibi per illum mutuatis, & per Venetos, ubi hoc fœdus intra bimestre approbassent, revocata ex Regno Neapolitano classe, quam ibi habebant, sin minus, ubi Carolus eis movisset bellum, quod ad id Sfortia secum esset exercitu, & cui deberent dimitti quæcunque ex eorum dominio vindicata fuissent, & Sfortia de his observandis per eum datis Carolo obsidibus die XXIV. Septembris ingressus fuit Novariam. Die XVII. Augusti supervento nimbo vehementi cum fulguribus ac tonitribus, ex pinnaculo turris altioris Cremonæ cecidit pila super foro ibi majori, quamplurimæ arbores proceræ fuerunt in agris exstirpatæ, & super arcem Mediolani per multos dies fuit visa flamma ignea in aere, Templum divæ Agathæ Cremonæ procurante Antonio Archidiacono ejus præposito fuit sacratum, ibi constitutis per eum duobus Canonicis sæcularibus loco Regularium olim eam tenentibus: & Bernardinus Feltrensis ex Religiosis Ordinis Minorum Conventualium divi Francisci illic fuit concionatus.

A. C. 1496. Anno proximo summus Pont. cum Maximiliano Cæsare, Regibus Hispaniæ, Angliæ, Venetis, ac Sfortia prorogavit fœdus per annos viginti, Nicolao Ursino Com. Pitiliani per Venetos eorum supremo duce constituto. Hora tertia diei XXIII. Januarii inter Cesennam, & Brentenorium in Flaminia, è cælo ceciderunt tres lapides coloris adusti horrendo sonitu, & magno strepitu præcedente, & cœpit in Italia morbus Gallicus, & de mense Novembris præter morem cecidit grando, & vehementer tonuit; & in Gallia Subalpina præter modum & morem pluit, & flumina creverunt, & Senis, & non-
A nullis aliis partibus Italiæ pluit sanguis, & Romæ summus Pont. fulgure affectus fuit, & ex vehementi vento ejus vexilla evulsa, & in Tyberim projecta fuerunt, & arce Adriani fulmine percussa, ejus maxima pars cum parte mœniorum corruit, & per aera visæ fuerunt vagari copiæ armatorum cum globis igneis. Et in agro Parmense fax ignea cum tribus stellis in ejus parte inferiori, & totidem superiori, coloris prassini cum horribili hominis facie esse in aere, quæ audita fuerit mugire, & ab erucis quæcunque virentia corrosa. Et inchoata fuit societas Cremonæ sub tit. Sanctæ Crucis, magis aucta anno 1518. constructo sibi oratorio in Vico majori
B portæ pertusii super Sacello divi Rocchi, sibi de recenti assumpto vocabulo divi Marcelli summi Pont. martyris, incedens induta, à capite usque ad tibias indusio telæ coloris subnigri cum linea à parte anteriori, & posteriori coloris rubei, & signaculo crucis ad latus dextrum, & in summitate capitis ei insuto. Leonardus Maynardus excellens Physicus Cremonensis fuit in magna extimatione ob ejus doctrinam.

Anno sequente Bartholomæus Hermenzonus Cremonensis, insignis Rhetor, publice Cremonæ docuit literas grammatices, & humanitatis, & vixerunt Joannes Opitius Soncinas, qui composuit regulas grammaticales sub nomine Piladis, & Stepha- A. C. 1497.
C nus Niger ex municipio Casalis majoris, qui ex Græco sermone in Latinum convertit Theophrastum, & Pausaniam, & Franciscus Cipellus ex oppido Buxeti, qui composuit carmina, & regulas grammaticales; & Jacobo etiam Cremonense anachoreta auctore excitatus fuit tunc temporis Ordo Religiosorum, ducentium vitam asperam & vagam sub incerta regula, & indumento lineo à capite usque ad pedes. Maximilianus Cæsar exhortatus per Venetos & Sfortiam ad eum transmisso Marchisino Stangha Cremonense, & cum Sfortia habito colloquio ad fines Italiæ & Germaniæ, & sibi per eum ac
D Venetos solutis aureis quinquaginta millibus, & aliis quadraginta millibus per Sfortiam promissis, ex Germania per Vallem Tellinam descendit in Italiam die VII. Octobris, & profectus Viglebanum tentavit sibi suppeditare Astam, & in partes suas compellere Duces Allobrogum ac Ferrariæ, ac Principem Salassorum ad se vocatos, & qui spreta ipsius auctoritate ob paucitatem copiarum militarium, quas secum habebat, noluerunt adire, & per Sfortiam incitatus ad movendum bellum Florentinis recusantibus aliis Principibus Italiæ adhærere, & per eum ad id frustra exhortatis, & à Sfortia habitis copiis militaribus Jo. Francisco Severinate duce, & à Venetis ex
E Genua sex triremibus onustis tormentis bellicis, secum conjunctis quinque centum equestribus, ac Germanis mille sibi ad Spediam ex Genua occurrentibus profectus ad Portum Liburnum per Florentinos præsidio & annona munitum, ipsum mari ac terris obsedit, & sibi dato subsidio, per Florentinos eo frustra oppugnato, ipsiusque classe dissipata ex procella maritima, diffisus eo potiri, illinc abiit Pisas, & illic habitis multis comitiis, inde properavit Papiam, & cum ibi habitis aliis comitiis decrevisset commorari in Italia mille equestribus, & sex centum pedestribus sibi pro eorum stipendio solutis singulo mense florenis auri viginti duobus millibus per Sfortiam,
F & Venetis, & à Venetis ob id exspectato responso ex Papia abiit Novicomium, & illinc clam per lacum Belasium, Venetis ei offerentibus pecunias per eum requisitas pendere, ex Italia ibi dimissis nonnullis copiis, & data spe in eam redeundi infra breve tempus, rediit in Germaniam. Baptista Plasius, excellens Physicus, & Astronomus, obiit die prima Februarii, ejusque corpus sepultum fuit in ecclesia ibi Heremitarum de observantia divi Augustini.

Anno

A. C. 1498. Anno sequuto, Hieronymo Vicecomite Mediolanense Cremonæ Prætore, Pont. intendens vendicare Joanni Roderico filio suo per eum deposita dignitate Cardinalatus Regnum Neapolitanum transmisso Legato ad Federicum ibi Regem, ab eo bis requisivit Arlottam ipsius filiam pro ipso, etiam ad id ipsum exhortante Sfortia, transmisso Legato Marchesino Stangha, sed Federicus id recusavit facere. Et Carolo Francorum Rege, annorum viginti quatuor, & Regni sui quatuordecim, Ambosiæ nocte præcedente diem octavam Aprilis morte repentina defuncto, Ludovicus XII. Dux Aurelianensium ejus sororius, & filius Caroli ex Maria Clivense, filia Principis Menapiorum eo Carolo, & Philippo Com. Virtutum, & Joanne Comite Angolismæ & Valesii, natis ex Ludovico Duce etiam Aurelianensium, & Valentina filia Joannis Galeatii Vicecomitis, fuit insignitus corona Rhemis de more die XXIV. Junii, & repudiata Joanna uxore superinduxit Annam Britannicam R. præcessoris sui, & percusso fœdere cum summo Pont. & pace facta cum Rege Hispaniæ, per eum sibi dimisso regno Neapolitano, & in Hispaniam revocato Gundisalvo duce suo cum copiis, & etiam cum Cæsare dimisso arbitrio gerendi bellum cum Venetis, & per ipsum cum Sfortia exhortantibus Cardinale Sancti Petri, Joanne Jacobo Trivultio, & aliis Italis, ejus partes sequentibus, inivit societatem cum Venetis, qua convenerunt bellum movere Sfortiæ, eumque expellere è dominio Mediolani, ex quo Veneti haberent Cremonam cum Insula Fulcheria usque ad ripam Abduæ per brachia quadraginta, & reliquum Rex, ac ipsum, & alia dominia, quæ habebant in Italia invicem tueri, & Joannem Rodericum filium summi Pont. per eum factum Ducem Valentiæ Delphinatus, & sibi assignato redditu annuo aureorum viginti duorum millium conductum ad sui stipendium constituere ducem Flaminiæ & Piceni.

A. C. 1499. Anno subsequuto, Joanne Augustino Olgiate Prætore Cremonæ, Sfortia, Beatrice Estense ejus uxore die secunda Januarii ex abortu mortua, requisivit adversus Regem Gallorum à summo Pont. auxilium, oblato etiam eidem suo, ac Regis Neapolis ad recuperandum dominium ecclesiasticum cum pecunia pro assequendo aliquo dominio Roderico filio suo. Et medio Augustini Trivultii, & Laurentii Mozanicæ ejus Legatorum, ac Joannis Jacobi Trivultii Vicarii Regis Gallorum in civitate Astense, ei post mortem ipsius per biennium obtulit dimittere dominium Mediolani, eidemque solvere aureorum ducentum millium, sed mox ex consilio Maximiliani Cæsaris, Galeatii Severinatis, & Antonii Landriani, ea facere recusavit; & ab omnibus dimissus transmissis Legatis Antonio Bugiardo, & Martino Cassato ad Bajazetem Imperatorem Turcarum, illum incitavit ad movendum Venetis bellum. Et Rex Gallorum profectus Lugdunum, inde in Galliam Subalpinam de mense Augusti destinavit Bernardinum Obegninum, & Aloysium Regulum Ligini MDC. equestribus, & novem millibus destinatis, quibus ibi secum conjunctis copiis Jo. Jacobi Trivultii, illinc irruperunt in dominium Mediolani, & ibi sibi per Donatum Raphagninum Mediolanensem, custodem arcis Valentiæ, ea prodita, ipsam, ac Aretium, Novium, Viglebanum, Castrum Novum, Pontem Corronum, & Derthonam, ibi Præfecto Antonio Maria Pallavicino, & multa alia ibi occuparunt, & quibus occurrerunt Galeatius Severinas MDC. equestribus, MD. velitibus, & decem millibus pedestribus, & mille Suitensibus, & Comes Gallatiæ aliis copiis, & exercitu Venetorum ingresso Insulam Fulcheriam, & per eum occupatis Roccha Sicca, Brugnano, Triullio, eoque direpto, Sfortia requisito Principe Mantuæ ejus copiis in sui auxilium, & nec profecto, nec intendente proficisci ad ipsum, nisi sibi soluto toto stipendio, & secum initis nonnullis conventionibus, quas Sfortia in gratiam Severinatis recusavit facere, & mox medio Ducis Ferrariæ obtulit facere, & ab omnibus dimissus, & sibi data tantum spe per Regem Neapolis destinandi in sui auxilium CCCC. equestres, & MD. pedestres sub Prospero Columna, convocato populo Mediolani, eoque exgravato oneribus, & exhortato longa & miti oratione, ad arma adversus Gallos obsidentes Alexandriam, eaque dimissa ipsius jussu per Galeatium Severinatem, ibi dimissis militibus ad præsidium profectum Papiam, ut ibi ipse & frater copias in unum conjungerent, & dum milites Alexandriæ dimissi ad præsidium inde aufugissent, eam Galli occuparunt, & diripuerunt, moxque redegerunt in sui potestatem Mortariam, ac Papiam, & cum Veneti imposito ponte super flumine Abduæ incursarent usque Laudam, Mediolanensesque tumultuarent, & Franciscus, & Bernardinus de Curte, & Severinates, & alii duces Sfortiæ non auderent occurrere Gallis & Venetis, diffisus viribus suis dimisit Joanni Augustino Adurno, & Joanni ejus fratri, sororio Severinatis, Genuæ Ducatum, & Borromæis Angleriam, & Aronam, aliasque terras eis occupatas, & Isabellæ Aragoniæ pro ejus dote assignavit Ducatum Baruli ac Rosani, cum redditu annuo aureorum triginta millium, & ab ea requisito, nec habito Francisco ejus filio, illinc in Germaniam transmissis Maximiliano, & Francisco filiis cum Ascanio Maria fratre, ac Severinate, & Estense Cardinalibus, dimissaque arce Mediolani Francisco, & Bernardino de Curte, Philippo Flisco Genuensi, Christophoro Calabriæ Cremonensi, & Blanchino de Palude Alexandrino custodienda, præsidio duodecim millium pedestrium, eis numeratis pro stipendio aureis ducentum quadraginta millibus die II. Septembris una cum Galeatio Severinate, & Lucio Malvetio, & nonnullis turmis & cohortibus ex Mediolano abiit Aspurgum ad Maximilianum Cæsarem ibi degentem.

Et Rex Gallorum his intellectis ex Lugduno properavit Mediolanum, ac Mediolanenses exgravavit multis oneribus, & concessit Joanni Jacobo Trivultio Viglebanum, & aliis, qui sequuti fuerant ejus partes, multa alia, & Comitem Gallatii, dum indignatus in Sfortiam, quia sibi Antonium Mariam fratrem prætulisset, ab eo defecisset, conduxit ad sui stipendium, & Venetis, Marco Antonio Morosino, & Francisco Foscaro, eorum legatis penes ipsum, dimisit juxta conventa Cremonam citra Padum, & Insulam Fulcheriam, & dum eorum exercitus castrametaretur ad fanum sancti Martini in Beliseto prope ipsam per quinque millia passuum, jam sibi dato Soncino per Annibalem Anguissolam, ibi arcis custodem, sub pensione annua aureorum bis millium, transmissis in ipsam legatis Aloysio Advocato, & Soncino Benzono eorum Ducibus, Veneti ipsam die X. Septembris ingressi sunt, & ibi constituerunt Prætorem Dominicum Trivisanum eorum patritium. Et Bernardinus de Curte exhortatione Philippi Flisci, ex deputatis per Sfortiam ad custodiam arcis Mediolani, corruptus pecunia, & ejus Flisci, & Antonii Mariæ Pallavicini interventu sibi solutis aureis viginti quinque millibus, ac promissa turma equestrium, dum viveret nomine Regis Gallorum, postposita fide per eum ac alios data Sfortiæ, Gallis die XVI. dimisit arcem ipsam. Et Genuenses quoque se permiserunt Regi Gallorum, eumque accesserunt Dux Ferrariæ, Princeps Mantuæ, Annibal filius Joannis Bentivolii, Legati Florentinorum, & aliarum civitatum liberarum Italiæ, & per ipsum recepti in sui gratiam, & ad sui stipendium conducti fuerunt

runt Princeps Mantuæ, & Joannes Bentivolius, & Florentini recepti sub protectionem, sibi in auxilium promissis DC. equestribus, & sex millibus pedestribus ad omnem eorum requisitionem, & recepto regno Neapolitano pro recuperatione Pisarum, & aliorum sibi per Senenses & Lucenses occupatorum, quoscunque equestres cum tormentis bellicis necessariis, & per eos ipsi ad defensam dominiorum suorum in Italia, CCCC. equestribus, & tribus millibus pedestribus, & receptis Pisis ad vendicandum regnum Neapolitanum D. equestribus, ac mutuare quinquaginta millia aureorum pro stipendio trimestri quinque millium Suitensium, & restituere triginta millia aureorum olim sibi mutuatorum per Sfortiam, deductis tamen ex eis expensis per ipsos factis ad sui beneficium, juxta arbitrium Jo. Jacobi Trivultii, & per eos conducto ad sui stipendium, & constituto duce supremo Joanne de Rupere præfecto Romæ. Et Federicus Rex Neapolis, ne bello ipsum infestaret, obtulit ei solvere tributum pro regno Neapolitano, & qui prorogatis induciis cum Cæsare usque ad Calendas Majas, & X. die Octobris ex Anna uxore prodita in lucem Claudia primogenita, & constitutis Rectore Genuæ Aloysio Aroastino, & Vicario in dominio Mediolani Jo. Jacobo Trivultio, & habito ab Isabella Aragonense Francisco filio suo ex Jo. Galeatio Sfortia, ex Mediolano abiit in Galliam Transalpinam cum eo, quem includi jussit in monasterio Burgundiæ. Et Maximilianus Cæsar Geldrensibus, & Suitensibus, per illos armis sumptis adversus Austriacos, & Valle Angelica Rhætorum eis finitima direpta, prælio repressis, ad eum transmisso Jo. Galeatio Vicecomite legato per Sfortiam, ut ab ipso haberet auxilium adversus Gallos, illos sui intuitu in gratiam ipsius recepit.

A. C. 1500. Anno Redemptionis humani generis 1500. Cremonæ prætore Paulo Balbo patritio Veneto, Ludovicus Sfortia per Mediolanenses indignatos in Regem Gallorum, & Trivultium Vicarium suum, nimis faventem factioni suæ Guelphorum, ac diversam insequentem, & nimis dure imperantem in dominio Mediolani, accersitus ex Germania, & confisus auxilio Cæsaris, conductis ad sui stipendium ære proprio, ac Cardinalis fratris sui, octo millibus Suitensibus, & D. equestribus Burgundionibus. Et cum Trivultius his auditis statim ab eo revocato in dominium ipsum Yvone Alegria turmis equestribus destinato ad Rodericum, & à Venetis requisitis copiis, per eos ex fœdere inter ipsos ac Regem Gallorum percusso debitis, ex copiis, quas habebat in eo dominio, aliquas destinasset ad præsidium Novicomii, illuc ex Germania ejus copiis una cum fratre properavit, illudque illinc abeuntibus Gallis recepit, & deinde Mediolanum dimissum per Trivultium, inde ibi, & ad ejus arcem dimisso præsidio profectum Novariam quatuor millibus equestribus & pedestribus, & illinc etiam ibi dimissis ad præsidium CCCC. pedestribus Mortariam, illic firmatis castris, Sfortia Papiensibus & Parmensibus ad eum reversis, & cum Placentini & Laudenses idem essent facturi, per Venetos destinatis Laude copiis sub Carolo Ursino, & Soncino Benzono, conductis ad sui stipendium aliis D. equestribus, & multis cohortibus, habitisque aliis copiis auxiliaribus à Senensibus, ac Principe Mantuano, Joanne Bentivolio, Philippo Maria Rubeo, Comitibus Mirandulensibus, Carpensibus, Corrigiensibus, ac Vermiis Bobii, & nonnullis aliis Placentinis, & requisitis Venetis in sui partes, ac Genuensibus ad eum redire, & à Florentinis pecuniis, eis per ipsum mutuatis, habitis, dimisso fratre ad obsidionem arcis Mediolani, inde progressus fuit Viglebanum, eoque recepto Novariam obsedit, ac cepit direpta Derthona, permissis inde militi-

A bus præsidii eorum bonis abire, ac recepta Alexandria per Alegriam, & Suitensibus à Gallis ad eum deficientibus, perseveravit in obsidione arcis Novariæ. Et cum Trivultius sibi transmissis ex Gallia per ibi Regem decem millibus Suitensibus, & sex millibus Gallis, & MD. equestribus sub Tramolia, & Cardinale Rothomagense Vicario suo constituto in Gallia Cisalpina, & profecto Astam, ex Mortaria Novariam, ut ibi arci opem ferret, profectus fuit. Et Sfortia, dum exspectatis per eum CCCC. equestribus, & sex millibus pedestribus ex Mediolano, ibi coactis à fratre, Suitenses sibi non soluto stipendio congruo tempore, in eum concitato tumultu, valde per ipsum rogati ad permanendum in ejus fide, & sibi data omni sua supellectile auri & argenti, donec deferrentur pecuniæ ex Mediolano, sedati, & exhortati ad conserendum manus cum Gallis, id recusassent facere, se excusantes cum illis esse alios Suitenses, cum quibus nollent concurrere, & essent eum deserturi, se permisit illorum fidei, & per eos sibi facta promissione de eo perducendo incolumi à Gallis, corruptos à Trivultio pecunia, ipse indutus eorum habitu instar gregarii militis, & conductus per castra Gallorum, eis proditus fuit una cum Antonio Maria, & Fracassio Severinatibus, dum & ipsi essent induti eodem habitu die XI. Aprilis. Et Galli receperunt Novariam, inde aufugientibus Sfortiadis, ex eis illis sibi occurrentibus intra & extra Novariam spoliatis, permissis tamen illinc abire incolumibus Burgundionibus Et Ascanius Maria frater Sfortiæ, dum intenderet in ejus auxilium ex Mediolano copiis, quas ibi coegerat, ire Novariam, illinc audita fratris captura una cum Hermete nepote fratre Jo. Galeatii, & nonnullis Mediolanensibus factionis Gibellinæ, aufugit Ripam altam Conradi Landi in agro Placentino, & per eum illuc vocatis ab ipso ex Placentia Carolo Ursino, & Soncino Benzono ducibus Venetorum, eis una cum aliis, qui erant secum, proditus fuit, & conductus Venetias, illincque requisitus per Regem Gallorum una cum Jo. Baptista Vicecomite, & nonnullis aliis Mediolanensibus, qui in Insula Fulcheria substiterant sub fide Venetorum, conductus fuit in Galliam, quamvis per summum Pont. destinato legato Angelo Lionitio Tyburis præsule requisitus fuisset à Venetis, & Sfortia ex jussu Regis inclusus fuit in turri Locrense Galliæ. Et Mediolanenses, & alii populi dominii Mediolanensis, qui ad eum à Rege defecerant, missis per eos legatis ad Cardinalem Rothomagensem, redierunt in ejus dominium, & recepti fuerunt in sui gratiam, per ipsos solutis sibi aureis tercentum millibus, & alios juxta eorum vires. Et Suitenses indignati in Gallos, recusantes sibi solvere præmium promissum, exclusi Vercellis, quas minabantur diripere, inde occupata Clavenna ad fines Ducatus Mediolanensis, redierunt domum. Et Maximilianus Cæsar ira accensus in Regem Gallorum ob dominium ipsum occupatum, & captivitatem Sfortiadum, à se ejus ac Venetorum legatis expulsis, tentavit convocatis in unum Electoribus ac Principibus Germaniæ, eos adversus illum, & ad recuperandum dominium incitare. Viguit gravis æstus, & subsequutum fuit grave frigus, & fuerunt vehementes venti.

Anno proximo, Cremonæ prætore Paulo Barbo, conspectis imaginibus crucis rubei ac nigri coloris super vestibus mortalium in Germania. Maximilianus Cæsar & Rex Gallorum prorogarunt inducias, & transmisso per Regem Tridentum ad Cæsarem Cardinale Rothomagense tractarunt pacem inire, oblata uxore per Regem Claudia primogenita sua Carolo nepoti ex Philippo filio Maximiliani, ut Regem investiret dominio Mediolani, & quod per eos ambos junctis armis moto bello Venetis, A. C. 1501.

tis, ab eis vendicarent per ipsos occupata ex Imperio & regnis suis. Et Rex Cremonam eis per ipsum dimissam, ac Brixiam, Bergomum, Veronam, ac Cremam, quibus exsuerant Philippum Mariam Vicecomitem, olim Ducem Mediolani, in bellis, quæ secum gesserant, sed cum Cæsar non intenderet dominium Mediolani transire in filios Regis, & nec Rex extorres Mediolanenses in eorum patriam, ut requirebat Cæsar, restituere, paci locus esse non potuit: verum Philippus filius, dum una cum Joanna uxore proficisceretur in Hispaniam, ut ab illic incolis, cum ibi regna essent in eum perventura, reciperet juramentum fidelitatis, profectus Bybrate, ubi erat Rex Gallorum, secum remansit concors promissa Carolo filio per ipsum Claudia primogenita cum dote Britanniæ. Et cum primo vere non ceciderint pluvia per quadrimestre fuit magna aeris siccitas. Tunc temporis Alphonsus, & Ferandus ex filiis Comitis Brocardi de Persico, fuerunt ex ductoribus equestrium Ferdinandi II. Regis Neapolis, & Marcus alius frater Maximiliani Cæsaris.

A. C. 1502. Anno sequente, Cremonæ prætore Hieronymo Donato, Rex Gallorum ex Lugduno Genuam accessit, & illinc Mediolanum.

A. C. 1503. Anno sequuto, Cremonæ adhuc prætore Donato, Alexander summus Pont. audita captura Pauli, & aliorum Ursinorum, jussu Jo. Roderici ejus filii facta, Baptista Cardinale eorum agnato ad se vocato, Romamque profecto, ibi carcerari jusso una cum Raynaldo, & protonotario, & Abbate Alviani, & Jacobo de Sancta Cruce, eisque, & aliis Ursinis exsutis toto dominio, quod habebant in Latio, illuc destinato filio suo Principe Squilatii, una cum protonotario Ursino, & Cardinale mortuo, & ut creditum fuit ex veneno sibi propinato, aliis dimitti jussis Julio Ursino ex Palumbaria Sabellorum, quam oppugnabat, dimissa, aufugiente Ceretum, eoque oppugnato, & mox Ursinis à cœtu Ecclesiæ Rom. segregatis, & introducto annatarum usu, & creatis XXXVI. Cardinalibus, inter quos fuerunt XVII. Hispani, dum inhiaret occupationi dominii Joannis Jordani Ursini, & decapitato Jacobo Cruceo patritio Rom. ex ejus factione, Roberto Ursino, & aliis ejus familiæ & factionis, qui hactenus summo Pont. adhæserant, ex Roma abeuntibus, & incertum esset, an sequeretur partes Gallorum, an Hispanorum, præparato per Rodericum filium ad Vaticanum convivio, & ibi veneno infecto vino, quo ex humanis tolleret Cardinales Adurnum, Corneti, Sancti Angeli, Mutinæ, & Capuæ, ad illud invitatos, eorumque defunctorum immensas opes occuparet, & ex vino ipso hausto per summum Pont. ac Rodericum errore deceptos, die XVII. Augusti obiit, & Rodericus, dum curaretur à veneno, introductis copiis suis duodecim millium armatorum, & occupatis, & munitis Vaticano, arce Adriani, & ædibus Minervæ, in quas se receperant Cardinales, & sibi conciliatis Columnensibus, Fabricio filio Odoardi Ducis Amelphitani, ac Prospero filio Antonii Principis Salerni, & Crotoni ducibus, eis ac aliis Columnensibus restitutis quibuscunque, quibus eos exsuerat, ipsos destinavit in Latium. Et Ursinis Fabio filio Pauli duce DCCC. armatis ingressis Romam, & ibi direptis, & combustis nonnullis tabernis Hispanorum, & per eos dominiis suis, quibus eos exsuerat, receptis, & in eos arreptis armis per Rom. dimissis, ac direptis nonnullis ædibus Ursinorum, apud Montem Jordanum. Et cum Cardinales non intenderent incumbere electioni summi Pont. nisi Roderico copiis suis Romam egresso, illinc ducibus Ludovico Picco, Alexandro Trivultio CC. equestribus, & CCC. velitibus eum comitantibus abiit Nepe. Et per Cardinales XXXVIII. conscriptis quatuor millibus pedestribus ad eorum custodiam, ingressos monasterium Minervæ Ordinis Prædicatorum de observantia divi Dominici, inter quos fuerunt Cardinales Rothomagensis, & Ascanius Maria Sfortia, ex Gallia illuc conductus, creatus fuit die I. Septembris Franciscus Picolomineus Senensis summus Pont. & nominatus Pius III. qui illinc ad dies XXVI. ex humanis abiit. Et Ursini ducibus Alviano, & Baliono, ac Columnenses invicem concordes, & Rodericus CCL. equestribus, & totidem velitibus, & DCCC. pedestribus regressi Romam, & commisso ibi prælio per Columnenses & Ursinos cum eo, & copiis suis, & Gallorum, in quo vulneratus fuit Balivus Occani Heros Gallicus, Rodericus nondum sanatus, diffisus viribus suis, cum Cardinalibus Hispanis & Principe Squilatii se recepit in arcem Adriani, & per Cardinales adhuc ingressos conclave die I. Novemb. nemine discrepante fuit electus PP. Max. Julianus de Rupere, Cardinalis sancti Petri in Vincula, Savonensis, & nominatus Julius II. Suitensium & Rhætorum quindecim millia cursitarunt ac diripuerunt fines Ducatus Mediolanensis, ibi occupatis Musocco & Lucerna, ejus arce oppugnata, & Gallis, qui erant ad præsidium muri, illic ad impediendum illorum irruptionem in Ducatum ipsum constructi, inde expulsis, & dum Ambosius ibi prorex DCCC equestribus, & tribus millibus pedestribus, & aliis copiis auxiliaribus Venetorum, Principum Ferrariæ, Mantuæ, ac Bononiæ, illis occurrisset, corrupti pecunia, & oppressi annonæ penuria, & sibi data per Regem Gallorum fide illis dimittendi Belinzonam, omnibus ibi occupatis præter eam ac Musoccum dimissis, regressi sunt domum.

Anno subsequuto, Cremonæ Prætore Bartholomæo Æmilio patritio Veneto, Maximilianus Cæsar, & Philippus filius cum Rege Gallorum interventu legatorum percusserunt fœdus coram præsule Sisteroni, & Marchione Finalis legatis summi Pont. & in eo comprehensi cum Rege Hispaniarum, ubi id intra trimestre approbasset; & quo Rex pollicitus fuit nubere Claudiam primogenitam Carolo filio Philippi, & eo decedente, Maximiliano alii filio; & Cæsar circumscriptis quibuscunque investituris per eum factis de dominio Mediolani, illud concedere in feudum Regi, & liberis suis mascul , & ubi nullos genuisset, Claudiæ, & Carolo, seu fratri, ubi ei nuberet, solutis pro ipsa concessione per Regem Cæsari centum viginti millibus aureis, & ex eis medietate investitura facta, & altera post per semestre, & quotannis perpetuo ad festum Nativitatis Dominicæ dato pari calcarium. Et sibi invicem promiserunt durante fœdere defensionem. Et ubi Cæsar Venetis, pro recuperatione per illos occupatorum ex ejus imperio & regnis, movisset bellum, ivissetque Romam ad accipiendum coronam, ei Rex auxiliatus fuisset: & nec Comiti Palatino, ubi cum eo gessisset bellum, opem tulisset. Et ubi Rex Hispaniarum recusasset hoc fœdus subire, Rex Gallorum ab eo posset recuperare bello regnum Neapolitanum, & dimisisset è carcere Ludovicum Sfortiam, qui tamen moram faceret in Gallia, & ibi in locis, quæ sibi assignasset Rex, permisissetque extorres Mediolani illuc redire. Et hæc approbarentur per Franciscum Ducem Engolismensium. Ascanius Maria Sfortia Cardinalis, & episcopus Cremonæ, Romæ, dum ibi meditaretur bellum movere Gallis pro recuperando dominio Mediolani, ex veneno sibi propinato ab humanis fuit sublatus, eique surrogatus Galeottus de Rupere Cardinalis, ipsoque infra breve tempus mortuo Hieronymus Trivisanus patritius Venetus in episcopatu Cremonæ. A. C. 1504.

Anno 1505. Bartholomæus Æmilius adhuc fuit prætor Cremonæ. A. C. 1505.

A. C. 1506. Anno proximo, ibi prætore Paulo Pisano, & Dominico Bolano capitaneo patritiis Venetis, inde per eos relegati fuerunt quamplures Cremonenses sibi suspecti. Et turre ibi altiori fulgure percussa, ex ea fuit excussum insigne leonis cum libra ac examine justitiæ, & litteris apud se pictis, *pax tibi Marce Euangelista.*

A. C. 1507. Anno sequente, Cremonæ prætore Joanne Æmilio patritio Veneto, Rex Gallorum nupsit Claudiam primogenitam, jam desponsatam Carolo nepoti Cæsaris, Francisco Duci Engolismensium, ejus nepoti ex Carolo fratruele suo, filio Joannis fratris Caroli patris sui. Et coacto exercitu DCCC. equestrium, MDCCC. velitum, & duodecim millium pedestrium ad reprimendum Genuenses tumultuantes, sibi creato Duce Paulo de Novis pannorum tinctore cum octo tribunis, ab illis occupatis Spedia, & nonnullis aliis locis maritimis, obsessoque Monacho Luciani Grimaldi classe, ac exercitu terrestri pedestrium sex millium, Tarlatino & Gambacurta ducibus, fusisque copiis Hieronymi & Rolandini de Flisco, occupato propugnaculo Castellatii prope Genuam super montibus, ibi occisis Gallis, qui erant ad ejus præsidium, in illos profectus fuit, & post multa prælia utrinque Genuæ facta, illos redegit ad pristinam sanitatem, & Genuam ingressus die XXIX. Aprilis, & erecta ibi arce, eaque, ac aliis ibi munitis præsidiis, & Genuensibus mulctatis aureis tercentum millibus, eisque prohibitis signare monetas, quas cudi faciebant eorum signo, sed signo Regis, ad cujus opem semper haberent paratas triremes tres, & Demetrio Justiniano, & Paulo de Novis de fuga retractis Genuam, & ibi decapitatis, dimisit exercitu. Et Maximilianus Cæsar incitatus per summum Pontificem ac Venetos adversus eum sibi suspectum, ne Italiam & Rom. Imperium invaderet, expulso summo Pont. à sede Apostolica, & loco ejus suffecto Cardinale Rothomagense, convocatis Electoribus, & aliis Principibus Germanis adversus ipsum, cum eis ac Cardinale sanctæ crucis legato summi Pont. ac legatis Venetorum, & Principis Mantuæ, habuit comitia, eumque declaravit rebellem, ac hostem Imperii Rom. & sibi decreto per semestre auxilio DCCC. equestrium, & viginti duorum millium pedestrium cum tormentis bellicis ad id necessariis, & centum viginti millibus aureis pro eorum stipendio, & qui die XVI. Octobris coacti in agro Constantiæ, inde cum eo descenderent in Italiam, requisitis etiam ad ejus stipendium duodecim millibus Suitensibus, ex eis etiam ad id requisitis per Regem Gallorum, & à Venetis libero per eorum dominium transitu, & per illos sibi oblato, modo secum non haberet exercitum, & etiam à Duce Ferrariæ pecuniis, & à Florentinis quinquaginta millibus aureis, & à summo Pont. centum millibus ex pecuniis in Germania coactis, pro bello infidelibus inferendo. Et Rex Gallorum, ut ei resisteret ex Gallia transmisit copias militares in dominium Mediolani, & ibi aliarum jussit haberi delectum, & ex regno Neapolitano ad ejus stipendium conduci bis mille quinque centum Hispanos, & ad limites Rhætorum muniri Aronam Borromæorum. Et in Burgundia per Tramoliam ibi vicarium suum conduci D. equestres, & in auxilium Venetorum Jo. Jacobum Trivultium Veronam transmitti CCCC. cum quatuor millibus pedestribus, & Paulus, Baptista, Justinianus, & Fulgosinus Fulgosii ex extorribus Genuæ, coactis per eos mille pedestribus Germanis Bozuli dominii Ludovici Gonzagæ, quibus intendebant occupare Genuam, per Ambosium vicarium suum in dominio Mediolani conductis, per eum Parmæ nonnullis turmis & cohortibus, & adversus illos destinatis, omni spe deposita inde abierunt in Germaniam. Et Veneti destinarunt ad limites agri Tridentini Comitem Pitiliani CCCC. equestribus, & multis cohortibus pedestrium, & Alvianum in Forilivium DCCC. equestribus, & aliis cohortibus. Et Germanos etiam jussu Cæsaris per ipsos occupatis Goritia, Gandubrio, & Trieste, sibi movissent bellum, & ad Gandubrium per Venetos Pitiliano duce, & per Gallos, & Hispanos Trivultio duce cum eis commissa pugna profligarunt, multa utrinque cæde commissa, & inde abeuntibus omnia sibi per illos occupata in Foro Julii, & ex locis vicinis Tridentum, ubi sibi moverant bellum, recuperarunt. Instaurata fuit ecclesia divæ Agathæ cum ejus ædibus, additis sex Canonicis, Hieronymo Trecchо præposito procurante, habenteque jus utendi mitra, & aliis insignibus episcopalibus.

Anno sequuto, Cremonæ prætore Aloysio Mula patritio Veneto, Ludovicus Sfortia olim Dux Mediolani obiit in civitate Burges Galliæ Transalpinæ, superstitibus Maximiliano, & Francisco ejus filiis ex Beatrice Estense, & Jo. Paulo naturali. Et Franciscus filius Jo. Galeatii Sfortiæ ex Isabella Aragonense ductus in Galliam per Ludovicum Gallorum Regem, & ut exstingueretur spes successorum Sfortiadum in dominio Mediolani, indutus habitu monachali in Burgundia jussu Regis, & ibi dimissus sub custodia nonnullorum monachorum, illinc ad nonnullos annos, dum incumberet venationi ex equo præcipitatus, illic quoque periit. Maximilianus Cæsar præmissis Veronam ad ibi rectores Venetorum, & ab eis requisitis, & nec sibi concessis stativis quatuor millium equestrium, quibus intendebat ire Romam pro ibi habenda corona imperiali, profectus Tridentum, illic die III. Januarii habuit solemnem pompam, & publicata per Matthæum Lunghum episcopum Burgensem ipsius mente Romam eundi pro habenda ibi corona. Et Tridenti parata multa copia annonæ, & materiei bellicæ, inde ea, ac MD. equestribus, & quatuor millibus pedestribus irrupit fines Venetorum versus Vincentiam, & illinc destinato Marchione Brandeburgense D. equestribus, & bis millibus pedestribus versus Ruperem etiam dominii Venetorum, & inde statim Brandeburgum reverso expugnavit, ac oppugnavit nonnulla ibi Venetorum ex agro Vicentino, & mox rediit Bolzanum. Et per Venetos habito delectu militum, & ex Verona versus Ruperem profecto Trivultio turmis equestribus, & octo millibus Suitensibus per Regem Gallorum, & ex eis conductis ad sui stipendium quinque millibus, & reliquis Venetorum recusantibus tamen militare adversus Cæsarem, nisi ad defensionem dominii Mediolanensis, destinavit CCCC. equestres, & quinque millia pedestrium in Forum Julii, ubi occuparunt oppidum Vallis Candoriæ, & ibi rectore, & Georgio Cornelio legato Venetorum, & Alviano in illos profectis ex agro Vicentino acie militari, & classe trajecta versus Trieste irrupit Forum Julii sex millibus pedestribus, & ibi occupata Valle Candoria, cum nonnullis aliis, & ea regione incursata per quatuor millia passuum, regressus est ad finem Februarii Aspurgum pro cogendis pecuniis, quibus posset prosequi bellum, & inde Ulmam Sueviæ, & ibi incitatis Suevis bellum inferre Suitensibus profectis ad stipendium Regis Gallorum, illuc Electores, ac Principes Germanos convocavit, & exhortatus est ei ministrare copias militares. Et cum novem millia equestrium & pedestrium Germanorum expugnassent oppidum Barocchi, Alvianus turmis equestribus in illos transivit, & commisso cum illis prælio, etiam ope ibi accolarum, eos fudit, ex eis occisis circiter mille, & fere omnibus captivatis, & illinc progressus expugnata arce Candoriæ Carolo Malatesta Ariminii duce suo ibi cadente, ad Alpes Julias se recepit, & muniri jussit Goritiam adversus Turcas, ubi illuc cursitassent, una cum Trieste,

ste, & in Illyrio Cortona, ac civitate fluminis ea combusta, & ad fines Pannoniæ Possonium, & multa alia ibi Cæsaris. Et cum Episcopus Tridentinus novem millibus pedestribus descendisset ad montem Britonium, & ibi ad præsidium degentibus sub Joanne Jacobo Corso, & Dionigio Naldo, & Vitellio fusis, eis, ac aliis mille pedestribus stipendiariis, ac aliis evocatis obsedisset Ripam adjacentem Gardæ, & ad ejus auxilium destinatis copiis, quibus diriperetur ibi regio, & Rhætis bis mille fraudatis stipendio episcopum ipsum deserentibus, & populata ejus exercitus annona, reliquis pedem retulisset, Veneti progressi loca ibi vicina diripuerunt tribus millibus ex eis depopulantibus loca ibi Comitatus Agrestium per illic incolas profligatis, ex illis ducentum occisis; & cum mille ducentum Germani profecti Tridentum una cum mille equestribus, & sex millibus pedestribus in mane Paschatis Petram ibi propinquam per lapides sex obsedissent, profecti sunt in ejus auxilium exercitu sexdecim millium pedestrium, & quatuor millium equestrium, & ibi castris firmatis Petram progressi, ejus arcem oppugnarunt, & Germanis in eos irruentibus sibi ademptis duobus tormentis bellicis, frustrati spe ipsa potiundi inde abierunt Ruperem, & Germani Tridentum, & illinc domos suas redierunt.

Et Cæsar ab omnibus dimissus, & gravi cura oppressus, & spe sua defraudatus, sibi occupatis per Venetos quibuscunque, quæ habebat in Foro Julii, & regionibus propinquis, & quem etiam exsuissent Tridento, & aliis ibi vicinis, ubi Galli eis conjuncti affuissent, & nisi prohibiti fuissent per eorum Regem nolentem Cæsarem in se gravius incitare, omissis comitiis Ulmæ, inde abiit Coloniam, & cum Venetis die decima Julii fecit inducias per triennium interventu præsulis Tridentini, ac Seretani Scribæ sui supremi, ac Zachariæ Contareni pro Venetis, hinc inde occupatis retentis, & quæ possent muniri, excluso rege Gallorum pro dominiis suis, & fœderatorum extra Italiam, cum intervenientibus pro eo Jo. Jacobo Trivultio, & Carolo Gufredo præsule Senatus Mediolanensis, vellet in induciis comprehendi Ducem Geldrensem, cui bellum faciebat Cæsar, & in ipsis comprehensi fuerunt summus Pont. Reges Hispaniæ, Angliæ, & Pannoniæ, & omnes Imperii subditi, & confœderati, & etiam Venetorum, quos nominassent infra trimestre, & mox summus Pont. Cæsar, Reges Gallorum, & Hispanorum, Dux Ferrariæ, ac Princeps Mantuæ indignati in Venetos, occupantes ex dominio ecclesiastico Faventiam, Ariminum, Ravennam, & Cerviam, etiam repulso Sixto Cardinale sancti Petri in Vincula, nepote summi Pont. ab episcopatu Vicentino, per eos dato ipsorum nobili, & receptis in illorum dominium expulsis per Regem Gallorum ex dominio Mediolani, exsulibusque Forilivii in Faventiam, qui inde erumpentes tentassent occupare Forum Livii dominii Ecclesiæ, & ex imperio & dominio Cæsaris Patavium, Veronam, Vincentiam, Trivigium, & ex dominio Austriæ Forum Julii, & multa alia, & Cremonam ex dominio Mediolani, & ex regno Neapolis urbes, & portus eis oppigneratos per Ferdinandum Secundum Aragonensem, & ex dominio Ferrariæ peninsulam Rhodigii, & Mantuæ Asulam, Leonatum, & Pischeriam, transmisso per summum Pont. Cardinale Narbonense legato ad Regem Gallorum, ut eum sibi indignatum ob episcopatus Placentinum & Astensem cum Abbatia Claravallis eo invito collatos, conciliaret, percusserunt adversus Venetos fœdus in urbe Cameracense Burgundiæ, interventu ejusdem Cardinalis pro summo Pont. & Margarita filia Cæsaris rectricis Flandriæ, & Matthæi Lunghi pro eo, & Cardinalis Rothomagensis pro Rege Gallorum, quod ibi in ecclesia cathedrali publicatum fuit die decima Decembris, & quo convenerunt bellum movere Venetis pro recuperandis per ipsos occupatis, ut præfertur, & ad quæ dimittenda prius deberent moneri per summum Pont. sub pœna anathematis. Et Rex Gallorum facta in eum, ac Franciscum generum suum, eorumque descendentes, investitura per Cæsarem de dominio Mediolani, sibi solutis aureis centum millibus, in Italia descenderet exercitu die prima Aprilis proximi; & nec Cæsar, nec Archidux nepos suus bello durante, & nec post per semestre infestarent Regem Hispaniarum in regimine Castiliæ; & summus Pont. decideret controversiam vigentem inter Cæsarem ac Ducem Ferrariæ ob dotem Annæ Sfortiæ olim uxoris Ducis, ac sororis Blanchæ Mariæ uxoris Cæsaris. Et fœdus ipsum Cæsar & Rex Gallorum, transmissis per eum ad Cæsarem præsule Parisiense, & Alberto Pio ex regulis Carpi, statim approbarunt. Et summus Pont. cum invitus illud fœdus inivisset, tentatis Venetis ad dimittendum Ecclesiæ Ariminum, & nec per illos dimissum, mox approbavit. Æstate frequentes pluviæ ceciderunt, ex quibus causata tabida quadam lue, ex ea interierunt innumerabiles boves, ac sues, & in Germania, & Italia ex terræmotibus, ipsaque aeris intemperie arbores, ne fronderent, diu retardatæ fuerunt. Et per catholicos factis publicis rogationibus ad omnipotentem Deum ad avertendam hanc cladem, ex implorata ejus benignitate aeris summa temperies subsequuta fuit.

Anno subsequuto, adhuc Cremonæ prætore Al- A. C.
visio Mula, & Zacharia Contareno rectore, sum- 1509.
mus Pont. protulit anathema in Venetos, eorumque auxiliatores, dominiumque suum supposuit prædæ, & occupantibus concessit, nisi restituissent illorum dominis pristinis per illos occupata, & ab ipsorum stipendiis revocavit Julium, ac Laurentium, cognominatum Rentium, Ursinos, & Troilum Sabellum Rom. Ecclesiæ subditos, & per Venetos ad sui stipendium conductos quinque centum equestribus, & tribus millibus pedestribus sibi pro stipendio eorum solutis quindecim millibus aureis, per eos retentis jussu summi Pont. & eo exhortante, ac Rege Gallorum jubente Venetis indicto bello, Carolus Ambosius pro Rege gubernator in dominio Mediolani sex millibus pedestribus, & tribus millibus equestribus, ac tormentis bellicis trajecto flumine Abduæ die quinta decima Aprilis inchoato bello in illos profectus, Trivilium Insulæ Fulcheriæ expugnavit, ibi captivatis Justiniano Mauroceno patritio Veneto, Joanne Alvisio Vitellio Tifernate, ac Vincentio Arnaldo ducibus, qui ibi erant ad præsidium centum velitibus, & mille pedestribus, ex quibus ducentum velites aufugerunt, & occurrentes Gallis cum eis manus conseruerunt. Et Princeps Mantuæ ingressus agrum Cremonensem centum equestribus, ibi occupavit ac munivit Casale majus, & inde profectus Asulam, ac Leonatum olim dominii sui, tentavit ea occupare. Et Roccalbertus etiam Dux Gallicus ex Placentia concursavit ac diripuit agrum Cremonensem ei finitimum, & quem, & alii Galli ex Lauda una cum Briancensibus juncto ponte flumine Abduæ irruperunt, ac depopulati sunt, & Veneti per eos munitis præsidiis ac munitionibus civitatibus ac locis sui dominii, & Cremonæ erectis de mense Martii, Alvisio Advocato Brixiensi assistente, propugnaculo extra portam S. Lucæ, & alio extra portam S. Michaelis, & alio extra portam omnium Sanctorum, ibi demolitis domibus divi Ambrosii, & omnium SS. ubi imago B. M. Virg. super muro picta nunquam aliqua arte humana demoliri potuit, sed servata fuit virtute omnipotentis Dei, & multis ex Cremona sibi suspectis relegatis Venetias, & munita, & transmissa classe Angelo Trivisano præfecto in mare Tyrrhenum, & etiam

etiam coacto exercitu triginta millium pedestrium sub Alviano, & decem millium equestrium sub Pitiliano, ex Pontisvico accesserunt Fontanellam, & inde cum occupata Ripa alta, profecti Trivilium, illud custoditum per mille pedestres, & quinque centum equestres, expugnassent, ac diripuissent, ibi captivatis ducibus, & inter eos & Gallos, annixos illud recuperare, commisso prælio, in quo multi utrinque occubuerunt. Rex Gallorum cum Duce Lotharingiæ bis millibus equestribus, & decem millibus pedestribus Guasconibus, Elvetiis, Italis, & aliarum nationum ex Gallia die secunda Maji profectus Mediolanum, & Abdua flumine conjuncto tribus pontibus, & secum unitis Ambosio Boisense, ac Principe Mantuano mille quinque centum equestribus, & triginta millibus pedestribus castra firmavit prope castra Venetorum, & per eos direpto, & combusto, & solo æquato, & dimisso Trivilio, inde abeuntes Vailatum quinque centum equestribus, & Elvetiis Ambosio, & Trivultio ducibus per Gallos recepta Ripa alta, insequentibus & prælio lacescentibus Venetos, & cum pervenissent Vailatum conversa fronte in Gallos per octo centum equestres, & fere omnes pedestres, degentes in ipsorum extremo agmine, ex jussu Alviani illud regentis, & per Regem Gallorum conjuncto in unum ejus toto exercitu, & Pitiliano præcedente reliquo exercitu Venetorum per Alvianum in sui auxilium revocato, & nec reverso, ab eo facto conflictu cum Gallis per tres horas die decima octava Maji, & victoria prius inclinante ad Venetos, & supervento nimbo cum turbine ventorum, ac grandine, & per Alvisium Advocatum Brixiensem, & Soncinum Benzonum Cremensem eorum turmis recomposita cum Gallis prælio, dum inchoatum fuisset, dimisso, Gallis prævalentibus, & profligatis Venetis, vulnerato ac captivato Alviano cum multis aliis, inter quos fuit Christophorus Calabria tribunus Cremonensis, & occisis circiter octo millibus, & nec multis equestribus, & sibi interceptis viginti tormentis bellicis, ex nimia audacia & temeritate Alviani, Rex Gallorum præter modum lætus hac victoria pro ejus memoria in loco conflictus templo erecto, ac dicato B. M. Virg. ejus jussu, Pitiliano reliquo exercitu incolumi prosequente iter suum recepit Caravagium, & Bergomum cum ejus arcibus, ibi captivatis Marino Georgio, & Antonio Mariperto, & aliis patritiis Venetis illic repertis, & Antonio Maria Pallavicino duce, & nec in Brixiam admisso reliquo exercitu Veneto illuc profecto Jo. Francisco Gambara, & aliis factionis suæ auctoribus, & ex proditione Alvisii Advocati ea potitus fuit, & etiam Crema ex proditione Soncini Benzoni, & dum rector, & prætor Cremonæ, & alii, qui ibi erant, intellecta strage sui exercitus, præ timore civitate dimissa, in illius arcem se recepissent, medio Galeatii Pallavicini eam recepit die XXIV. Maji, & ingressus fuit die XXIV. Junii, solemnitatis D. Jo. Baptistæ, eum comitantibus septem Cardinalibus, Alphonso Duce Ferrariæ, Francisco Mantuæ, & Montisferrati, & Salutiarum Marchionibus, legatis summi Pont. Cæsaris, Regis Hispaniarum, & multorum aliorum Principum, & ibi moram habuit per biduum, & constituit prætorem Jo. Baptistam de Balzo, & mox recepit Piceleonem, præter ibi, ac Cremonæ arces, & deinde Pischeriam, quæ direpta fuit, ibi expugnata arce, & occisis quatuor centum pedestribus, qui ibi erant ad præsidium, eorum duce Patritio Veneto captivato, & furcis suspenso jussu Regis, reliquo exercitu Veneto, & ex quo multi abierant, castrametante in Campo Martio apud Veronam, dum in eam quoque ibi incolæ ipsum noluissent admittere, & Veneti territi, cum audirent Cæsarem alio exercitu in illos ex Germania descendere, reliquo eorum exercitu quatuor centum equestrium, bis millium velitum, & quinque millium pedestrium profecto ad oppidum Mestræ juxta stagna Venetiarum, ibi habitis comitiis decreverunt habere novum delectum militum, & parare classem quinquaginta triremium sub Trivisano, ac tentare, an sibi possent conciliare summum Pont. ac Cæsarem.

Et summus Pont. constitutis legato Francisco Alidosio ex oppido Rii, & præsule Papiæ, & Duce Ferrariæ vexillifero, & Francisco Maria de Rupere ejus nepote duce supremo, transmisso exercitu quatuor centum equestrium, totidem velitum, & octo millium pedestrium in Flaminiam, & ibi ditione Venetorum incursata, direpta, & igne devastata, & per copias Jo. Pauli Balioni, & Ludovici Pici Mirandulensis cum octo centum pedestribus, & nonnullis turmis equestrium Venetorum Jo. Paulo Manfrono duce, apud Brissigellam commisso prælio eis profligatis, Manfrono captivato, & Joanne Græco duce velitum egresso Ravennam, & occurrente Vitellio, etiam duci pontificio, ac obsessa Ravenna per pontificios, ea, ac Imola, ac aliis dominii Veneti, olim ecclesiastici, potitus fuit. Et Dux Ferrariæ etiam recepit peninsulam Rhodigii olim dominii sui. Et Christophorus Frangipanes ex regulis Istriæ, & ibi sequens partes Cæsaris, illic cepit Pissinium, & Divinium. Et Dux Provincensis ex Germania jussu Cæsaris bis millibus armatis facta irruptione in Forum Julii, ibi etiam recepit Belumnum, Feltrum, ac Trieste, & alia ibi quoque olim dominii Cæsaris occupata per Venetos. Et episcopus Tridentinus Ripam & Agrestum, & Comites Lodroni nonnulla oppida eorum ditioni proxima. Et Patavini, & Veronenses, & Vicentini dimissi per Venetos se permiserunt Cæsari, quem Veneti transmisso ad eum legato Antonio Justiniano tentarunt sibi conciliare. Et Leonardus Dresanus exsul Vicentinus, & sequens partes Cæsaris, copiis, quibus pervenerat usque ad oppidum Valtiferam, ductis Trivultium, quod Veneti, cum solum permansisset in eorum fide, præsidiis muniverant, illud ingressus tentavit compellere in jus Cæsaris, & inde repulsus fuit auctore Marco ibi Sartore. Et Rex Hispaniarum potitus fuit Manfredonia, Trano, Monopoli, Brundusio, & Hydrunte, sibi dimissis sponte per Venetos. Et Veneti fortuna conversa ad eos opera Andreæ Gritti eorum legati, equite Vulpino velitum, & Zitulo Perusino, & Lactantio Bergomense pedestrium ducibus, & auxilio ruralium Patavinorum inimicorum Cæsarianis, furtim ingressi Patavium, illud, ad cujus præsidium erant Dresanus Vicentinus, ac Brunorius de Seregno, ibi dimissi per Ludovicum Gonzagam quinquaginta equestribus, & tercentum pedestribus, receperunt die quinta Septembris, ibi captivato Dresano, & post per dies quadraginta, quam pervenisset in Cæsarem, una cum toto ejus agro, ac Limiaco. Et nisi Constantinus Macedonicus dux Cæsarianus Vincentiam ingressus fuisset, ibi incolæ eis se etiam permisissent, ac turrem Martesanæ per Venetos obsessam, nisi Cardinalis Estensis ei opem tulisset, vendicassent. Et summus Pont. cum Rege Gallorum in Abiate Grasso, ad eum redeuntem in Galliam transmisso Cardinale Alidosio legato, renovavit fœdus, quo Rex promisit non protegere aliquos feudatarios, & subditos Rom. Ecclesiæ, & promissa fuit mutua defensio, Duce Ferrariæ jam per Regem in sui protectionem suscepto, & qui rediit in Galliam, dimissis ad opem Cæsaris septem centum equestribus sub regulo Palissæ, quibus ingressus fuit Vincentiam. Et præsul Tridentinus timens occupari Veronam per Venetos, eorum equestribus illuc quotidie incursantibus, ipsam quoque ingressus fuit septem centum pedestribus, & ducentum equestribus, illuc ad ibi præsidium etiam vocato

cato Principe Mantuano, quem firmatum sexcentum equestribus ad insulam Scalensem agri Veronensis, illuc profectus Lucius Malvecius, Petrus Polverinus, & Vincentius Cassinas ducentum velitibus, & Zitolus Perusinus octo centum pedestribus, & aliis, qui erant ad præsidium Limiaci, & mille quinque centum ex ibi ruralibus coactis per Hieronymum, & fratres de Pompejis nobiles Veronenses, die decima Augusti captivarunt una cum Bovisio locumtenente suo, & direptis eorum turmis conduxerunt Venetias.

Et Cæsar descendit in Italiam exercitu, expugnatoque Saravalle, occisis ibi quibuscunque militibus Venetorum repertis illic ad præsidium, in ultionem suorum etiam interemptorum per Venetos, dum illud cepissent, & nonnullis aliis in agro Vicentino, eo, ac Patavino, & Veronense agris cursitatis, ac direptis per ejus milites. Et per ipsum requisitis, & nec habitis, classibus Pontificia, Gallica, & Hispanica, quibus obsideret Venetias, obsedit exercitu octuaginta millium equestrium, & pedestrium stipendiariorum, & evocatorum, ex quibus fuerunt ducentum equestres Pontificii sub Ludovico Pico, & totidem Ducis Ferrariæ sub Hippolyto fratre suo Cardinale, & septem centum Regis Gallorum sub Palissa, die quintadecima Septembris Patavium valde munitum annona, ac materia, & tormentis bellicis, & præsidio mille sexcentum equestrium, trium millium velitum, & duodecim millium pedestrium Italorum, sub Bernardino Montono, & multis aliis insignibus ductoribus, ac tribunis, & decem millibus Dalmatarum, Illyricorum, & Græcorum, illorum omnium duce Pitiliano, ibi assistentibus Andrea Grito, Christophoro Magno, Francisco Capello, & multis aliis ex primoribus patritiis Venetis, & tentata per Cæsarem divisione Medoatii fluminis, & ducentum velitibus Philippo Rubeo, & Federico Gonzaga ducibus comitantibus tormenta bellica Patavium, fusis per quinque centum Venetos auxilio ruralium Patavinorum eis occurrentes, & ex illis in unum coactis ultra Patavium per mille passus versus Venetias, illuc conductis suis armentis, ac bonis, per Hispanos ac Italos Cæsarianos mille ducentum dissipatis, ipsum illuc conductis multis tormentis bellicis pluries totis viribus oppugnavit, ejusque in multis locis apertis mœniis die secunda Octobris, inde abiit Vincentiam, & ibi dimissis ad præsidium quatuor millibus Germanis, illinc Veronam ivit, & mox Tridentum, indignatus in Venetos, ac Reges Gallorum, & Hispaniarum, quos asserebat sibi opportuno defuisse auxilio, & cum Venetis tentatis per ipsum, & sibi per eos denegatis induciis, ipsique, dum esset Veronæ, solutis per Florentinos ex ordine Regis Gallorum quadraginta millibus aureis, illuc per eos ad ipsum transmissis legatis, & per eum sibi confirmatis privilegiis præcessorum suorum, & aliis concessis. Et per Venetos sex centum equestribus, mille quinque centum velitibus, & octo millibus pedestribus, Vincentia, & Suapio receptis, & mox oppugnata Verona, eaque munita præsidio quinque millium pedestrium, & tercentum equestrium Gallorum Obegnino duce, & aliorum ducentum dimissa, & oppugnata Montagnana, expugnataque insula Scalense, ac Bassiano, Ateste, Rhodigio, Feltro, ac Cividate in ea regione receptis, una cum Castro novo in Foro Julii per Antonium & Hieronymum Savorgnanos, ibi sequentes partes Venetas, & transmissa classe fluviatili quindecim triremium, & aliarum navium in flumen Padi sub Angelo Trivisano versus Ferrariam cum nonnullis copiis militaribus, & redacta in eorum potestatem peninsula Rhodigii, una cum Comaclo, eoque direpto & combusto, & per Ducem Ferrariæ recepta Montagnana, & apud Pelosellam inter ejus & Venetorum copias, & Ducis facto prælio profligatis, multis ex eis occisis, & in ejus auxilium transmissis per summum Pont. ducentum equestribus, & ex dominio Mediolani aliis centum quinquaginta, & eorum ope per copias Ducis Ferrariæ cum copiis Venetorum ex Pelosella ibi erectis duobus propugnaculis, ac Comaclo, cursitantibus & diripientibus ibi regionem usque Ferrariam, renovata pugna Hippolyto ejus fratre duce, & superatis, eorum classe bellicis tormentis dissipata, & capta, & conducta Ferrariam cum sexaginta vexillis, & ex ea classiariis bis millibus desideratis, Trivisano ex fuga prolapso, & ob id exauctorato, eique surrogato Paulo Capello per Venetos, Ludovico Pico duce pontificio ex ictu pilulæ in eum emissæ à tormento bellico per classiarios occiso.

Et dum Cæsariani habitis copiis Gallicis in auxilium cum bis millibus Hispanis conductis stipendio Regis Gallorum, & per eum mutuatis Cæsari octuaginta millibus aureis, sibi dato Valegio in agro Veronense, intenderent ire Vincentiam dimissa classe sub præsidio quatuor centum velitum, & totidem pedestrium, Vincentia, & aliis ibi propinquis municipiis, ne occuparentur per Cæsarianos, munitis congruo præsidio, & ibi supra Suapium, & Montem fortem inter montes fossa milliariorum quinque facta, & impleta aquis, & munita propugnaculis, Cæsar adhuc descendit quatuor millibus Germanis in agrum Vicentinum, & Venetis sibi, ne ex Germania ad eum accederent aliæ copiæ, resistentibus, nulla re facta, & viribus suis diffisus, & cum instaret hyems rediit in Germaniam. Et cum Ambosius ex ejus acie dimissis ad præsidium Veronæ quatuor millibus pedestribus, & sexcentum equestribus, & aliis Pischeriæ, Valegii, & Brixiæ, reliquis redisset Mediolanum, & per Ducem Ferrariæ recepto Rhodigio, reliqui Galli, regulo Palissæ & Trivultio ducibus, Venetis castrametantibus inter Patavium & Vincentiam, ea, ac Ateste, Colonia, & Limiaco potiti sunt, & per Cæsarianos Principe Anaulti, & duce Pruincense ducibus, & per Venetos concursatis & direptis Foro Julio & Istria, & multis ibi locis oppugnatis, & factis præliis, in quibus multi utrinque perierint. Et mox per Cæsarem ac Venetos exhortante summo Pont. per eum ad ipsos transmisso legato Achille Grasso episcopo Pisauri, eoque, & legatis Cæsaris, & Joanne Cornelio, & Alvisio Mozenigo legatis Venetorum in unum conventis ad Hospitaletum, & tractatis induciis, & nec factis ob immoderatas petitiones Cæsaris, & per eum auctore Cardinale Rothomagense inita concordia cum Rege Hispaniæ, ei dimisso regno Castiliæ, donec adolesceret Carolus nepos suus ejus Rex, cui Rex Hispaniæ interim quotannis pro eo deberet pendere aureorum quadraginta millia, & totidem Cæsari, ac auxiliari ad recuperandum sibi ex ejus imperio & dominio occupata per Venetos juxta fœdus Cameracense.

Anno Natalis Dominici 1510. Petro Borbonio A. C.
Cremonæ prætore, summus Pont. Alberto Pio Re- 1510.
gis Gallorum legato, ac legatis Cæsaris, & Regis Hispaniarum penes eum Romæ resistentibus, absolvit & in sui gratiam recepit Venetos, ipsi promittentes se non interponere in beneficiis & causis ecclesiasticis, & nec ecclesiasticos gravare, eisque, & aliis, qui cum ipsis fuissent, trajicientibus per mare Adriaticum permittere conductionem bonorum suorum immunem à vectigali, & nec subditis, nec hostibus Ecclesiæ Rom. auxilium, & nec hospitium in eorum dominio dare, & nec tenere Ferrariæ magistratum, eis quoque tentavit conciliare Cæsarem, & indignatus in Regem Gallorum, annixus fuit ab ipso separare Regem Hispaniarum, & in eum concitare Regem Angliæ ad bellum. Et aucto-

auctore Matthæo Episcopo Sedunense conduxit ad sui stipendium Suitensium octo millia, Rhætis & Valensibus persistentibus in partibus Regis Gallorum auctore Georgio Soprasasso, & indignatus quoque in Ducem Ferrariæ, ei interdixit, ne sal ad Comaclum condi faceret, & nec exigeret vectigal, quod noviter imposuerat in flumine Padi super mercibus, quæ per ipsum conducebantur Venetias. Et Duce Ferrariæ confiso protectione Regis Gallorum, cui se supposuerat, ei solutis aureis quinquaginta millibus, recusante facere, recusato feudo consueto solvi pro Ferraria sibi oblato per ipsum Ducem, eum excommunicavit, & habitis in sui auxilium tercentum equestribus à Rege Hispanorum sibi facta investitura regni Neapolitani, ipsi, licet mox præmissa facere obtulisset, movit bellum Principe Urbini duce supremo, & ademit oppida Centi ac Plebis, olim sibi concessa per Alexandrum summum Pont. ac Lughi, & Balnei Cavalli, & alia, quæ habebat in ea regione, & quæ Dux copiis suis, & auxiliaribus Gallicis profectus in pontificios obsidentes arcem Lughi, eis inde Imolam pedem referentibus recuperavit. Et summus Pont. intendens etiam potiri Genua, auctoribus Octaviano Fulgosio, & Hieronymo Doria, & aliis illinc extorribus, undecim triremibus sibi datis per Venetos sub Grillo Contareno, & conjunctis alii triremi per eum paratæ, & conducto ad sui stipendium Mar. Antonio Columna duce Florentinorum centum equestribus, & sex centum pedestribus jussit eam terra & mari oppugnari, sed pontificii sibi resistentibus Fliscis & Adurnis mille sex centum pedestribus, & aliis copiis sibi illuc in auxilium transmissis ex dominio Mediolani per Ambosium, ac superventis sex triremibus classis Gallicæ Præjane præfecto, inde abierunt, & mox aucta classe Veneta ad numerum triremium decem & novem, illuc regressi Joanne Fulgosio duce, occurrente ad portum Veneris classe Gallica triremium viginti duarum, illinc diffisi viribus suis non sunt progressi, sed regressi, & suborta procella maritima classe Veneta dissipata, pontificii deinde auctis viribus profecti sunt in Ducem Ferrariæ, ac arce Lughi, & aliis præmissis adhuc receptis per Ducem Ferrariæ, potiti etiam fuerunt, Mutina Gerardo, & Francisco Maria Rangono auctoribus, & Rhegio per Ducem Ferrariæ munito præsidio ducentum equestrium Gallicorum sibi transmissorum in ejus auxilium, & aliarum copiarum.

Et in Gallia Transalpina ad deponendum summum Pont. ex jussu ibi Regis, & consensu Cæsaris per ibi prælatos habita Synodo apud Aurelianum, & mox apud Trecchas, & à summo Pont. abeuntibus Federico Severinate, Bernardino Caravalio tit. Sanctæ Crucis, ac Francisco Boisio Conscientiæ præsule Hispanis, & Gulielmo Brixioneto præsule sancti Mali, & Renato Boisense Gallicis, Cardinalibus, & tractata conciliatione inter summum Pont. & Regem Gallorum, & nec sequuta, recusante Rege deserere Ducem Ferrariæ, & Genuam restituere libertati juxta nutum summi Pont. ad principium Septembris ejus jussu Suitensium octo millia per ipsum ad sui stipendium conducti irruperunt Ducatum Mediolani, & occupato ponte Tressæ, illinc expulsis sex centum pedestribus Gallicis ad ibi præsidium degentibus, firmarunt castra apud Varisium, & Ambosio, per eum Jo. Jacobo Trivultio copiis transmisso ad montes Briantinos ad illis, ubi illac transivissent, resistendum, ipsis quoque occurrente quinque centum equestribus, & quatuor millibus pedestribus, eisque, & aliis quatuor millibus illuc superventis denegato transitu per dominium Mediolani, ad opem summi Pont. per illos illinc motis castris, & firmatis, in pluribus locis ipsos insequente, & infestante, ac prohibente

A annonam Ambosio, dum indigerent pecuniis, & gravi forent oppressi penuria, regressi fuerunt domum ad finem ejusdem mensis. Et summus Pont. ivit Boneniam, & per Venetos transmissis duabus classibus sub Joanne Mauro in flumine Padi, & octo centum equestribus, & sex centum velitibus, & sex millibus pedestrium in sui auxilium, & ex illis ducentum equestribus, & tercentum pedestribus dimissis ad præsidium Mutinæ, Mar. Antonio Columna, & Jo. Aloisio Vitellio ducibus, & per classiarios Paulo Capello Veneto legato receptis Rhodigio, & Figarolo, & nonnullis aliis ex agro Ferrariense, jussit eum vastari, & dum

B intenderet obsidere Ferrariam, dimissis etiam ad præsidium Mutinæ centum aliis pedestribus, & quatuor centum velitibus, & bis millibus quinque centum pedestribus, recepto sub ejus protectione Jo. Francisco Pico, in ejus gratiam obsideri Concordiam, filiorum Ludovici Pici ex Francisca filia Jo. Jacobi Trivultii nepotum Jo. Francisci, eaque expugnata, Mirandulam, & inter pontificios, & copias Ducis Ferrariæ, & Gallicas auxiliares ducentum quinquaginta equestrium, & bis millium pedestrium, factis multis levibus præliis diverso Marte, & per Venetos recepta etiam Adria, & ex eorum classe interceptis multis navigiis per Ferrarienses, & per Gallos recepto oppido Carpi, se in-

C firmavit Bononiæ ad mortem, & Ambosio secum conjunctis Bentivoliis pedestribus mille, & nonnullis turmis equestrium, ut eos reduceret Bononiam, ex agro Mutinense progresso in agrum Bononiensem, territus exhortantibus Cardinalibus, qui secum erant, & legatis Cæsaris, & Regum Angliæ, & Hispaniæ, destinavit Jo. Franciscum Picum legatum ad Ambosium pro tractanda pace inter eum & Regem Gallorum, eique consentiente Ambosio, ubi absolutis Duce Ferrariæ, ejusque auxiliaribus, & fautoribus, & cum eo factis induciis per semestre, quo utrinque recepta dimitterentur, & cognosceretur de juribus suis per arbitros hinc inde eligendos, &

D Cæsari Mutina, qui de ejus jure cognosceret, & receptis in sui gratiam Cardinalibus, qui eum deseruerant, ac Bentivoliis sibi restitutis bonis, ac ubique permissa habitatione, nisi Bononiæ, ac in locis ei propinquis per lapides septuaginta, dimissoque è carcere Cardinale Aurelianense, quem detineri jusserat, & concessis beneficiis ecclesiasticis, quæ vacassent in regnis & dominiis Regis Galliæ per eum nominandis, & servarentur conventa jam inter eum & summum Pont. his tractatis & firmatis per Picum & Albertum Pium Carpensem, se interponentibus legatis Cæsaris, ac Regum Hispaniæ, & Angliæ cum Ambosio, eis locus non fuit, superventis

E interim à Venetis ad auxilium summi Pont. ducentum velitibus Dalmatis, & turma Turcarum, sexcentumque equestribus sub Chiappino Vitellio, & exspectato Fabritio Columna etiam aliis equestribus Hispanis. Et Ambosius, cum non haberet multas copias, & Bononienses animati per summum Pont. pro eo arma sumpsissent, & nec fecissent aliquem motum ad opem Bentivoliorum, ut sperabant, diffisus viribus suis ex agro Bononiensi abiit. Et Rex Galliæ cum Rege Angliæ pacem firmavit. Et Veneti permittente summo Pont. conduxerunt ad sui stipendium Jo. Paulum Balionum, Jo. Alvisium, & Joannem Vitellios, & Laurentium Ursinum Cerinatem, & constituerunt Balionum supre-

F mum exercitus sui ducem, & Cerinatem pedestrium, & ad sanctum Bonifacium agri Veronensis commissis per eorum copias multis levibus præliis cum Cæsarianis egressis Veronam, eos fuderunt, captivatis Sacramoro Vicecomite, & Federico Gonzaga Principe Bozuli eorum ducibus, & Jo. Paulo Baliono, & multis aliis hinc inde, & dolo tentarunt occupare Veronam & Brixiam, inito tractatu cum Francisco

A cisco Gambara, sed tractatibus in lucem proditis, Gambara & multis aliis in eis urbibus de eis accusatis, captivatis, & decapitatis, & multis ex Cæsarianis, & præsertim Germanis, reversis domum, egressi Patavium octo centum equestribus, mille velitibus, & decem millibus pedestribus Malvetio duce Vincentiam, & alia sibi adempta per Cæsarianos, præter Limiacum, receperunt, & obsederunt Veronam munitam præsidio tercentum equestrium Hispanorum, quatuor centum Gallorum, & centum Italorum, & quatuor millium pedestrium Germanorum, & aliorum quinque centum, ejusque apertis mœniis, & Lactantio Bergomense, & Zitulo Pe- B rusino ibi occisis, superventis ad ejus auxilium copiis Gallicis, inde abierunt Asulam munitam præsidio Germanorum octo centum, eamque ceperunt, & in gratiam summi Pont. ac Imperatoris Turcarum dimiserunt Principem Mantuæ, & Cæsariani tercentum equestribus, & tribus millibus pedestribus Germanis, duce Principe Anaulti, egressi Veronam, & secum conjunctis mille quinque centum equestribus, & decem millibus pedestribus Gallicis Ambosio duce, & ducentum aliis equestribus, & totidem velitibus, & bis millibus pedestribus Ducis Ferrariæ, ac fossoribus tribus millibus cum tormentis bellicis, ceperunt peninsulam Rhodigii, turrem Marthesanæ, Castrum Baldi, Montagnanam, Ate- C ste, Liniacum, Vincentiam, quam diripuerunt, Limiacum, Urbiculam, Marosticam, Bassianum, Feltrum, Covolum, Insulam Scalarem, Cividate, & alia ibi loca, & superventis, & secum conjunctis aliis quatuor centum Hispanis sub duce Termolarum, expugnarunt, diripuerunt, & combusserunt Montem Silicem, sexcentum pedestribus, qui ibi erant ad præsidium, fere ad unum occisis, exercitu Venetorum sex centum equestrium, quatuor millium velitum, & octo millium pedestrium Baliono supremo duce, & Grito legato, castrametante ad Brentellas prope Patavium per lapides tres, quo Trivi- D gio præsidio munito pedem retulerant, & dum Dux Ferrariæ summo Pont. minante velle prosequi bellum in illum, Gallosque ex Italia expellere, abiisset ejus acie, ac aliis ducentum quinquaginta equestribus Ferrariam.

Et Ambosius dimissis quatuor centum equestribus, & mille quatuor centum pedestribus ad opem Cæsarianorum, & ad præsidium Limiaci occupati per Gallos, centum equestribus, & mille pedestribus ex jussu ejus Regis rediisset in dominium Mediolani, receperunt Urbiculam, Asulam, & nonnulla alia eis adempta ex agro Patavino, ut præfertur, Foro Julio etiam tunc cursitato ac direpto, ferroque, & igne E vastato per Cæsarianos ac Venetos, qui profligatis Cæsarianis ad civitatem Austriæ, & in Istria expugnata, & direpta, & solo æquata civitate Fluminis irruperunt Germaniam, & illinc multam prædam abduxerunt. Et Cæsar interventu Matthæi Langi episcopi Gurgiensis renovato cum Gallorum Rege fœdere convenit primo vere ex Germania descendere in Italiam tribus millibus equestribus, & decem millibus pedestribus, & Rex ei pendere aureorum centum millia, & auxiliari mille ducentum equestribus, & octo millibus pedestribus, & sex triremibus, & tormentis bellicis, quæ forent necessaria ad prosequendum bellum adversus Venetos juxta fœdus Ca- F meracense, interpellatis etiam summo Pont. ac Regibus Hispaniæ, & Ungariæ, an vellent esse cum eis, & ad id deliberandum præfixo quadrimestre Regibus, & bimestre summo Pont. & cum recusasset eis adhærere, nisi sedata controversia, quam habebat cum Duce Ferrariæ, & pro qua Rex Gallorum, & Dux starent illis, quæ de jure decisa fuissent, sin minus adversus summum Pont. indiceretur, ac haberetur Synodus per prælatos Germanos ac Gallicos, Cremonæ prætore Petro Borbono substituto Jo. Francisco de Baldo ibi defuncto.

Anno altero summus Pont. hyeme præter morem frigida ob nives tunc frequentes, & quibus glacie concretum fuerit flumen Padi, & die vigesima quarta Maji cadentibus pluviis, & nivibus liquefactis, dissolutum præter modum creverit, ex Bononia die secunda Januarii, dissuadentibus Cardinalibus, & legatis Venetis, accessit ad exercitum suum obsidentem Mirandulam, fulcitam præsidio quatuor centum pedestrium, Alexandro Trivultio Duce tercentum quinquaginta equestribus degentibus Carpi, Corrigio, & Guardastallo ibi vicinis, eamque, ducibus ipsius desperantibus ipsa posse potiri, & Ambosio secum tractante compositionem interventu Alberti Pii, & nec ferente ei opem, apertis ipsius mœnibus sibi deditam per Trivultium, & alios ibi duces, ac Mirandulenses, per illos, ne diriperetur, soluta pecunia pontificiis, diffisos viribus suis recepit, ac dimisit Jo. Francisco Pico una cum Concordia sub custodia quinque centum Hispanorum, & tercentum Italorum, sibi solutis per Picum aureis viginti millibus, & inde abiit Bononiam, & illinc Ravennam exercitu suo, ac Venetorum, etiam per eos recuperata peninsula Rhodigii, & Gallis castrametantibus in agro Ferrariense, & intendentibus obsidere Mutinam, eam dimisit Cæsari, & Ambosius credens ipsam dolo occupare copiis, quas habebat Ruberiæ, tractatu in lucem prodito, & sibi data fide per legatum Cæsaris non auxiliandi summo Pont. incidit in infirmitatem, qua obiit in oppido Corrigii, eique surrogatus fuit Jo. Jacobus Trivultius, qui fusis centum quinquaginta equestribus Venetorum, firmatis in agro Mirandulense, fratre Leonardo Neapolitano duce, illucque alios exspectante, eo, & multis aliis ex ipsis occisis, secum conjunctis copiis Ducis Ferrariæ Venetos castrametantes ad Bodium in agro Ferrariense invasit, ac profligavit, fusis etiam eorum classiariis, ac pontificiis occupantibus ibi Bastidam, per Ducem Ferrariæ ejus acie ad auxilium illuc profecta ibi commissis utrinque præliis. A. C. 1511.

Et summus Pont. episcopum Burgiensem legatum Cæsaris ex Mantua, ubi convenerat cum præsule Parisiense Regis Gallorum, ac Petro de Cunea Regis Hispaniæ legatis, pro tractanda pace inter eos Reges, & Ducem Ferrariæ, ac Cæsarem, & Venetos, vocavit ad se Romam, & ibi etiam secum tractata pace, & frustra eo recusante recipere in sui gratiam Ducem Ferrariæ. Et Cæsare requirente sibi pendi multam auri summam per Venetos, eis tantum dimissis Patavio, & Trevigio, ad resistendum Concilio adversus eum indicto, creavit Cardinales episcopos Eboracensem, & Sedunensem, & alios sex, & adhuc tentavit dolo recipere Genuam opera præsulis Vintimiliæ, filii Pauli Fulgosii olim ibi Ducis, qui re in lucem prodita fuit captivatus, & ductus Mediolanum. Et per Gallos mille ducentum equestres, & septem millia pedestrium, Trivultio duce capta & direpta Mirandula, & inde motis castris Paulo Manfronio tercentum equestribus ei occurrente ad Massam agri Mutinensis profligato, & captivato per Castonum Fusium, in eum destinatum quinque centum equestribus, & multis pedestribus, facto ingressu in agrum Bononiensem, diffisus viribus suis, exhortatis Bononiensibus ad sibi servandam fidem, ex Bononia, ibi dimisso ad præsidium Cardinale Alidosio mille pedestribus & ducentum velitibus, abiit Ravennam. Et Bentivolii Alidosio territo una cum Ottobono Fulgosio, & Guidone Guerino ejus sororio, & centum velitibus, die vigesima Martii in eam fuerunt recepti opera Laurentii Ariosti, & Francisci Raynutii Bononiensium, & factionis Bentivoliorum in duces electorum ad ipsius custodiam, captivatis episcopo Glusiense, ac Raphaele Patio uno etiam ex eis ducibus, dum obstitisset Gallis Bononiam ingredientibus, & exercitu pontificio, & Veneto audita defectione Bononiæ Casalegii, ubi castrametabantur, dissi-

pato ex eo captivatis Ursino de Magnano, & Julio Manfrono, & pluribus aliis ducibus, & militibus, post se dimissis quindecim tormentis bellicis, & plerisque impedimentis. Et Bononienses Urbiculam sibi dimissam per Vitellium præsulem illic præfectum, sibi solutis aureis tribus millibus, ac promissa incolumitate ejus, ac suorum, solo æquarunt. Et Dux Ferrariæ recepit Carpum, ac Cotiniolam, & multa alia in Flaminia perventa in summum Pontificem. Et Joannes Sassatellus, dux summi Pont. ad custodiam Imolæ, eam obtulit dimittere Regi Gallorum, sed Trivultius ipsam renuit accipere. Et summus Pont. tentata pace cum Rege Gallorum transmisso Cardinale de Nantes Scotto, & penes eum Regis Scotorum legato ad Trivultium ex Ravenna, ubi erat, se accinxit ad bellum prosequendum, & Alidosio per Ducem Urbini in eum indignatum, quia dimiserat Bononiam, ibi occiso, Bernardinum Caravalium, & alios Cardinales, qui eum dimiserant, & in ipsum Pisis Concilium indixerant ad primam diem Septembris excommunicavit, & ad avertendum ipsum Concilium, aliud indixit Romæ ad ædes Lateranenses pro prima die Maji proximi, & adhuc permisit in Gallia secum per ibi Regem tractari pacem, quæ etiam non successit, licet Dux Ferrariæ obtulerit dimittere Ecclesiæ ea, quæ habebat in Flaminia, eique pendere feudum consuetum pro Ferraria. Et Trivultio recepta Mirandula, sibi dimissa per Jo. Franciscum Picum, & ex ejus exercitu transmissis Veronam ad ibi præsidium quinque centum equestribus, & mille tercentum pedestribus Germanis, & bis millibus quinque centum Guasconibus, detentis ad præsidium dominii Mediolanensis, reliquo exercitu exauctorato reverso Mediolanum, & per Regem Hispaniæ revocato ex Africa Petro Navarra tribus millibus pedestribus in Hispaniam, & inde duabus classibus destinatis in Regnum Neapolitanum, eisque, ac quinque centum aliis pedestribus, & sex centum velitibus, transmissis ad subsidium, summus Pont. interdixit sacra Bononiensibus, ac jussit Mar. Antonium Columnam, & Ramazottum, eorum agrum irrumpere, & in eos facta irruptione per Bononienses, ipsis illinc repulsis, die vigesima septima Maji ex repentino morbo fere exstinctus remansit, per Pompejum Columnam, & Antonium Sabellum, opera Regis incitatis tunc Romanis ad libertatem, & recuperata pristina sanitate tentavit adhuc pacem inire cum Rege Gallorum, & eodem tempore adversus ipsum fœdus percutere cum Rege Hispaniæ, ac Venetis, ac Regem ipsum Hispaniæ, & Angliæ Regem à se ipsis inclinatos ad eidem movendum bellum incitare, & inchoato Pisis Concilio in ipsum per Cardinales schismaticos, & Gallos prælatos illuc profectos sub præsidio tercentum equestrium Odeto Fusio regulo Trecchi, & centum quinquaginta velitum Satilione ducibus, interdixit sacra Pisanis, ac Florentinis, & Lucensibus, & aliis, qui illos recepissent, & accessissent ad ipsum Concilium, illudque approbassent, & ipsos Cardinales deposuit, ac privavit dignitate. Et cum Florentini coegissent ecclesiasticos celebrare officia divina, & gravassent oneribus, eis indixit bellum, quod non fuit motum ex consilio Pandulphi Petrucii protectoris Senensium. Et constituit Cardinalem Medicæum legatum Perusii, & mortuo Cardinale Rhegiense legato Flaminiæ ei substituit. Et adhuc pace tractata inter eum & Regem Gallorum per legatos Regum Hispaniæ & Angliæ, & nec per ipsum sublato Concilio Pisano, & nec Ecclesiæ dimissa Bononia, nequaquam sequuta, percussit fœdus ad principium Octobris in Regem Gallorum, & suos adhærentes, cum Rege Hispaniæ ac Venetis, quo promisit tenere ad sui stipendium quatuor centum velites, & sex millia pedestrium, & pendere singulo mense viginti millia aureorum, & Rex Hispaniæ mille ducentum equestres, mille velites, & decem millia pedestrium, & classem duodecim triremium, & Veneti convenerunt habere octo centum equestres, mille velites, & octo millia pedestrium, & classem quindecim triremium, & pendere mensuatim viginti millia aureorum, constituto per eos supremo duce Raymundo Cardona, & ipsum fœdus possent subire Cæsar & Rex Angliæ. Et Cæsarem ipsum enixe procuravit conciliare Venetis per eum non permissis ire ad Concilium aliquibus prælatis Germanis, quod non admissis per Pisanos equestribus Gallicis, & ibi mortuo Cardinale Conscentiæ, & orto tumultu inter Pisanos & Gallos, eis, ac Cardinalibus, & prælatis ad illud congregatis Pisanis infensos, in quo Lautreccus, & Satilio, dum ad eum sedandum accurrerint, & multi alii utrinque exstiterunt vulnerati, fuit translatum Mediolanum, ibi Vicario Regis Gallorum Castono Fusio, substituto Regulo Longæ villæ illinc in Galliam reverso.

Maximilianus Cæsar habitis comitiis apud Augustam cum Electoribus, & Principibus, & legatis civitatum liberarum Germaniæ, illinc in Italiam reversus exercitu substitit inter Tridentum ac Ruperem, eoque jubente ipsius, ac Gallorum copiis ex Verona, ubi erant ad præsidium, egressis duce regulo Palissæ, & progressis in Venetos castrametantes inter Vincentiam ac Liniacum, per eos, ac Cæsarianos, & Gallos direpto agro Veronensi, Venetisque diffisis viribus suis pedem referentibus inter Patavium & Trevigium, recepit Vincentiam, & multa alia in ea regione, & pleraque una cum Vincentia diripi jussit, & equestribus quinque centum, & bis millibus pedestribus, profectis Castrum novum, illo etiam intercepto, & ex eis proficiscentibus è Verona, Suapium firmatis ad Insulam Scalarem tercentum pedestribus, & nonnullis equestribus fusis prælio per Venetos captivato Guidone Rangono, & secum conjunctis Germanis ingressis Forum Julium, Dalmatiam, ac Istriam, & omnibus, quæ ibi habebant Veneti, sibi vendicatis, per eos obsesso Trevigio, & commissis multis levibus præliis inter ipsos ac Venetorum copias, in quibus multi utrinque occubuerunt, & captivi remanserunt, & abeuntibus Gallis in dominium Mediolani jussu eorum Regis, Veneti omnia, quibus exsuti fuerant per Cæsarianos & Gallos, receperunt duce Manfronio surrogato Malvetio tunc defuncto. Et Rex Gallorum, dum proposuisset Bononiam, ubi restitueretur libertati, dimittere Ecclesiæ, transmisso ad Cæsarem, degentem in oppido Brumechi vicino Tridento, Andrea Burgo Cremonense penes se legato Cæsaris, ut eum erga se confirmaret in fide; & per Germanos occupato in valle Candoria oppido Bacioveni valde munito, & tractata pace cum summo Pont. adhuc infecta remanente, jussit dimissis ad præsidium Veronæ tribus millibus pedestribus, reliquum suum exercitum cogi in dominio Mediolani, & ibi novo militum delectu augeri, ut eo ad primum ver summus Pont. in Flaminia moveret bellum, intendens, ut illud totis viribus prosequeretur, accedere Mediolanum. Et Suitensibus, & Rhætis in eum indignatis, & incitatis per summum Pont. ac Venetos, de mense Novembris ingressis Insubriam, & progressis fere usque Mediolanum, & auctis ferme usque ad decem millia. Et Pontificiis, Cardinale Medicæo legato, & Marco Antonio Columna duce, profectis Faventiam, & in montibus Bononiensibus capta arce Sassatelli, & adversus eos ad præsidium Bononiæ transmissis ducentum equestribus ex dominio Mediolani per Odettum ibi rectorem ex quinque centum equestribus, & bis millibus pedestribus, quos tantum ibi habebat, aliis degentibus ad præsidium Veronæ & Brixiæ, & aliis copiis per eum ac Mediolanenses coactis, & cum non ausi fuissent prælio congredi cum Suitensibus & Rhætis pedem referentibus in suburbia Me-

Mediolani, jussit ei totis viribus resisti, transmissis quibuscunque equestribus, præter ducentum detentos ad custodiam Picardiæ, illuc ex Gallia Transalpina. Et requisivit à Florentinis copias auxiliares, quas dare recusarunt. Et Suitenses, & Rhæti petita, & nec habita pecunia ab Odetto, ad eum Mediolanum transmisso legato, nulla re gesta domum redierunt. Rex Hispaniæ Joanne Rege Navarræ obsidente Perpignanum, inter eorum copias commisso prælio, & Joannis profligatis, illinc, ac ex tota Biscaya expulso. Et dum Hispani Duce Alvæ rectore irrupissent Cantabriam, vulgo Vasconiam, & ad Pyrenæos montes, & ibi ad sinum & pedem Portus, & Roncisvallem præsidia imposuissent, & ex Gallis equestribus mille, velitibus mille quinque centum sub Delphino, & decem millibus pedestribus sub Palissa, sibi occurrentibus, & utrinque commissa pugna, illis profligatis, & per Regem Navarræ & Palissam aucto exercitu ad quadraginta millia, rursus obsesso Perpignano, & per Delphinum ejus equestribus concursata ac direpta Cantabria, & dimisso Perpignano ob penuriam annonæ, regressis domum Cantabriam occupavit. Et classe Anglica ingressa mare Normandiæ, eamque diripiente, & classe Gallica ex Genua ab Italia ei occurrente, inter ipsas fuerunt commissa prælia maritima.

Cremonenses, dum eorum agrum irrupissent Brixienses, ipsumque diriperent, in illos egressi Nicolao Dovaria duce eos fuderunt, ex ipsis occisis viginti, & quatuor centum captivatis. De mense Februarii viguerunt graves terræmotus, & die vigesima sexta Martii Venetiis, Patavii, Rhodigii, & Utini, ob eos multa ædificia corruerunt, & diebus quarta decima, & decima octava Septembris, & mox per decem & octo dies Byzantii muros spectantes mare horrendus adeo concussit terræmotus, domosque subivit, ut ruderibus fossam compleverit, & solo æquaverit, arcem Turcarum Imperatoris, in cujus quinque munitissimis turribus immensi thesauri servabantur, domumque egregiam, in qua leones alerentur, & everterit cuniculos, quibus longis itineribus, & per montes ex Danubio in urbem aquæ educebantur summis impensis, & laboribus effectos adeo quassavit, ut vix instaurari potuerint, ipsum quoque mare inter Byzantium, & Peram usque adeo intumuerit, ut utrinque muros excesserit, suis incolis in utranque prolapsis, gravi illic accolarum damno, & cæde circiter trium millium. De mense Maji in agro Cremonense ceciderunt pluviæ gravi fragore tonitruum, & fulguribus, & lapidibus sulphureis instar ovi gallinacei diversorum colorum, & die quinta & sexta Septembris visi fuerunt ex luna abire globi ignei, & vapores versus Mediolanum, & hora secunda noctis diei quinti aere sereno etiam ex luna visus fuit abire vaporem, & audito tonitru gravi cum-strepitu cadentibus è cœlo in vicis Montodeni, & Melearani propinquis flumini Abduæ agri Cremensis, lapidibus, & in vico Bagnoli agri Brixiensis uno librarum centum diviso in multa frusta, sulphureis & ferrugineis, & per duas horas squammis igneis etiam egressis ex luna vagantibus per aera, & die decima supervento nimbo cum tonitribus, & fulguribus, & grandine mixta lapidibus, per fulgurem ex horologio pinnaculi templi majoris Cremonæ dejecta fuerunt duo signa horarum cum nonnullis lapidibus, summo omnium stupore; & die vigesima inchoavit pestis, qua multi perierunt; & erectum fuit Lazaretum extra portam sancti Lucæ, & viguit dura fames, & per Gallos, & Guascones ibi habentes stativa, illic incolæ & rurales gravi affecti fuerunt damno. Et in agro Ravennæ die sextadecima Martii ex muliere ignobili prodiit in lucem portentum cum cornu in fronte, ore leonino aperto, & nonnullis stigmatibus in pectore, crure sinistro desinente in caudam piscis, oculo in genu, femore femineo, & aliis virilibus, cum duabus alis vespertilionis loco brachiorum tenus humeros.

Anno sequente pontificii octo centum equestres, totidem velites, & octo millia pedestrium Italorum sub Mar. Antonio Columna, Jo. Alvisio Vitellio, Malatesta Baliono, & Raphaele Patio, Medicæo legato Apostolico, secum conjunctis aliis mille equestribus, octo centum velitibus, & totidem pedestribus Regis Hispaniæ sub Ugone Cardona prorege Neapolis, & Fabritio Columna progressi in Flaminiam, omnibusque ibi Ducis Ferrariæ receptis, & expugnata Bastida die tertia Januarii, cunctis fere, qui ibi erant ad præsidium, occisis, & ferme statim recuperata per Ducem illuc ejus acie profectum, ibi etiam interemptis ducentum equestribus, illic ad præsidium dimissis per Petrum Navarram Vitellio improbante, obsederunt Bononiam, Lautrecco & Yvone Alegria illuc ad præsidium ex dominio Mediolani properatis ducentum equestribus, & bis millibus pedestribus. Et mox cum pontificii & Hispani eam oppugnassent, illius multo spatio mœniis apertis, & effossis cuniculis, Castono Fusio Visigotto media ac dura hyeme exercitu profecto in agrum Ferrariensem, & ex agro Bononiense receptis Plebe, ac Finali, & in Bononiam ad ibi subsidium transmissis ducentum pedestribus, & centum octuaginta equestribus, eam clam hostibus ingresso mille tercentum equestribus, & sex millibus pedestribus Germanis, & octo millibus Italis cum annona & re bellica, & illinc volente erumpere in pontificios ac Hispanos, inde pedem retulerunt. Et Castonus, dum Veneti die secunda Februarii recepissent Brixiam, sibi proditam per Alvisium Advocatum, & multi ex ejus oppidanis, ac Bergomenses se ipsis permisissent, dimissis ad præsidium Bononiæ tercentum equestribus, ac quatuor millibus pedestribus, & Ferrariam destinatis centum quinquaginta equestribus, & tercentum pedestribus, reliquo exercitu properavit versus Brixiam, ut eam ibi arce in fide Gallorum adhuc persistente recuperaret, & trajecto Pado ad vicum Stellatæ agri Ferrariensis, fusisque ad Turrem Magnanelli juxta flumen Adigis in agro Veronense tercentum equestribus, quatuor centum velitibus, & mille ducentum pedestribus Venetorum, qui in eum inciderunt, Jo. Paulo Baliono, Baldesare Perusino, & multis aliis eorum ducibus, ac militibus captivatis, & multis aliis occisis, & in agro Brixiense aliis velitibus interceptis, ac profligatis, Meleagro Forilivienseeorum duce etiam captivato, ad ipsam applicuit, eamque munitam præsidio tercentum equestrium, octo centum velitum, & octo millium pedestrium, & aliorum evocatorum ex vallibus Tropiæ, & Sabiense factionis Advocati, dum obtulisset accipere incolumem salvis Venetis, per ibi arcem ingressus die decima nona Februarii commisso utrinque prælio redegit in sui potestatem, ac diripi jussit per septem dies, salva mulierum pudicitia, & re ecclesiastica, ex Venetis & Brixiensibus circiter octo millibus occisis una cum Federico Contareno patritio Veneto, & captivatis Andrea Grito, Antonio Justiniano, Jo. Paulo Manfrono, & Advocato, & duobus illius filiis, & plurimis aliis, & Advocatis dimembratis, & mox recuperavit Bergomum. Et pontificii, ac Hispani, & Veneti classe fluviatili Venetorum ingressa flumen Padi, & per ejus navarchos in agro Ferrariense illato gravi damno capta Argenta adhuc obsederunt Bononiam.

Et Rex Gallorum, cum Reges Hispaniæ & Angliæ in eum instigati per summum Pont. sibi indixerunt bellum, nisi jussisset dissolvi Concilium, quod Mediolani habebatur in summum Pont. ac Ecclesiæ Rom. dimisisset Bononiam. Et Cæsar quoque in

A. C. 1512.

 eum

eum indignatus, concitato per ipsum Principe Geldriæ in Brabantinos Maximiliano adhærentes, illumque accusando, quod ejus culpa non receperat Patavium, cum ad id sibi noluisset concedere Trivultium ducem, & etiam requirendo per eum sibi committi controversiam, quam pro Duce Ferrariæ cum summo Pont. habebat, Bononiamque dimitti Ecclesiæ, ac desponsare, & consignare ejus filiam minorem natu Carolo ejus nepoti, novumque fœdus inivisset cum summo Pont. & omnibus imperio subditis interdixisset, ne Gallo militarent, & suppetias ferrent, tentavit Elvetios in suas partes trahere, & per Florentinos receptos in gratiam summi Pont. sibi denegatis copiis auxiliaribus, & per Cæsarem die sexta Aprilis factis induciis cum Venetis per octo menses, jussit Castonum mille sex centum equestribus, quinque millibus Germanis, totidem Guasconibus ex Gallia Transalpina in Italiam transmissis, & decem millibus Italis, secum conjunctis aliis centum equestribus, & bis millibus velitibus Ducis Ferrariæ, cum eo ac Cardinale Severinate legato Concilii transire in Flaminiam, & Castonus eis ingressus agrum Bononiensem, pontificiis, ac Hispanis, & Venetis mille quatuor centum equestribus, mille velitibus, septem mille Hispanis, & tribus millibus Italis pedestribus, Bononiam dimittentibus, & pedem referentibus, ne cogerentur confligere cum Gallis, ibi per triduum substitit, & secum conjunctis nonnullis aliis copiis Bononiensium, illinc Ravennam profectus, eam obsedit, ac oppugnavit, illuc ad ejus subsidium properato Marco Antonio Columna sex centum velitibus, & totidem pedestribus, & ad ejus subsidium accedentibus aliis pontificiis, & Hispanis, & Venetis. Et dum Galli sibi intercepta annona per Venetos classe, quam habebant in flumine Padi adversus Ferrariam, unde vehebatur, cum terris duci nequiret, oppressi forent penuria, apertis Ravennæ mœniis, illinc dimissis ad præsidium castrorum Alegria quatuor centum equestribus, & Paride Scotto mille pedestribus, reliquo eorum exercitu progressus fuit in illos, & trajecto flumine Aquædusæ, utrinque facto conflictu prope Ravennam per tria millia passuum die undecima Aprilis, & solemnitatis Paschatis, Cardona, & Antonio Læva eorum turmis pedem referentibus, Galli prævaluerunt, Castono tamen cadente una cum Alegria, & multis aliis ducibus, & sexcentum equestribus, & septem millibus pedestribus ex illis, & ex Hispanis, & pontificiis, & Venetis autem desideratis septem millibus pedestribus, & sex centum equestribus una cum Joanne Avelino, & captivatis Medicæo legato, Petro Navarro, Fabricio Columna, Ferdinando Davalo Marchione Piscariæ, ac Marchionibus Paludis, & Bituntis, & multis aliis utrinque vulneratis, & ex Ravenna abeuntibus Columna, & Vitellio, & reliquis Hispanis recedentibus in regnum Neapolitanum, eam ingressi deprædati sunt, & mox Forilivium, Imolam præter ibi arcem, Cesennam, Ariminum, & multa alia oppida Flaminiæ regulo Palissæ eorum duce receperunt. Et summus Pont. hac audita strage exhortatus per Cardinales pacem inire cum Gallorum Rege, & incitatus per legatos Regis Hispaniæ & Venetorum adversus ipsum bello prosequi, & auctoribus Cardinalibus Nantes & Strigoniæ inclinato ejus animo magis ad pacem, quam ad bellum, Cardinale Finalis, & episcopo Tiburis ex urbe destinatis in Galliam ad Regem, & per eum inde Florentiam præsule Granopolis stabilita pace per summum Pont. facta promissione ab eo restituendi ad pristinos honores Cardinales, & alios prælatos, qui in eum Concilium coegerant, ac recipiendi in ejus gratiam Ducem Ferrariæ, per ipsum restitutis Rom. Ecclesiæ omnibus, quæ tenebat in Flaminia, & soluto pro Ferraria feudo antiquo, & omissa fabrica salis ad Bondennum, & etiam Bentivolios, sibi dimissis omnibus eorum bonis, & per Regem promissa dissolutione Concilii, ac restitutione Bononiæ, ac aliorum, quæ penes eum erant, Ecclesiæ Rom. eaque pace improbata per Thomam Vlierium præsulem Eboracensem Regis Angliæ, & Arbiracensem Hispaniæ penes summum Pont. legatos, & Cardinales.

Et cum Suitenses indignati in Regem Gallorum decrevissent adhærere summo Pont. & in ejus auxilium in Ducem Ferrariæ ire ex eis sex millia, & in partes summi Pont. transivisset Dux Urbini, qui eum deseruerat, & Pompejus Columna auctore Prospero, & Robertus Ursinus auctore Julio etiam Ursino factus episcopus Rhegiensis, & alii proceres Rom. qui pro Rege decreverant bellum movere summo Pont. habito stipendio ab ipso Rege, quod retinuerunt. Et Palissa per generalem Normandiæ Vicarium Regis Gallorum in dominio Mediolani cum illuc accersitus ad ibi præsidium adversus Suitenses, eo properasset ex Flaminia, ibi dimissis ad præsidium eorum, quæ illic tenebantur per Gallos, tercentum equestribus, totidem velitibus, & sex millibus pedestribus sub Cardinale Severinate, inchoavit die tertia Maji Concilium Romæ ad ædes Lateranenses. Et ex Suitensibus decem & octo millia revocata in Galliam per ibi Regem parte turmarum equestrium, quas habebat Veronæ, & alibi in Italia ad sui auxilium adversus Regem Angliæ, qui sibi moverat bellum, & percusso novo fœdere per eum cum Florentinis, ab eis habitis ad subsidium dominii Mediolanensis tercentum equestribus, descenderunt per montes Tridentinos in agrum Veronensem, sibi concesso libero aditu per Cæsarem, & ad Villam Francam secum conjunctis quatuor centum equestribus, octo centum velitibus, & sex millibus pedestribus Venetorum Baliono duce, ad præsidium Mediolani, & alibi in Italia pro Rege Gallorum degentibus tantum decem millibus pedestribus & mille tercentum equestribus, & Cardinale Severinate copiis, quas secum habebat, ex Flaminia profecto Ravennam, & ibi urbibus, quæ pervenerant in jus Gallorum ab Ecclesia, ad eam reversis progressi sunt usque Valegium, & ibi sibi occurrente Palissa ad Pontolium septem millibus pedestribus, & mille equestribus, ut eis impediret iter, per eos die tertia Junii prælio profligato, & per ipsum dimisso Valegio, & profecto Gambaram, & illinc ad præsidium Brixiæ destinatis bis millibus pedestribus, & ducentum quinquaginta equestribus, & Bergomum totidem aliis pedestribus, & centum equestribus, & Cremam totidem pedestribus, & octuaginta equestribus, & Parmam pro subsidio Bononiæ tercentum equestribus, inde reliquo exercitu profecto ad Pontisvicum, & cum ibi dimissus fuisset per Germanos jussu Cæsaris combusto Pontisvico, & disjecto ponte, quo ibi flumen Ollii conjungitur, inde die quarta Junii Cremonam, & per ipsos Pescheria, & nonnullis aliis ibi locis receptis, eum insequuti sunt, & Palissa Cremonæ diffiso subsistere Piceleonem profecto die septima Junii, ingressi agrum Cremonensem, ibi ad fanum sancti Martini Cremonæ propinquum per lapides quinque castra firmarunt, & inter velites Venetos, qui incursarunt usque ad Aquas nigras etiam agri Cremonensis, & Gallicos ibi sibi occurrentes facto levi prælio pari Marte, sibi, ac Venetis solutis aureis quadraginta millibus per Cremonenses, ne Cremona diriperetur, quemadmodum minabantur, Matthæo Lango Sedunense Cardinale tit. sanctæ Potentianæ, eorum supremo duce, una cum præsulibus Viennæ & Laudæ, ingresso die octava Cremonam, ibi prætore Regio Ludovico Gallarato, eam receperunt per Sedunensem ejus dominio translato in Maximilianum Sfortiam primo-

mogenitum Ludovici, ibi constituto Prætore Alexandro Sfortia Pisauriense, insequuti sunt Gallos, qui deficientibus ab eis Mediolanensibus, & aliis Insubribus, & per eos, ac Gulielmum Palæologum Marchionem Montisferrati in illos motis armis, aufugientibus Jo. Jacobo Trivultio, Antonio Maria Pallavicino, & Galeatio Vicecomite in Galliam Transalpinam, secum ducto Cardinale Medicæo, & eis, dum pervenissent ad Augustam Baccianorum erepto per Raynaldum Zaldum, & nonnullos alios ad id per eum coactos, & omissa Laude pedem retulissent ad oppidum sancti Angeli, & inde Papiam, progressi Laudem, eam die tertia decima Junii receperunt, & mox Mediolanum, & inde Papiam iverunt, & ibi ad arcem cum Gallis commissa pugna, eos profligarunt, & inde fugarunt die decima octava, & qui multis ex eis desideratis dimisso Mediolani dominio, posito ponte super flumine Padi ad Valentiam, & eo illinc trajecto regressi fuerunt in Galliam Transalpinam, ut ibi se ac sua tuerentur.

Et per Mediolanenses, Papienses, & alios dominii Mediolanensis se sponte permittentes Suitensibus ac Venetis, sibi soluta pecunia juxta eorum vires pro redemptione bonorum suorum, & per Suitenses Lucerna, & Rhætos Valle Tellina, & Clavenna, & multis aliis locis ad fines dominii Mediolanensis, & per Sedunensem Viglebano ex eo retentis, illud ex ordine summi Pont. transtulerunt in Maximilianum Sfortiam præter Placentiam & Parmam dimissas Ecclesiæ Rom. Et Genuenses è Genua, dum eis appropinquasset Joannes Fulgosius copiis suis, & aliis auxiliaribus Venetorum, ad quorum stipendium militabat, abeuntibus Gallis, qui ibi erant ad præsidium, se vendicarunt in libertatem, & ibi, ac Mediolani, & Cremonæ arcibus, ac Brixia, & Crema, & Limiaco adhuc in fide Gallorum persistentibus oppugnarunt arcem Casteleti, eamque inde militibus, qui erant ad ibi præsidium cum eorum præside dimissis incolumibus sibi solutis aureis decem millibus receperunt, arce Lanternæ, adhuc sibi data annona per Gallos, confirmata in fide eorum Regis, Venetique, Baliono & Cerite ducibus, die prima Augusti obsederunt Cremonam, per eos, ac bis mille Suitenses castrametantes in agro Cremonense, mille ducentum equestribus, & sexaginta velitibus Florentinorum Luca Sabello duce redeuntibus Florentiam sub fide ducum Venetorum per ipsum agrum, direptis ex jussu summi Pont. & compulsis Venetis Christophoro Mauroceno, & Paulo Capello eorum legatis captivatis per Suitenses, ex præda Florentinorum facta per eos illis pendere sex millia aureorum, & Marchionem Montisferrati sibi consignare Nicolaum Caponem Florentinorum legatum profectum Casale sancti Evasii, iverunt dimissa Cremona, ibi relictis quatuor millibus Suitensibus Octaviano Sfortia, præsule Laudæ, dominii Mediolanensis rectore, Cremam, eamque dolo ex consensu reguli Durassi Gallici ibi arcis præsidis habuerunt à Benedicto Cribello, & Cerite eam ingresso copiis suis, iverunt Brixiam obsessam, & inde facta eruptione per Gallos, ibi ad præsidium degentes, in illos castrametantes in vico Paterni agri Brixiensis, ex ipsis occisi fuerunt ultra tercentum equestres. Et præsul Gurgensis pro Cæsare una cum Cardona pro Rege Hispaniæ, & legatis summi Pont. & Suitensium habitis comitiis Mantuæ, decrevit dominium Mediolani dimitti Sfortiæ, & in Florentiam reduci Medicæos, & Gallis degentibus ad custodiam Limiaci, eo dimisso Cæsari, egressis ipsum sub fidantia sibi data per Gurgensem, spoliatis ea spreta per Venetos obsidentes Brixiam, profectus Romam ad summum Pont. una cum legato Regis Hispaniæ, confirmato Sfortiæ dominio Mediolani absque privilegio conquestus est adversus summum Pont. per eum fuisse occupatas Parmam & Placentiam ipsius dominii, ac Imperii Rom. & quæ nunquam fuerant Ecclesiæ Romanæ.

Et ex Hispanis equestres ducentum, & pedestrium quinque millia duce Cardona ex regno Neapolitano profecti sunt in agrum Brixiensem, cum eorum Rex intenderet ipsos transire in dominium Mediolani, eisque per summum Pont. & Venetos solvi stipendium, quod in fœdere utrinque facto promiserant, & recusabant pendere, & nec solveretur, concitarunt tumultum in Cardonam. Et Florentiæ ad denotandam ejus repressionem percusso fulgure ibi insigni marmoreo affixo illic portæ, qua itur Pratum, & ex eo excusso lilio cum superiori parte ibi palatii, & inde per thalamum vexilliferi progresso ad scalam, dejecto quoque lapide marmoreo, eodem duce Cardona, & Joanne Medicæo legato, & Juliano ejus fratre profecti ex agro Bononiense in Hetruriam adversus Florentinos, eisque moto bello oppugnato Prato, munito præsidio centum equestrium & bis millium pedestrium, Luca Sabello eorum supremo duce, & ibi vigente gravi penuria, dum Florentini tractarent compositionem cum Hispanis, illud expugnarunt, & diripuerunt supra bis millibus ex illic militibus, ac incolis occisis, & multis captivatis die ultima Augusti, & receptis in eorum fide Pistoriensibus, compulerunt die prima Septembris Florentinos diffisos viribus suis recipere Medicæos in dominos, Petro Soderino eorum vexillifero exauctorato inde abeunte, & loco ipsius electo Jo. Baptista Rodulpho, & solutis per Medicæos Cæsari quadraginta millibus aureis, & Hispanis totidem, & Cardonæ viginti millibus, & per Florentinos factis aliis ordinibus percusso fœdere cum rege Hispaniæ, utrinque promissa mutua defensione, & per Florentinos conductione ad eorum stipendium ducentum equestrium Hispanorum, & mox ex Hetruria descenderunt in Galliam Cisalpinam, & à Gallis degentibus ad præsidium Brixiæ, & Pischeriæ, Obegnino duce, Venetis obsidentibus Brixiam, & dolo eam occupare sperantibus, ipsas habuerunt die vigesima Octobris, & Gurgense Brixiam requirente nomine Cæsaris, eam recusarunt sibi dimittere. Et summus Pont. sibi dimissa Bononia per Bentivolios sibi diffisos, ei se appropinquante Duce Urbini exercitu ecclesiastico posse eam tueri, eos excommunicavit, ac dure se habuit adversus Bononienses, & ad preces Principis Mantuani, & legati Regis Hispaniæ, & Fabritii Columnæ ex Ferraria in gratiam ibi Ducis dimissi, obtulit eum Ducem coram se habitum in gratiam suam recipere, per ipsum dimissa Ecclesiæ Rom. Ferraria, ejus loco sibi data civitate Hastense in Gallia Subalpina ex dominio Regis Gallorum in Ecclesiam perventa, & exsuit dominio Rhegii, & dum Dux his sibi obventis præter spem ac votum suorum intercessorum, inscio summo Pont. auxilio Fabritii & Prosperi Columnensium, ex urbe abiisset, eos, ac Regem Galliæ, & adhærentes suos anathematizavit, eorumque regna, ac dominia, & bona concessit ipsa occupantibus, absolutis à juramento fidelitatis sibi præstito illorum subditis. Et cum Concilium schismaticum fuisset translatum Lugdunum, jussit inde transferri nundinas Genebram, unde Ludovicus XI. olim Rex Gallorum jusserat transferri Lugdunum. Et Suitensium legatos duodecim, ad se Romam per eos transmissos, summo cum honore ac gaudio recepit, ipsorumque Reip. concessit insigne ensis & galeæ cum vexillo, & titulo super eo posito defensorum libertatis ecclesiasticæ; & tentavit cum legato Regis Hispaniæ, ut sibi concederet copias auxiliares adversus Ducem Ferrariæ, quibus vendicaret Ecclesiæ Rom. ejus Ducatum, & nec protegeret Columnenses, & Florentinos, Senenses, Lucenses, & regulum Plumbini, & Cæsare, Rege-

que Hispaniæ cupientibus dominium Mediolani conferri alicui ex ejus nepotibus, & ægre ferentibus ex ipso Parmam & Placentiam pervenisse in Ecclesiam, discordibus cum eo, Helvetiisque intendentibus illud remanere Maximiliano Sfortiæ, & cum etiam protegerent Ducem Ferrariæ, quem insequebatur summus Pont. Cæsar tractata per summum Pont. cum Gurgense ejus legato compositione inter ipsum ac Venetos, obtulit eis sibi dimissa Vincentia, ac soluto feudo annuo aureorum triginta millium, & tunc numeratis aureis ducentum millibus per ipsos, dimittere Patavium, Trevigium, Brixiam, ac Bergomum, & cum Veneti id recusassent facere, Romæ etiam ob id, ut pax foret in Italia, conventis legatis Regis Angliæ, Florentinorum, Senensium, Ducis Ferrariæ, Principis Mantuæ, & Suitensium de mense Novembris adhæsit cum Rege Hispaniarum summo Pont. adversus Venetos ac Bentivolios, dimissis Ecclesiæ Parma & Placentia salvo jure Imperii, ac approbato Concilio Lateranense, & improbato Pisano, & jussit Germanos, qui erant ad stipendium Ducis Ferrariæ, ab eo abire una cum Federico Principe Bozuli, & nec Gallis adhærere.

Et summus Pont. promisit non infestare Columnenses præter Julium ac Pompejum, & alios jam declaratos rebelles Ecclesiæ, & nec ipse, nec Cæsar cum aliquo Principe fœdus percutere, nisi uterque consentiret, data facultate Venetis habendi pacem cum Cæsare intra semestre. Et mox cum Gurgensis, & Cardona, & deinde ex Germania Maximilianus Sfortia die sextadecima Novembris, & postea Sedunensis, & Laurentius Campegius legatus Apostolicus Cremonam accessissent, & illinc, cum ibi moram habuissent per mensem, Mediolanum, Sfortia ibi eis præsentibus, ac legatis Suitensium die ultima Decembris habuit insignia dominii Mediolanensis à Cardinale Sedunense, orta ob id inter eum & Cardonam contentione. Et Reges Angliæ & Hispaniæ, junctis copiis Hispanicis cum sex millibus pedestribus ad Fontem Rabidum, & per Regem Angliæ ad littora Normandiæ & Britanniæ, ibi, ac in Ducatu Gennæ moverunt bellum Regi Gallorum ad principium Maji. Et Rex Hispaniæ Joanne, filio Albreti, & Catherinæ de Fusis Reginæ Navarræ marito, requisito, ut durante bello sibi daret nonnullas arces tenendas, & nec ipsi, nec Regi Gallorum adhæreret, ab eo habuit ipsas arces. Et cum Rex Gallorum vocato patre Joannis ad se in Galliam, eum annixus fuisset secum conjungere, & ipse diffisus fuisset ejus auxilio, illum exsuit Regno Navarræ, præter nonnullas arces, illuc transmisso exercitu, asserendo illud, cum adhæsisset Regi Gallorum jure merito occupasse. Et Joanne profecto in Regnum Gennæ, Rex Gallorum coactis octo centum equestribus, ac multis cohortibus Germanorum, Anglicis discordibus cum Hispanis in bello gerendo reversis in Angliam, Hispanis dimissis, classe omni prius littore inter Hispaniam & Angliam occupato, destinavit exercitum sub Delphino, & Carolo Duce Borboni, & Principe Longæ villæ, adversus Hispanos castrametantes ad fines Navarræ, & Galliæ, Federico Alvæ eorum rectore, & qui Gallis ope Regis Navarræ, & sibi junctis septem millibus pedestribus, & tercentum equestribus sub Regulo Palissæ, & aliis septem millibus Germanis pedestribus, & quatuor centum equestribus, tentata occupatione Runcisvallis, profectis Pompejopolim, illinc dimissis præsidiis ad fines Galliæ, eo properavit ad subsidium, & ipsam ingressus fuit, quam Galli frustra oppugnatam, diffisi ea potiri, dimiserunt, & inde redierunt in Galliam una cum aliis tribus millibus pedestribus, & tercentum equestribus, Lautrecco duce ex Cantabria. Rex Hispaniæ jussit per Cardonam ducem suum in Italia moveri bellum Duci Ferrariæ.

A. C. 1513. Et anno sequuto ex Hispanis tria millia regulo Paludis duce occuparunt, ac receperunt Tricium à procere Brianerio Visigotho, ibi ad præsidium degente, illic commissis utrinque multis levibus præliis, & die vigesima quinta Januarii sexdecim millia irruperunt agrum Cremonensem, eoque direpto, trajecto flumine Padi iverunt in agrum Parmensem. Rex Gallorum auctore Gurgense, cum tentasset sibi conjungere Cæsarem, & qui ei adhærere annuisset, ubi Rex sibi vendicato dominio Mediolani desponsasset Carolo nepoti Cæsaris filiam secundam cum dote ipsius dominii, penes Cæsarem dimissa Cremona, cum Insula Fulcheria, donec adolescerent, & fuissent habiles ad consummandas nuptias, & concesso, & remisso omni jure ei spectante in Regno Neapolitano, & etiam Regem Hispaniæ, & Helvetios, ad eum transmisso Duce Tramoliæ, sibi concessis arcibus Lucernæ, ac Vallis Lugani; & Veneti quoque tentassent sibi conciliare Cæsarem, & nec potuissent, nisi ei numeratis aureis ducentum quinquaginta millibus, & soluto censu annuo aureorum quinquaginta millibus, eis dimissis Verona, ac Vincentia, fœdus percussit cum ipsis, dimissis Grito & Alviano penes se captivis, & sibi per eos promissis ad recuperationem Genuæ, Hastæ, ac dominii Mediolanensis, equestribus octo centum, velitibus quinque centum, & decem millibus pedestribus, & per ipsum eis copiis auxiliaribus ad recuperandum ipsorum dominium, quo exsuti fuerant post fœdus Cameracense. Julius Secundus Pont. Maximus Joannem Albretum Com. Druidum exauctoravit Regno Navarræ, illudque concessit Regi Hispaniæ, qui illinc expulso Albreto ipsum vendicarat, & dum per eum summus Pont. emptis à Cæsare Senis pretio aureorum triginta millium, intenderet earum Ducem constituere Franciscum Mariam della Rupere ejus nepotem, ac Ducem Urbini, & Ducem constituere Pisauri, & quoque recipere Mutinam à Cæsare, sibi mutuatis aureis quadraginta millibus, ac movere bellum Lucensibus, nisi sibi dimisissent Grafinianam, quam ademerant Duci Ferrariæ, & indignatus foret in Cardinalem Sedunensem, quia ex dominio Mediolani sibi vendicarat redditum annuum aureorum supra triginta millium, & ob id exauctoratum munere legationis Apostolicæ, & coram se citatum, & ut ex Perusio expelleret Jo. Paulum Balionum, & Senenses magis fideles haberet, conduxisset ad sui stipendium Carolum etiam Balionum, & affinem filiorum Pandulphi Petrucii, adhuc obtinentium primatum Senis, intenderetque ex Ducatu Genuæ expellere Joannem Fulgosium, eique substituere Octavianum agnatum suum, & Regem Gallorum privare titulo Christianissimi, eumque conferre Regi Angliæ in ipsum incitos, Hispanosque Italia expellere ope Suitensium, incidit in infirmitatem, & dum confirmari fecisset per Concilium Lateranense decretum, quod fecerat adversus occupantes Sedem Apostolicam vi, seu pretio, ac declarasset electionem summi Pont. spectare Cardinalibus, non autem Concilio, & ordinasset, ne electioni sui successoris intervenirent Cardinales, qui ab eo defecerant, & rogasset Cardinales, ut Ducem Urbini constituerent vexilliferum Ecclesiæ, sumptis sacramentis ecclesiasticis obiit ex febre, & dysenteria, septuagenarius nocte præcedente diem vigesimam secundam Februarii, anni decimi sui pontificatus.

Et Hispani die quarta Martii profecti Placentiam, & mox Parmam, eas redegerunt in potestatem Maximiliani Sfortiæ. Et Dux Ferrariæ receptis his, quibus fuerat exsutus in Flaminia, tentavit Rhegium recipere. Et Joannes Medicæus, filius Laurentii, per Cardinales viginti quatuor ingressos conclave, postquam in eo stetissent per dies septem, die quarta Martii opera Cardinalis Bibiennæ electus fuit summus

mus Pont. & Leo X. nominatus, qui in sui gratiam recepit Cardinales sanctæ Crucis, & Severinatem, ac Ducem Ferrariæ, qui in ejus coronatione ac pompa in ecclesia Lateranense habuit vexillum Ecclesiæ, & Suitensibus adhæsit, ac promisit quotannis solvere aureorum viginti millia ex ære Ecclesiæ, ut in ejus fide persisterent, & tentavit concordiam Regis Gallorum, & Cæsarem componere cum Venetis, & per eum requisitus adversus illos destinavit ducentum equestres Troilo Sabello, Lucio Columna, & Achille Taurello ducibus, & per Gurgensem præsulem legatum Cæsaris ad se Romam profectum una cum Francisco Sfortia creavit Cardinalem, & Florentinos ac Lucenses invicem belligerantes, per Florentinos, ac Medicæos conducto ad sui stipendium Marchione Piscariæ cum Hispanis, controversiam sibi per eos commissam composuit, dimissis per Lucenses Florentinis Petra sancta, ac Mutiano, & Duci Ferrariæ Grafiniana, & omnem Flaminiam redegit in jus Ecclesiæ. Et Rentius Cerites mille pedestribus, & ducentum equestribus, ex Crema abiens, spoliata turma quadraginta equestrium Alexandri Sfortiæ, Soresinæ hybernantium, Gallis obsessis in arce Cremonæ annonam tulit. Et Rex Gallorum transmissis decem millibus pedestribus, & equestribus quinque centum versus Fontem Rabidum, & Regem Navarræ in Hispanos, & Morinis ac Tornacensibus in Gallia Belgica se ei permissis, & classe Anglica depopulante littora Aquitaniæ, suspensis armis per annum cum Rege Hispaniæ extra Italiam, illuc ex Gallia destinavit mille quinque centum equestres, octo centum velites, & octo millia Germanorum sub Roberto Marchiæ Duce, & septem millia Gallorum sub regulo Boemuntis, omnium supremo duce Tramolia de mense Maji, & receptis ejus nomine Alexandria & Hasta per Camillum Trivultium, & Mediolanensibus, dum Sfortia Helvetiis quatuor millibus sub Giordino Vindelico properatis ad ejus auxilium, ac Italis sub Luca Sabello, dimisso Mediolano ivisset Novariam ad ibi præsidium, ad eum deficientibus, & Gallis custodibus arcis Mediolani ibi obsessis subministrata annona per Sacramorum Vicecomitem, & per summum Pont. die duodecima Maji numeratis Sfortiæ pro receptione Placentiæ & Parmæ aureis quadraginta millibus, Placentiæ prætore Com. Francisco Persico Cremonense, & Hispanis mille ducentum equestribus, & octo millibus pedestribus castrametantibus ad Trebiam, & illinc intendentibus ire in regnum Neapolitanum, firmatis ad opem Mediolanensis dominii, & Cremonæ inter ibi diversas factiones die sexta decima commissa pugna, in qua nonnulli utrinque occubuerunt, & die vigesima nonnullis turmis Venetorum illuc appulsis, ut Gallis ibi in arce obsessis annonam ferrent, inde expulsis per Cremonenses, Guerrerio Cellano duce, & etiam Brixiensibus Bartholomæo Martinengo duce, diripientibus agrum Cremonensem, per Joannem Tinctum multa armatorum coacta manu fugatis, & spoliatis tercentum equestribus, & quinque centum pedestribus Cæsare Feramusca duce, & Brunorio Petra Cremonæ, & Galeatio Pallavicino illuc vocato ad præsidium pro Sfortia ibi degentibus, ejusque porta pulesella obturata; & illic tunc stella summi fulgoris hora decima octava conspecta versus ibi baptisterium cum turmis papilionum.

Veneti Alviano duce supremo tentata per eos occupatione Veronæ, & redactis in sui potestatem Valegio, & Pischeria, & Brixia per Laurentium Ceritem præter ibi arcem, die vigesima septima Maji ingressi agrum Cremonensem, occuparunt Cremonam Theodoro Trivultio duce, & Soncinatibus, & Laudensibus, & aliis ibi regionis incolis perventis in Gallos, ex Cremona progressi sunt usque Piceleonem, & Cæsariani sexcentum equestres, & bis mil-

A le pedestres, egressi Veronam, Rocandulpho & regulo Bozuli ducibus, tercentum velites, & sex centum pedites dimissos per Alvianum ad custodiam sancti Bonifacii, & ibi degentes absque ordine, dum aufugissent illinc Coloniam, insecuti sunt, & Colonia occupata & direpta, ibi fere ad unum captivarunt, & mox Suaprio capto, & direpto, & combusto, & demolito ponte per Venetos imposito super flumine Adigis, progressi sunt usque Vincentiam, quam occupassent, nisi ibi incolæ eam ad ibi præsidium ingressi fuissent. Et Genua per classem Gallicam illuc appulsam, Bernardino Præ-Joanne amirata, redacta fuit in sui potestatem ope Antoniotti, & Antonii Adurnorum, & Ottoboni, & Sinibaldi Fliscorum, inimicorum Joannis Fulgosii ibi Ducis, & agnatorum suorum ob necem Hieronymi Flisci filii Joannis Aloysii commissam per Ludovicum & Fulgosinum fratres Ducis, illuc profectorum quatuor millibus pedestribus, & per eos fusis mille pedestribus Fulgosiorum sibi occurrentibus, Zacharia fratre Ducis captivato, & mox occiso una cum Ludovico, & illinc abeunte Jano, dimisso per eum ad custodiam ibi arcis Casteletti Fulgosino, & illic per Gallos creato Duce Antoniotto, & subministrata annona illic Lanternæ, illinc facto recessu ad Spediam, eaque direpta firmata classe in Portu Veneris. Et Galli, Tramolia & Jo. Jacobo Trivultio ducibus, ex Alexandria, ibi dimisso præsidio sub Sacramoro Vicecomite, & facta pugna inter ibi Gallos eo duce ac Sforciadas, in qua multi utrinque occubuerunt, profecti Novariam, eam obsederunt, ac oppugnarunt ad principium Junii. Et cum Suitenses & Rhæti ad ejus subsidium properassent, & alios exspectarent, & Hispani ex agro Placentino cursitassent ac diripuissent agrum Papiensem usque ad vicum Iriæ, diffisi ea potiri, ipsa, apertis illius mœniis, dimissa, inde pedem retulerunt ad vicum Riotæ, illinc distantem per lapides duos. Et cum Suitensium, & Rhætorum decem millia per Motivum, unum ex eorum ducibus, incitata, illinc egressorum nocte triplici agmine, aliis non exspectatis in sui subsidium properantibus, sub Georgio Altesasso viriliter Gallos id non exspectantes invasissent, & utrinque facto prælio die sexta Junii per duas horas felici Marte, per illos fuerunt fusi, interceptis ex eorum tormentis bellicis viginti duobus, & plerisque impedimentis direptis, & occisis supra decem millia, & fere omnibus Germanis, & Guasconibus pedestribus una cum regulis Boemuntis, & Montisfalconi, & Coriolano Trivultio, & ex Suitensibus & Rhætis tantum desideratis mille centum quinquaginta cum Motivo duce, ac Duce Bernensium, & Antio Aimone duce Suitensium, inde aufugientibus Tramolia & Trivultio turmis equestribus in Galliam Transalpinam. Et Veneti duce Alviano, hac audita strage, ex agro Cremonensi nonnullis tormentis bellicis post se dimissis, ac Brixia, properantes Veronam, eam defensam per Roncadolphum, ibi ad præsidium tribus millibus pedestribus & tercentum equestribus degentem, oppugnarunt, & cum ipsam apertis ejus mœniis in sui potestatem redigere non valuissent, ea dimissa irruperunt ejus agrum, eoque direpto, ibi firmarunt castra per Balionum eorum ducem septem millibus pedestribus, & sexaginta equestribus, expugnato Limiaco, ibi ad sui præsidium duce Viliarde Hispano, & per eos munito Trevigio. Et Mediolanenses, & alii, qui defecerant ad Gallos, soluta multa pecunia Suitensibus, ad Sfortiam redierunt.

Et Cremonenses ad sui præsidium vocarunt & introduxerunt copiis Christophorum Pallavicinum Bartholomæo Vitale duce, Galeatio Sfortia Pisauri regulo ibi rectore. Et tunc per octo dies ceciderunt pluviæ, & ultima die aer præter modum fuit obscu-

obscurus, & multa tonitrua & fulgura viguerunt. Et Suitenses & Rhæti irrumpentes Galliam Subalpinam, ibi Vercellas, ac Hastam, & multa alia illic occuparunt, & inde ab ibi incolis, eos accusantes Gallis auxiliatos fuisse, multam pecuniarum summam extorserunt, multamque prædam abduxerunt. Et ex aliis Suitensibus viginti millia, secum junctis Germanis equestribus quinque centum quinquaginta quinque, Cæsare Olderico duce, in gratiam Maximiliani Cæsaris irruperunt Burgundiam, eamque diripuerunt, ac ferro & igne vastarunt, & Tramolia ibi prorege eis occurrente decem millibus pedestribus, & mille equestribus, ex pugna Novariense in Italia incolumibus secum conductis, repulso, & ingresso Divionum, illud obsederunt, & sibi per eum promissis quatuor centum millibus aureis, pro medietate solvendis intra dies quindecim, & aliis intra trimestre, & Germanis septuaginta millibus, & facta promissione, quod Rex Gallorum sublato Concilio Pisano paruisset summo Pont. nec ejus subditis in ipsum opem tulisset, nec eos bello infestasset, ac dimisisset Carolo Austriaco partem Burgundiæ sibi spectantem, & Sfortiæ arces Mediolani & Cremonæ, & nec eum, nec alios in dominio Mediolani, & Gallia Cisalpina vexasset, omni jure sibi in eo dominio spectante ipsi cesso, & nec aliquos Suitenses ad sui stipendium conduxisset, nisi ex licentia suorum rectorum, & Rex hæc omnia approbasset, habitis à Tramolia pro eorum observatione obsidibus, inde redierunt domum, & cum Rex hæc approbare noluisset, sævierunt in Duces suos. Et Genuenses, dum Octavianus Fulgosius habitis à Cardona tribus millibus Hispanis, Marchione Piscariæ duce, Genuæ se appropinquasset, & Flisci, & Adurni auctoribus Hieronymo & Antoniotto, ut patriam à bello liberarent, inde Spediam abiissent, eamque occupassent cum multis aliis in ipsa regione, & Genuam dimisissent Fulgosiis, se vendicarunt in libertatem, & ibi Octavianus factus fuit Dux, per eum numeratis Hispanis octuaginta millibus aureis, & Adurnis, & Fliscis ex Spedia illuc profectis, & per illos obsessa Genua, inde repulsis gravi strage, tentarunt arcem ibi Lanternæ ad eam factis cuniculis demoliri. Et classis Gallica ea munita ex mari Tyrrheno trajecit in mare Normanicum. Summus Pont. & Hispaniæ, & Angliæ Reges, & Genuenses fœdus percusserunt adversus Gallos, & Lovagnus arcis Mediolani, & Joannettus de Herbovilla, Benonus cognominatus, arcis Cremonæ præfecti, oppressi gravi inopia, ac diffisi auxiliis Regis, illas dimiserunt Sfortiæ. Et Suitenses sibi per eum promissis aureis ducentum quinquaginta millibus, & quotannis per annos viginti quinque quadraginta millibus, assumpserunt ejus ac dominii sui patrocinium. Et Hispani recepta Genua regressi sunt in agrum Placentinum, & inde profecti Bergomum eo sibi dedito, ac expugnata & direpta Pischeria, Cardona, & Columna, & Marchione Piscariæ ducibus, progressi sunt in Venetos castrametantes in agro Veronense, & eis pedem referentibus ultra Adigem, & Baliono ducentum equestribus, & tercentum velitibus, & bis millibus pedestribus, profecto Trivigium, & Alviano reliquo exercitu Patavium, eoque munito propugnaculis, junctis secum Cæsarianis, & per ipsos receptis Vincentia, peninsula Rhodigii, & Limiaco, & aliis dimissis per Venetos, & castris firmatis Montagnanæ, inde exhortatione episcopi Gurgensis profecti Patavium, illud obsederunt exercitu decem millium pedestrium, mille tercentum equestrium, & quatuor centum velitum, & ibi utrinque commisso prælio, ex eis occubuerunt circiter quatuor millia, & ex Venetis tria millia, & illuc supervento Gurgense sex centum pedestribus, & ducentum equestribus pontificiis, ipsum oppugnarunt, & factis cuniculis ad illud, ipsiusque apertis mœniis, gravi oppressi penuria, eo dimisso illinc abierunt Vincentiam.

Cæsar, & Margarita, ejus filia, Gubernatrix Flandriæ pro Carolo nepote, & Henricus Rex Angliæ unitim arma pararunt in Regem Gallorum, & Angli duce Talbotto, ac Cæsar obsederunt de mense Junii Teroanam in Picardia, munitam præsidio ducentum quinquaginta equestrium, & bis millium pedestrium, & cum Rex Angliæ una cum Carolo Duce Summersseti alio exercitu illuc accessisset, & circa eam exstarent quadraginta millia pedestrium, & quinque millia equestrium Anglicorum, & totidem pedestres, & equestres bis mille Germani, & ex Gallis triginta millia pedestrium, & tria millia equestrium Longevillano Principe Rhotolini duce irent illuc, ut ei opem & annonam ferrent, Angli & Germani, dimissa parte exercitus ad Teroanam, eis occurrentes ad Chignattum vicum, ab eventu mox nuncupatam Calcariam, à Teroana per tria millia passuum distantem, ibi utrinque commisso prælio die quinta decima, & vigesima quarta Augusti, ipsos profligarunt, Longevillano, & regulis Bajardo, Onio, & Claramonte captivatis, & ductis in Angliam, & occisis Berna, Busino, Biandono, & Palissa, & utrinque sexdecim millibus in exercitu Gallorum militantibus decem millibus Germanis ex Ducatu Geldriæ. Et Cæsariani & Angli Teroana statim potiti, ea demolita præfecti Torniacum, olim Nervios, illud obsederunt, & in jus suum compulerunt, sibi solutis per Gallos ibi obsessos aureis centum millibus pro eorum redemptione, Fano sancti Quintini eorum quinque millium præsidio munito. Et Jacobus Rex Scottorum, sororius Regis Angliæ, exercitu quadraginta millium armatorum Uneo duce in gratiam Regis Gallorum irrupit Angliam, & sibi eam diripienti occurrente Havardo Surreo, ibi dimisso rectore per Regem una cum Catharina uxore, & Scottis ablata aliqua præda, eisque illata gravi strage, expugnavit ac diripi jussit Norbanam, & mox obsedit Berniccum, & ad Tuendam die decima Septembris facto utrinque conflictu profligati fuerunt Scotti, ex eis una cum ipsorum Rege occisis circiter duodecim millibus, & octo millibus captivatis, & viginti duobus tormentis bellicis magnis, & multis aliis amissis, & ex Anglis desideratis octo millibus, & totidem captivatis. Et Cæsar in Germaniam, & Rex Angliæ in Angliam factis induciis cum Rege Gallorum redierunt. Et Rex Angliæ Ducem Sofferti æmulum suum, & ex Anglia in Galliam, ad ibi Regem profectum, & inde revocatum in Angliam, & ibi captum decapitari jussit. Et Laurentius Cerites, dux Venetorum ad præsidium Cremæ, inde die tertia Junii profectus Bergomum, quod tenebant, & valde opprimebant Hispani, illud cum arce occupavit, ibi plurimis ex eis occisis, & Francisco Spudeo eorum Quæstore cum parte aureorum viginti quinque millium exactorum à Bergomensibus captivato, illuc præmisso Matthæo Cagnola Bergomense, tribuno impigerrimo ejus cohorte, & aliis copiis etiam Rentii tunc ingressis agrum Cremonensem, eumque diripientibus, & per Soncinates, & Romanengates, & alios ibi incolas assumptis armis, repulsis, ex illis occisis ultra centum, & multis aliis vulneratis.

Et Sforciades sibi junctis tercentum Hispanis ex mille, quibus Antonius Læva eorum dux secum junctis aliis bis millibus pedestribus, & centum equestribus sub Antonio Com. Lodronii, obsederat per mensem Pontisvicum, ipsumque suppeditarat, die ultima Julii Silvio Sabello, Oldrado Lampugnano, & Cæsare Ferramosca ducibus, Bergomum recuperaturi, ejus agrum ingressi fuerunt, ipsumque diripientibus occurrente Rentio, & utrinque commisso prælio pari Marte, illud obsederunt, & per Venetos illuc ad auxilium transmissis sex centum equestribus sub Christophoro Albanense, & Sabino de Lantiis, eis occurrerunt, & hinc inde commissis multis levibus præliis

liis diverso Marte, in quibus occubuit Guerrerius Cellanus Cremonensis, ductor equestrium Sfortiadum, & tandem profligatis Venetis receperunt, per Bergomenses multo ære numerato Hispanis, quibus se subjecerunt exclusis Sfortiadis sibi infensis, ibi constituto rectore Matthæo Granatino, qui cum factis cuniculis ibi arcem in sui potestatem redigere tentasset, ex pilula à tormento bellico emissa fuit occisus, & mox per ibi milites arce dimissa, & adhuc ex Rentii copiis tercentum equestribus, & quinque centum pedestribus, Matthæo Cagnola, & Marcello Valla Romano, & multis aliis ducibus egressis Cremam, & ingressis Bergomum, & ibi captivatis Capusio Procere, & Antonio Ripamera duce Hispanis, cum pecuniis, quas à Bergomensibus receperant. Et cum Sfortiades, & Hispani tercentum velites, & equestres octuaginta, & alii pedestres cum bis millibus evocatis ex monte Briantiæ, eos illinc abeuntes insequuti fuissent, Rentius ipsis occurrens copiis suis, & cum illis prælio congressus, eos profligavit. Et Cæsariani Maranum in Istria juxta mare dolo quoque occuparunt. Et dum Veneti illud recuperaturi, Jo. Paulo Manfrono, & Baldesare Scipiono ducibus, ac Andrea Lauretano legato obsedissent, & Christophorus Frangipanes ejus acie ad subsidium illuc profectus fuisset, commisso etiam ibi utrinque prælio, Venetos fudit, ex eis multis occisis. Et alii Cæsariani & Hispani ex Vincentia cursitarunt ac diripuerunt, ferroque, & igne everterunt agros Vicentinum, & Patavinum usque ad stagna Venetorum. Et cum Alvianus, ut eis resisteret, egressus Patavium ibi dimisso præsidio congruo exercitu pedestrium septem millium, equestrium quatuor millium, & velitum bis millium sub multis insignibus ductoribus, & tribunis Italis Andrea Grito, & Andrea Lauretano legatis, & munita vallis & aggeribus utraque ripa Bachilionis, & Rhenonis fluminum, & impeditis itineribus, illucque accersito ex Trevigio, & secum juncto Baliono ejus acie, & illinc Theodoro Trivultio ejus copiis destinato ad præsidium Vincentiæ, ipsis redeuntibus gravi præda onustis Veronam occurrisset, & per illos trajecto flumine Bachilionis, ipsos insequente ac lacescente Bernardino de Antoniola ejus turma velitum, in Venetos quadrato agmine primum ducente Cardona, & extremum Columna conversi, & cum eis invito Alviano, sed incitato per Lauretanum commissa pugna die septima Octobris, Baliono tenente dextrum cornu, Antonio Pio sinistrum, & Alviano medium agmen, ipsos profligarunt, ex eis tum occisis, tum submersis circiter septem millibus, inter quos fuerunt quatuor centum equestres, & Pius, & Constantinus ejus filius, & Lauretanus legatus, cum multis aliis insignibus proceribus, nobilibus, ductoribus, ac tribunis, & captivati fuerunt Balionus, ac multi alii etiam insignes nobiles, & ductores, & tribuni ex eo exercitu Veneto. Et Alvianus una cum Grito altero legato reliquo exercitu properavit Trivilium, & Patavium. Et Cæsariani, & Hispani paucis ex eis desideratis, adhuc incursatis & depopulatis, ac ferro & igne eversis agris Patavino, Trivisano, & Veronense, & peninsula Rhodigii, superventa hyeme pro parte substiterunt in agro Vicentino, & vicis finitimis, & pro parte iverunt in agrum Brixiensem ad hyberna. Et Columna ducentum equestribus, ducentum quinquaginta velitibus, & bis millibus pedestribus ingressus agrum Cremonensem hybernatus fuit Soresinæ, & Romenengi. In mari Normandico classes Anglica & Gallica nonnullas pugnas commiserunt invicem, in quibus occubuit Odoardus filius Com. Surensis præfectus Anglicæ, & per navem Anglicam cum duabus Gallicis commissa pugna, & omnibus combustis, & ex eis bis millibus & ultra utrinque desideratis, & mille quinque centum submersis in mari, utraque classis inde abiit, & Gallica die quintadecima Octobris in mari Anglico ex procella remansit dissipata. Et die decima Februarii fuit ingens terræmotus, & mons ad finem Italiæ & Orobiorum supra Belinzonam in Ducatu Mediolani corruit, & impedito ob id cursu aquarum fluminis Brevii in alveum Ticini, & occupatis ibi per ejus aquas labentes in lacum Verbani nonnullis pagis factus est illic alius lacus longitudinis milliarii. Et apparuerunt duo soles in mane duorum dierum, & earum noctibus totidem lunæ. In universa fere Italia peste, & fame sævientibus. Et Cremonæ prætore pro Sfortia Bernardo de Comitibus Patavino, sicariis quamplurimis de mense Decembris extremo supplicio affectis, Matthæo Mario Bussetano scelerum vindice in dominio Mediolanense.

Anno subsequuto Christophorus Frangipanes Germanis bis millibus quinque centum pedestribus, & quinque centum equestribus, & Boemis octo centum, & Austriadis mille, & turma Crovatorum, de mense Februarii obsedit Asopum, quod solum ex Foro Julii permanserat in fide Venetorum, & per Hieronymum Savornianum ibi ducem ad præsidium ejus copiis in ipsum illud oppugnantem facta eruptione repulsus fuit gravi strage, ac multorum cæde. Et Alvianus prodita in lucem conjuratione in eum facta per Cæsarianos, ab ipsis in Patavium destinatis sicariis ad eum occidendum, ut ipso sublato facilius occuparent Patavium, & captis sicariis, & ultimo supplicio affectis, ex Patavio profectus in auxilium Asopi ducentum equestribus, quinque centum velitibus, & sex millibus pedestribus cum tormentis bellicis levibus, & expugnato Padernono, ubi se firmarant Germani equestres Ricino duce, ut eum progredi impedirent. Et cum Frangipanes dimisso Asopo inde abiisset secum conjuncto Savorniano ejus copiis, ipsum fuit insequutus, & assequutus, & cum eo prælio congressus profligavit, ipso & multis aliis vulneratis, & multis aliis occisis, eique ademptis septem tormentis bellicis, quibus oppugnarat Asopum, & omnia ibi occupata per Cæsarianos, præter Goritiam & Gradiscam, recepit. Et dum equestres septem centum, totidem velites, & tria millia quinque centum pedestrium, Davalo & Alarcono ducibus, secum conjunctis Germanis mille quinque centum, Veronam egressis ex Montagnana, & Colonia concursarent, ac diriperent agrum Patavinum usque Patavium, & eis resistente Antoniola erumpente Urbiculam velitibus tercentum, illuc profecti ipsam obsedissent, ac cepissent die vigesima tertia Junii una cum Antoniola, & ejus velitibus, & Veneti adversus eos collegissent ibi, & ad Vincentiam, & Marosticam omnes copias, quas habebant in ea regione, ex Foro Julii rediit Patavium, & inde egressus septem centum equestribus, mille velitibus, & septem millibus pedestribus castra firmavit in agro Vicentino, & mox pedem retulit in agrum Patavinum. Et Cæsarianis oppressis penuria, dimissis ibi occupatis, pedem referentibus progressus recepit Ateste, ibi captivatis octo centum velitibus sub duce Corviera, & auctis copiis in eos castrametantes ad Montagnanam, profectus illos provocavit ad prælium, eisque regredientibus in peninsulam Rhodigii cursitavit, ac diripuit ibi omnia usque Veronam, & per Malatestam Balionum ducem velitum Albanensium eis locatis in insidiis in montibus Veronensibus, & per ipsos provocatis Cæsarianis ad prælium, & in eos irrumpentibus, profligatis ad vicum sancti Martini Zacharia Germano, Gotifredo Calcadio Veronense, & Alphonso Romano ducibus captivatis. Et Cardona dimissis ad præsidium peninsulæ Rhodigii tercentum equestribus, & mille pedestribus, regresso inde ad opem agri Veronensis in Alvianum progressus in eam peninsulam Rhodigium ibi cepit, illic tercentum aliis

A. C. 1514.

Ee ee e eque-

equestribus captivatis una cum Garsia Meritio duce, illinc transmisso Venetias, & aliis, qui ibi erant ad præsidium Insulæ, ea dimissa profectis versus Ferrariam, eam totam sibi vendicavit cum Limiaco, Malatesta duce.

Et Sfortiades de mense Maji reparatis viribus, & direptis agris Cremensibus ducentum equestribus, ducentum quinquaginta velitibus, & bis millibus pedestribus Hispanis Cremam profecti, illam munitam præsidio etiam totidem equestrium, velitum, ac pedestrium obsederunt, & ibi utrinque commissis diversis præliis diverso Marte, & facta per milites ibi obsessos Marcello Valla duce eruptione in ipsos castrametantes ad vicum Calcinate, quamplurimis equestribus ex eis captivatis, eorumque direptis castris, capto Ferramosca, ac direpto Umbriano, Antonio Filentino & Baptista Pientino ducibus, eis etiam per Venetos profligatis, exsutisque præda, occiso Filentino, & vulnerato Pientino, & nec multo post mortuo cum multis aliis, & cum Rentius oppressus gravi inopia nocte diei vigesimi sexti mensis Julii facta eruptione ex Crema in Sfortiadas ducentum equestres, totidem velites, & mille quinque centum pedestres, eam obsidentes, ut præfertur, ipsos inde repulisset, ipsorum combustis impedimentis, eisque ademptis tribus vexillis, & quatuor tormentis bellicis, Petro Cagnola duce pedestrium, & Fortebratio equestrium, & gravi illata eis strage, multis ex ipsis desideratis, & Cagnola vulnerato per Benedictum Salernum Cremonensem, Sfortiades pedem retulerunt Laudam. Et Bartholomæo Martinengo de Villa Clara, & Nicolao Scotto, Rentii ducibus, copiis coactis in agro Placentino, illinc egressis agrum Cremonensem, & ibi facta multa præda die vigesima septima Octobris transmissis Brixiam, & ejus tentata occupatione, mox introductis in Cremam per Scottum mille quinque centum pedestribus, captoque rursus Bergomo bis millibus pedestribus, & nonnullis equestribus, Mercurio Vipera & Malatesta Baliono ducibus, illuc destinatis die quinta Novembris, inde Hispanis, qui erant ad ibi præsidium, expulsis, & ex eis captivatis centum equestribus, & mox illuc profecto Rentio quatuor centum equestribus, & ducentum velitibus, Cardona & Sabellus illuc accedentes die tertiadecima illud obsederunt, & oppugnarunt quatuor millibus pedestribus, quatuor centum equestribus, & sex centum velitibus, eis viriliter resistente Rentio, motis etiam campanis ex turribus ecclesiarum, & effusis, & ex earum ære liquefacto excussis tormentis bellicis, & Scotto, dum ex agro Placentino per agrum Laudensem illuc iret ad subsidium octo centum pedestribus, intercepto per mille ducentum Helvetios & Rhætos, & captivato, & conducto Mediolanum, & ibi decapitato, post multas Bergomi oppugnationes, & levia prælia ibi utrinque commissa, plurimorum cæde, per Rentium factis induciis cum Hispanis, & Sfortiadis, & sibi, & militum suorum promissa incolumitate, ac bonorum dimissione, & per Bergomenses solutis Hispanis & Sfortiadis octuaginta millibus aureis pro illorum redemptione, & liberatione à depopulatione, ex prudentia & benignitate Columnæ Bergomum dimissum fuit die quinta decima Novembris Hispanis. Et Columna rediit ejus copiis Cremam, eamque obsedit; & Hispanis, qui erant ad obsidionem Bergomi, munita Brixia præsidiis, progressis in agrum Veronensem adversus Alvianum castrametantem apud Limiacum, & secum conjunctis Alarcono, & Davalo eorum copiis, & aliis ex eis, qui erant ad præsidium Pischeriæ, & Veronæ, & alibi, & cum eo diripiente agrum Veronensem commisso prælio, in quo multi utrinque occubuerunt. Alvianus dimissa peninsula Rhodigii regressus est in agrum Patavinum, & ibi juxta flumen Adigis castra firmavit. Et

A Hispani, & Cæsariani hybernati sunt in ea peninsula. Et Veneti etiam mari & terris obsederunt Maranum Joanne Veturio duce, & dum in ejus auxilium Frangepanes mille pedestribus & ducentum equestribus voluisset accedere, Veturius ei occurrit, & inita pugna, eis profligatis, eum captivavit, & transmisit Venetias de mense Junii, & dum oppugnassent Maranum, inde repulsi fuerunt per Cæsarianos, qui ibi erant ad præsidium, & mox, cum reparatis viribus illuc redire intenderent. Et ex Germanis, Crovatis, & Boemis mille equestres, & tria millia pedestrium properarint ad ejus opem, timentes ab illis opprimi, inde abierunt Utinum, & Cividate, unde, dum Germanis, & aliis concursantibus,

B & diripientibus ibi regionem, ut id prohiberent, occurrissent, captus fuit per eos Veturius, & dum secum conjunctis aliis quatuor centum equestribus, & mille ducentum pedestribus, occupato Monte Falcono, adhuc incursata & direpta regione ipsa, obsedissent Cividate, & Malatesta de Soliano sexcentum equestribus, & bis millibus pedestribus, & Savornianus aliis bis millibus in illos transivissent, utrinque commissa alia pugna aliquorum cæde eos inde repulerunt, & qui redierunt domum.

Summus Pontifex, Persis per Turcas profligatis, transmissis legatis ad Cæsarem, Reges Gallorum,

C Hispanorum, Anglorum, & alios Principes, & civitates liberas Christiani nominis, omnes adhortatus fuit ad movendum arma unitim in Turcas, & ut facilius fieri posset, operatus fuit per Cæsarem, Reges Hispaniæ, & Angliæ, fieri invicem inducias per annum cum Rege Gallorum, ac Suitenses, & Cæsarem, ac Venetos procuravit conciliare, & sibi eorum commissa controversia, declaravit inter eos esse pacem, conditionibus per eum exprimendis intra annum, & per Cæsarem dimissis Patavio & Vincentia Venetis, & per ipsos sibi Trivigio, penesque se Crema reposita, & per Cæsarem intra mensem ratificata hac declaratione, ei per ipsos solutis aureis

D viginti quinque millibus, & totidem intra trimestre, & per summum Pont. sibi solutis aureis triginta millibus ab ipso obtinuit Mutinam, inde ex ejus arce expulso Rangono, ipsiusque, ac Rhegii, Placentiæ, & Parmæ creavit Ducem Julianum fratrem suum, affectans etiam occupare Ferrariam, & eum fratrem ipsius requisivit creari Regem Neapolis. Et Rex Gallorum intendens recuperare dominium Mediolani, & ob id ad bellum se accingere, tentavit habere in partes suas Suitenses, eis oblatis aureis CCCC. millibus, & in futurum aliis DCCC. millibus, & ut facilius votum suum adimpleret transmissis legatis ad summum Pont. eum exhortatus fuit ipsi adhærere,

E sed Cæsar & Rex Hispaniæ id sibi dissuaserunt, & Suitenses se obtulerunt, habitis pro eorum stipendio mensuatim sex millibus aureis, impedire Gallis iter in Italiam, & aliis XL. millibus irrumpere Burgundiam XX. millibus. Et Rex Gallorum desponsata Claudia ejus primogenita die X. Octobris Francisco Valesio, die XV. opera Longivalensis Principis, & Rectoris Normandiæ, contraxit pacem cum Rege Angliæ ducta uxore Maria ejus sorore, cum dote aureorum quatuor centum millium, sibi dimissis Torniaco, & aliis occupatis ex Normandia per Anglos, eorum Regi per ipsum solutis aureis DCCC. millibus infra annos XII. & in qua comprehensus fuit

F Archidux Austriæ. Tres lunæ infectæ sanguine cum circulis desuper ignitis per duas noctes continuas, & duo soles in aurora apparuerunt. Et de mense Novembris Romæ fuit terræmotus, & fulgure fuit percussa arx Adriani, inde excussa imagine Angeli, & cadentibus frequentibus pluviis in immensum creverunt Tyberis, Padus, & alia flumina Italiæ, & die V. Augusti Cremonæ in ejus agro cecidit grando instar ovorum gallinaceorum.

Anno 1515. Redemptionis humani generis Ludovicus

vicus XII. Gallorum Rex, dum maturæ ætatis nimis incumberet Veneri cum nova nupta, infirmatus die x. Januarii anno XVII. regni sui obiit, & die XXIV. Franciscus Valesius, filius Caroli filii Joannis ex Ludovico I. Duce Aurelianensium, & Valentina Vicecomite, ejus gener, Dux Engolismensium, & nepos Philiberti Ducis Allobrogum ex Ludovica ejus sorore, & ex Ducibus Aurelianensium, annorum XXII. de more apud Rhemos fuit coronatus Rex Francorum, qui percusso fœdere cum Cæsare, & Carolo ejus nepote, ipsi desponsavit Renatam ejus cognatam annorum quatuor cum dote sex centum millium aureorum, & Ducatus Biturigum, per Cæsarem cesso omni jure sibi spectante in dominio Mediolani, & Britania Regi Gallorum, & in quo fœdere fuit comprehensus Dux Geldrensis, & confirmata pace cum Rege Anglorum, & tentata cum Suitensibus, ac summo Pont. destinatis Romam ad eum legatis Gulielmo Budeo, & Ant. Maria Pallavicino, & receptis in ejus partes Venetis, ac Genuensibus Octaviano Fulgosio eorum Duce, ipsis insciis jam sibi fœderato, ac Duce Ferrariæ, & Principe Mantuæ, & contracta amicitia cum Ducibus Geldrense, Clivense, ac Legiense, & nupta sorore Caroli Ducis Borboni, ejus magistri militiæ, Duci Lotharingiæ, & adversus eum ac Venetos percusso fœdere per summum Pont. Regem Hispaniæ, ac Florentinos, & Suitenses, qui promiserunt sibi solutis aureis XXX. millibus mensuatim invadere Burgundiam ac Delphinatum, & Rex Hispaniæ Regi Gallorum ad Galliæ fines movere bellum, & nec ab eo desistere, donec dimisisset liberum dominium Mediolani, & per ipsum coacto exercitu MMD. equestrium, & octo millium velitum sub Duce Borboni, & Principe Bojorum & Avernorum, & pedestrium quadraginta millium, aliis bis millibus habitis à Duce Genuensium sub Nicolao Fulgosio, & aliis copiis auxiliaribus à Duce Allobrogum ejus avunculo, descendit cum eo, ac Ducibus Lotharingiæ, & Gennæ, in Italiam ductore Jo. Jacobo Trivultio per vias Alpium inusitatas clam Suitensibus, pro Sfortia consueta eorum itinere occupantibus, & ex quibus forent decem millia Susis, totidem apud Pinarolum, & octo millia Salutii, Cardinale Sedunense eorum duce, ac legato Apostolico. Et Rhegio, ac Parma, & Placentia munitis præsidio pontificiorum, ac Florentinorum Laurentio Medicæo duce. Et Cæsariani agro Vicentino cursitato, ac direpto, Venetis sibi occurrentibus Alviano duce, utrinque commisso prælio, inde ipsos repulerunt, eisque pedem referentibus Patavium, regressi sunt multa præda Veronam. Et Prospero Columna degente equestribus MD. apud oppidum Villæ Francæ Galliæ Subalpinæ, die XV. Augusti illuc profectis DC. equestribus, & mille pedestribus reguli Albricotti, & Palissæ, per eos ex insperato, captivato, & transmisso in Galliam una cum Petro Morgano ejus Locumten. ac Brancaleone, & Com. Policrasti, Cæsare Ferramosca, & Hieronymo Oldoino Cremonense ex eis ducibus, & multis aliis militibus, & plurimis utrinque occisis. Suitenses Gallis castrametantibus apud Taurinum, direptis Villafranca, Clivasco, & Vercellis, sibi annonam denegantibus, progressi sunt Novariam; & cum per Gallos receptis Castelatio Alexandrino, Derthona, & Vercellis, & interceptis pecuniis sibi transmissis per summum Pont. pro eorum stipendio, tractata compositione cum Rege, eisque intendentibus ex Novaria abire, transmissis aliis pecuniis per Regem Hispaniæ, & solutis pro eorum stipendio ibi substitissent, & mox profecti Galaratum illic exspectarent ex aliis viginti duo millia.

Rex recepta Novaria cum ibi arce, sibi prodita per Ludovicum Ancianum Cremonensem, cognominatum Ficum, illius præfectum, motis castris ex Vercellis ivit Papiam, Trivultio XII. millibus ex eo exercitu in vico Binaschi subsistente, & inde mox progresso Mediolanum VII. millibus pedestribus, & tribus millibus equestribus, cum Suitensibus convenit, Duce Allobrogum, ac fratre, & Odetto Fusio regulo Lautrecci auctoribus, secum habere pacem donec vixisset, & post respectu ejus successorum per decennium, sibi dimissis vallibus, quas tenebant ex dominio Mediolani, & solutis aureis sexcentum millibus, eis olim promissis per Tramoliam, & aliis tercentum millibus, & quotannis aliis XL. millibus, annullata tamen pensione aliorum XL. millium, olim sibi facta, ac nupta Sfortiæ nobili Gallica cum dote Ducatus Namurtii, annui redditus aureorum XII. millium, ac data turma equestrium L. & quod in hoc fœdere comprehenderentur summus PP. per eum tamen dimissis Rhegio, Parma, ac Placentia, & Dux Allobrogum, & Marchio Montisferrati, sed cum mox superventis aliis Suitensibus hæc imperfecta remansissent, & ex eis XXX. millia Mediolanum properassent, & octo millia ab aliis discordando, Alberto Petra ac Despasio ducibus, rediissent domum, & DCC. equestres, DCCC. velites, & quatuor millia pedestrium ex Hispanis dimissis Veronæ ad ibi præsidium, DC. equestribus, totidem velitibus, & bis millibus pedestribus Germanis sub Marco Antonio Columna, & Brixiæ MCC. Germanis pedestribus, ex Verona, & Laurentius Medicæus recepta per eum Ruberia à Guidone Rangono, sibi solutis aureis XII. millibus, aliis equestribus DCC. & DCCC. velitibus, & quatuor millibus pedestribus, accesserint Placentiam, & Sedunensis ex Cremona illuc eos adiisset ad principium Septembris, Nicolao Fulgosio L. equestribus, & aliis ejus cohortibus agrum Laudensem, & Rentio bis millibus pedestribus, & D. velitibus, usque Cremonam cursitantibus, ac diripientibus. Et per Rentium die XXIV. Julii expugnato Castroleonis, una cum Sexto, Paterno, & Grumello, ibi cum ruralibus commissa pugna, in qua multi illic perierunt, & dum mox regressus fuisset Bordolanum, facta in eum irruptione per Cremonenses, eoque ibi cum incolis commisso alio prælio, in quo multi etiam occubuerint, capto, & direpto, & inde multa præda reverso Cremam, Cremonæ rectore Ambrosio Mayno, DCCCC. equestres, & MCCCC. velites, & quatuor millia pedestrium Venetorum ex peninsula Rhodigii Alviano duce illuc properarunt, & inde die VIII. iverunt Soresinam, & inde Laudam, & cum Gallis castrametantibus in vico S. Brigidæ inter Mediolanum & Melegnanum, pontificii & Hispani, imposito ponte super flumine Padi, exhortati per Sedunensem eo trajecto irrupissent agrum Laudensem, & ibi facto prælio cum Gallis sibi occurrentibus, inde, multis ibi cadentibus, repulsi, & inter se discordes, & nec sibi invicem fidentes, regressi fuissent Placentiam, & Rentius orta discordia inter eum ac Alvianum Laudæ, ubi erant, direpta, illinc se contulisset CC. equestribus, & totidem velitibus ad stipendium summi Pont. Suitenses habitis à pontificiis in auxilium CCCC. velitibus sub Lud. Ursino Com. Pitiliani, & Mutio Columna, incitati per Sedunensem ad eos ex Cremona profectum Mediolanum, ab eo facta eruptione in Gallos, eos viriliter aggressi fuerunt, & cum eis, longe illis pluribus, prælio audacter congressi die XVII. Septembris usque ad horam IV. noctis, & ex tormentis bellicis Gallorum interceptis XV. & mox reliquo tempore noctis dato quieti corporis, die sequenti usque ad extremam lassitudinem, & alia die gravi odio, & Venetis opportune superventis in auxilium Gallorum justo itinere pedem retulerunt Mediolanum, ex eis occisis novem millibus, dimissa victoria cruenta Gallis, ex ipsis desideratis XIV. millibus pedestribus, & DC. equestribus, cum multis proceribus, ac ducibus, inter quos fuerunt Princi-

 pes

pes Talamonii, Sancerri, Sanbricordis, Bovisius, & Chiapinus filius Com. Pitiliani, & delusi per Hispanos & pontificios non sibi dato auxilio juxta fidem datam, Sedunensi petito, nec habito stipendio à Sfortia, eique ad sui præsidium dimissis MD. & data fide quamprimum redeundi ad ejus opem, regressi sunt domum. Inter Cremonenses factiosos etiam commissa pugna ad forum majus Cremonæ, & ibi occiso Apollonio de Multisdenariis, Sfortia eis Suitensibus MD. & D. Italis, Hieronymo Morono, Joanne Gonzaga, & nonnullis aliis nobilibus Mediolani ingressus fuit arcem Mediol. inde transmisso Francisco fratre in Germaniam ad Cæsarem, ab eo petitum auxilium adversus Regem Gallorum, qui erecto in loco conflictus pro memoria victoriæ templo, ibi per triduum celebrari fecit missam solemnem pro suffragio animarum ibi occisorum, & per Mediolanenses transmissis Oratoribus, & ejus exercitui solutis aureis tercentum millibus, ipsoque recepto in Ducem suum, ivit Mediolanum, & cum Suitenses ei dimissis Vallibus, ac Belinzona præter ibi arcem, ac Lucerna cum arce, solutis ibi custodibus aureis sex millibus, & Rhæti retenta Clavenna properassent domum.

Et Galeatius, & Christophorus Pallavicini equestribus & pedestribus se recepissent Cremonam ad ibi auxilium, eam die ultima Septembris Theodorus Trivultius nomine Regis Gallorum ingressus fuit. Et Sfortia obsessus in arce Mediolani per Petrum Navarram, & ad eam factis cuniculis, & in vico Gariboldi Ducatus Mediolani visis duobus equestribus in aere congredi, eoque, qui visus fuit apparere ab Occidente, & ab ea parte, ubi exstat Gallia, & staturæ plusquam humanæ prævalente, & flumine Brembio in Alpibus Rhætiis effuso in lacum Verbani, diruto ponte quo conjungebatur alveus Ticini ultra milliare, & vico ibi vicino cohorte Elvetiorum, quæ illuc se retraxerat, ac ibi incolis usque ad unum submersis, & ibi regione per XII. millia passuum inundata, territus his præsagiis, ac diffisus viribus suis, cum esset iners, & vilis animi, & crapulæ, & libidini tantum deditus, se Regi permisit die IV. Octobris, sibi dimissa ea arce cum toto dominio Mediolani, ei promissis per Regem solvi, donec viveret in Gallia, ubi debebat morari, aureis XXXV. millibus quotannis, & tunc aliis X. millibus pro solvendo ære alieno, ac stipendio Suitensibus, qui secum erant, auctoribus Morono & Gonzaga, eis dimissis ipsorum bonis, quæ habebant in eo dominio, ac promissa Gonzagæ annua pensione, & celebratis super istis instrumentis, ductus fuit in Galliam Transalpinam. Et Rex receptis in sui gratiam Galeatio Vicecomite, & aliis, qui sequuti fuerant partes Sfortiæ, & tractata compositione per Ducem Borboni cum Suitensibus, medio ducum suorum, toto fuit potitus dominio Mediolani. Et Asula & Lunatum defecerunt à Principe Mantuano ad Venetos, ac per eos fuit expugnata Pischeria, CCC. Hispanis, ad ejus subsidium profectis, profligatis. Et summus Pont. dimissis Placentia & Parma Regi Gallorum, permissis inde abire ejus copiis, ac Hispanorum incolumibus, quo voluerunt, cum ipso percussit fœdus, dimisso per eum tributo Florentinis, quod sibi tenebantur quotannis pendere, ipsisque, & Medicæis receptis in sui protectionem, & Juliano ac Laurentio promissa annua pensione, cum feudo Juliano in Gallia, ac Laurentio turma equestrium, & Franciscum Mariam de Rupere, ei ac Medicæis infensum, quia, cum fuisset sæpius dux supremus exercitus pontificii, recusasset ire cum Laurentio Medicæo adversus Gallos Placentiam, excommunicavit, expulitve ex ejus dominio, ac Pisauro, eoque, ac uxore, & filiis profectis Mantuam, Laurentium Medicæum nepotem suum ibi constituit Ducem ex auctoritate Cardinalium præter Grimani

A Urbini episcopi, & die XVII. Decembris convenit cum Rege Bononiæ, & ibi triduo collocutus fuit, & firmavit fœdus, & in sui gratiam creavit Cardinales Adurnum, Boisensem, ac præsulem Constantiæ, & dimitti jussit Georgium Suprasassum penes cum captivum, quia secutus fuisset partes Gallicas, & in sui gratiam recepit Ducem Ferrariæ, eique promisit dimittere Rhegium & Mutinam, sibi tamen solutis aureis XL. millibus per eum solutis Cæsari, & etiam Regi concessit nominationem prælatorum ad beneficia, quæ in Gallia vacassent, sed renuit in sui gratiam recipere Ducem Urbini. Et Rex in gratiam summi Pont. dimisit Prosperum Co-
B lumnam, soluta tertia parte aureorum XXX. millium eis, qui eum captivarant, promissorum, ac promisit eidem non tueri adversus ipsum Hetruscos præter Lucenses, quos sub protectione receperat, sibi solutis per ipsos aureis XXV. millibus, & data sibi facultate per summum Pont. mortuo Rege Hispaniæ, qui infirmabatur, sibi vendicare regnum Neapolitanum, decrevitque summum Pont. destinare ad Cæsarem legatum Egidium, supremum moderatorem Heremitarum D. Augustini, ut dimitteret Venetis Brixiam & Veronam. Et Rex mox rediit illinc Mediolanum, & dimisso omni exercitu præter DC. e-
C questres, quatuor millia Germanorum, & totidem Gallos pedestrium destinatorum ad præsidium ibi dominii sub Borbonio illic constituto rectore, & Cremonæ prætore Guidone Matarono de Granopoli, & arcis præfecto Joannino de Arbovilla nuncupato Benono, & percusso fœdere cum Suitensibus, sibi promissis adhuc aureis centum millibus cum aliis CCC. millibus, ipsis per eos dimissis quibuscunque, quæ occuparant ex dominio Mediolani, & ubi per eum fuissent requisiti ad sui stipendium, illud recipere, modo non militarent adversus Ecclesiam ac Imperium, rediit ex Mediolano in Galliam Transalpinam; & quinque pagi Suitensium mox instigati in
D eum ad sibi movendum bellum per Regem Angliæ, ipsi noluerunt adhærere. Et Cæsar, & Reges Hispaniæ, & Angliæ in ipsum quoque percusserunt fœdus. Et Julianus Medicæus factus Dux Mutinæ, Rhegii, & Parmæ, ac Placentiæ rector perpetuus, duxit uxorem Philibertam, sororem Caroli Ducis Allobrogum, dote aureorum centum millium, & non multo post obiit.

Maximilianus Cæsar de mense Julii durante bello Turcarum cum Adolito, Turcisque diripientibus fines Pannoniæ & Illyrii, ad illis resistendum, habuit comitia cum Cardinalibus Gurgense, & Strigonense, ac Regibus Pannoniæ, & Poloniæ, & legatis Re-
E gum Daciæ, Gottiæ, Boemorum, Marcomanorum, & fere omnium populorum Europæ Christiani nominis, & tractavit de bello inferendo Turcis, & nupsit Mariam, ejus neptem ex Philippo filio Ludovico, filio Ladislai Regis Pannoniæ, & Bonam Mariam Sfortiam, ex Jo. Galeatio & Isabella Aragonense, Ducissam Barri Sigismundo filio Regis Poloniæ, & Annam filiam Ladislai desponsavit Ferdinando etiam nepoti suo ex eodem Philippo filio. Veneti recepto Bergomo profecti Brixiam, eam munitam præsidio Hispanorum & Germanorum mille, & quam una cum Verona pro Cæsare Hispani & Germani tuebantur, obsederunt, & dum ad ejus
F præsidium forent mille Germani, diffisi ipsa potiri, inde motis castris ituri Veronam, ut eam expugnarent, Bartholomæo Ursino Com. Alviani exercitus sui supremo duce infirmato, & mortuo Ghedi, dum ibi substitissent, die VII. Octobris, & inde, qui erat sexagenarius, delato Venetias, & illic sepulto, secum junctis Gallis CC. equestribus, & septem millibus pedestribus, ducibus Theodoro Trivultio, & Notho Sabaudiæ, regressi Brixiam, rursus eam obsederunt, & facta in eos eruptione per Hispanos & Germanos, ibi ad præsidium degentes, & utrinque com-

commisso prælio multorum cæde, sibique ademptis x. tormentis bellicis, & combusto pulvere sulphureo ab eis fuerunt profligati, Antonio Grimano, Dominico Trivisano, Georgio Cornelio, & Andrea Gritto eorum legatis. De mense Maji flumen Padi præter modum ob montem dirutum aquis Ticini, ut præfertur, auctum fuit, & die xxv. Octobris fuit terræmotus Cremonæ, & sævierunt pestis ac penuria illic, & in tota Italia. Et Nicolaus Lugarus, Cremonensis Rhetor clarissimus, & qui Cremonæ docuit publice litteras grammaticales, & humanitatis, & aliqua in ejus scientiis composuit eleganti sermone, ex hac vita migravit.

A.C. 1516. Anno altero Galli, dum quotidie Hispani, qui tenebant Pontisvicum, irrumpentes agrum Cremonensem, illum diriperent, ipsum obsederunt, & in sui potestatem redegerunt nocte diei primæ Februarii, qua viguerunt venti Septentrionales usque ad horam tertiam, qua visæ fuerunt flammæ igneæ labi per aerem serenum à plaga Septentrionali versus Meridionalem, & post grave frigus successit, & Alexandriæ in Gallia Cisalpina eadem hora noctis conspectæ fuerunt tres lunæ in aere per horam invicem pugnantes, & mox in unam valde ignitam cogi, & juxta eam esse caliginem, & in aurora pruina cecidit, quæ conversa est in sanguinem, & etiam visum fuit agmen gruum in aere invicem præliari, & aquilam à Septentrione supervenire, & una earum lacerata ipsas dividere, & mox evanuisse. Et Galli etiam tunc obsederunt oppidum Mirandulæ, &, Cæsarianis subsistentibus Rhegii, in jus suum compulerunt, inde expulso Jo. Francisco Pico, & introductis filiis Ludovici nepotis Jo. Jacobi Trivultii, & quam dum mox Jo. Franciscus coactis copiis tentasset recuperare, eum repulerunt, & Concordia mox obsessa, & oppugnata per ipsum illuc profecto ad auxilium Theodoro Trivultio DC. pedestribus, & CC. equestribus, & utrinque commisso prælio multi hinc inde ceciderunt. Maximilianus Cæsar facta eruptione per Hispanos & Germanos bis millibus ad præsidium Brixiæ pro eo degentes, ex ipsa in Venetos castrametantes prope ipsam per lapides sex, eisque inde repulsis, ex illis multis tum occisis, tum captivatis, & Joanne Fulgosio, & Joanne Corrado Ursino, eorum ducibus, copiis suis per ipsos transmissis in Germanorum tria millia per Cæsarem ad subsidium Brixiæ ex Germania per montes Tridentinos appulsos ad arcem Ancii Vallis Tropiæ, eis, ibi utrinque prælio congressis, profligatis, ex illis occisis D. & reliquis fuga profectis Lodronium, illos illuc insecutis Venetis MMD pedestribus, & per ipsos capto Lodronio & combusto, cum ibi arce munita per Germanos, & inter eos, & Hispanos, ac Venetos, dum utrinque abducerent prædam ex agris Brixiensium & Veronensium, commissis multis aliis levibus præliis, in quibus multi occubuerunt, Brixiæ opem & annonam subministravit, & Suitensibus xv. millibus, & Germanis VII. millibus in Italia per montes Tridentinos descendit, & secum junctis tribus millibus pedestribus Hispanis, & D. equestribus, & aliis CC. egressis Veronam sub Marco Antonio Columna, una cum Bernardo Bibienna, tituli S. Mariæ in porticu Cardinale, & legato Apostolico, infenso Regi Gallorum, Cardinale Sedunense, & Galeatio Vicecomite, & multis aliis exsulibus Mediolanensibus, & per eos instigatus Marcanono Germano exercitus supremo duce, & juncto ponte flumine Athesi, dum Borbonius prorex in dominio Mediolani, Andreas Grittus legatus Venetorum, & multi alii proceres, & Duces Gallici haberent ob id comitia Cremonæ, illud trajecit flumen, Venetis sibi occurrentibus prælio repulsis, multis utrinque cadentibus, ac vulneratis, & Pischeria occupata, direpta, & combusta una cum Valegio & Lunato, obsedit Asulam munitam præsidio C. eque-
A strium, & CCCC. pedestrium Ricino Asulano ibi duce, & Venetis castrametantibus ad vicum Clari, & Gallis bis millibus Cremonæ, & in ejus agro degentibus, & per Cæsarianos facta incursione usque ad Pontisvicum, die xv. mensis Martii, Veneti & Galli in unum coacti Cremonæ ibi recensiti, imposito ponte super flumine Padi, & Nicolao Vairolo, & Vistarino, & aliis Cremonensibus & Laudens. exsulibus die sequente ingressis Laudem, & ibi domibus diversæ factionis direptis, & in eos facta eruptione per Gallos, ex ibi arce, ad cujus præsidium erant, expulsis, & spoliatis, & facto etiam alio levi præ-
B lio ad Quinzanum inter Gallos, & Venetos, ac Cæsarianos, ubi utrinque multi obierunt, illinc repulsi fuerunt, die xx. ex Cremona, eis illic dimissis ad custodiam tribus millibus pedestribus, & CCC. equestribus sub Obegnino regulo, et Gonzaga Principe Bozuli, pedem referentibus versus Piceleonem.

Cæsar dimissa Asula ingressus fuit agrum Cremonensem, & ibi castra firmavit die XXIV. & secunda feria Paschatis, Gallisque, & Venetis abeuntibus versus Papiam, misso die XXVI. Cremonam feciale ad eam petendam, & data sibi repulsa, & omnibus, quæ sunt intra Padum, Ollium, & Abduam flumina præter eam, potitus, motis castris ex agro Cremonense
C ivit Cassianum, & ibi facto alio levi prælio cum Gallis, & Venetis, & ex quibus multi Guascones, & Mediolanenses, & alii utrinque etiam ibi ceciderunt, Abdua trajecto Mediolanum obsedit, ubi ex consilio Jo. Jacobi Trivultii, & Gritti, & Trivisani demolita fuerunt suburbia, & inde expulsi Gibellini, & à mœniis Cremonæ ex jussu ibi rectorum dejectæ Turricellæ, & inter portas omnium Sanctorum, ac Lucæ, & Michaelis erectum propugnaculum ad forum boarium juxta domos ibi tinctorum, & aliud extra portam S. Lucæ, & aliud extra portam omnium Sanctorum. Et dum Galli, & Veneti, qui intendebant dimisso Mediolano illinc ire Papiam, & inde in Galliam Transalpinam animati per Trivultium & Grittum, & ex eorum prudentia ibi substitissent, inde
D transmissis Papiam ad ibi præsidium quatuor millibus pedestribus, & CC. equestribus, & Mediolani retentis decem millibus sub Palissa, Scutifero, Severinate, & Jo. Jacobo, & Theodoro Trivultiis, & ad eorum opem properassent ex Sedunensibus & Bernensibus decem millia sub Alberto Petra, ac Alberto, & Francisco Suprasassis, inops pecuniarum, & sibi per Hispanos, qui erant ad præsidium Brixiæ, retentis pecuniis, quæ ad eum ex Germania conducebantur, & diffisus Suitensibus secum militantibus, ne ipsum, dum sibi peterent stipendium, proderent, habitis comitiis Brixiæ per ejus consultores, ac legatos Regum Hispaniæ, Angliæ, & Boemiæ, post multa levia præ-
E lia commissa per ejus milites cum Gallis & Venetis, in quibus multi hinc inde occubuerunt, inde sublatis & abductis impedimentis, die prima Aprilis exercitu XXX. millium armatorum properavit per agros Laudenses, Cremonenses, ac Brixienses in Germaniam, Suitensibus Laudæ subsistentibus, & illinc abire recusantibus, nisi eis soluto stipendio, quamvis ipsi, & alii, qui erant cum Gallis, non intenderent armis invicem concurrere ex commissione superiorum suorum, qui eis quoque mandarant, ut redirent domum, & sibi solutis per Laudenses quindecim millibus aureis, Bergomum profectis Brandeburgense, ac Sedu-
F nense, & Columna ducibus, quatuor millibus pedestribus, & ducentum equestribus, & per Bergomenses sibi solutis aliis viginti millibus aureis, & aliis etiam transmissis per Regem Angliæ, & ab illis demolita arce Bergomi, eaque, ac Castro sancti Angeli direptis una cum Laude, reversis domum per Vallem Tellinam, Jo. Jacobo Stapherio duce. Et Columna arce quoque Laude oppugnata, & aperta tormentis bellicis, illinc ejus copiis, ac nonnullis cohortibus Germanorum Marco Scita duce, Veronam rediit.

Et Cæsar nullo suorum consilio, asserens se velle proficisci in Pannoniam, ubi tunc perierat Ladislaus ibi Rex, retineri potuit in Italia, ad cujus regimen dimisit Cardinales Gurgensem & Sedunensem; & ex ejus exercitu Hispanorum & Germanorum tria millia remanserunt ad stipendium Gallorum, qui Derthonam & Viglebanum illorum del Verme occuparunt. Et in principio Junii ad fines Burgundiæ & Flandriæ inter Cæsarianos & Gallos facto conflictu, ex utroque exercitu centum millium desiderati fuerunt circiter triginta millia una cum Joanne Rege Navarræ, Principe Tramoliæ, ac ducibus Rheni. Et Geldrenses & Suitenses conventionibus olim initis per eos cum Rege Gallorum, ipsi auctore Galeatio Vicecomite adhæserunt, ac promiserunt pro eo militare adversus quoscunque, qui sibi infensi fuissent tantum, sed ex eis tredecim pagi adversus omnes ipsius hostes. Veneti non exspectatis Gallis oppugnarunt Brixiam, in qua erant ad præsidium CCCC. equestres, & DC. pedestres Hispani Icardo duce, & Germani mille pedestres, credentes eam dolo occupare, sed cum tractatu in lucem prodito Marcus Antonius Columna ex Verona illuc acie statim profectus fuerit, & captis proditoribus, eisque ultimo supplicio affici jussis, inde redierit Veronam, Galli Lautrecco duce eo profecti, ipsam, cum eam totis viribus oppugnassent, apertis mœniis pluribus in locis, & cum Hispanis, & Germanis ibi commisso prælio multorum utrinque cæde, sed magis Venetorum, quam Gallorum captivatis, Icardo, & Camillo Martinengo, & septem millibus Germanis in ejus auxilium transmissis à Cæsare per montes Tridentinos, & ad arcem Ansuinam appulsis, Roncadolpho Germano, & Ludovico Com. Lodronii ducibus, per Venetos Jo. Carolo Ursino duce repulsis, & mox aliis illuc accedentibus cum pecuniis, & adhuc appulsis ad arcem ipsam, Lodronio & Guererio Germano ducibus, occiso Stemna cum multis aliis, ibi utrinque etiam commissa pugna, die XXVI. Maji ex pacto receperunt, solutis Hispanis & Germanis aureis novem millium, & inde dimissis eorum bonis abire incolumibus, & deinde illinc motis castris, ut irent Veronam obsessum Venetis instantibus, & cum increpuisset rumor Suitenses descendere in dominium Mediolani Cardinale Bibienna, & Prospero Columna subsistentibus Mutinæ, Galli, cum quibus erant Germanorum sex millia, converso itinere substiterunt Pischeriæ, & ibi, cum cessato metu Elvetiorum Lautreccus Gallorum dux intellexisset, inter ipsorum Regem & Carolum Archiducem Austriæ tractari pacem, castrametati sunt aliquandiu, & ad eorum stipendium quotidie aliquibus Hispanis, & Germanis, qui erant ad præsidium Veronæ se recipientibus, & una cum Gallis concursantibus & diripientibus agros Veronensium, & Mantuanorum, & quibus per Principem Mantuanum, ut cessarent à direptione ejus dominii, soluta fuerunt XII. millia aureorum, & Cæsariani, qui erant ad præsidium Veronæ, eam egressi capta Vincentia, ipsam ac ejus agros depopulati sunt, & Galli cum Venetis dispartito agmine occupata Sclusa ad fines Tridentinos & Veronenses accesserunt Veronam, eamque obsederunt ac oppugnarunt, ad cujus præsidium erat Marcus Ant. Columna V. millibus Germanis, D. Hispanis, & MD. Suitensibus pedestribus, & MDCCC. equestribus sub multis insignibus ducibus Hispanis, Germanis, & Suitensibus, & cum novem millia Germanorum Gulielmo Roncadolpho duce illuc destinata per Cæsarem ad ejus opem illuc properarent, inde pedem retulerunt ad Villam Francam, & cum Germani, recuperata Sclusa cum oppido Cornioni, Veronæ opem pecuniarum ac annonæ tulissent, & nonnullis cohortibus ibi dimissis, & ex eis, qui ibi erant, secum conductis, inde abiissent, Galli & Veneti adhuc illuc redierunt Novioduni Burgundiæ, dum rex Gallorum intenderet sibi vendicare Regnum Neapolitanum, & in Regnum Navarræ reducere Henricum filium Joannis olim ibi Regis, & inde expulsum per Ferdinandum Regem Hispaniæ paulo ante defunctum, & ob ejus mortem multis tumultibus ibi suscitatis, Præsul Parisiensis, & præfectus prætorii, & præses consilii Regis Gallorum pro eo, & pro Carolo Austriaco Rege Hispaniæ, & Burgundiæ Carolus Ceurio Belga nutricius suus, & scriba supremus à secretis, inierunt novum & perpetuum fœdus, promissa per Regem Carolo uxore Aloisia primogenita sua cum dote jurium sibi spectantium in Regno Neapolitano, & interim pro eis, donec desponsaretur, aureis centum millibus, & decedente Aloisia alia ubi nasceretur succedente, sin minus Renata filia Ludovici præcessoris sui, olim ei etiam promissa uxore, & ipsa, quæ ex eis pervenisset ad nuptias, decedente sine prole, juribus ipsis Regni Neapolitani remanentibus Regi Gallorum, ac convenerunt, ut regnum Navarræ, commissa ejus controversia, ubi de jure decideretur, illud spectare Henrico, ei dimitteretur, & ubi Cæsar hæc infra bimestre probasset, & infra mensem cum dimidio dimisisset Venetis Veronam, ei solverentur per Regem aureorum centum millia, sibi etiam dimissis tercentum millibus olim mutuatis per Ludovicum præcessorem suum, & per Venetos aliis centum millibus, & qui dimitteretur, ex eorum dominio Ripa Tridentina cum Rupere, ac aliis, quæ habebant ex Ducatu Austriæ in Foro Julii, ibi positis finibus inter eos per arbitros ad id eligendos, sin minus liceret Regi auxiliari Venetis, lapsis induciis per mensem cum dimidio factis inter eos ac Cæsarem, & quæ tunc summus Pont. approbavit, & Cæsar die IV. Decembris. Frater Thomas Sclaus Ordinis Minorum D. Francisci ex Gallicia rediens Cremonam applicuit die II. Martii, & ibi super foro Monasterii ejus Ordinis ipsa die, & duobus sequentibus, habitis concionibus, in quibus exprobratis sceleribus Cremonensibus, eis prædixit multa mala ventura, nisi pœnitentiam egissent, & factis ibi multis prodigiis, illinc die V. abiit, iturus ad Sepulcrum Dominicum in Sinai, & de mense Aprilis etiam ductus fuit ex Hispania adolescens annorum XIV. in cujus stomacho erat altera effigies humana absque capite, quæ loquebatur Latine, & die XXIV. Antonius Aquilanus etiam ex Religiosis Conventualibus D. Francisci annorum XI. habuit concionem Cremonæ super Foro majori, & die XXVII. viguerunt vehementes venti, & fuerunt pluviæ cum tonitribus & fulguribus frequentibus, & ædes monialium Sacratissimi Corporis Christi, & divæ Monicæ, & domus illorum de Vernatis in vico S. Leonardi, fuerunt percussæ fulgure, & die tertia decima Julii fuit eclipsis lunæ in principio tenebrosa, & in fine sanguinei coloris cum radiis ignitis.

Anno sequente Maximilianus Cæsar in gratiam Caroli ejus nepotis approbata conventione per eum inita, cum Rege Gallorum, ut præfertur, dimisit Veronam Lautrecco post longam ejus obsidionem, & oppugnationem, vulnerato etiam Columna ibi duce militum ad præsidium, & cum milites essent nimis ei molesti pro stipendio, medio ipsius, ac Præsulis Tridentini illuc transmissi die XII. Januarii, sibi solutis aureis centum millibus, & ibi militibus quindecim millibus pro eorum stipendio per Venetos, quibus Lautreccus, medio Gritti eorum Legati, ipsam statim dimisit, per eos dimissis tormentis bellicis, quæ Veronæ erant, & inde conductis per Cæsarianos Tridentum finito bello, quod duravit adversus Venetos multa strage ac impensa per octennium. Et Franciscus Maria della Rupere conductis Hispanis, qui erant ad ibi præsidium, & aliis qui inde iverant ad stipendium Venetorum quinque millibus sub Maldonato duce, & tribus millibus Italis, A. C. 1517.

&

& Gallis pedestribus, & DCCC. velitibus sub Federico Principe Bozuli, recuperaturus Ducatum suum Urbini, quo summus Pont. eum exsuerat, Laurentio nepote suo ibi Duce constituto, ei de mense Decembris movit bellum, & tentata in itinere occupatione Faventiæ, eum Ducatum ingressus, fere totum recepit. Summus Pont. ex consilio Rodulphi Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum, publicavit veniam omnium scelerum in omni ditione Christianorum dantium nomen suum, ac erogantium ad bellum ex eorum bonis adversus Turcas, & absoluto die XIII. Martii Concilio Lateranense firmavit fœdus per biennium cum Rege Gallorum, quo facta fuit sibi invicem promissio defensionis dominiorum suorum in Italia, & per Regem Gallorum & Florentinorum, dandi auxilium summo Pont. adversus quoscunque ejus feudatarios, ac subditos, & rebelles, præter Ducem Ferrariæ, ac Laurentio nepoti suo ad recuperandum Ducatum Urbini, & per summum Pont. dimittendi Duci Ferrariæ Mutinam, Rhegium, & Ruberiam infra septem menses limitatis copiis, ac modis, quibus utrinque sibi auxiliarentur, firmis manentibus aliis appositis in fœdere prius inter eos percusso. Et prodita in lucem conjuratione adversus summum Pont. facta per Alphonsum Petrucium Senensem, ac Baldinellum, & Paulum Genuensem Cardinales, jussit eos carcerari, exsuitque omni dignitate, & Raphaelem Riarium tit. sancti Georgii, Franciscum Soderinum Volateranum, & Adrianum de Corneto etiam Cardinales, cum eam sibi notam non aperuissent, multo ære mulctatos ex urbe relegavit, ob id per ibi populares concitato tumultu, & nonnullis Cardinalibus per eos detentis, summo Pont. ob metum se recipiente in arcem Adriani. Cremonæ die XX. Maji excavatis & ampliatis fossis, ibi extra & prope portam S. Michaelis fundamenta arcis Alcmenæ ibi antiquitus erectæ, fuerunt reperta, & adversus forum boarium, & ad portam Pulesellæ quamplurima ossa defunctorum, &, ut creditum fuit, Gallorum olim ibi & ad templum Isidis Junonis occisorum, & in unum etiam cum aliis ossibus interfectorum ad templum ipsum ad numerum circiter quinque millium coactorum, & sepulta in eo templo tunc dicato D. Joanni sub vocabulo Pipiæ, & multa alia tunc quoque fundamenta ædificiorum ibi eruta fuerunt. Et per Sacramorum Vicecomitem & nonnullos Cremonenses facta rixa die II. Junii cum Gallis, quamplurimi ex eis fuerunt vulnerati. Antonius Melius Cremonensis, ex Religiosis Ordinis Heremitarum de Observantia D. Augustini, sacræ Theologiæ excellens doctor Parisiis insignitus, nonnullis in ea scientia compositis, obiit Cremæ in ædibus monasterii D. Augustini ejusdem Ordinis, & sepultus in ipsius ecclesia. Et Romæ etiam mense Junii cadente nimbo, præcedentibus tonitribus, ac vigente vi ventorum, fuit percussa è cœlo à fulgure statua ænea B. Mariæ Virg. affixa ibi ædibus religiosorum Carmelitarum, & ex ejus ulnis projectus infans, & nunquam repertus. Et à die XIII. Decembris usque ad Natale Dominicum prope Pandinum per octo millia passuum, & in agro Brixiense visæ fuerunt in aere confligere copiæ militares cum clangore tubarum, & sono tympanorum, & viguit ingens frigus cum glacie, & nivibus, & mox calor immensus de mensibus Julii, & Augusti, pluribus puteis aquis exsiccatis, & mox ad finem anni non viguit frigus, nec fuit nix.

A. C. 1518. Anno sequuto summus Pont. in ejus gratiam per Franciscum Mariam de Rupere derelictum ab Hispanis, Gallis, Germanis, & Elvetiis, ex jussu eorum Regum ac Cæsaris dimisso Ducatu Urbini Laurentio Medicæo nepoti summi Pontificis, & profectum Mantuam cum suis ad ibi Marchionem cognatum suum, post multa prælia inter eorum exercitus commissa, & fere semper prævalente Rupere, ac multas capturas, & direptiones civitatum, oppidorum, & vicorum, ibi plurimorum cæde, & captivitate, & multa damna illata vicissim. Et per Laurentium ducta uxore Magdalena Bojona cum dote annui redditus aureorum decem millium, & Petrucio Cardinale ex jussu summi Pont. strangulato, creavit die XXVIII. Junii Cardinales triginta & unum, ex quibus unus fuit ex qualibet natione Christianorum, ac fuerunt moderatores Religiosorum SS. Dominici, Augustini, & Francisci de observantia, Franciscus Ursinus, Pompejus Columna, & duo ex familia Trivultiorum. Et cum Imperator Turcarum se accingeret, ut exercitu trajiceret in Italiam, petito, nec habito à Venetis illac transitu per oram Fori Julii, ad ei resistendum transmisit ex urbe Cæsarem Cardinalem S. Syri, & ad Regem Gallorum Bibiennam, & Hispanorum Egidium, & Angliæ Campegium Bononiensem etiam Cardinales, & cum eis Regibus, ac Pannoniæ, & Lusitaniæ, Germanis, Suitensibus, ac aliis Principibus & civitatibus liberis Christianorum fœdus percussit in Turcas, per eos creato supremo duce Gallorum Rege, inter ipsum ac Regem Angliæ pace inita de mense Septembris, primogenita Regis Angliæ per eum promissa uxore primogenito Regis Galliæ cum dote aureorum CCCC. millium, Tornaco etiam restituto Gallorum Regi, sibi solutis aureis DC. millibus. Et inter Reges Galliæ & Hispaniæ confirmata, mortua primogenita Regis Galliæ, destinata uxore Regi Hispaniæ, (ut præfertur) loco ejus substituta alia filia Regis Gallorum, & per ipsum creato Rege Hispaniæ Equite Ordinis divi Michaelis, & per eum creato Rege Gallorum ex Equitibus Flandriæ, & auctore Rege Gallorum inter Cæsarem & Venetos prorogatis induciis per quinquennium, per eos solutis Cæsari aureis XXV. millibus. Et Selimus Imperator Turcarum his intellectis ex Syria ibi constituto rectore Garcelle Mamelucho properavit Byzantium. Cremonæ de mense Novembris forum Capitanei fuit pavimento stratum, & campanæ arenghi, & major turris altioris excussæ fuerunt per Thomam Thezanum, & Hieronymum Bonettum aurifices egregios. Et die XII. Martii aere sereno fuerunt venti vehementes, & hora V. noctis diei sexti Aprilis visus fuit in aere globus armatorum per vigiles arcis Cremonæ, & noctibus præcedentibus cometes pallida super ea apparuit, ex cujus flammis emissis ab Oriente lignis ibi accensis igne nocte diei secundi pars ipsius arcis remansit combusta. Et Romæ fuit immensa copia piscium. Et Mediolani in ecclesia cathedrali statua D. N. Jesu Christi cruci affixi catenis ferreis, quibus sustinebatur in aere, fractis cecidit, & disjecta remansit, & in porta Vercellina imago B. Mariæ Virginis per eam, ac imaginem divi Hieronymi in ædibus illorum de Trivultiis, lachrymis sanguineis emissis ab oculis multa miracula fecit. Et in agro Bergomense ibi mulier enixa fuit infantem bicorporeum invicem conversa facie. Et Romæ, dum sacerdos in mane Natalis Dominici celebraret missam, & consecrata Eucharistia, vellet eam elevare, evanuit, & ibi, & Mediolani, & alibi multa alia apparuerunt prodigia, & ingens fuit frigus cum multa glacie, & nive, & gravis viguit annonæ penuria.

Anno subsequuto Maximilianus Cæsar in vico Valesii in Noricis montibus Bavariæ, dum tractaret ex dispensatione summi Pont. coronari diademate imperiali in Germania per Cardinalem illuc destinandum, & per Electores Imperii eligi Carolum nepotem suum Cæsarem, gesto bello in Italia adversus Ludovicum Regem Francorum, & Venetos, & extra eam in Elvetios Ducem Bavariæ, Com. Palatinum Rheni, ex profluvio ventris ex hac vita migravit annorum sexaginta trium, mensium novem, & dierum decem & novem, & imperii quadragesimo septimo, sed post mortem pater- A. C. 1519.

paternam circiter triginta duorum ex Maria Burgundiense prima uxore susceptis Philippo, & Margarita, eaque Maria mortua desponsata Anna filia Ducis Britaniæ, sed non traducta, ea nupta Carolo Regi Gallorum, per ipsum dimissa Margarita filia Maximiliani sibi etiam desponsata, & per Maximilianum ducta uxore Blanca Maria filia Galeatii Mariæ Ducis Mediolani, & cum qua vixit annis XVI. & die VIII. seu XXIX. Junii electus fuit Cæsar apud Francofurtum per Albertum Moguntiæ, Hermanum Coloniæ, & Ricardum Treveris præsules, Ludovicum Com. Palatinum, Joachimum Marchionem Brandemburgi, Federicum Saxoniæ Ducem, & Ludovicum Boemiæ Regem, Carolus V. Austriacus Hispaniarum, ac Neapolis, & Siciliæ Rex, & Austriæ, ac Burgundiæ Dux, dum esset in Hispania, & Marchione Quintibergiæ Duce haberet copias militares Francofurti, competitore Rege Gallorum, & sibi favente summo Pont. transmisso ob id per eum in Germaniam ad Electores Roberto Ursino, & etiam per præsulem Treveris electo Marchione Brandemburgi Cæsare, & ex Hispania illuc transmisso per Electores ad Carolum Com. Palatino monitum de electione, trajectus in Germaniam, & Aquisgranum profectus die XXIV. Octobris de more ibi fuit coronatus, dimisso in Hispania rectore Adriano episcopo Trajectense ejus præceptore. Et Rex Gallorum sibi restituto Torniaco reducturus in Regnum Navarræ Henricum Albretum, filium Joannis inde expulsi, cognatum suum, Margarita sorore ipsi nupta, ibi movit bellum Carolo, Asparotto Fusio Duce occupatis Perpiniano & Fonterabido per Gallos, & qui cum inde facta incursione usque Juliobrigam redirent Perpinianum, sibi intercepto itinere per Hispanos facto utrinque conflictu die XXIV. Augusti fuerunt profligati, & mox per Carolum Cerverium Præfectum Prætorii Cæsaris, & Regulum Boisensem ex consultoribus Regis tractata inter eos pace, res remansit imperfecta mortuo Boisense. Summus Pont. ad exstinguendam hæresim in Germania serpentem, Martinum Lutherum illius auctorem, ac Ducem Saxoniæ suum fautorem excommunicavit, ac separavit à cœtu fidelium. Divus Celestinus, olim summus Pont. in templo Aquilæ, in quo ejus corpus asservatur, indutus vestibus pontificiis visus fuit sacra operari. Et de mensibus Julii & Augusti immensus fuit calor, & hoc anno vini inopia, & bonitas, & in Gallia, & Hispania, ac Elvetia, & Rhætia sæviit pestis, & ex febribus & lentiginibus ob aeris intemperiem quamplurimi Cremonæ perierunt, ibi etiam demolitis porta natalis, & Macelli veteris, & Padus, & alia flumina Italiæ, & mare Adriaticum præter modum bis creverunt.

A. C. 1520. Anno Natalis Dom. 1520. Carolus Cæsar Vormatiæ habuit comitia una cum Cardinale S. Sixti legato Apostolico, prælatis, ac Principibus Germanis adversus Lutherum, & ejus sectatores, & Lutherum, qui eis interfuit, jussit exsulare à toto Imperio, & ad exstirpandam illius hæresim condidit nonnullas constitutiones usque ad futurum Concilium generale observandas, & constituto Vicario suo in Germania Ferdinando fratre, à Caleto die VIII. Julii trajecit in Angliam ad Henricum ibi Regem affinem suum, & per eum deductus Londinum, & inde ad castra Vindensiorum multo apparatu cum eo, ac summo Pont. percussit fœdus in Gallorum Regem ad illum expellendum ex Italia, & reducendum in dominio Mediolani Franciscum II. Sfortiam filium ultimum Ludovici, Placentia, & Parma ex eo Ecclesiæ Rom. & ad mutuam defensionem Regnorum, & dominiorum suorum, & per Carolum etiam Medicæorum, & Florentinorum, facta etiam promissione summo Pont. ei auxiliandi ad recipiendum Ferrariam, & adversus alios feudatarios & subditos sibi rebelles, & dandi feudum consuetum pro Regno Neapolitano, & recepto dominio Mediolani, in eo assignare Alexandro filio naturali Laurentii annuum redditum aureorum decem millium, & quod ibi incolæ usi fuissent sale Cerviense sibi dando per summum Pont. & Carolus empto Ducatu Vintuburgiense restituit Henricum Principem Legionis in dominium suum, inde expulso Roberto della Marcia, qui illud auxilio Gallorum Regis occuparat, per Cæsarianos eo obsesso in urbe Sedani, & in Gallia occupata etiam urbe Suessionum, ac obsesso Esselino Comite Nasamonio Duce, & Gallis in eos profectis Ænea Momorantio Duce, & ad fines Germaniæ & Galliæ facto conflictu inter eos & Cæsarianos, ex quibus erant Germani, Burgundiones, & Flamingi, utrinque desideratis circiter XXX. millibus, Galli succubuerunt, Francisco Palissa, & multis aliis Regulis, Proceribus, Ducibus, & militibus ex eis desideratis. Et Carolus dum esset in Anglia, & in Hispania ob illic tyrannidem ejus magistratuum, qui erant Belgæ adversus incolas, eis impositis gravibus & insolitis oneribus, excitatus fuisset tumultus auctoribus Joanne Padilia, Joanne Bravo, & Maldonato, & Antonio della Agonta Præsule Cimeriæ, per illos captivata Joanna matre Caroli, ac combusta Medina, & sibi electo Rege Ferdinando, fratre minore natu Caroli, & per Cæsarianos ducibus Egidio de Velasco, Magistro militiæ, ac Henrico Quæstore, & Henrico classis maritimæ Præfecto, illic cum illis facto conflictu ad Villam Alarinam die quinta Decembris, ipsis profligatis, eorum ducibus captivatis, & occisis, ac repressa Maria Pacea filia Comitis Tendilliæ, & uxore Padiliæ, post illius mortem ducem se illis præbente, sibi per Regem Angliæ promissa uxore Maria ipsius filia, ex portu Antonæ solvit vela in Hispaniam, & ibi de eis tumultuariis sumpsit pœnas. Et Venetiis Græca muliere enixa fœtum gemellum una conglobatum cum tribus tantum pedibus, tibiis, ac brachiis, & in Castronovello Senensium per aliam alio portento cum facie humana cornu in fronte, auribus asininis, lingua serpentis, reliquo corpore caprino piloso, & coloris cinerei. Et in tota Italia fluminibus præter modum ac solitum auctis, & Cremonæ de mense Aprilis ex immenso calore, & aeris nimia siccitate, ex lentiginibus, quamplurimis defunctis: & multis tractatibus in civitatibus dominii Mediolanensis factis, & inde exsulibus coactis in urbe Rhegii cum Hieronymo Morono, Hectore Vicecomite, & Nicolao Vairolo, ut admoniti per proditores eas occuparent, Thomas Fusius, Rector in eo dominio Regis Gallorum, de eis admonitus per Federicum Principem Bozuli, ad ipsius Regis stipendium militantem, cum eo, ac Alexandro Trivultio CCCC. equestribus, & M. pedestribus illuc profectus die XXIV. Junii, ut eos exsules interciperet, inde repulsus fuit, Trivultio & multis aliis, dum vellent occupare Rhegium, occisis, Fusio etiam captivato, sed dimisso ad mandatum Francisci Guizardini ibi rectoris Pontificii, & Manfredus Marchio Pallavicinus cum Joanne Rusca cognominato Matto octo centum Rhætis, & exsulibus Mediolanensibus coactis in Alpibus Rhætorum, credens ex proditione Benedicti Novicomensis, & Antonii Rusci occupare Novicomum, illuc profectus, & facta inde eruptione per Gratianum Garrum ibi rectorem CC. pedestribus in eum, ac Rhætos, & exsules, inde cum illis expulsus, & per ipsos proditus una cum Joanne captivatus, ductus fuit Mediolanum, ex quo aufugerunt Bonifacius Vicecomes episcopus Alexandriæ, & multi alii etiam ex Cremona, & aliis urbibus dominii Mediolanensis, & capti fuerunt Mediolani Bartholomæus Ferrarius Trapezita, & Cremonæ Marcus Lancea faber ferrarius, Andreas della Rupere caupo, Jo. Antonius Balarinus, & Vincentius Pavarus, qui convenerant, porta

Mosiæ occupata per eos, Cremonam prodere exsulibus nocte præcedente festum D. Joannis Baptistæ, seu sancti Matthæi, & plurimi alii inde, & aliis urbibus dominii Mediolanensis conscii proditionem capite proscripti fuerunt. Et die vigesima Julii Cremona, dum ibi esset Odettus Fusius, qui ex Gallia Transalpina in Galliam Cisalpinam tunc properarat, ut inde iret Placentiam, suborta procella, ac vi ventorum cum tonitribus & fulguribus frequentibus cecidit grando, & ex fulguribus duo ceciderunt in ædibus illorum de Trecchis, in quibus hospitabatur, alterque eorum irrupit thalamum, in quo degebat, disjecto etiam ponte, quo jungebatur flumen Padi prope Cremonam; & die sequente mula, dum in area earum ædium de Trecchis eum conscendisset, ut iret Placentiam, cecidit, & diebus vigesima octava & vigesima nona noctu apparuit stella crinita, & Manfredus Palavicinus Mediolani dimembratus fuit, & Christophorus ejus agnatus comdominus Buseti carceratus, Joannes Ruscha cognominatus, & Novicomi securi percussus, & Cremonæ Marcus Lancea, & Andreas della Rupere vivi combusti, & alii duo dimembrati die vigesima Septembris ex jussu Lautreci: & etiam ad magis muniendum arcem Cremonæ constructa fuerunt duo propugnacula ex calce, & lateribus coctis, & turris portæ sancti Michaelis demolita.

A. C. 1521. Anno altero Carolus Cæsar transmissis legatis ad Pontificem Max. Regem Gallorum, ac Venetos, & Principes, ac civitates liberas Italiæ, per eum petiit sibi dari liberum aditum eundi Romam sex millibus armatorum, ad accipiendum coronam Imperialem de more. In Pannonia, & Gallia, & regionibus circumvicinis in crepusculo diei visis tribus solibus obscuris, & nocte tribus lunis pallidis, & ibi ac alibi vigente multa copia luporum, ac animalium reptilium, ac sæpe, & præter solitum vigentibus ventis vehementibus, ac tonitribus, & fulguribus, & cadente grandine, ex qua Romæ, ac prope ipsam per lapides septem viginti horis cecidit; & hora secunda noctium præcedentium diem vigesimam octavam & nonam Junii, conspecta stella crinita horribili, & in agro Veronense multis à lupis devoratis, & ibi, ac alibi, & præsertim in Gallia & Pannonia infinitis vita functis ex lentiginibus, epidemia, febribus acutis, & apoplexia, & penuria in Italia vigente, & non multo frigore hyemis tempore. Et die vigesima octava Junii arce Mediolani è cælo fulgure percussa, & pulvere sulphureo, qui ibi servabatur in turre, accenso, in qua erant sculptæ imagines Divorum Tutelarium cum insignibus Sforciadum, ea funditus evulsa cum cæde duorum ibi Præfectorum, ac centum quinquaginta militum, qui erant ad ejus præsidium. Suitenses adhæserunt Regi Gallorum, & pro eo irruperunt Galliam Belgicam, & Hieronymus Adurnus ejus classe ac Cæsaris, super quibus erant mille Hispani, & alii factionis suæ ex Liguria & regione Lunense, Genuam tentavit occupare, Octaviano Fulgosio, ibi duce sequente partes Gallicas, illinc expulso. Et Germanorum sex millibus, Suitensium totidem, quatuor millibus Italorum sub Guidone Rangono, & bis millibus Hispani secum junctis mille Florentinis jussu summi Pont. ac Cæsaris Francisco Guiziardino Quæstore Apostolico, & Prospero Columna supremo Duce, obsederunt Parmam, illuc profecto ad præsidium Thoma Fusio quatuor centum equestribus, & Principe Bozuli quinque millibus pedestribus, & Germanis duodecim millia per Cæsarem eo destinatis, dum per territorium Veronæ ad eam obsidionem, ac opem summi Pont. transirent aliis mille conscriptis per exsules Mediolanenses Gallis ex Lodronio sibi occurrentibus ad Sclusam agri Tridenti, utrin-

A que ibi commisso prælio, in quo multi occubuerunt, repulsis, progressi fuerunt in agrum Mantuanum.

Et Rex Gallorum movit bellum Cæsari in Flandria Duce Geldrense, ac Ruberto Martio ductoribus, ibi expugnato Hesilino in agro Morinense, & mox deditione recepta illic arce per Gallos, & qui ad fines Flandriæ inter eos ac Cæsarianos commisso prælio, in eo desideratis utrinque decem millibus, prævaluerunt. Et die decima nona Augusti Cremonam appulsis quatuor millibus Suevis, & quatuor centum equestribus, & die sequente Lautreco, & Marchione Salassorum aliis turmis eque-
B strium cum tormentis bellicis, & juxta ipsam civitatem ponte Padi flumine conjuncto, & inde Parmam transmissis Bernabove, & Jo. Paulo Camillo Trivultiis eorum turmis, & ibi obsessis per ipsos data pecunia, & dum illinc redirent Cremonam, Pontificiis eos insequutis, & inter Buxetum, ac Polesenum assecutis, & utrinque ibi commisso prælio multis ex eis occisis, & vulneratis per ipsos fusis, die vigesima secunda Augusti ex Venetis equestribus quatuor centum sub Theodoro Trivultio, & quatuor millibus pedestribus sub Carolo Malatesta, Andrea Gritto legato, ab agro Brixiense imposito alio ponte super flumine Olii,
C transgressis in agrum Cremonensem, & die sequenti pedestribus progressis Cremonam, & ibi illorum, & Gallorum recensito exercitu, & per Lautrecum pro Gallis, & Grittum pro Venetis, Ducem Urbini, Marchionem Salassorum, & Oratores Ducis Ferrariæ firmato fœdere in Ecclesia cathedrali, summus Pont. interdixit sacra Cremonensibus. Et Galli, & Veneti in unum coacti ex Cremona ibi dimissis Suevis recusantibus ire ex jussu rectorum suorum adversus summum Pont. die secunda Septembris trajecto flumine Padi, ingressi ditionem Palavicinorum, inde profecti sunt ad subsidium Parmæ, exsulibus dominii Mediolanensis incursantibus ac in-
D festantibus ibi urbes, ex quibus dum Hectore Vicecomite, & Petro Maria Scotto cognominato Busio Placentino, obsedissent Gazanum in agro Placentino, ut illud diriperent, inter eos orta controversia occisus fuit Busius.

Et Pontificii, & Cæsariani, dum in eorum auxilium, ac castra applicuissent Germani, & ex Regno Neapolitano equestres quatuor centum, & bis mille pedestres Hispani Davalo Duce, Parmam occuparunt, citra flumen eam interlabens: & cum Galli quatuor centum equestres, & quatuor millia pedestrium, ac Veneti sibi junctis octo millibus Suitensibus Lautreco Duce, & cum quo etiam
E erant Dux Urbini, & Marcus Antonius Columna, motis castris ea firmassent ad vicum sancti Secundi, inter se discordes pedem retulerunt ultra flumen Lantiæ, dimissa Parma, illinc distante per quinque millia passuum; & Lautrecus Gallis ibi obsessis opem & annonam tulit. Et summus Pont. Ducem Ferrariæ, dum centum equestribus, & bis millibus pedestribus, & duodecim tormentis bellicis egressus Ferrariam cepisset oppida Finalis, & sancti Fælicis, anathematizavit, & Guido Rangonus ducentum velitibus, & octo centum pedestribus ex Parma profectus ad præsidium Mutinæ, ubi erant alii sex centum pedestres, eis, & aliis copiis au-
F xiliaribus Hetruscorum Evocatorum secum junctis redegit in jus Ecclesiæ nonnulla oppida ibi in montibus, & cum bis mille Suitenses, & octo millia Florentinorum Ramazotto duce, & Cardinale Medicæo legato Apostolico, die decima occurrissent septem millibus pedestribus, & nonnullis turmis equestrium Ducis Ferrariæ, quibus ibat Parmam in auxilium Gallorum cum tormentis bellicis per agrum Rhegiensem, ibi utrinque facto conflictu eos fuderunt, &, nisi supervenissent pluviæ, omnes delevissent.

Et ex Pontificiis & Cæsarianis triginta millia, & cum quibus erant sex millia Italorum per Cardinalem Medicæum ad eos profectum animati & facti concordes, imposito ponte super Padi flumine, ad Brixellum motis castris, die prima Octobris trajecerunt in agrum Cremonensem, & ibi ad vicum Curiæ fratrum substiterunt, illic in metandis castris orta rixa inter Hispanos & Italos, quam Cardinalis Medicæus, & Antonius Læva sedarunt, & eis diripientibus agrum Cremonensem, cum Galli & Veneti, dimisso Parmæ præsidio octo centum pedestrium sub Principe Bozuli, secum conducto Fusio, juncto etiam ponte ad pagum Mottæ, ex vico sancti Secundi regressi fuissent, & adversus ipsos castra firmassent in vico Bordolani, die quarta sequente regressi sunt Rubechum, & ibi utrinque commissis levibus præliis pedem retulerunt Gablonetam die nona; & cum Galli ivissent Rubechum, & inde ad vicum Binæ in Castro Vicecomitum & jam agri Cremonensis, tunc inter duos tauros commisso certamine tota die, qui mox evanuerunt.

Et cum Præsul Sedunensis, & Franciscus Sfortia, aliis quindecim millibus Germanis, & mille quinque centum equestribus exsulibus dominii Mediolanensis, inter quos erat Nicolaus Vairolus Cremonensis, per dominium Venetorum properassent ad opem Pontificiorum ac Cæsarianorum, & Veneti per eos ac Gallos motis castris, ex vico Binæ dimissis Gallis Rubechi, trajecto flumine Olii, substitissent die tertia decima ad Pontisvicum. Die quinta decima aquis maritimis præter modum ac solitum auctis, Venetiis inundatis, die decima nona trajecto flumine Olii iverunt Canetum, & cum Galli intendentes, antequam Germanis conjungerentur, secum manus conserere flumine Olii juncto duobus pontibus, ac trajecto, eos insequuti fuissent, & supervenientibus pluviis, ac ventis vehementibus, tonitribus, & fulguribus, & pluviis inchoatis die sexta decima, & durantibus usque ad Calendas mensis Novembris, ex quibus Padus, & Olium, & alia flumina Galliæ Cisalpinæ præter modum creverint, id prohibitum fuisset. Et ex Suitensibus decem & octo millia Sedunense duce, castrametata in suburbiis Bergomi, illinc abeundo die vigesima nona substitissent in vicis Gavardi & Caprioli, & mox Gambare una cum Germanis se conjunxissent Pontificiis ac Cæsarianis, & Galli die prima Novembris Cremonam se recepissent, ex vico Gambare, accesserunt in agrum Bergomensem: & cum Galli die quinta ex Cremona abiissent in agrum Laudensem, & Veneti in agrum Cremonensem, pluviis & nive cum tonitribus, & fulguribus, ac vehementibus ventis vigentibus, profecti ad Ripam altam, & ibi flumine Abduæ super Tricium conjuncto ponte, ac trajecto die tertia decima ingressi fuerunt agrum Mediolanensem; & cum ibi per Italos eorum exercitus intercepto Vaprio, ad cujus præsidium aderat Ugo Pepulus turma Octaviani Fulgosii, & illuc ex Pontificiis & Cæsarianis profectis quatuor centum equestribus, & ex Gallis nonnullis turmis, & cohortibus, ut illud recuperarent Thoma Fusio duce, & ibi commissa utrinque pugna, & in ea multis hinc inde desideratis Galli succumbentes pedem retulissent Mediolanum, ubi Lautrecus Christophorum Palavicinum tunc decapitari jussit. Et Florentini Ramazotto Duce ex agro Rhegiense profecti ad Burgum sancti Donini, & inde Placentiam, & illinc in Ducatum Mediolani statim progressi, ibi die decima nona se conjunxissent Pontificiis & Cæsarianis, iverunt Mediolanum, illudque, ibi cum Gallis & Venetis factis multis levibus præliis, in quibus etiam multi utrinque perierint, ipsumque ingressis Hispanis Davalo duce, auxilio Hectoris Vicecomitis, & aliorum inde exsulum die vigesima receperunt, illic captivatis Theodoro Trivultio, & Mercurio Romano velitum duce, illinc Gallis abeuntibus Novicomium, & inde ibi dimisso præsidio quinquaginta equestrium, & sex centum pedestrium in agrum Bergomensem; & die vigesima prima, dum Guido Mataronus Prætor Cremonæ, & alii Galli, qui ibi erant, his auditis ea dimissa illinc abiissent, Variolus, & alii inde exsules eam ingressi sunt, & Papienses etiam transiverunt in jus Pontificiorum, ac Cæsarianorum, & Hispani profecti Novicomium, illudque per ipsos obsessum receperunt à Gallis, qui ibi erant ad præsidium Vindoncense, & Palissa, ac Bonavalle ducibus, & præter datam fidem diripuerunt, & Cremonenses Gallos circiter mille reversos Cremonam, dum ibi per arcem, quæ, adhuc penes illos erat, ingredi eam tentassent, repulerunt; sed dum Thomas Fusius exercitu trajecto flumine Abduæ ex agro Bergomense per agrum Laudensem illuc properasset die vigesima quinta Novembris, die sequente inde abeuntibus Vairolo, & aliis exsulibus, qui ibi erant tantum ad præsidium, post multa levia prælia per ipsos cum Gallis facta se eis permiserunt. Et Princeps Bozuli jussus per Lautrecum Parmam dimisit Ruberto Severinati, & Alexander Vitellius, & Alexander Columna, & Pucius Episcopus Pisauri, illinc copiis Placentiam properantes, eam receperunt pro Ecclesia Romana. Et Suitenses ac Rhæti, qui erant ad stipendium Gallorum, dum eos, ac alios, qui erant ad stipendium summi Pont. ac Cæsaris, eorum Rectores jussissent redire domum, defecerunt ad Cæsarem, & Galli eos insecuti ipsos invaserunt, & utrinque commissa pugna fuderunt.

Leo Decimus, Pont. Maximus, Henrico Angliæ Rege, dum volumen ad defensionem fidei, & Sacramentorum per eum editum adversus impiam doctrinam Lutheri, & Sectatorum, valde serpentem in Germania, præsentatum summo Pont. & ab eo in cœtu Cardinalium lectum, approbatum fuisset, collaudata ejus Regis opinione, insignito una cum posteris suis ad perpetuam instituti memoriam titulo defensoris fidei, obiit die ultima Novembris, & mense nono anni octavi sui pontificatus fere expleto ex veneno, ut creditum fuit, ei propinato per Bernardum Malaspinam cubicularium suum.

Et Sinibaldus de Flisco, & Com. Nucei, sequentes partes Regis Gallorum, receperunt arcem Pontremuli, dum adhuc in fide Regis essent Cremona, Alexandria, & Genua, cum arcibus Mediolani, Novariæ, Tricii, Piceleonis, Insulæ Fulcheriæ, & Aronæ, cum regione Lacus Verbani; & Lautrecus bis millibus pedestribus, & sex centum equestribus esset Cremonæ, ejus jussu demolitis ipsius burgis cum arce sancti Michaelis, & domibus portæ sancti Lucæ, erecto propugnaculo ad portam sancti Michaelis, & die duodecima Decembris mortuo Guidone Matarono J. C. Reg. Prætore, & ad stipendium Cæsaris essent tantum Suitenses mille quinque centum, qui erant ad præsidium Placentiæ, aliis dimissis, & reversis domum, & ex Pontificiis septem centum pedestres, & quinquaginta equestres ad præsidium Parmæ, Mediolani, & Rhegii, Principe Mantuæ Duce, & Florentini rediissent domum, Marcus Antonius Columna, & Federicus Princeps Bozuli mille tercentum equestribus, & quinque millibus pedestribus profecti Parmam, eam oppugnarunt, & inde repulsi per Pontificios ibi ad præsidium degentes sub Francisco Salomone Siculo, & Petro Baciano Genuense, de mense Decembris irrumpentes agrum Placentinum etiam diripuerunt. Et Dux Ferrariæ coactis centum equestribus, tercentum velitibus, millibus pedestribus, recepit Finale, Lugum, Balneacavallum, & Grafinianam olim juris sui, ac tentavit intercipere Muti-

Mutinam, ac Rhegium, Franciscus Maria della Rupere auxilio Gallorum recepit ejus Ducatum Urbini, ac Pisauri, & ex Camarino expulso Jo. Maria Varaneo, eum restituit Sigismundo Varaneo ejus pristino domino.

A. C. 1522. Anno sequente Cremonæ Prætore Barnaba Putheo J. C. Placentino, die octava Januarii post longam & multam contentionem Cardinalium triginta novem, ingressorum conclave die vigesima septima Decembris electus fuit per eos summus Pont. Adrianus octavus de Florentiis, Trajecti inter Brabantiam & Hollandiam natus, humilis generis, & olim præceptor Cæsaris, dum abesset in Hispania pro eo rector, inde classe maritima die quinta Augusti trajecit Genuam, & inde solvens vela, ingressus fuit die vigesima secunda Romam, ubi sæviebat pestis mille quinque centum Hispanis, quos illinc transmisit in Flaminiam ad stativa, & tentavit reducere in partes suas Ducem Ferrariæ, & cum eo componere omnem controversiam, quam habuerat cum præcessoribus suis: & Sfortiades Joanne Sasatello Duce Alexandriam & Hastam auxilio ibi exsulum ceperunt.

Et cum ex Lucernensibus & Sedunensibus, inimicis Suitensium & Zuritensium, decem millia, Notho Sabaudiæ, & Galeatio Severinate, & Regulo Palissæ ductoribus, descendissent in dominium Mediolani ab ibi auxilium Regis Gallorum, & Hieronymus Adurnus jussu Cæsaris habitis pecuniis à Rege Angliæ ex Tridento conduxisset Mediolanum sex millia Germanorum, & Franciscus Sfortia ex eis alia sex millia, ex quibus bis mille erant conducti per ipsum, & quatuor millia per Mediolanenses, accessisset Papiam, & mox ibi dimissis ex eis bis millibus, & centum Italis sub Læva, duodecim millibus pedestribus, & mille quinque centum equestribus Mediolanum ivisset; & Hector Vicecomes bis millibus pedestribus, & Philippus Torniellus mille quinque centum, profecti fuissent ad præsidium Novariæ & Alexandriæ, Lautreccus supervento Thoma fratre, copiis per eum coactis Genuæ, & conjunctis quatuor centum equestribus, & septem millibus pedestribus Principe Bozuli duce, ac Lucernensibus, & Sedunensibus, & copiis Venetorum, & Joannis Medicæi, expugnataque Novaria, ibi captivato Torniello, inde properavit Mediolanum, ut ibi arci opem & annonam ferret; & cum supervenissent ex Germania quinque millia Georgio Frangisbergio, & Hieronymo Adurno ducibus, ex tormentis bellicis, quæ erant Mediolani, emissis pilis, occisis, Marcus Antonius Columna & Camillo Trivultio filio Jo. Jacobi, inde pedem retulit Papiam, eamque obsedit; ad cujus præsidium erat Marchio Mantuæ tribus millibus Hispanis, & Corsis. Et die nona turbine ventorum ex insigni Regis Gallorum picto super turri altiori Cremonæ dejectis liliis; & die quinta decima Pado præter modum aucto apertis Papiæ mœniis multis in locis, illinc occurrit Cæsarianis transeuntibus ad ejus subsidium ad vicum Bicocchæ, propinquum Mediolano per lapides tres, & ibi utrinque commisso prælio die vigesima nona, illucque supervento ex Mediolano Sfortia ad auxilium Cæsarianorum quatuor centum equestribus, & sex millibus pedestribus succubuit, ex Gallis occisis quinque millibus una cum Molante, Guisano Monforte, & Tornono principibus, & ex Lucernensibus & Sedunensibus tribus millibus cum Alberto eorum supremo duce, & aliis decem & septem ducibus, & longe pluribus captivatis, & ex Cæsarianis Petro Cardona, & nonnullis aliis desideratis, reliquo exercitu progressus fuit Modœtiam, & inde Tricium, & illinc reliquis Lucernensibus & Sedunensibus transmissis domum, accessit Cremonam, eaque dimissa sub custodia Thomæ fratris, & Joannis Medicæi, ac munita Laude præsidio turmarum sex equestrium sub Principe Bonevallis, & cohortium sub Principe Bozuli, & Venetorum copiis regressis agrum Brixiensium, ex dominio Mediolani rediit in Galliam Transalpinam cum Regulo Palissa, & Notho Sabaudiense: & Cæsariani usi victoria Davalo Duce properarunt Laudam, eamque, inde Cremam aufugientibus Principibus Bonevallis & Bozuli, ceperunt ac diripuerunt; & mox Piceleone recepto una cum Columna progressi Cremonam, eam obsederunt, & ibi inter eos ac Gallos, illic ad præsidium degentes, factis nonnullis levibus præliis, dum Thomas Fusius cum eis convenisset, de ipsis ea dimittenda una cum reliquo dominio Mediolani exceptis ibi arce, ac Mediolani, & Novariæ, die quinta Julii permissis omnibus ibi Gallis cum eorum bonis & tormentis bellicis inde reverti in Galliam, nisi interim, & infra dies quadraginta illis supervenisset auxilium, inde conducti per Antoniottum, & Hieronymum Adurnos, & Fliscos infensos Octaviano Fulgosio Genuæ Duci, & sequenti partes Gallicas, Genuam accesserunt, eamque obsederunt, & oppugnarunt, & ad cujus præsidium erant bis mille pedestres sub Nicolao Fulgosio, & cum Petrus Navarra illuc supervenisset ad ejus opem classe Gallica, & tractaretur de ea dimittenda, Hispanis Davalo duce ipsam clam ingressis, die vigesima Maji ipsam occuparunt ac diripuerunt, ibi captivatis Octaviano Fulgosio ac Navarra, & arce illic constructa, redacta in sui potestatem, & solo æquata, inde aufugiente Federico Fulgosio classe Massiliam, & ibi constituto duce Antoniotto, inde redierunt in Galliam Cisalpinam, ubi plerique ex ordine Caroli Lanoji Proregis Neapolis, & Joannis Bonamerii legati Cæsaris Romæ, habuerunt stativa in agris Parmense & Placentino, & pro stipendio menstruo per trimestre ab incolis dominii Mediolanensis viginti millia aureorum, à Florentinis quindecim millia, à Genuensibus octo millia, Senensibus quinque millium, & Lucensibus quatuor millium. Et Galli, qui ex Gallia Transalpina properabant ad subsidium Genuæ, audita ejus occupatione retrocesserunt, & qui erant Cremonæ Fusio duce, ea dimissa die quinta Julii inde redierunt in Galliam, Cremonæ pro Sfortia constituto rectore Francisco Sfortia de Fojano, & Prætore Com. Ludovico Barbiano J. C. Mediolanense. Et Cæsar transmisso Hieronymo Adurno, & per Regem Angliæ Ricardo Paceo, & per Ferdinandum Archiducem Austriæ Legatis suis Venetias tentavit deducere Venetos in partes suas, & omnem controversiam, quam habebant cum Archiduce, componere, & Florentinis confirmavit privilegia sibi concessa per præcessores suos, & Germanam Fusia R. Ferdinandi olim Regis Hispaniæ avi sui materni nupsit Alphonso Aragonio olim Duci Calabriæ. Et Cæsariani etiam ceperunt in Gallia Belgica Torniacum, & Galli in finibus Galliæ & Hispaniæ Fontes Marianos, nunc Fontem Rapidum, ceperunt, & muniverunt.

Anno sequuto, Hieronymo Trivisano, Cremonæ præsule, mortuo de mense Februarii successit Petrus Acoltus Aretinus Cardinalis. Et Cæsariani sibi dimissa arce Mediolani die quinta decima Aprilis per Gallos, habitis stativis in agro Astense, cursitarunt ac diripuerunt totam fere Galliam Subalpinam, & Antonio Læva Duce Galeatium Biragum ex Valentia, quam occuparat, expulerunt, eo & pluribus aliis ibi captivatis, & circiter quatuor centum occisis. Et die vigesima Augusti facto eclipsi lunæ coloris sanguinei aere sereno, & mox pallidi in aurora, usque quo duravit, Sfortia die sequente, dum ex Modœtia Mediolanum rediret, gladio proditorie ad necem fuit vulneratus per Bonifacium Vicecomitem aulicum suum equestrem, A. C. 1523.

eumque insidentem mulam comitantem, & in ipsum indignatum ob necem Hectoris Vicecomitis agnati sui. Adrianus summus Pont. jam diu tractata & stabilita compositione controversiæ, quam habebat Archidux Austriæ cum Venetis, ei per ipsos promissis solvi aureis ducentum millibus intra octennium, cum ipsis, ac Cæsare, & Regibus Angliæ, & Pannoniæ, Ducibus Mediolani, & Urbini, Marchione Mantuæ, Florentinis, Senensibus, Genuensibus, & Lucensibus, de mense Augusti percusso fœdere in regem Gallorum, & infideles per eum promissis ad opem dominii Mediolanensis ducentum equestribus & viginti millibus aureis, & per Cæsarem octo centum equestribus; & per Venetos sexcentum, ac totidem velitibus, & sex millibus pedestribus sub Duce Urbini; & per Florentinos ducentum equestribus cum aureis viginti millibus, & per Genuenses, Senenses, & Lucenses triginta millibus; & per Ducem Mediolani ducentum equestribus, ac totidem velitibus, & viginti millibus aureis singulo mense; & per eum ac Cæsarem expositis tormentis bellicis, cum omni materia ad id necessariis; & per Genuenses parata & munita classe opportuna, facto eorum supremo duce Principe Mantuæ non multo post, & die decima Septembris relatis in numerum Sanctorum Gorinono Romano, & Antonino præsule Florentinorum, infirmatus periit die vigesima prima mensis octavi anni secundi sui pontificatus.

Et Dux Ferrariæ eo mortuo, coactis tribus millibus pedestribus, & quatuor centum equestribus, & totidem velitibus, & secum conjuncto Laurentio Ursino aliis ducentum equestribus & bis millibus pedestribus, recepit Rhegium, & expugnavit Ruberiam, dum ad eorum ac Mutinæ præsidium esset Guido Rangonus centum equestribus, totidem velitibus, & mille pedestribus Italis, & totidem Hispanis conductis ex urbe per Ducem Suessæ. Et Carolus, filius Giberti Mompensieri ex Joanna filia Ducis Borboni, & Magister equitum in Gallia, indignatus in ibi Regem ob litem sibi motam per Ludovicam Sabaudiensem, Regis matrem, ob Ducatum ipsum Borboni, Alverniæ, Belicorsi, & Forestæ, habitum pro dote uxoris neptis Caroli Octavi, olim Regis Gallorum, & Valentinianum oppidum ad fines Nerviorum, quibus exsutus fuerat, & etiam, quia sibi prætulisset Alanconium Ducem, sororium Regis, in Ducatu supremo exercitus sui, sibi promissa uxore Eleonora sorore Cæsaris, & R. Emanuelis Regis Lusitaniæ, cum Ducatu Galliæ Narbonensis, defecit ab eo cum pluribus nobilibus Gallicis ad Cæsarem, eo ac Rege Angliæ incitatis ad sibi movendum bellum in Gallia, & dum Rex una cum Ludovico Normandiæ rectore secum conjuncto octo millibus Arvernis, & Bojis, ex Gallia vellet descendere in Italiam ad recuperationem dominii Mediolanensis, re in lucem prodita jussisset Borbonium capi, ipse aufugit in Burgundiam, & re ibi infeliciter tentata accessit ex consilio Cæsaris in Italiam, & die tertia decima Decembris applicuit Cremonam, ibi rectore Mayno de Maynis, & prætore Theodoro Orsio, substituto Ludovico Barbiano, tunc defuncto, pro Sfortia. Et Gulielmus Bonferius, Bonivettus nuncupatus, Magister militiæ Gallorum Regis, ejus jussu exercitu equestrium bis millium, totidem velitum, & pedestrium Helvetiorum sex millium, Valensium bis millium, Rhætorum totidem, Germanorum sex millium, Gallorum duodecim millium, Italorumque trium millium ex Gallia Transalpina irrupit Subalpinam recuperaturus dominium Mediolani, & profligatis Cæsarianis, & Sfortiadis viginti millibus sibi ad Abiate Grassum Prospero Columna duce occurrentibus, & capta Novaria, & per Hispanos sibi dimissis Valentia, Alexandria, &

A Lauda, & Columna pedem referente Mediolanum octo centum equestribus, totidem velitibus, sex millibus Germanis, quinque millibus Hispanis, & quatuor millibus Italis pedestribus, dum & ad præsidium Papiæ forent quinque centum equestres, sex centum velites, & bis mille Hispani, & ter mille Itali pedestres sub Principe Mantuæ, & in agro Derthonense tria millia pedestrium Genuensium, & turmæ equestrium Florentinorum Vitellio duce, & Veneti haberent in armis sex centum equestres, mille quinque centum velites, & quinque millia pedestrium, dimissis per Bonferium ad præsidium Novariæ, Alexandriæ, & Laudæ ducentum equestribus

B & bis millibus pedestribus, & ad Abiate Grassum mille pedestribus Italis, & totidem ad custodiam pontis Ticinii, & Cremonam transmissis quatuor centum equestribus, & duodecim millibus pedestribus sub Laurentio Ursino, & Principe Bozuli, eam obsessum, reliquo exercitu obsedit Mediolanum; & cum Ursinus, & Princeps Bozuli die vigesima sexta Septembris obsessa Cremona, ad cujus præsidium erant Georgius Gonzaga centum equestribus, & Franciscus Salamon Siculus, & Baptista Pelizolus cognominatus Mattus Cremonensis bis millibus pedestribus, ejusque quassatis & apertis mœniis tormentis bellicis die quarto Octob. superventis pluviis diffisi ipsa potiri, eam deseruissent die nona Octo-

C bris, & Soresina, & suburbiis Soncini, & Caravagio direptis, ivissent Mediolanum, & ibi reliquo exercitui Gallorum eorum copias conjunxissent, & medio Joannis Savanæ Ferrariensis militis gregarii ad prædium Mediolani tractatu in lucem prodito, quo Mediolanum debebat prodi Gallis per Morgantem Parmensem manipularem, & Joannem de Lantiis, & quatuor velites Joannis Medicæi, Veneti ingressi fuissent in auxilium Cæsarianorum agrum Mediolanensem, & cecidisset multa copia nivis, abiit ex Mediolano eo dimisso die decima septima Octobris ad Abiate Grassum, ibi, & Laudæ utrinque

D quamplurimis levibus præliis commissis, & dimissis domum Rhætis & Valensibus, & per Laurentium Ursinum destinatum septem millibus pedestribus Aronam, ea, ad cujus præsidium erat Anchises Vicecomes, quoque oppugnata.

Et Rex Angliæ movit bellum Regi Gallorum in Picardia, Cæsar ad fines Galliæ & Hispaniæ suppeditavit Salinteriam, & inopia pecuniarum, quibus solvi posset stipendium militibus, ac aeris intemperie, cum esset hyems, pedem retulit in Hispaniam. Julius Medicæus, patre Juliano, Florentinus Cardinalis, post trium mensium contentionem habitam per Cardinales, à triginta novem ex eis die decima

E septima Novembris fuit adscitus ad summum Pontificatum, & nominatus Clemens Septimus, & qui recepit in sui gratiam Duces Ferrariæ, & Urbini, dimissis Ferrariæ Duci his, quæ receperat ex dominio suo, ac Duci Urbini Ducatu suo, Pisauro, & Senogalia sibi concessis in feudum; & ex eorum copiis auxiliaribus expulit Sigismundum Malatestam ex Ariminio, quod occuparat, & Henricum Regem Angliæ rosa aurea honoris gratia donavit, & Laurentium Campegium Bononiensem, & Cardinalem, legatum transmisit in Germaniam ad ibi Electores, & qui cum eis ivit Norimbergam, ut una cum Ferdinando fratre Cæsaris, & ibi Vicario illic haberet

F comitia. Et Prosper Columna, dux supremus Cæsarianorum in Italia, die trigesima Decembris obiit Mediolani, eique suffecti fuerunt Ferdinandus Davalus Marchio Piscariæ, & Carolus Lanojus Belga Proregis Neapolis, tunc appulsus Mediolanum quatuor centum equestribus, & bis millibus pedestribus.

Anno subsequuto per Petrum de Accoltis resignato Episcopatu Cremonæ, ipsum habuit Benedictus nepos suus. Et Sfortia die XXII. Februarii recepit à Gal- A. C. 1524.

à Gallis ibi arcem Herbovilla, ejus Præfecto mortuo, cui præfecit Annibalem Picenardum. Et eo mense Cæsariani Hispanis tribus millibus cum nonnullis turmis equestribus Davalo & Medicæo ducibus egressi Mediolanum in equestres mille, & totidem pedestres Gallicos Bajardo Duce castrametantes in vico Rubechi, propinquo Abiati Grasso, ubi castrametabatur reliquus exercitus Gallorum, & utrinque prælio commisso, eis deletis, & etiam aliis copiis Gallorum, proficiscentibus Tricium, sibi obviis, secum conjunctis Sfortiadis, in vico Piuntino Ducatus Mediolani, ibi utrinque commissa alia pugna multis cadentibus, habitis sex millibus Germanis in sui auxilium, eis, & aliis copiis Venetorum sub Duce Urbini, ac sum. Pont. Lanojo duce profecti sunt in Gallos, & cum eis commissis levibus præliis ad Abiate Grassum Viglebani, & alibi diverso Marte eos compulerunt in agrum Novariensem, sibi interceptis multis locis, quæ ex dominio Mediolani occuparant, & totis viribus ultimo loco die vigesima tertia Aprilis ad flumen Sesitis, quo applicuerant Elvetii in eorum auxilium, & quibus se conjungere volebant, facto prælio fuderunt, aufugientesque insequuti sunt, & per Medicæum etiam factum obvium Rhætis, conductis per Zechenam & Laurentium Ursinum ad eorum opem, in vico Capriolo agri Bergomensis, eis inde prælio repulsis in fines suos expulerunt ex dominio Mediolani, vulnerato Bonferio, & occiso Bajardo, cum multis aliis in Galliam Transalpinam dimissis post se quindecim tormentis bellicis, & multis aliis bonis, & mox receperunt Laudam & Alexandriam, Gallis, ac Italis octo millibus sub Principe Bozuli ibi degentibus ad præsidium inde abire permissis incolumibus eorum bonis in Galliam.

Carolus Cæsar & Henricus Angliæ Rex instigati per Borbonium percusserunt novum fœdus in Regem Gallorum, ut eum quoque exsuerent Gallia Transalpina, eidemque & ibi moverunt bellum, & jubente Cæsare Borbonius & Davalus, dimissis ad præsidium Mediolani septem millibus Hispanis, & Papiæ quinque millibus ex eis, ac Germanis pedestribus, ac quatuor centum equestribus sub Læva, ex Gallia Cisalpina irruperunt Galliam Narbonensem quinque centum equestribus, octo centum velitibus, & quatuor millibus Hispanis, quinque millibus Germanis, & tribus millibus Italis pedestribus, & classe munita aliis tribus millibus Vgone Moncada rectore, sibi solutis pro eorum stipendio per Regem Angliæ centum millibus aureis, & expugnarunt ibi arcem portus Thelamonis, & ceperunt Aquas Sextias, & multa alia loca Francisco Palissæ, & Vlietæ regulis, ac Briono, & Rentio, & Bozuli Principe sibi resistentibus, bis millibus equestribus, octo millibus Germanis, sex millibus Suitensibus, totidem Gallis, & quatuor millibus Italis pedestribus, & mox obsederunt Massiliam Rentio cohortibus Italorum ad eam defendendam ingresso, regulo Brioni ibi rectore, & Michaele Salassorum Principe classe regia triremium XIV. & plurium navigiorum illic in mari assistente, & per Cæsarem ad fines Galliæ recuperato Fonte Rabido, & Carolo Soffertio, duce Anglorum, exercitu transgresso in Picardiam, eamque ferro & igne devastante ac diripiente, obsesso Hesilino; & cum nemo ex populis Galliæ se committeret fidei Borbonii, ut sperabat, & Rex Gallorum exercitu bis millium equestrium, trium millium velitum, ac pedestrium Gallicorum decem millium, Germanorum sex millium, & totidem Rhætorum, & Valensium, & Italorum properaret ad opem Massiliæ, delusi spe sibi data per Borbonium, postquam eam obsedissent per dies XL. & pluries oppugnassent, ibi plurimis desideratis ipsa dimissa pedem retulerunt in Italiam per Albingaunos Ligures, & inde per saltus Finarium, & Carmisarum.

Et Rex, dimissa Gallia sub opportuno præsidio, & regimine Ludovicæ matris, eos insequutus fuit per Cottias & Pæninas Alpes de mense Octobris mille quinque centum velitibus, mille ducentum equestribus, & duodecim millibus Germanis, & totidem Italis pedestribus, eis solutis pro stipendio viginti millibus aureis. Et Venetorum tercentum equestribus, totidem velitibus, & sex millibus pedestribus sub Duce Urbini, degentibus ad præsidium dominii Mediolanensis, recepit die XX. Octobris Mediolanum fere ab omnibus dimissum, illuc transmissis fœcialibus Michaele Salassorum Principe, & Ludovico Barbiano ex Comitibus Belzojosi, & ibi dimissis ad præsidium tercentum equestribus, sex millia pedestribus Rhætis & Valensibus, & tribus millibus Gallis sub Theodoro Trivultio, castra firmavit ad Abiate Grassum exercitu octo centum equestrium, & decem millium Valensium, & Rhætorum bis millium, & quatuor millium Germanorum pedestrium, & die XXIII. obsedit Papiam, ad cujus præsidium erant tercentum equestres sub Garsia Hispano, & pedestres Hispani quinque centum, & Germani mille quatuor centum sub Læva, Lanojo, Borbonio, & Davalo, aliis copiis abeuntibus Laudam, & inde Soncinum; & illinc Borbonio profecto in Germaniam ad accipiendum ibi copias auxiliares, Galli profecti Laudam, eam receperunt, ubi ac Novariæ & Alexandriæ pariter per eos receptarum ad præsidium, ex eis remanserunt quinque millia pedestrium, & ducentum equestres, & dum ex proditione intenderent occupare Papiam, eam in diluculo diei XXIX. Octob. oppugnarunt, & inde proditione in lucem prodita repulsi fuerunt cæde supra septem centum eis ablatis, & abductis in Papiam nonnullis tormentis bellicis.

Et summus Pont. transmissis ad Cæsarem in Hispaniam Præsule Capuæ, & ad Gallorum Regem Papiam obsidentem, & ad Lanojum, & Davalum, & alios Duces Cæsarianos Soncini morantes Jo. Mathæo Giberto episcopo Veronæ, & datario suo legatis, tentavit eos componere, & inter ipsos fieri inducias; & cum non potuisset, adhæsit Regi Gallorum, qui etiam transmisit ex suo exercitu in Regnum Neapolitanum ducentum equestres, sexcentum velites, & decem millia pedestrium sub Joanne Stuardo Duce Albaniæ, ut secum conjunctis Laurentio Ursino tribus millibus pedestribus, quibus occuparat Savonam, & Varagium, & Ursinis in Latium aliis quatuor millibus pedestribus, illud sibi vendicaret. Et recepit in sui protectionem Ducem Ferrariæ, sibi solutis septuaginta millibus aureis, ac promissis tormentis bellicis cum materie ad id necessaria; & conduxit ad ejus stipendium Ludovicum Palavicinum quatuor centum equestribus, & bis millibus pedestribus, quibus infestaret Cæsarianos ac Sfortiades in agro Cremonense.

Et Sfortia, ac duces Cæsariani, & legati Venetorum die XVIII. Decembris in arce Cremonæ habuerunt comitia de bello gerendo adversus Regem Gallorum, ad quem, dum ex Ferraria ibi Dux per stratam Æmiliam Papiam conduci faceret tormenta bellica, Cæsariani, & Sfortiades, ut id prohiberent imposito ponte super flumine Padi prope Cremonam Joanne Medicæo duce trajecerunt in ditionem Palavicinorum, & mox, dum per agrum Bergomensem ad subsidium Regis Gallorum Papiam irent ex Rhætis & Valensibus sex millia, Medicæus quinquaginta equestribus, tercentum velitibus, & tribus millibus pedestribus, & duces Veneti tercentum equestribus, totidem velitibus, & quatuor millibus pedestribus eis occurrerunt, ipsosque retrocedere coegerunt domum. Et deinde Medicæus indignatus in Cæsarianos, ab eis suis copiis defecit ad Regem Gallorum, & Cæsariani destinarunt in regnum Neapolitanum ad ibi auxilium Ho-

noratum Gaetanum, ut secum conjunctis Ascanio, & aliis Columnensibus Proceribus, in Latio sequentibus partes Cæsaris, illud tueretur, Mediolani & in ejus Ducatu, ac locis circumvicinis debacchante epidemia, ex qua infiniti perierunt, & semina jacta in Gallia Transalpina nimio gelu aruerunt, unde ibi gravis penuria successit, & lupi multos in agro Cremonense, & alibi devorarunt, & etiam leo in montibus Vicentinis in ibi incolas sævit. Et Cremonæ mortuo Mayno de Maynis ibi rectore, Thomas ejus frater ipsi fuit substitutus. Et à die XXI. usque ad XXIV. Maji immensæ pluviæ, cum fulguribus, & tonitribus ceciderunt, ex quibus aquæ fluminis Padi præter modum creverunt.

A. C. 1525. Anno 1525. Redemptionis humani generis, Cæsariani & Sfortiades adhuc habitis comitiis in arce Cremonæ, per eos ac legatos Venetorum una cum Sfortia egressi Lauda, occuparunt Cassanum, inde expulsis Gallis, ibi utrinque facta pugna, in qua multi occubuerunt; & ex eis Hispanis nocte intempesta profecti Meltium, illoque capto, ibi Hieronymo Trivultio, & multis equestribus ejus turmæ illic ad præsidium degentis occisis, & mox Modœtiam, & Borbonio una cum Georgio Frundisbergo, Nicolao Salma, & Marco Scito, & sex millibus Germanis, & turmis equestrium Burgundionum habitis ab Archiduce Austriæ appulso Laudæ, eisque conjunctis aliis Cæsarianis in Abiate Grasso una cum eo, ac Lanojo, & Davalo, Marignanum profecti sunt die XXIV. Januarii septem centum equestribus, mille quatuor centum velitibus, & duodecim millibus Germanis, quinque millibus Hispanis, & tribus millibus Italis pedestribus adversus exercitum Gallorum mille tercentum equestrium, ac Rhætorum & Valensium decem millium, ex Mediolano tunc ad eum profectorum, Italorum septem millium, & Germanorum quatuor millium: & cum Dux Albaniæ Rentio copiis suis conjuncto apud Lucam, Lucensibusque compulsis ad sibi pendendum aureorum duodecim millia, & dandum tormenta bellica, inde abiit Senas; & Senensibus quoque compulsis ad sibi pendendum pecunias, & dandum alia tormenta bellica, & recipere in eorum protectionem Fabium Petrucium, paulo ante per eos illinc expulsum, progressus fuisset in Latium, Davalus cum Hispanis, dum Sfortia esset Cremonæ, & Rex Gallorum, Thoma Fusio, Trimollia, & Palissa proceribus suis eum exhortantibus ad occurrendum Cæsarianis, dimissa Papia, id ex consilio Bonfieri ejus Magistri militiæ noluisset facere, sed substitisset apud Papiam, progressus fuit ad oppidum S. Angeli, eoque occupato, per ipsum ibi captivatis Pyrro, & Canino, & filiis Diosfæbi Gonzagis, & Æmilio Capriano, ibi ad custodiam degentibus ducentum equestribus, & octo centum pedestribus. Et Gaspare Mayno duce Sfortiæ ex Alexandria, ad cujus præsidium stabat septem centum pedestribus, profecto in bis mille Italos euntes duce Marchione Salassorum ex Savona Papiam, ad ibi auxilium Gallorum per agrum Alexandrinum, eisque impeditis in trajiciendo Bromio flumine, ad Castellatium aggressis, & illic utrinque commisso prælio profligatis. Et Rhætis, & Valensibus sex millibus Salubricense duce sibi, occupata per Jo. Jacobum Medicæum, Marchionem Mussii, Clavenna, eam recepturis ab exercitu Gallorum abeuntibus domum, Cæsariani die III. Februarii castris Gallorum se appropinquarunt. Et Sfortiades Alexandro Bentivolio, & Rodulpho Varaneo ducibus, abeuntes Cremona ducentum equestribus, & mille pedestribus in Ludovicum Palavicinum, occupantem pro Gallis Casale majus, direpto vico S. Joannis in Cruce per ejus copias, & dum Palavicinus non exspectato Francisco Rangono, ejus copiis, quas cogebat in auxilium Gallorum, & Casalis majoris illinc ipsius copiis erupisset in Sfortiades, ipsas utrinque commisso prælio die XX. profligarunt, captivato Palavicino, & conducto Cremonam.

Et Varagini Andrea Corso duce, dum Marchio Salassorum gerens bellum cum Genuensibus, & Ugo Moncada classis Cæsarianæ præfectus ea illuc ex Genua profectus fuisset, in eum erumpentes ex Varagine, ejus classiarios fuderunt, ipso quoque captivato cum tredecim ducibus. Et Cæsariani nullo sibi dato stipendio, ac pecuniarum, & omnium indigi, cum summus Pont. nec Rex Angliæ, nec Veneti, nec alii Italiæ populi, diffisi fortuna Cæsaris, ei non auxiliarentur, Borbonio, ac Lanojo, & Davalo ducibus post multa levia prælia cum Gallis ad Papiam commissa, in quibus semper prævaluerunt, Joanne Medicæo vulnerato super talo pilula archebusii, & illinc conducto Placentiam, ut ibi curaretur, factis quatuor aciebus, cujus priori sex millium pedestrium Italorum, Hispanorum, & Germanorum, & equestrium quinque centum præfuit Alphonsus Davalus, Marchio Vasti; secundæ quatuor millium Hispanorum Ferdinandus Davalus, Marchio Piscariæ; tertiæ Germanorum quatuor millium Marcus Scita, & Georgius Fransbergus; & quartæ etiam Germanorum, & duarum turmarum equestrium Borbonius, & Lanojus præfuerunt, dimissa alia ad præsidium castrorum sub nepote Lanoji, in diluculo diei XXIV. Februarii, ac solemnitatis divi Matthiæ, & natalis Cæsaris, aperto Parco per brachia sexaginta, in quo castrametabantur Galli, illud ingressi sunt, & facta ex Papia eruptione per Lævam centum quinquaginta equestribus, manus conseruerunt cum Gallis etiam divisis in quatuor acies, unam scilicet Rhætorum & Valensium sex millium; secundam Germanorum quatuor millium; tertiam Italorum trium millium; & quartam Guasconorum & Gallorum octo millium sub regulo Boisense, & profligatis Rhætis & Valensibus, & Rege Gallorum strenue manus conserente vulnerato in facie, & per eum interempto Ferdinando Castriotto, Marchione S. Angeli, & per Didacum de Avilla, & Joannem de Rubieta equestres Hispanos, & superveniente Motta Aniero ductore equestrium Borbonii, ope Petri Ossorii Locum-tenentis turmæ equestris Granatinorum, & Cæsaris Herculiani Forilivienfis, & Jo. Baptistæ Gastaldi Neapolitani captivato, illos fuderunt, captivatis etiam Henrico Albreto Rege Navarræ, Notho Sabaudiæ, Principe Lotharingiæ, Francisco Borbonio, Jacobo Chabaneo, Ludovico Trimollia, Ænea Momorantio, Burgundiæ præfecto, Obegnino, ac S. Pauli, & Brionis, Vallis Diandei, & Ambricorni regulis, Florentio duce Valensium & Rhætorum, Francisco ex Marchionibus Salassorum, Federico principe Bozuli, Galeatio Vicecomite, & multis aliis principibus, proceribus, ac Ducibus, una cum Hieronymo Leandro episcopo Brundusii, Nuntio Apostolico, & occisis Gulielmo Bonfierio Magistro militiæ, Tornaico, Aspare, ac Thoma Fusiis, Galeatio Fortebiascho, Theodorico Sovebergio, Ricardo Anglo Duce Soforti, cognominato Rosa alba, Jacobo Dispachio, Busivio, Ambosio, Francisco Palissa, & Boisio regulis, Galeatio Severinate, & pluribus aliis ducibus, & gregariis militibus supra decem millia pro parte quoque obrutis in aquis Ticini, dum aufugerent, & inde aufugientibus Alanconi, & Claræmontis regulis quatuor centum equestribus, & comite Aloysio de Arce tribus millibus Rhætis & Valensibus in Galliam Transalpinam dimissis, post se tormentis bellicis, & impedimentis, ac bonis immensi valoris perventis in Cæsarianos, ex eis tantum desideratis Castriotta, & Ugone Cardona, & septem centum gregariis militibus, & vulneratis Ferdinando Davalo tribus vulneribus, & Læva uno, & Regem

gem Gallorum inde conduxerunt in arcem Piceleonis, Theodoro quoque Trivultio die ultima, dum esset Renæ in agro Papiense, ibi cum suis militibus captivato per Sfortiadas. Et Columnenses copiis, quas coegerant ad auxilium Cæsaris, audita strage Gallorum, ac captura eorum Regis ad Papiam, invaserunt Ursinos habentes in armis ad opem Regis in Latio quatuor centum equestres, ac mille ducentum pedestres, & fuderunt, eos insequentes usque in urbem, in quam pedem retulerant, multis ex eis desideratis. Et dum ibi Columnenses, & Hispani, & alii sequentes partes Cæsaris se accingerent ad prælium auctore Duce Suessæ, ibi legato Cæsaris penes summum Pont. in Ursinos, & Gallos, Dux Albanensis sedata discordia Ursinorum, & Columnensium per summum Pont. exauctorata parte Gallorum, quos secum habebat, classibus Pontificia & Gallica ex urbe trajecit ad civitatem veterem, & inde in Galliam cum Laurentio Ursino quatuor centum equestribus, mille Germanis, & nonnullis cohortibus Italorum, ac tormentis bellicis Senensium ac Lucensium. Et ex Cæsarianis, qui erant ad præsidium dominii Mediolanensis quatuor centum equestres, & octo millia Germanorum, dum ibi incolæ gravi inopia laborarent, & male se haberent, inde iverunt in agros Placentinum, Parmensem, & Rhegiensem ad stativa sibi solutis per Florentinos ex ordine summ. Pont. aureis viginti quinque millibus pro stipendio. Et Ludovica mater Regis Gallorum, & alii proceres Galliæ deputati ad regimen Galliæ, dum timerent ei moveri bellum per Regem Angliæ, & Borbonium, ipsius fines muniverunt præsidiis, transmissis pro liberatione Regis legatis ad summum Pont. ac Venetos.

Et Carolus Cæsar die xix. Martii, dum esset Madriti habito nuntio victoriæ Papiensis, & capturæ Regis Gallorum, sumpta Eucharistia, & per ibi clerum factis rogationibus egit gratias omnipotenti Deo, & nec signa lætitiæ ostendit, nec ostendi voluit, & adhibito consilio præsule Osmi confessore suo, ac Federico Duce Alvæ suo præfecto prætorii, exhortatus per præsulem ad dimittendum Regem, & cum eo ineundum pacem, ac movendum bellum infidelibus, & hæreticis, & per Ducem ad eum retinendum, & nec dimittendum, nisi prius stabilitis rebus imperii, ac regnorum suorum transmisso Bureno cubiculario suo in Italiam Piceleonem ad Regem ipsum ibi adhuc in arce detentum, ei obtulit ipsum dimittere sibi dimissa tota Burgundia, & Borbonio Duci Gallia Lugdunense, & Regi Angliæ nonnullis urbibus ex Picardia dimissis, & his non admissis per Regem facta sibi oblatione per ipsum ducendi uxorem Eleonoram sororem Cæsaris, & R. Emanuelis olim Regis Lusitaniæ, obtenta Burgundia pro dote, ac Cæsari cesso omni jure sibi spectante in dominio Mediolani, & nubere Borbonio Margaritam R. Alanconi reguli sibi dimisso Ducatu suo, ac dato alio principatu, ac pro ejus liberatione multa pecunia, & mari, & terris dandi copias militares, quibus iret Romam ad accipiendum ibi coronam imperialem, incitatus per regem Angliæ ac Borbonium ad prosequendum bellum una cum eis adversus Gallos, & occupandam Galliam, ex qua Rex Angliæ haberet Picardiam, Normandiam, Aremoricam nunc Gennam, & Guasconiam, per eum consignata filia adhuc infantilis ætatis ei promissa uxore, illud movere recusavit.

Et Rex Angliæ ob id indignatus, sibi transmisso legato per Ludovicam, matrem Regis Gallorum, cum ea ac Gallis percussit fœdus auctore Cardinale Eboracense. Et Cæsar Lanojo interveniente de mense Maji percussit fœdus cum summo Pont. ac Florentinis ad mutuam defensionem eorum, quæ haberent in Italia, & dominii Mediolanensis, & quo Florentini pacti sunt solvere Cæsarianis, qui erant in Italia, aureorum centum millia, modo egressi fuissent dominium Ecclesiæ, & incolæ dominii Mediolanensis uterentur sale Cerviense, & compellere Ducem Ferrariæ dimittere Ecclesiæ Rhegium, Ruberiam, & alia, quæ ipsius tenebat, solutis eis dimissis, Cæsari, per summum Pont. aliis aureis centum millia, & qui cognosceretur, an Mutina spectaret Ecclesiæ, seu Imperio, & ubi spectaret Imperio, dimitteretur Ecclesiæ sub feudo, sin minus ei libera remaneret, & recepit in sui protectionem Ducem Ferrariæ, sibi per eum solutis aureis quinquaginta millibus & Marchione Montisferrati aureis quindecim millibus, & Genuenses totidem, ac Senenses totidem, & Lucenses decem millibus, & quibus pecuniis solutum fuit stipendium Cæsarianis, ex eis dimissis Germanis redire domum.

Et Senis orto tumultu ob cædem Alexandri Briti, commissam per Hieronymum Severinam, fuit ibi mutatum regimen, ex adhærentibus Cæsaris ei propositis, depositis iis, qui sequebantur partes Pontificias. Et Rex Gallorum una cum regulis Momorantio, Boisense, ac Balivo, sex suis triremibus, & aliis sexdecim Cæsaris, fuit ad eum conductus die septima Julii per Lanojum in Hispaniam, & carceratus in arce Madriti. Et Cæsar inde transmisit in Italiam ad Sfortiam privilegium feudi dominii Mediolanensis, sibi concessi sub onere ei solvendi aureorum quinque centum millia, & accipiendi sal pro usu ibi incolarum ab Archiduce Austriæ, dimisso exercitu, quem habebat in Italia, præter equestrium, qui habere debebant stativa in dominio Mediolani, ex eis septem centum illinc abituris in regnum Neapolitanum, ac Hispanorum, quibus danda erant stativa in regione Salassorum, & Dux Borbonius iret in Hispaniam, dimisso Ferdinando Davalo duce supremo Cæsaris. Qui cum Læva die quarta decima Octobris accersitis ex regione Salassorum ac Galliæ Subalpinæ cohortibus Hispanorum Novariam, ac Hieronymo Morono, & ibi eo detento, ac transmisso in arcem Papiæ coegerunt Sfortiam, uti insimulatum de tractatu facto in Cæsarem, de eo exsuendo regno Neapolis, occisis omnibus Hispanis, qui erant in Gallia Cisalpina, quod debebat concedi Davalo sub feudo per Pont. Max. qui huic tractatui consensisset, una cum Venetis, sibi dimittere Cremonam ac Mediolanum, una cum arcibus Leuci & Piceleonis, cum jam potiti essent reliquo dominio, & in arce Mediolani obsederunt, destinatis Cremonam ad eam accipiendam Germanis mille quinque centum sub Coradino de Glurnes, qui illuc applicuerunt die vigesima quinta Octobris, & ibi arcem obsederunt. Et Veneti his auditis, dum tractarent, Marino Caracciolo penes eos pro Cæsare Oratore interveniente, cum eo inire fœdus, suspicati, ne Cæsar retento dominio Mediolani, bello ipsis moto, eos quoque exsueret ipsorum dominio, ad ipsum fœdus progressi sunt, Cæsari solutis aureis centum millibus.

Et mox summus Pont. ac ipsi una cum Gallis Ludovica matre eorum Regis, & Francisco Borbonio, & Claudio Guisa principe Lotharingiæ Galliæ rectoribus requirentibus, societatem iniverunt ad defensionem Sfortiæ ob indignationem summi Pont. conceptam in Cæsarem, recusantem compelli Ducem Ferrariæ ad dimittendum Ecclesiæ Rhegium, & Ruberiam, & alia, quæ pro eo convenerat Lanojus ipsi restitui; sed recepto Duce in protectionem, instante ei ipsa dimitti una cum Mutina, quæ erat Imperii, & quam Dux offerret ab eo conducere sub feudo, solutis Cæsari aureis centum millibus, & totidem summo Pont. & nec concederet, ut incolæ dominii Mediolanensis, qui utebantur sale

le

le Archiducis Austriæ, uterentur sale Cerviense. Et summo Pont. ac Venetis requisitis ad ipsam societatem per Ludovicam matrem Regis Gallorum, oblatis ad recuperandum dominium Mediolani Sfortiæ quinque centum equestribus, quos transmisisset in Italiam, ac aureis quadraginta millibus mensuatim pro stipendio pedestrium, quibus opus fuisset ad eam expeditionem, moto etiam bello Cæsari per Gallos ad fines Hispaniæ, & per summum Pont. ad eam recuperationem una cum Venetis mille octo centum equestribus, bis millibus velitibus & viginti millibus pedestribus. Et Cæsar his intellectis ad mitigandum summum Pont. ad eum Romæ destinato legato Herera commissario, sibi obtulit compellere Ducem Ferrariæ ad dimittendum Ecclesiæ Rhegium, & alia, quæ ipsius teneret, & nec, ubi Sfortia privaretur dominio Mediolani, & seu obiisset, illud pro se retinere, & nec concedere Ferdinando fratri suo, nec Borbonio, & cum ob hoc summus Pont. & legatus Cæsaris discordarent, & legatus Cæsaris petiisset inducias ad eum consulendum, ipsum fœdus aliquantulum fuit dilatum. Et Dux Mediolani, dum ægrotaret, ac confœderati differrent parare copias, & ei auxiliari, dimissa arce Mediolani Cæsarianis, Cremonam se recepit, & ibi arcem ingressus fuit, & die vigesima sexta Decembris cohortes & turmæ Hispanorum illuc applicuerunt.

Et Ferdinandus Davalus, filius Alphonsi, ex Maria Cardona filii Didaci Hispani filii Roderici, & Marchio Piscariæ, & Aquini hora tertia noctis diei vigesimi Decembris eclipsi lunæ prius pallidæ, mox nigræ, deinde sanguineæ instar sanguinis draconis, & mox rubeæ vigente, die sequente annorum triginta sex Mediolani obiit ex sanguine à membro virili effluxo, nulla dimissa prole ex Victoria Columna uxore post se relicta. Ariminii, & Cesennæ die quinta Julii superveniente nimbo cum tonitribus, & fulguribus, & vehementibus ventis, ac durante tota die, fuit ibi causatum immensum augmentum aquarum, quo ibi multa ædificia corruerunt, & ultra bis mille ex illic incolis perierunt, tum aquis obruti, tum ruina ædificiorum oppressi. In vico Jovis Altæ agri Cremonensis evenit casus miserabilis; nam per puellam ex ibi incolis, annorum IV. fratris sui annorum quinque membro virili cultello amputato, eoque mortuo, superventa eorum matre puella fuste vehementer percussa occisa, & mox dum illuc appulisset maritus, & eorum pater ipsis visis mortuis ex nimia impatientia doloris per eum interempta uxore, & domo eorum habitationis, in qua hæc contigerunt, combusta, seipsum laqueo suspendit.

A. C. 1526. Anno altero Franciscus, Gallorum Rex, abjecta omni spe libertatis, ac diffisus Cæsare, incidit in gravem infirmitatem, & Margarita ejus soror R. Alanconi ipsum accessit. Et Carolus Cæsar contradicente Mercurio Gatinara ejus supremo Cancellario, & exhortante Lanojo, die quinta decima Februarii ex consensu Ducis Borbonii sibi concesso dominio Mediolani, jussit eum dimitti, firmata utrinque juramento conventione, ac perpetua pace, qua Rex promisit ducere uxorem Eleonoram sororem Cæsaris dote aureorum ducentum millum, Ludovico primogenito suo nupta etiam Eleonora filia; ac dimissa Cæsari Burgundia cum Comitatibus Nantes, ac Nadini, aliisque sibi ex Flandria spectantibus, & ejus superioritate, ac Comitatu Atrebatum, accesso omni jure sibi competente in regno Neapolitano, dominio Mediolani, & civitatibus Genuæ, Hastæ, Alexiæ, Nerviorum, Lillæ, Doaci, Peronæ, Pictonum, ac Boloniæ sitis ultra flumen Sequanam, & quod etiam Henricus Albretus dimisisset Cæsari omne jus, quod sibi prætendebat spectare in regno Navarræ, olim Joannis ejus patris, eique recusanti illud dimittere non auxiliari, & nec Duci Vitembergensium, nec Ruberto Duci Martiæ, & etiam mortuis Duce Menapiorum nunc Geldrensium, ac Comite Zulaphi, ut ipsius Ducatus, & Comitatus pervenirent in Cæsarem. Et Rex quoque in sui gratiam reciperet Ducem Borbonium, Principem Aurengiorum, & Marchionem Salassorum, & alios, qui adhæsissent Cæsari, sibi restitutis quibuscunque, quibus eos exsuerat, permitteretque Borbonium agere via juris contra Ludovicam Regis matrem pro Comitatu Aquitaniæ, & Cæsari trajecturo in Italiam traderet quatuor triremes magnas, & duodecim mediocres cum quatuor navigiis, & solveret ducentum millia aureorum, quibus penderet stipendium semestre sex millibus pedestribus, & sexcentum equestribus, quibus trajecturus erat in Italiam, & pro his observandis dare obsides Ludovicum & Henricum primogenitos, & ubi dimitterentur, Carolum tertium filium penes se tenendum, & etiam sibi præbere per semestre quinque centum equestres, ac solvere stipendium aliorum sex millium pedestrium, & penes Regem Angliæ procurare liberare Cæsarem ab obligatione aureorum quinque centum millium, quam versus eum habebat, sin minus eos sibi solveret, & deducto Rege die decima Martii ad Fontem Rabidum, ad limites Galliæ & Hispaniæ, & quod mox per eos ambos rogaretur summus Pont. ad convocandum in unum omnes Principes, ac populos Christianos adversus infideles & hæreticos, concessa ob id omnium scelerum indulgentia auxiliantibus, ac præstantibus nomen suum, & ex eorum bonis erogantibus ad bellum secum gerendum.

Et Rex Gallorum dimissus, & profectus Lutetiam, & ibi coactis suis proceribus, & consultoribus Ecclesiasticis, & Secularibus, coram eis propositis per eum promissis Cæsari, ut præfertur, & discussis, & unanimiter declaratis per eos, ipsa non esse observanda tamque facta per captivum, jure belli pecunia redimendum, & per ipsum ob id, & pro redemptione filiorum oblata Cæsari multa pecuniarum summa, & per Cæsarem non admissa, sed interpellato Rege ad pristinam captivitatem, & nec dimissa resistentibus Burgundionibus Burgundia, Lanojo in Galliam profecto ob id una cum Rege, ut ibi promissiones per eum factæ, ut præfertur, ab ipso ratificarentur, & requisitus per summum Pont. etiam indignatum in Cæsarem, una cum eo, ac Rege Angliæ, ac Venetis in ipsum die vigesima secunda Maji percussit fœdus pro recuperando dominio Mediolani Sfortiæ dimittendo, & qui Rex teneretur cedere omne jus sibi in eo competens eidem, ac successoribus suis per Sfortiam ac successores suos, perpetuo solutis quotannis aureis quinquaginta millium, & dimissa civitate Hastensi Duci Aurelianensi filio Regis per eum gubernanda, & etiam pro vendicando Regno Neapolitano, dimittendo filio Regis, proponendo & eligendo per summum Pont. sub obligatione etiam perpetua quotannis solvendi Regi Gallorum aureorum septuaginta millia, & dimisso Antoniotto Ducatu Genuæ, ubi eis adhæsisset, & Medicæis conservati in dominio Florentiæ, assignatoque Regi Angliæ in Regno Neapolis Principatu annui redditus aureorum triginta millium, & Cardinali Eboracensi in Italia redditu annuo aureorum decem millium, & Cæsare se his adhærente ei dimisso Regno Neapolitano, ex ipso tamen assignato summo Pont. Principatu redditus annui aureorum quadraginta millium, & ubi id, ac dominium Mediolani, ac filios Regis Gallorum dimittere recusasset, ei moveri bellum, & Cæsare ad hæc requisito per summum Pont. ea facere recusante, ipsi indicto bello destinavit in Italiam adversus ipsum sex centum equestres, totidem velites, & octo millia pedestrium Guasconorum sub Michaele Antonio Marchione Salassorum, & multis aliis ducibus, etiam conductis ad sui stipendium decem millibus Elvetiis pro

pro recuperando Torniaco in Picardia, ob id, & illuc, & Caletum transmisso exercitu per Regem Angliæ, & per summum Pont. & Venetos conscripto in Italia alio exercitu, & per Lævam, ac Alphonsum Marchionem Vasti coactis Cæsarianis adversus eos in dominio Mediolani, compulsis Mediolanensibus ad eorum stipendium, & Venetis egressis Veronam sub Duce Urbini, ac Pontificiis octo millibus pedestribus, & multis turmis equestrium sub Joanne Medicæo, una cum ejs ingressis Ducatum Mediolani ad opem Sfortiæ, & per Venetos dolo ac opera Ludovici Vistarini occupata Laude, inde expulsis septem centum Cæsarianis, ibi ad præsidium degentibus sub Fabritio Maramaldo, & aliis tribus millibus ad eorum subsidium properatis, Davalo & Joanne Urbina ducibus, facta utrinque pugna repulsis, & per Pontificios ac Venetos pedestribus sexdecim millibus, & equestribus bis mille quinque centum obsesso Mediolano, & ibi facto prælio cum Cæsarianis, per eos inde repulsis Melignanum, & ex Mediolano transmissis Papiam mille quinque centum pedestribus, & ex eis remanentibus Mediolani quinque millibus Hispanis, & tribus millibus Germanis nonnullis turmis equestrium, in illos se conferentibus quatuordecim millibus Helvetiis, & per Mediolanenses, cum tributis plusquam par esset eos Cæsariani opprimerent, Mediolani in illos excitato tumultu, & ex eis occisis ibi quamplurimis repressi; & Cremonæ cum ad pingendum ex ordine ibi rectorum pro Carolo Cæsare, ut pingerentur ejus insignia in parte anteriori, & patentiori turris illic eminentioris correspondente plateæ ibi majori ad eam appositæ machinæ ligneæ, quibus sustinerentur eorum pictores, nullo ibi exsistente igne, sed eo excitato ex radiis solaribus tunc, cum esset meridies æstivus, prodigiose accensæ, & combustæ fuerunt, & opus ipsum omissum fuit.

Et Pontificii & Veneti, dimissis Helvetiis ad obsidionem Mediolani octo millibus pedestribus duce Malatesta, accesserunt Cremonam, eamque demolitis templis ac monasteriis divorum Angeli D. Sanctæ Mariæ Gratiarum Ordinis Minorum divi Francisci, Cathaldi Ordinis Servorum D. Sanctæ Mariæ de observantia, & Zenonis Monialium Conventualium Ordinis divi Benedicti, constructis in ejus suburbiis, ejusque portis sanctorum Lucæ, & Michaelis, & Mosiæ obturatis, & ibi portis, & turriculis Urbiculæ dirutis, munitam præsidio bis millium Germanorum sub Coradino de Glurnes, & mille quinque centum Hispanorum sub Thoma de Sangies nuncupato Bajacete, & ducentum equestrium sub Sarra Columna, die secunda Augusti obsederunt, & die sexta infœliciter oppugnarunt, tribus in locis apertis ejus mœniis cum pilis ferreis, & marmoreis ex tormentis bellicis illuc conductis in ea exoneratis, amissisque ex ipsis Venetis ac Pontificiis circiter mille cum plurimis tribunis; & die quinta Septembris Francisco Maria Duce Urbini eorum exercitus supremo rectore, ipso reliquo exercitu illuc supervento, utrinque factis multis levibus præliis, in quibus multi alii utrinque occubuerunt, ex pacto die vigesima quarta Septembris receperunt: & Cæsarianis illic abeuntibus die decima Octobris, die decima octava dimiserunt, Sfortia illuc profecto, Petro Pisauriense ibi pro Venetis legato, & pro Cæsare Prætore Ascanio Botta J. C. Cremonense; eique per Sfortiam substituto Signorino Cutica J. C. Alexandrino.

Et Mediolanenses, cum adhuc immensis oneribus oppressi tumultum excitassent in Hispanos ibi degentes, per ipsos repressi fuerunt, nonnullis ibi popularibus occisis, & quibusdam eorum nobilibus sibi suspectis illinc relegatis gravi eorum excidio, ac calamitate, summus Pont. reconciliatus Vespasiano Columnæ filio Prosperi, cum quo bellum habuerat, dimissis tribus millibus pedestribus, quo tenebat ad urbis præsidium, Pompejo Columna, & etiam Vespasiano ad instigationem Ugonis de Moncada Romæ legati pro Cæsare, eam copiis ingressis, ipsoque aufugiente in arcem Adriani, compulsus fuit factis induciis cum eo per quadrimestre revocare in agrum Placentinum ex dominio Mediolani copias, quas ibi habebat ad auxilium Sfortiæ. Et Ferdinandus, Archidux Austriæ, ex Germania per Tridentinos saltus sub Georgio Frundisbergo transmisit in Italiam ad opem Cæsaris fratris quatuordecim millia Germanorum cum valida equestrium manu, Venetis occurrentibus, ac frustra repugnantibus; & quibus progressis in agrum Mantuanum ad Governum dum occurrissent Dux Urbini, & Joannes Medicæus eorum copiis, dimissis Gallis adversus Cæsarianos in dominio Mediolani, & utrinque commisso prælio, & vulnerato Medicæo ex pilula ex sclopo emissa in altero crure, & delato Mantuam, & ibi mortuo, Germani prævaluerunt, & Galli per eos ac Pontificios, Laurentio Ursino, & Guidone Rangono ducibus, expugnata Modœtia, & nonnullis receptis ex dominio Mediolani, superventa hyeme iverunt ad hyberna. Et Franciscus Sfortia Dux Urbini, & Petrus Pisauriensis legatus Venetorum, & legati Gallorum, & aliorum confœderatorum, & Marchio Salassorum, die duodecima Decembris habuerunt comitia Cremonæ, Carolus Cæsar duxit uxorem Isabellam filiam Emanuelis, & sororem Joannis Regis Lusitaniæ, ex dispensatione summi Pont. dote aureorum centum septuaginta millium, & Joannes duxit uxorem Catharinam, sororem Caroli. In montibus Urbini facto conflictu inter Corvos & Milvos, quamplurimis occisis, Corvi succubuerunt. Et locustæ quoque in ea regione grave damnum intulerunt ibi fructibus. Mulier rusticana ex vico domorum de Stephanis agri Cremonensis peperit portentum solo lumine dextro, duobus cornibus in fronte, & absque lumine, & carnibus leprosis & corrosis.

Anno sequente Cæsariani exercitu viginti millium Germanorum sub Georgio Frundisbergo, Hispanorum sex millium, & Italorum quatuordecim millium, Carolo Borbonio Duce supremo, Placentia obsessa, & oppugnata, & dimisso Mediolani congruo præsidio etiam Germanorum, & Hispanorum sub Læva, & recepto in ejus partes Duce Ferrariæ, ex Gallia Cisalpina per Flaminiam iverunt versus Romam, & Frundisbergo infirmato, & mortuo Ferrariæ, ingressi Hetruriam irruperunt agrum Florentinum, & inde profecti Senas, eas obsederunt. Et dum Galli, & Veneti confœderati, Urbinate & Salussiano ducibus, eos insequentes exercitu appulissent Florentiam die sexta Aprilis, ibi tumultu excitato per Florentinos pro recuperanda libertate, & represso per Principem Bozuli ex ducibus Gallicis, ipsius prudentia & dexteritate, & in montibus Camertinis turma equestrium Cæsarianorum illac traducta per Orpheum Aufidam prælio profligata à Camillo Ursino, copiis suis dimissis Senis, invito Lanojo eis occurrente ad Aretium, per eum data fide summo Pont. eum, nec dominium ecclesiæ non infestaturum fore, Cæsariani Romam properarunt, & die sexta Maji oppugnarunt, & ibi Borbonio ex ictu pilulæ ex sclopo emissæ ab urbe occiso, eique suffecto Philiberto Auregiorum * Principe Sequano expugnarunt, & ingressi diripuerunt, summo Pont. incolumi ingresso arcem Adriani, in qua obsessus & adactus necessitate se illis die sexta Junii ex conventione secum inita & firmata per Cæsarem die ultima Octobris quatuor centum millibus aureis pro

A. C. 1527.

* Lege *Arausionum*.

pro parte solutis, & reliquis promissis solvi, quam primum parasset pro ipsius redemptione, per eum ex jussu Cæsaris datis obsidibus de ipsis solvendis, illinc clam Germanis & Hispanis eum custodientibus se contulit ad Urbem veterem. Et Florentini ex Florentia expulsis Hippolyto Cardinale, filio Juliani Secundi, & Alexandro filio Laurentii quondam Petri Medicæi, & aliis eorum factionis, qui iverunt Lucam, se vendicarunt in libertatem. Et Veneti ex dominio ecclesiastico Cerviam & Ravennam, & Dux Ferrariæ Mutinam receperunt.

Et de mense Maji prope & extra portam omnium Sanctorum Cremonæ propugnaculo, & altero ad portam sancti Michaelis inchoatis, & die tertia Julii audito terræ motu, ex Cæsarianis septem millia Læva duce, Sfortiadum tria millia Italorum pedestrium pro Sfortia coactorum Cremonæ, Laudæ, & ex locis Insulæ Fulcheriæ sibi suppositis ex dominio Mediolani, eis munitis præsidio, dum irrupissent ejus Ducatum, & occupassent Modœtiam, illuc properantes inde expulerunt, & Modœtiam diripuerunt. Et Odettus Fusius regulus Lautreci exercitu coacto communi stipendio Galliæ & Angliæ Regum, intellecta per eos urbis occupatione, & direptione, ac obsidione summi Pont. in arce Adriani facta per Cæsarianos, ad ipsum liberandum ex Gallia descendit in Italiam, & firmatis ad principium Augusti castris ad urbem Hastensem, & illinc transmissis copiis ad oppidum Boschi in agro Alexandrino, illo expugnato, direpto, & combusto, ibi captivatis Germanis cohortium Com. Lodroni ex Alexandria illuc ad præsidium transmissis, profectus fuit Genuam, & ibi secum conjuncto Cæsare Fulgosio, ejus copiis, ac Andrea Doria ex equitibus sancti Michaelis illuc appulso, classe Gallica triremium decem & septem, ac plurium navigiorum eam mari ac terris obsedit, ac redegit in jus Regis Gallorum, inde expulsis Antoniotto Adurno ibi Duce, Augustino Spinula, aliisque eorum agnatis, & Fliscis, & ibi captivatis Sinibaldo Flisco, & Gabriele Martinengo, Antoniotto autem illinc aufugiente, ibi Philippo Doria dimisso in carcere, in quo eum poni fecerat, ipsaque munita præsidio Gallorum sub Theodoro Trivultio ibi constituto rectore, inde abiit Alexandriam, eamque oppugnavit, ac recepit, inde Cæsarianis, qui ibi erant ad præsidium, dimissis incolumibus; & illac transivit in Ducatum Mediolani, & ibi secum conjunctis copiis Venetorum profectus Papiam, eam quoque oppugnavit, & cepit, diripique jussit die decima Octobris, Ludovico Barbiano ibi ad præsidium duce eam egresso, & dum illius fidei se permisisset, detento, & transmisso Genuam; & illinc Petro Navarra copiis suis destinato in Cæsarianos, egressos Mediolanum, & Abiate Grasso recepto illic firmatos, illisque ope Sfortiadum secum conjunctorum inde expulsis, ex Papia abiit Placentiam, & ibi Duce Ferrariæ & Marchione Mantuæ, interventu legatorum suorum illuc transmissorum, receptis in partes Regis Gallorum, inde motis castris exercitu viginti quinque millium pedestrium, & bis mille quinque centum equestrium iter suum direxit versus Romam.

Et Cæsariani duce Læva egressi, Mediolanum, Venetos ac Sfortiades junctis armis ingressos ejus Ducatum, ipsis occurrentes coegerunt prælio pedem referre Melignanum, & illinc mox abire. Et cum mox Jo. Jacobus Medicæus conductus per Gallos, & confœderatos ad eorum stipendium, occupato Mongutio inter Novicomium & Leucum, inde copiis suis in eos castrametantes ad Melignanum transivisset, ipsosque compulisset retrocedere Mediolanum; & deinde tentata infœliciter recuperatione Mongutii per Ludovicum Barbianum ex ducibus Cæsarianorum, copiis suis egressi adhuc in ipsum, & secum prælio congressi ad Gallarate, eum, ipsiusque copias fuderunt, & dum fuga lapsus ad fines lacus Larii Leucum, quod tenebant Cæsariani, obsedisset, ex arce Olgiati in adversa ripa Abduæ, etiam per eum occupata expulerunt; & deinde eidem concesso Leuco ex consilio Hieronymi Moroni in partes suas habuerunt adversus Sfortianos & confœderatos, & omnia, quæ ipsi ex dominio Mediolani occuparant in ejus parte superiori, recuperarunt una cum Novaria, Philippo Torniello cive suo, & militante stipendio Cæsaris eam ingresso, ex ipso Ducatu, & ex agris Papiensium, Novariensium, & finitimorum, per eum & alios præda passim abducta. Et Henricus Junior, Dux Pruincensis, ex Germania inferiori decem millibus Germanis, & sex centum equestribus, de mense Maji in gratiam Cæsaris, ut suis opem ferret in Italiam, sibi frustra resistentibus Venetis, irruit, & omnibus locis, per quæ transibat, direptis, ac ferro & igne vastatis, nisi sibi ibi incolæ parati essent pecunias pendere, obsedit Bergomum, eoque dimisso, secum conjunctis Hispanis, eis Laudæ appropinquavit, ad cujus præsidium erat Paulus Sfortia duodecim cohortibus Italorum, & cum illinc per eos repulsus fuerit gravi strage, & ex Germanis infectis epidemia, quæ in dominio ipso debacchabatur, multi periissent, cum illis, qui sibi ab illa, ac strage, superfuerint, redit in Germaniam ad medium Julii. Et Hispani pedem retulerunt Melignanum omisso Mediolano, fere ab omnibus dimisso ob gravia onera, quibus ibi incolæ per illos omissa omni pietate afficiebantur, & Papiam occuparunt Annibale Picenardo duce Sfortiano, ejusque pedestribus mille ducentum, quibus eam tuebatur inde expulsis, & quæcunque alia ibi finitima.

Et Franciscus Borbonius, Com. S. Pauli, cum ex Gallia Transalpina jussu ibi Regis, ut resisteret Pruincensi, ac Germanis, alio exercitu octo millium pedestrium, sex centum equestrium, & totidem velitum descendisset in Italiam, & receptis nonnullis ex dominio Mediolani, quæ pervenerant in Cæsarianos, progressus fuit in agrum Cremonensem, & ibi secum conjunctis copiis Venetorum ac Sfortiæ, eis Papiam regressus, ipsam expugnavit, sibi resistentibus Petro Birago, & Butichiella ducibus Cæsarianis, ibi ad præsidium illuc ad opem transmissis per Lævam à Melignano septem centum pedestribus, ex septem millibus, quos secum habebat, & in cujus oppugnatione Annibal Picenardus Cremonensis, & ejus pedestres strenue se gesserunt, & Hispani pedem retulerunt ex Melignano Mediolanum. Carolus Cæsar die undecima Novembris, dum esset Burgis in Hispania, sibi ad eum missis fœcialibus per Regem Gallorum provocatus ad duellum illud acceptavit, bellumque movit Duci Geldrensium, Regis Gallorum partes sequenti, eumque obsessum in urbe Tilla multis exuit, & cui Rex nullam opem ferre potuit. In vico Domorum de Stephanis agri Cremonensis contigit casus horrendus, & miserabilis; nam ibi incola valde infestatus per militem impium, hospitantem in domo ejus habitationis, ut sibi provideret de carnibus, quas comederet, eum vehementer percutiendo, cum non haberet, unde posset eas emere, occisis per eum filia annorum duodecim, & filio octo, eorumque carnibus coctis, & militi appositis, ex nimia doloris impatientia mox ad flumen Ollii profectus, in ipsum se projecit, ac suffocavit.

Anno sequuto Cremonæ episcopo Benedicto Acolto, & Petro patruo suo Cardinale perpetuo administratore, & Prætore Benedicto Tonso J. C. Mediolanense, & Ducali Senatore integerrimo, & sub quo multi improbi scelerum suorum pœnas dederunt, eique mortuo ad principium Aprilis substituto Ludovico Porro etiam J. C. Mediolanense, & Ducali A. C. 1526

Ducali Senatore, Galli Lautreco duce secum conjunctis quatuor millibus Germanis sub Petro Advocato Brixiense, ac totidem Italis, & quinque centum equestribus, & mille quinque centum velitibus Venetorum, ac Florentinorum sub Alphonso Estense, ac turmis Valerii Ursini, progressi sunt exercitu triginta millium pedestrium, & equestrium sex millium in Latium, & ibi occupata Aquila, & aliis in ea regione irruperunt Apuliam, & cum ex Cæsarianis sexdecim millia pedestrium, & bis mille equestrium Alphonso Davalo, & Alarconio ducibus urbem egressi, eosque insecuti ad Trojam in Apuliam firmassent castra, illuc in illos transiverunt, & ibi utrinque commisso prælio, & mox aliis levibus factis per septendium, quo illic castrametati sunt, Camillo & Valerio Ursinis strenue se gerentibus ex ducibus Gallorum, & cum Cæsariani superventis in auxilium Gallorum aliis sex millibus pedestribus Florentinorum sub Alviano, clam motis castris inde profecti Neapolim, eam ingressi fuissent, illos insequutis Melphim expugnarunt, ac diripuerunt, ibi tribus millibus, & ultra Cæsarianis, qui illic erant ad præsidium, occisis, & ex Gallis desideratis circiter mille quinque centum, & Venusio, & nonnullis aliis civitatibus, oppidis, ac vicis receptis per eos, obsederunt, Ariano etiam tunc per Cæsarianos, quia ibi incolæ eis noluissent parere, depopulato.

Et cum Philippus Doria classe Genuensium octo triremium, & Andreas Doria classe Gallica illuc ad subsidium Gallorum applicuissent, & per eos commissa pugna cum classe Cæsariana sex triremium ad promontorium Ursi prope sinum Amalfitanum, & profligata Cæsariana, occisis Ugone Moncada Prorege Neapolis, Mancino Daja, cum multis aliis ducibus, & septem centum Hispanis, & totidem navarchis, & captivatis Davalo, Ascanio, & Camillo Columnensibus, & multis aliis Hispanis ac Neapolitanis ducibus, ac militibus gregariis, qui erant super ea, & ligatis ad catenam, & coactis navigare, modo non forent vulnerati, & ex Genuensibus, & Gallicis militibus, & nautis autem occisis circiter quinque centum; & in Calabriam quoque inter Cæsarianos & Gallos gesto invicem bello, & per Gallos ibi receptis multis, & ad Anversam ibi utrinque bis commissa pugna, in qua prius prævaluerunt Cæsariani, & mox succubuerunt Ferdinando Gonzaga eorum duce, & Neapolim appulsa classe Gallica, super qua erat Laurentius Ursinus ejus copiis, ac superventa classe Veneta Jo. Petro Lando, & Jo. Petro Mauroceno Præfectis ex Apulia, redactis in eorum potestatem Mola, Palignano, Brundusio, & multis aliis municipiis ibi, & Calabriæ, & illic per eos & Gallos cum Cæsarianis factis multis levibus præliis diverso Marte, & ex epidemia tunc fere ubique in Italia sæviente, ex Gallis, qui ibi erant de mensibus Julii, & Augusti, fere quarta parte exstincta: & Lautreco die duodecima Augusti, ac Principe Valdemontis, qui recepta Neapoli jure majorum suorum sperabat ibi se fore Regem, & Marchione Salassorum, & Paulo Camillo Trivultio, multisque aliis proceribus, ducibusque ac nobilibus tum Gallicis, tum Italis, tam ex febre, quam aliis diversis morbis ibi in castris, & alibi in locis, ad quæ se receperant, ut curarentur, ex vivis sublatis, reliqui dimissa Neapoli pedem retulerunt ad municipia ibi propinqua, & cum Cæsariani Neapolim egressi eos insequuti fuerint, fere omnes die vigesima nona fuerunt captivati, & spoliati ab illis, qui mox Capuam, & alias urbes, & oppida, quæ occuparunt Galli, ex regno Neapolitano, receperunt, & bellum prosequuti sunt reliquos Gallos, & Venetos, terra, & mari in Apulia expugnata Manfredonia, ac oppugnato Trano per Venetos.

Et Andreas Doria, cum Francorum Rex ab eo postulasset sibi per eum consignari Davalum, & Columnam eis consignare recusatis ob id, & quia per ipsum fuisset stipendio defraudatus, in eum indignatus ab ipso defecit, & Genuam patriam suam inde Gallis expulsis una cum Theodoro Trivultio ibi pro eis rectore reddidit liberam, ipsiusque constituit ducem Albertum Doriam, & mox universam ejus ditionem, ac Savonam in sui potestatem redegit; & Genuenses, cum ex Gallis tria millia, ac Insubria regulo sancti Pauli ductore Genuam properassent, eam recuperaturi, eos inde repulerunt, & ab ipsis Genuam tutati sunt, & ibi arcem per Theodorum Trivultium omnium rerum penuria oppressum sibi deditam receperunt. Et Carolus Cæsar ex Hispania classe transmisit bis mille Hispanos pene omnes inermes, & fere nudos, & omnium rerum indigos illuc ad eorum subsidium, si indiguissent, sin minus dominii Mediolanensis, & qui dum Barbiano duce Genuam conducti, & per Genuenses non admissi, per montes Placentinos longis itineribus ad Padi ripam adversus Belzojosum ducti, ibi Pado trajecto Mediolanum profecti sunt, & Cæsariani ibi Antonio Læva duce, dum eis nullus locus trans Ticinum pareret, & Veneti trajecto Abdua, & Galli una conjuncti cum Sforcianis Mediolanum obsedissent, eoque ipsorum paucitate diffisi potiri, inde abiissent, Veneti Melignanum, & Galli Landrianum, ut inde irent Genuam oppugnatum trajecto Pado, Mediolano noctu egressi, Gallosque improvisos aggressi, eos fuderunt regulo sancti Pauli eorum supremo ductore, & Hieronymo Castilionæo, & Claudio Rangono captivatis una cum multis aliis, & quamplurimis occisis, & reliquis, dum aufugissent versus Papiam, per milites Picenardi, qui ibi erant ad præsidium pro Sfortia, armis & equis spoliatis. Et Torniellus ex ducibus Cæsarianis Novariam per ejus arcem, quam tenebat, ingressis copiis suis eam occupavit, inde expulsis Sfortianis, qui ipsam tuebantur, & mox inde egressus prædatum, cum præses ibi arcis eam ac civitatem exivisset. Et per Sfortiadas quinque in arce captivos, inter quos erant tres Novarienses, auxilio nonnullorum operariorum, qui ibi erant arreptis armis ipsam occupassent, Hispanis, qui illic erant ad præsidium, tum trucidatis, tum carceratis, audita ejus occupatione illuc properavit, & cum ipsam oppugnasset à Sfortianis diffisus sua paucitate, sibi pacta eorum ac bonorum suorum incolumitate eam recepit.

Carolus Cæsar Carolum Ducem Geldriæ sequentem partes Gallicas anno superiori per eum vico Olandæ opulenta direpta, & Monte civitate munitissima ad flumen Halæ obsessa, & expugnata per Cæsarianos, se ei permittentem in sui potestatem recepit, eique, donec vixisset, dimisit Frisiam sibi concessam per Philippum patrem Caroli, & etiam habuit ab Henrico Batavo præsule Trajecti, & domino regionis Transilvanæ ex auctoritate summi Pont. & consensu ibi accolarum dominium illic temporale, dum Dux Geldriæ in ea ipsum infestaret, dimissa quoque Duci ipsi Gravalinga ibi urbe, per Joannem ejus principem, dum infestaretur per Georgium Ducem Saxoniæ, & Frisiæ dominum. Cremonæ à principio mensis Februarii usque ad principium mensis Decembris sæviit pestis, ex qua plurimi cujuscunque generis perierunt, dum ibi forent excellentes Physici, inde oriundi Jacobus Alierus, Jacobus Barbos, Hieronymus Carenzonus, Simplicianus Macaneus, Marcus Antonius Hala, Homobonus Orfidius, vulgo Offredus, Georgius Fundulus, Hieronymus Lugarus, & Cathaldus, & Petrus pater, & filius della Manna, & Cathaldus fuit filius alterius Petri clarissimi Rhetoris, & Grammaticæ, & Doctoris litterarum humanitatis, & qui eas Cremonæ

 com-

communi ipsius ære conductus publice legi docuit, & interpretatus fuit summa facundia, & Laudæ usque ad ejus mortem; & decesserunt Daniel Gajetanus, & Franciscus Concoregius præceptor meus, clarissimi Rhetores, & qui publice ibi docuerunt litteras Grammatices, & Humanitatis, & etiam Gajetanus litteras Græcas, quibus ac Poesi eruditus fuit. Raynera secunda filia Ludovici olim Francorum Regis nupta Herculi Duci Ferrariæ ex Gallia illuc accedens die octava Novembris Cremonam accessit. Et ex ipsa peste & fame in tota fere Italia vigentibus infinitis mortuis, & per plurimos ex eis dimissis filiis tum ætatis infantilis, tum puerilis, egenis vagantibus die & noctu per itinera, templa, fora, & alia loca publica victum sibi mendicantibus, Venetiis Hieronymus de Meanis ibi incola misertus eorum duram calamitatem, multos ex eis illic colligi, & conduci fecit in domos ad id paratas, & perpetuo victu, & diurno ex suo proprio ære eis statuto, ipsis dimissis sub regimine tum ecclesiasticorum, tum sæcularium probæ vitæ, illinc abiit ad vicum Somaschæ Ducatus Mediolani propinquum agro Bergomensi, & in ipsas civitates ope nonnullorum ibi incolarum Christi fidelium Bergomi erectis tribus hospitalibus, uno scilicet puerorum, alio puellarum, & alio mulierum ex impudica vita conversarum ad pudicam, & alio Mediolani orphanorum Francisci Sfortiæ ibi Ducis quoque auxilio, & ibi, & in ea regione collectis, & conductis in ea orphanis, & mulieribus impudicis earum civitatum, & illic collocatis, eis quoque perpetuo & diurno victu assignato, eoque Meano mox mortuo in ipso vico Somaschæ. Et tunc multi alii idem opus pium & laudabile imitantes in multis aliis civitatibus Italiæ, & præsertim in Insubria idem operati sunt. Et Cremonenses procurantibus Pagano Ponzono priore clericorum ecclesiæ cathedralis Cremonæ, & Homobono Lizario heremita, Cremonensibus multorum aliorum ope assignarunt puellis ædes hospitalis eorum de Tinctis in vico ibi sanctæ Sophiæ, illic constructo oratorio sub titulo divæ Ursulæ, & pueris empta domo in vico sancti Nazarii à Gaspare Gallarato, & mox illinc ad nonnullos annos vendita, & alia empta in vico sancti Vitalis, & in ea, ac domibus ibi ecclesiæ, in qua sit repositum corpus Beati Geroldi, collocatis, eisque pueris, ac puellis, donec adoleverint, regulatis, & ex eleemosynis educatis, & eruditis bonis moribus, ac præceptis divinis, articulis fidei Christianæ, ac documentis, & præceptis ecclesiæ Rom. & ad vacandum frequentibus ad omnipotentem & misericordem Deum trinum & unum orationibus, & laudibus, & invocationibus auxilii B. Mariæ Virg. Genitricis Redemptoris D. N. Jesu Christi, ejusque sanctorum, & electorum, & ubi aliqui ex eis cupierint erudiri litteris grammaticalibus, in eis eruditis, & etiam aliquibus ex eis instructis in aliquibus artibus, ubi ipsis idonei fuerint, & ubi aliqui ex eis optarint promoveri ad sacros ordines, ad eos ipsis promotis, & perseverantibus in ea religione cum nonnullis aliis laicis, & aliis ejusdem ordinis, & egredientibus ipsas domos aliis substitutis, ex eis etiam pueris & puellis aliquibus concessis ad serviendum nonnullis Cremonensibus, & ex ipsis puellis aliquibus nuptis eis data congrua dote ex eleemosynis collatis per regentes hospitalium, & aliorum locorum piorum ex ipsa civitate, & per alios religiosos, & alios Christi fideles, etiam pro eorum orphanorum alimentis, eis gubernatis per nonnullos Cremonenses alicujus auctoritatis ad id quotannis electis.

A. C. 1529. Anno subsequuto Carolus Cæsar percusso fœdere cum summo Pont. quo ei promisit Medicæos restituere Florentiæ, & Alexandrum summum Pont. nepotem ibi constituere Ducem, per eum tamen ducta uxore Margarita filiâ naturali Cæsaris, eoque insignito per summum Pont. de more corona imperiali, & die quinta Augusti cum Rege Gallorum interventu Ludovicæ ejus matris, ac Margaritæ amitæ Cæsaris rectricis Flandriæ in unum conventarum apud Camariacum in Burgundia inita concordia, qua cautum sit, ut Rex duceret uxorem Eleonoram sororem Cæsaris, ex qua, ubi suscepisset masculum, ei concederetur Ducatus Burgundiæ, & pro redemptione filiorum penderet Cæsari vigesies centena millia aureorum, & Regi Angliæ ducentum millia, ex Hispania classe trajecit Savonam die octava, & inde die decima Genuam, ubi cum honore à Principibus Italiæ receptus fuit, & illinc die vigesima secunda Septembris Placentiam accessit, ubi etiam summo cum honore & gaudio susceptus fuit per Hippolytum Medicæum, & Alexandrum Farnesium, & Franciscum de Angelis Cardinales, illuc transmissos per summum Pont. ad ei præstandum juramentum fidelitatis erga ipsum, ac ecclesiam Rom. & Hastensem urbem sibi dimissam per Gallorum Regem, dono concessit Beatrici ejus cognatæ, uxori Caroli Philiberti Ducis Sabaudiæ.

Et Cæsariani degentes ad præsidium Mediolani Læva duce, dum illuc iret ad Carolum Cæs. Papiam ex pacto receperunt ab Annibale Picenardo duce Sfortiano, ac oppugnarunt castrum sancti Angeli. Et Carolus Cæsar ex Placentia ivit Parmam, & illinc Mutinam, & ex ejus exercitu quindecim millia pedestribus, bis mille velitum, & mille tercentum equestrium Philiberto Salonino Belga, seu Sequano, Principe Aurengiorum duce ex regno Neapolitano descenderunt in Umbriam, & ibi receptis Meviana, Perusio, & Assisio, & Hispello expugnato, ibi ducibus ad præsidium Leone Baliono, & Jo. Baptista Borghesio Senense; & ibi desideratis multis Hispanis cum Joanne Urbina eorum cohortium supremo rectore, & in sui potestatem compulso, & spoliatis militibus, qui ibi erant ad ejus præsidium, præter fidem eis datam, ex ipsa regione dominii Malatestæ ducis supremi Florentinorum, occupatis quibuscunque aliis, progressi in Hetruriam, & illic quoque occupatis Aretio, Castroleone, & Cortona, ea quoque oppugnata, Florentinorum, Florentiæ se appropinquarunt, eamque obsederunt die vigesima quarta Octobris. Et Florentini conscriptis duodecim millibus pedestribus, & quatuor millibus equestribus, & ex suis armatis septem millibus sub Mario Ursino, Stephano Columna, & multis aliis ductoribus ac ducibus Italis impigerrimis Baliono Malatesta duce supremo, illis resisterunt. Et Carolus Cæsar ex Mutina profectus est Bononiam, dum summus Pont. ex Roma comitatus multis Cardinalibus, prælatis, proceribus, ac nobilibus illuc se transtulisset, & Franciscum Sfortiam, cum illuc accessisset, ad requisitionem summi Pont. sibi supplicem in sui gratiam recepit die vigesima tertia Decembris eidem dimisso Insubrum dominio, desponsata per eum Christierna, filia Christierni Regis Daciæ, ex Isabella sorore Cæsaris, eique promissis per Sfortiam novem centum millibus aureis, ex quibus tunc deberent pendi quatuor centum millia, & reliqua intra decennium quotannis æquis pensionibus, sibi reservatis Novicomio, & Mediolani arce, donec promissæ pecuniæ primo anno solverentur; & in partes suas recepit Venetos, ei restitutis per illos occupatis ex Apulia, ac ecclesiæ Rom. Cervia, & Ravenna, & per summum Pont. & Ducem Ferrariæ sibi commissa omni controversia, quam habebant pro Rhegio & Mutina.

Stella crinita in Italia, Germania, & Gallia de mensibus Julii, & Augusti conspecta. Et Sfortia sibi dimisso dominio Mediol. per Carolum Cæsarem, (ut præfertur) ut ibi incolis subditis suis jus ministraretur, eorumque controversiæ rite & recte deciderentur & tollerentur, & omnia illic recto ordine

ne transirent, pro eorum quiete & salute, ibi habuit excelsum Senatum ex quatuor reverendis Religiosis, totidem viris Militaribus insignibus, & duodecim Juris peritissimis, ex quibus essent quatuor advenæ, cum Præside, ac Consilium à secretis ex viris tum militaribus, tum togatis cum supremo Cancellario, ac officium Quæstorum reddittuum ærarii sui ordinarii, & extraordinarii annonæ, ac aquarum fluminum regalium illac labentium cum eorum Præsulibus, Advocatis, & Syndicis Fiscalibus, & Scribis, ac supremo ibi criminum Vindice; & ex Senatoribus fuerunt Cremonenses Jo. Franciscus Sfondratus, & Jo. Baptista Specianus insignes J. C. & Specianus etiam ex ipsis consultoribus, & supremus quæstor criminum, & ex Scribis apud excelsum consilium Stephanus Guspertus, & penes excellentissimum Senatum Franciscus Petreus Niger vates, ac Græcis & Latinis litteris eruditus, & Galeatius Rocca, & ex suis militaribus tribunis inclitis Annibal, Sebastianus, & Orpheus Picenardi, Jo. Baptista, & Franciscus fratres de Pelizolis nuncupati de Mattis, Baronus Somentius, Marc. Antonius Fabagrossa, & Coriolanus de Grandibus, & Jo. Antonius Manaria ex oppido Castrileonis, & ad stipendium Caroli Cæsaris Ludovicus, Nicolaus, & Marchisinus de Burgo, & prius fuerunt ex Senatoribus ecclesiasticis Georgius Gadius, præpositus monachorum Ordinis Humiliatorum residentium in ecclesia, & domibus divi Abundii, seu D. sanctæ Mariæ in Horto, & ex Senatoribus brevis togæ Augustinus Somentius. Et Fabagrossa ob ejus fidelitatem adversus Franciscum Sfortiam dominum suum, & ex cujus aulicis fuit, & per Carolum Imperatorem, & Philippum Regem Hispaniæ filium suum, mortuo Sfortia tam in re belli quam pacis obtinuit multa munia, quæ diligenter, & multa cum laude exsequutus fuit, sequendo vestigia majorum suorum, ex quibus multi fuerunt ecclesiastica insigniti dignitate, & aliqui conspicui arte militari, & aliqui doctrina Juris.

A.C. 1530. Anno millesimo quingentesimo trigesimo ortus Dominici, Cremonæ prætore adhuc Ludovico Porro, Maximiliano Sfortia Lutetiæ mortuo, & apud Carmelitas sepulto, Carolus Cæsar die Jovis vigesima quarta Februarii, & solemnitatis divi Matthiæ Apostoli, & ejus natalis, à Clemente summo Pont. assumpsit insignia Imperii, Marco Alvaro Ossorio Marchione Astorgiæ aureo sceptro, Didaco Pacecco Duce Ascalonum ense gemmato in vagina condito, Hispanis, Alexandro Medicæo Duce Pinense, & genero Caroli Cæsaris, orbe aureo cum cruce præfixa gemmis distincta, & Bonifacio Palæologo Marchione Montisferrati corona aurea, præcedentibus ad ecclesiam divi Petronii Bononiens. protectoris: & dum ex ea, quæ sit cathedralis, abiret corona insignitus inter Cardinales Rodulphum, & Salviatum eodem Marchione in solemni chlamyde eam coronam, & Francisco Duce Urbini, & præfecto urbis, & duce supremo exercitus Veneti in veste purpurea Dalmatica cum tegumento capitis, condito in metæ formam, aurea cruce distincto, & tæniis utrinque pendentibus, & Philippo Com. Palatino in talari veste etiam purpurea frigiis munita, & plano pilo candido, & pellibus fulto aureum orbem, & Carolo Duce Sabaudiæ pileolum unionibus, smaragdis, & carbonibus interlucentibus fulcitum, & qui cum oporteret majoris officii gratia corona capiti Cæsaris dempta prætensis manibus deferendi, & facta fide cum juramento per Marinum Caracciolum protonotarium Apostolicum Neapolitanum, & Com. de Nassau cubicularem supremum, & Andream Burgum Cremonensem legatum Caroli Cæsaris, penes summum Pont. ejus electionis factæ Aquisgrani per Electores Imperii in Cæsarem, eaque præsentata summo Pont. per Cardinalem An-

A conitanum, & Bononiæ celebratis hastiludiis ob lætitiam natalis Ferdinandi filii Cæsaris, tunc de recenti nati ex Isabella uxore in Hispania, dimisso summo Pont. exercitu, quo arctius obsessa fuit Florentia, illuc superventis ex Gallia Cisalpina aliis sexdecim millibus pedestribus cum viginti quinque tormentis bellicis sub Davalo, & mox sex millibus Germanis sub Felice Lodronio, & Hispanorum nonnullis cohortibus sub Petro Valeo, Italorum eam obsidentium supremis tribunis Petro Aloysio Farnesio, Alexandro Vitellio, Jo. Baptista Sabello, Martio, & Camillo Columnis, Horatio, & Sfortia Balionis, Pirro Stipiciano, Petro Maria
B Rubeo Com. S. Secundi, Scarlengo Hastense, Andrea, & Jo. Baptista Castaldis, Francisco Maramaldo, Jo. Sasatello, & Rodulpho Gonzaga, ex Bononia die vigesima secunda Martii ivit Mantuam, & ibi Federico Gonzaga constituto Duce, inde abiit in Germaniam, & pridie solemnitatis gloriosissimi Corporis Christi applicuit Augustam, ubi erant indicta comitia Principum, & civitatum Germaniæ ad tollendas controversias religionis Christianæ, quæ ob diversas sententias componi non potuerunt, licet optimus Cæsar enixe laborarit vulgato edicto, quo mandavit veteres ritus ceremoniarum in ecclesia Rom. retineri debere, ibi assisten-
C tibus Ferdinando fratre, Cardinale Campegio legato Apostolico, Alberto præsule Moguntiæ etiam Cardinale, & Christophoro Stadio ibi præsule, Joanne Duce Saxoniæ una cum Joanne ejus filio, ac Ernesto, & Francisco Ducibus Lungimburgi ejus fratribus, Annibale Olfanco, & Joachimo Marchione Brandenburgi, & multis aliis ecclesiasticis, prælatis, religiosis, & theologis, & viris doctis, & principibus, & perfectis comitiis die vigesima Novembris illinc abiit in Flandriam. Et Eleonora Cæsaris soror tertia Francisco Regi Gallorum desponsata ex Hispania trajecit in Galliam cum liberis ipsius Regis de mense Junii.

D Et Florentini cum orta discordia inter Italos & Hispanos obsidentes Florentiam, & utrinque commissa pugna, & occisis supra tercentum, & prævalentibus Italis, Germani jussu Ferdinandi Gonzagæ in Italos arma convertissent, eisque cedentibus Italis ipsorum castra diripuissent, & die secunda Augusti facto conflictu in agro Pistoriense ad vicum Gavazinam per quatuor millia pedestrium Florentinorum, & nonnullas turmas equestres duce Francisco Ferrucio, dum ex Pisis irent Florentiam cum Cæsarianis sibi occurrentibus Philiberto Salonino duce, & prævalentibus Florentinis, occiso Philiberto, & utrinque desideratis bis millibus, &
E Vitellio, & Fabritio Maramaldo illuc in auxilium Cæsarianorum properantibus, fusis per Maramaldum, occiso, Ferrucio captivato, ac occisis Com. Civitellæ, Joanne de Mariis, & multis aliis, & Jo. Paulo Ursino, Nicolao Massa Albanense, Paulo de Castro, & Carolo de Civitella tribunis, & ducibus Florentinorum, & multis aliis ducibus, & militibus utrinque captivatis, & Florentiæ inter Florentinos exorto tumultu ab eis exauctorato Malatesta, post multa alia levia prælia Florentiæ, & alibi in Hetruria diverso eventu utrinque facta, in quibus multi alii occubuerunt, obsessi per undecim menses à Cæsarianis supra quadraginta millia, & omnium
F inopia oppressi die decima Augusti iniverunt compositionem cum Ferdinando Gonzaga Principe Aurentiorum, substituto Guentio Perusino ultra citra commeante, & solutis Cæsarianis pro stipendio octuaginta millibus aureis, & Alexandro, & Hippolyto, & aliis ex familia Medicæa, & eorum factionis ex Florentia per eos expulsis, receptis, liberati fuerunt ab obsidione per Cæsarianos, & per Carolum Imperatorem fuit ibi constitutus Prior perpetuus Alexander Medicæus. Roma die octava O-

 ctobris

ctobris ingenti, & nunquam visa copia aquarum fuit inundata per viginti quatuor horas, campum Floræ altitudine longissimæ hastæ eis supergressis, multisque ædificiis occupatis, & consumptis ab eis, & quoque in Flandria, Zelandia, & Hollandia Insulis fuit ingens diluvium aquarum, quibus inundata fuerunt Ardona, Celura, Ilerda, & Bucca civitates, & multa alia loca, eisque grave damnum illatum.

A. C. 1531. Anno altero Ludovico Piolla J. C. Mediolanense, & Duc. Sen. Cremonæ prætore, Ferdinandus Caroli frater annorum viginti octo, exemplo veterum Imperatorum, Coloniæ die undecima Januarii creatus est Rex Rom. & Carolus Imperator, dum esset Bruxellis in Flandria pronunciavit Mutinam & Rhegium spectare Duci Ferrariæ, & concessit militibus Rhodiensibus Insulam Melitam spatii milliariorum sexaginta, & distantem à Sicilia per octuaginta millia passuum, & Albertum Ducem Pruvincensem, & olim Magistrum equitum dominæ Sanctæ Mariæ Teutonicorum in Prussia, cum adhæsisset hæresi Lutheranæ, exauctoravit, & declaravit rebellem Imperii, & die sexta Julii creavit Alexandrum Medicæum, generum suum, Florentiæ Ducem, cui ejus filii legitimi succederent, & deficiente linea sua, alii propinquiores familiæ suæ sublata dignitate vexilliferi, & è medio sublatis ibi seditiosis. Die vigesima sexta Junii, plebs Cremonensis ob grave onus vectigalis macinæ soldorum triginta Imperialium pro singulo sextario frumenti, ibi incolis arreptis armis cursitavit per eam civitatem occisis sex ex ibi consultoribus. De mense Septembris apparuit cometes horribilis per multos dies, & in Gallia Transalpina viguit fames. Romæ die vigesima quinta Julii visus fuit in aere trabs igneus, & duo cometes conspectæ, & in Latio ex pectore puellæ singulo triduo effluxit aqua frigida in multa copia: & die nona super foro majori Cremonæ substitit examen apum; & de mensibus Septembris, Octobris, & Novembris ex impetu aquarum fluminis Padi ingressarum foveas ibi inter portas Padi & Mosiæ, solo ibi propinquo corroso, demolita fuerunt pro parte ejus mœnia. Et Sfortia, conscensis navibus multis ejus proceribus & aulicis, per ipsum flumen accessit Venetias, ad ibi Ducem & Senatores visitandum, & colloquendum. Et Antonius Pirovanus insignis Rhetor Cremonensis obiit. Et Benedictus Alpheus, nominatus Lampridius, & qui honesto stipendio conductus Mantuam per Federicum Gonzagam ibi Ducem docuit litteras grammaticales, & humanitatis, Franciscum, & Gulielmum, & Ludovicum ejus filios. Et Hieronymus Fundulus litteris Græcis & Latinis eruditus, & qui fuit præceptor Francisci, & fratrum de Valesio filiorum Francisci Regis Francorum, claruerunt dimissa poesi per Alpheum.

A. C. 1532. Anno sequente Carolus Imperator mense Martio una cum Ferdinando fratre ex Brabantia ivit Ratisbonam, ibi causa agendorum comitiorum adversus Turcas, quibus interfuerunt Laurentius Campegius Cardinalis, & legatus Apostolicus, Albertus Archiepiscopus Moguntinus, Ludovicus Com. Palatinus Rheni, Jo. Federicus, filius Joannis Ducis Saxoniæ, legatus Lantgravii Hassiæ, & alii legati civitatum liberarum Germaniæ; & ut concorditer auxilia possent parari, Religionis controversia fuit prorogata ad futurum Concilium, & seu ad prima comitia, & Smalcaldiæ, & Norimbergæ habiti fuerunt conventus. Et cum Turcarum Imperator Belgrado Alba nuncupato ex Pannonia die vigesima Augusti 1521. expugnata, & die natalis Dominici anni 1522. Rhodo Equitum divi Joannis Baptistæ sede illinc expulsorum, & die vigesima nona Augusti 1526. facto conflictu cum Ungaris in Pannonia, eisque fusis multorum utrinque cæde, & Ludovico eo-

A rum Rege, dum suis in fugam conversis, aufugiendo ab equo, quem insidebat, præceps cecidisset in foveam palustrem in ejus aquis obruto, Budaque eorum metropoli occupata, & anno 1529. de mense Septembris obsessa, & oppugnata Vienna Austriæ sede Imperatoris Rom. exercitu ducentum quadraginta millium armatorum, & illinc per milites, qui erant ad ejus præsidium, Philippo Com. Palatino duce supremo plurimorum cæde expulso, Principibus Christianis discordibus & negligentibus, factus audacior & arrogantior, inhians omnino Viennam suppeditare, & Imperium Rom. sibi tributarium facere, confirmatis induciis cum Sigismundo Rege

B Poloniæ, per Serviam & Carinthiam transeundo appulisset Belgradum Ungariæ die solemni divi Jo. Baptistæ, exercitu tercentum millium armatorum, & aliorum centum voluntariorum eos sequentium, & triginta millium fossorum, & illinc Austriam irrupisset de mense Augusti, Abraino & Michelotto ducibus supremis, per dies viginti oppido Ganso, ad Ungariæ & Valachiæ confinia posito, obsesso, & graviter oppugnato. Et cum Nicolaus Jurintus, seu Chirintius, ibi præfectus, ut incolumis remaneret à vi sibi comminata per Turcas, illorum potestati ipsum permisisset. Et Aloysius Grittus præfectus Turcarum classis, ea per Danubium ducta, Strigoniam,

C ibi duce ad præsidium Corbodano, & Possoviam, & ibi congressus cum Ungaris eos superavisset, ex eis duodecim millibus captivatis una cum Thomobeo & Albesternio ducibus, & quatuor centum occisis, parato exercitu ex Hispanorum, quorum dux erat Alphonsus Davalus, Italis sub Ferdinando Gonzaga, & Hippolyto Medicæo legato Apostolico, cum quibus erant Comes Guido Rangonus, Fabritius Maramaldus, Antonius, Marcus, & Petrus Columnæ, Jo. Baptista Gastaldus, Petrus Maria Rubeus, Philippus Torniellus, & Gabriel Martinenghus, præfectis materiei bellicæ, ac Germanis, Burgundionibus, Flandrensibus, & Ungaris nonaginta millium

D pedestrium, viginti quatuor millium velitum, & sex millium equestrium in totum, conscriptis octo millibus Ungaris ex ære ecclesiastico per Valentinum Tuengum, & Paulum Bachitium duces Ungaros impigros, ac fossorum, lixarum, & calonum septuaginta quinque millium, eo transivit in Turcas, & ivit Viennam. Et cum illorum Imperator territus, etiam viso divo Martino equestre ad ibi mœnia cum ense nudo adversus Turcas, aufugisset turpiter, amissis ex illis circiter viginti quatuor millibus, & per eos Pannonia & Austria prædæ, ac ferro, & igni suppositis ac vastatis, & illinc captivis abductis circiter triginta millibus, Capsono & Forisio ejus

E ducibus, equestribus quindecim millibus eas cursitantibus ac diripientibus, & per Com. Palatinum, dum eis occurrisset duodecim millibus pedestribus, facto cum illis certamine fusis eorum duce una cum plurimis ex illis occisis, & reliquis aufugientibus, dum etiam occurrissent aliis octo millibus pedestribus, & mille quinque centum equestribus Germanis, Joachimo Marchione Brandeburgi, Ricino, & Sigismundo, & Com. Ludovico Lodronio ducibus, & mox aliis cohortibus Hispanorum, & Ungaris equestribus bis millibus, per eos interemptis, à Turcis inhumaniter trucidatis quatuor millibus captivis impuberibus, ac vilibus. Et

F cum Carolus Cæsar decrevisset dimissis Germanis redire eorum domos, cum Hispanis descendere in Italiam, & dimittere Italos in Pannonia & Austria, ut ibi militarent adversus Turcas, ex eis octo mille sibi constitutis ducibus Cacionerio & Toroneo, inde facta seditione properarunt in Italiam Maldocheo, & plurimis vicis, & pagis Germaniæ, Stiriæ, & Carinthiæ, per quas transiverunt, depopulatis & combustis usque Vilacum, Germanis & aliis ibi incolis armis eos insequentibus. Et Carolus ex ejus exer-

exercitu peste quamplurimis exstinctis transivit in Italiam, & profectus est Mantuam. Hora vigesima quarta diei vigesimi secundi Julii horologium exsistens super altiori turre Cremonæ fulgure fuit percussum. Et de mense Septembris apparuit cometes horribilis per multos dies. Andreas Burgus Cremonensis insignis Orator, & Eques, & ex intimis familiaribus Maximiliani olim Cæsaris, & mox Ferdinandi ejus nepotis, & cum pro eis ac Carolo Quinto Augusto fratre Ferdinandi penes Clementem summum Pont. & multos alios Principes, functus fuerit legationibus, ac esset Bononiæ penes eum summum Pont. Orator, ibi obiit die prima Januarii, ejusque cadaver illinc translatum fuit Cremonam, & sepultum in ecclesia divi Petri, culta per Canonicos regulares divi Augustini.

A. C. 1533. Et anno sequuto summus Pont. & Carolus Imperator, & legati Venetorum, & aliorum Principum, & civitatum liberarum Italiæ, Bononiæ convenerunt, & ibi die vigesima quarta Februarii fœdus, quod erat inter eos, prorogarunt per sex menses. Et summus Pont. instante Carolo excommunicavit Regem Angliæ ob Catharinam uxorem materteram Caroli, post annos viginti, quam ei nupserat, repudiata, superinducta Anna Bolonia Londini coronata die vigesima octava Maji, summo Pont. reclamante, Mariaque Elisabeth Catharinæ filia die duodecimo Septembris titulo principatus Angliæ se abdicare conata anno superiori. Et Carolus die quarta Martii, dum ex Bononia se recepisset in Galliam Cisalpinam, accessit Cremonam, & ibi hospitatus est per nonnullos dies in ædibus magnificorum de Trechis, illic prætore adhuc Ludovico Piolla, ad finem anni ibi defuncto, & mox profectus est Laudam, & inde Mediolanum, & illinc Papiam, & deinde Genuam, & inde classe trajectus est in Hispaniam per Andream Doriam, eidem tunc concessa Melphi, olim Sergiani Caraccioli in regno Neapolitano, & Duci Urbini dimisso principatu Sorræ, olim Joannis avi sui empto per Cæsarem. Et summus Pont. redacta Ancona in potestatem ecclesiæ, & Francorum Rex de mense Octobris Massiliæ convenerunt, & Catharina neptis summi Pont. ex Laurentio Medicæo, auctore Joanne Stuardo Duce Albaniæ ejus avunculo fuit desponsata Henrico filio secundo Regis Duci Aurelianensium. Et in gratiam Regis Odettus Castilionæus, Philippus Boloniensis, Claudius de Guisa, & Joannes Venusius Galli creati Cardinales per summum Pontificem. Ad finem Augusti extra Zodiacum non procul à Perse cometes apparuit se projiciens versus Occidentem per dies quadraginta. Augustinus Foliata Cremonensis ex religiosis Ordinis Heremitarum de observantia divi Augustini, eximius Theologus, in ea scientia compositis multis, Ferrariæ in ædibus monasterii divi Andreæ ejusdem Ordinis obiit, & sepultus fuit in ipsa ecclesia.

A. C. 1534. Anno subsequuto Cremonæ prætore Julio Viustino J. Cons. Placentino, & Duc. Sen. Franciscus Sfortia Dux Mediolani die secunda Maji consumpsit matrimonium cum Christierna, filia Christierni olim Regis Daciæ, Clemens Septimus summus Pont. cum de mense Julii apparuissent cometes fere per totum mensem Augusti, die vigesima quinta Septembris anni undecimi sui Pontificatus, & ætatis anni quadragesimi septimi creatis Cardinalibus triginta & uno, obiit: & die tertiadecima Octobris Alexander Farnesius Rom. & episcopus Hostiensis, & Decanus Cardinalis annorum sexaginta septem, fuit surrogatus, & Paulus tertius nominatus, qui publice excommunicavit Henricum Anglorum Regem, eumque regno privavit, cum coacto consilio sibi tanquam supremo capiti ecclesiæ Anglicanæ imperasset decimas ecclesiasticorum proventuum persolvi, proscriptis monachis, ac spreta obedientia summo Pont. Rom. tribus monachis Carthusiensibus adversus illius impietatem reclamantibus extremo supplicio affectis, ipsumque regnum adjudicavit unicuique illud occupare volenti.

Anno Redemptionis humani generis 1535. Rex Gallorum criminatus per Carolum Imperatorem de fœdere Turcarum contempto Germanico se expurgavit penes Electores & Principes Germanos, & videns externos Principes adversus eum bellum parare ad cogendum copias militares, nolens gravare sibi subditos tributis, ea ab ecclesiasticis quæsivit. Et Carolus Imperator tentato fœdere cum Rege Persarum ad eum transmisso Ruberto Anglo, ope Andreæ Quirini patritii Veneti, & ob id è medio sublati jussu rectoris Aleppi pro Turcarum Imperatore, ducibus Hieronymo Totavilla Com. Sarni, Federico Adurno, Augustino Spinula, & Marchione Finalis, Doriaque supremo præfecto classis, ipsius mense Maji ea parata & onusta copiis Italorum & Germanorum, Sebastiano Urbetemio duce, & Flandrensium & Hispanorum triginta millium pedestrium, & bis mille septem centum equestrium, & cum quo erant Aloysius infans Lusitaniæ cognatus suus, Hernandus Toleti Dux Alvæ, Ferdinandus Gonzaga, Principes Salerni, ac Bassignanæ, Alarco Spinellus, & Caraffa proceres Neapolitani, Virginius Ursinus heros Rom. & Paulus Justinianus patritius Venetus una cum classe Pontificia, & multi alii proceres Germani, Hispani, & Itali, & Alphonsus Davalus, Marchio Vasti, Dux supremus exercitus terrestris, trajecit die vigesima quinta Maji ex Barcinone in Africam adversus ibi infideles, & Goletæ ibi propugnaculum die quartadecima Junii expugnavit, ibi occisis mille quinque centum Turcis, & plurimis vulneratis eorum ducibus, Sinamo Smirnense nuncupato Judæo, & Aidaro Caramano nuncupato Cacciadiavolo, inde expulsis, & ibi desideratis Com. Sarni, & quamplurimis ejus militibus; & mox profectus Tunetum, & in partes suas recepto Muleasse olim ibi Rege, illinc expulso illud obsedit, & facto conflictu cum Ariadeno Ænobarbo archipirata illud occupante, eoque multa cæde suorum repulso, intra urbem die vigesima Junii auxilio viginti duorum millium captivorum Christiani nominis, ibi asservatorum in arce, ad ejus præsidium dimisso per Ariadenum Mustapha Genuense ex oppido Noviorum rebelle religionis Christianæ cepit, illudque direptum una cum omni ejus regno, ac Hippone, nunc Bona nuncupato, restituit Muleassi sub tributo annuo duorum equorum, ac accipitris, ac stipendio solvendo mille Hispanis tenendis ad præsidium Goletæ, Ariadeno decem millibus occisis, & tredecim millibus captivatis ex ejus exercitu centum millium Arabum, & Turcarum, & Hippone per Cæsarianos, aufugiente Algerium copiis, quæ sibi remanserant super quatuordecim triremibus, inde abiit classe triumphali, & se recepit in Italiam, & die ultima Augusti ingressus fuit Neapolim, ubi, dum ibi manserit, celebrata fuerunt hastiludia ob lætitiam victoriæ Africanæ, ac nuptias Margaritæ ejus filiæ tunc desponsatæ per Alexandrum Medicæum Ducem Florentiæ, cui Hippolytus fratruelis tunc defunctus, ut Ducatu Florentiæ eum exsueret, pararat insidias, & confirmavit fœdus cum Venetis, repulsis Cardinalibus Salviato, & Rodulpho, & Philippo Strocio, æmulis Medicæorum, petentibus Florentiam per eum restitui pristinæ libertati, & Francisco Secundo Sfortia, ultimo Duce Mediolani, mortuo die vigesima quarta Octobris, in eo Ducatu ac dominio successit, & constituit rectorem Antonium Lævam Hispanum. A. C. 1535.



Et anno altero, Francisco Crasso Mediolanense J. C. & Cæsareo Sen. Cremonæ prætore, abiit Neapoli Romam, eamque die quinta Aprilis ingressus triumphans, & coram Max. Pont. per Cardinalem A. C. 1536.

Lotha-

Lotharingum, legatum Regis Gallorum, compellatus de pace, & ad dimittendum dominium Mediolani Henrico filio Gallorum Regis, parum æquis auribus eum audivit, minis additis, se Regem ipsum ad inopiam & ignobilitatem redacturum, & qui cum intrante autumno prætendens sibi deberi Nicæam & Villamfrancam, per ejus antecessores Duci Allobrogum in Gallia Narbonense oppigneratas, & à Carolo ibi duce & avunculo suo requisitas, & nec sibi restitutas, & Sabaudiam tanquam hæreditariam Ludovicæ matris suæ sororis Philiberti defuncti absque prole ex Philippo & Margarita, sorore Ducis Borboni, ob pactum initum ob illius nuptias, cum Carolus Philiberto esset tantum conjunctus ex latere patris, & etiam infensus Regi, quia ducta uxore Beatrice Lusitana, sorore uxoris Cæsaris, ei adhæserat, ipsi movisset bellum, & Vercellas eum ingressum obsedisset exercitu, Philippo Sambotto supremo duce, Roma abiit Senas, & illinc Florentiam, & mox Lucam, & inde per Lunenses properavit in Galliam Subalpinam ad cognati sui auxilium; & ibi coacto exercitu viginti duorum millium Germanorum, Hispanorumque, & Italorum decem & octo millium pedestrium, & equestrium, Duce Alvæ equestrium, Levitum Ferdinando Gonzaga, & Davalo pedestrium ductoribus, & Læva omnium supremo; & per eum in sui potestatem redacto Fossano, ad cujus præsidium erat regulus Palissæ, & Anibous Pinaroli, & Borgia Taurini, eo, ac classe sub Principe Doria irrupit Galliam Narbonensem usque ad Aquas Sextias, easque aliis ibi occupatis obsedit, & dimissas à Gallis recepit, & quas ejus milites diripuerunt: & mortuo Francisco Delphino annorum viginti, &, ut creditum fuit, ex veneno sibi propinato per Sebastianum de Montecucullo ob id decapitatum; & cum alius exercitus Cæsaris Henrico Nasamonio duce Picardiam irrupisset, & ibi castrum Turpini expugnasset ac diripuisset, præfecto ibi captivato, & furcis suspenso, & Guisam, & Richemontem, Fanum Quintini, ac Peronam frustra obsedisset, & obsesso Fano Requieri Rusco duce, illinc repulsis per fœminas, ejus militibus aquis ferventibus cineribus ignitis carbonibus permixtis, ac saxis, & sudibus, & capto Desverneo præda referto, & mox recuperato industria & diligentia Hæsii Principis, illuc ex Gallia profecti.

Et Marchio Salassorum sequens partes Cæsaris, & Jo. Jacobus Medicæus alio exercitu obsedissent Taurinum in Gallia Subalpina, Rex Gallorum alio exercitu parato Cæsari occurrit usque ad Avinionem, sibi impedito commeatu, & spe sublata ulterius progrediendi, & commisso prælio inter Cæsarianos Ferdinando Gonzaga, & Jo. Paulo Luzago ducibus, & Gallos septem centum equestres Montignano & Boisio, & septem millia pedestrium Petro Corso ducibus ad Brinoniam, & Gallis profligatis, eorum ducibus captivatis, & Jo. Baptista Pelacano Bononiense, & Jo. Stephano Hispano ducibus velitum Cæsarianorum, & plurimis aliis desideratis, & ex Cæsarianis quotidie multis ex dysenteria pereuntibus Carolus dimissa & direpta Brinonia, & frustra tentatis Arelate, ad cujus præsidium erat Stephanus Columna, & Massilia, amissis ibi ex suo exercitu circiter viginti millibus die tertia decima Septembris, tunc quoque Nasamonio per eum dimissa Perona, exercitu suo ex Picardia redeunte in Flandriam, regressus fuit Italiam, Læva ejus supremo duce mortuo in itinere die octava Octob. ex nimio dolore concepto per eum, qui sperabat totam Galliam suppeditare Jo. Paulo Ursino, ejus turmis equestribus Cæsarianos continuo insequente & lacessente, & concessa in feudum Novaria Petro Aloysio Farnesio filio summi Pont. & declarata hærede Marchionatus Montisferrati Margarita Palæologa, uxore Federici Gonzagæ, Ducis Mantuæ, nepte Jo. Georgii Palæologi tunc defuncti absque prole, dimisso in Insubria Alphonso Davalo, Marchione Vasti, Duce exercitus sui, & rectore Marino Caracciolo Neapolitano Cardinale, de mense Novembris ex Genua in Hispaniam classe trajecit. Et Cæsar Fulgosius per eum, & Guidonem Rangonum, Petrum Strocium Florentinum, & Palavicinum Vicecomitem Mediolanensem, ambos exsules, & Jo. Franciscum Gonzagam, cognominatum Caninum, pro Rege Gallorum coactis decem millibus pedestribus, & nonnullis turmis equestrium ad oppidum Mirandulæ, illinc eis progressus per agros Parmensem & Placentinum Genuam, eam, ut ipsi restitueretur, obsedit, & inde per Genuenses repulsus multa suorum cæde, Augustino Spinola, & Baptista Corso, cognominato Farina, ducibus, illinc progressus in Galliam Subalpinam, ibi occupavit Carmignanum, & Carmagnolam. Et ex Cæsarianis quinque millia Davalo duce ex urbe Hastense noctu Casale profecti, Casalenses, qui defecerant à Gonzaga ad Gallos, Christophoro Guasco Alexandrino & Biandra Casalense auctoribus, ad pristinam sanitatem redegerunt, eorum bonis direptis, & ibi occiso Guasco, & ex Cæsarianis desiderato Hieronymo Mendoza Hispano, ibi commisso utrinque prælio. Et Rex Gallorum exercitu obsedit & cepit Esselinum, & regulus sancti Pauli, dux suus, copiis ingressus Comitatum Arturii, ibi multa occupavit, & hybernatus est. Et Flandrenses tentarunt Esselinum recuperare, & Teroanam frustra obsederunt, sibi datis ope & annona per Gallos castrametantes apud Ambianos, Anibojo regulo duce, summus Pont. indixit Mantuæ synodum generalem, quam recusarunt Germani accipere. Et Trivultium ad Regem Gallorum, & Carpensem ad Cæsarem Cardinales destinavit pro eis componendis. Nocte præcedente diem decimam septimam Augusti fuit auditus terræmotus, & die prima Septembris flumen Padi ab impetu aquarum suarum auctarum parte mœniorum Cremonæ inter portas Padi & Mosiæ diruta, ea dimissa direxit cursum suum versus Meridiem: & die vigesima octava hora tertia decima in civitate Parisii apparuerunt duo soles valde rubicundi, & caudati, quorum alter respiciebat versus Occasum. Boccacinus, & Camillus pater, & filius de Boccacinis Cremonenses fuerunt egregii pictores.

Anno sequente Alexander Medicæus, Dux Florentiæ, annorum viginti quinque, nocte præce- A. C. 1537.
dente diem septimam Januarii, propinquo suo Laurentio filio Petri Francisci proditorie fuit necatus, eique substitutus Cosmus agnatus suus, filius Joannis ex sorore Cardinalis Salviati, annorum decem & octo, auspiciis Innocentii de Cibo etiam Cardinalis affinis sui. Cæsariani Nasamonio duce irruperunt Picardiam, & cum Galli eis occurrentes in deditionem cepissent ibi Angianam arcem, ac expugnavissent Esselinum, ejusque arce ad deditionem compulsa, validiori opera ac præsidio munivissent, & illinc nulla alia re ibi facta statim abiissent, duce Florentio Com. Burensi expugnarunt Fanum divi Pauli, & Mostrolium deditione receperunt, & injecto igne incolis ibi inde dimissis combusserunt, & Tornacenses Adriano Buereno & Philippo Ariscotto Henrici Angliæ ducibus graviter oppugnarunt, & dum essent fame oppressi Henricus Delphinus, Angiano duce commeatu & præsidio non sine damno eis subministratis, ipsos liberavit, commisso prælio per Cæsarianos, Flamingos cum eis inde abeuntibus, captivato eorum duce una cum Georgio Albanense velitum ductore. Et mox Galli, qui erant ad præsidium Esselini, illud egressi, illosque aggressi, ipsos fuderunt, multis utrinque occisis, & multis captis, & vicissim commutatis. Et alii Galli regulo Ariscotti duce supremo, Jo. Pau-

A Paulo Urfino pedeftrium ductore, profecti in Galliam Subalpinam, Albam receperunt, ac Suzam, Vilianam, & Montem Callerium, & nonnulla alia oppida oppugnata ceperunt, ac oppugnarunt oppidum Bofchi, & Francifco Turriano arcem Carmagnani, & illinc repulfi per Francifcum Marchionem Salafforum, ducem Cæfarianum, illuc in auxilium copiis fuis profectum, adverfus illos bis millibus pedeftribus, & mox auctis copiis per Turrianum expugnata, & Marchione Salafforum una cum Cæfare Maffio, & Brunorio Com. Tienii, fuis copiis profectis Carmagnolam, eaque, ad cujus præfidium erat Stephanus Mutinenfis, obfeffa, ipfoque Marchione ictu archebufii illinc exonerati die vigefima

B octava Maji occifo per Cæfarianos, expugnata, Stephano ibi duce captivato & furcis fufpenfo, ejusque militibus tranfmiffis ad triremes, & Francifco fucceffit Michael frater.

Et mox Galli, Jo. Paulo Urfino, Lelio Romano, Malatefta Ariminenfe, Com. Nubilariæ, & Joanne Taurino ducibus, ipfam oppugnarunt, & illinc expulfi per Cæfarianos cæde circiter mille quinque centum, ex oppido Bufchæ de menfe Junii iverunt Clarafcum, illudque obfeffum per milites mille quinque centum Baptifta Læva Corfo, & Vincenzo Strozzo ducibus ceperunt, & mox reverfi ad oppidum Bufchæ eis ducibus, ac Jo. Paulo

C Urfino, ac Lelio Taurino, eorumque copiis conjunctis illo potiti funt, Rangono illinc profecto Venetias, & ibi mortuo. Et Cæfariani, qui erant ad præfidium dominii Mediolanenfis, Davalo duce in eorum auxilium duodecim millibus Germanis, ex Germania illuc profectis, eis & quatuor millibus Italis, & nonnullis turmis velitum de menfe Augufti irruperunt etiam Galliam Subalpinam, & die ultima obfederunt, ac expugnarunt, & diripuerunt Cherium, ad cujus præfidium erat regulus Ramoni cum equitatu Azali: & dum regulus Omeri fupremus dux Gallorum foret una cum Jo. Paulo Urfi-

D no, & Galeotto Malatefta in oppido Pinaroli, tranfmiffis nonnullis cohortibus Italorum, & Hifpanorum ad Montem calvum, eoque per ipfos die duodecima Septembris expugnato & direpto, obfederunt Clarafcum, ad cujus præfidium erant Cæfar Fulgofius, & Livius Urfinus, die quarta decima, & in poteftatem fuam redegerunt, & mox Albam, ad cujus præfidium erant Julius etiam Urfinus, Vincentius Strozzus, & Ordicardus Guafco, & deinde obfederunt Pinarolum & Taurinum. Et cum Delphinus ex Picardia circiter duodecim millibus Elvetiis, octo millibus Guafconis, & quinque millibus Italis pedeftribus, & quatuor centum equeftribus,

E illuc defcendiffet, & fecum juncto regulo Omeri, aliis copiis Gallicis ibi degentibus ad præfidium, opem & annonam tuliffet Taurino & Pinarolo, Regulo Arifcotto mille Guafconis, & mille equeftribus, & quinquaginta velitibus, eorum duce Æmilio Forilivienfe, & aliis quindecim millibus pedeftribus ibi dimiffis, illinc redierunt ad loca munita, & inde Cherio, & alia fibi fuppofitis munitis congruo præfidio in Infubriam, & mox inter eos & Gallos factæ fuerunt induciæ trimeftres.

Et per Cæfarem quadriennales cum Danis, Norvegis, & aliis Germanis Septentrionalibus. Et Turcarum Imperator percuffo fœdere cum Rege

F Gallorum, Joanne Forefto per eum ad illum tranfmiffo legato, & inftigatus per Alphonfum Pignatellum, & alios exfules Neapolitanos in Petrum Toletanum, proregem Neapolis, coacto exercitu centum decem millium armatorum fub Lucimbeo ex ejus militiæ Magiftris fupremis, juffit eos trajicere in Apuliam, & fruftra triginta millibus ex illis obfeffa & oppugnata Bariletta, occuparunt ac diripuerunt Tarantum, inde aufugiente Mercurio Gatinara ibi regulo, & multa alia loca. Et Andreas Doria claffis Cæfarianæ præfectus per illos etiam occupata, ac direpta, & combufta, & folo æquata Viglia in Dalmatia, nonnulla navigia illorum deprehenfa in mari Jonio onufta mercibus in fui poteftatem redegit die quartadecima Julii, & decima octava alias decem triremes deprehenfas penes Arethufam infulam propinquam Corcyrio, cum eis Allicuffo illarum præfecto, ibi facto prælio profligavit, & die vigefima aliam claffem illorum viginti novem triremium. Menfe Julio Turris Beliaqua, ad Sequanam flumen adverfus portam divi Antonii Lutetiæ, nitro fulphure ac pulvere tormentario valde munita, fulmine icta funditus everfa eft. Et in agro Bononienfe menfe Augufto vehemens cecidit grando mixta fanguine, ex qua aliqua grana fuerunt ponderata librarum viginti octo, & Romæ tonitruum tempeftofum extra temporis ftatum fuit auditum. Et in fuperiori Germania magna aquarum fuit inundatio. Jo. Francifcus Faernus, ex religiofis Ordinis Minorum Conventualium divi Francifci, Cremonenfis eximius Theologus, obiit Bononiæ die vigefima fecunda Februarii. Et Francifcus ex Comitibus de Perfico J. C. & olim ex Senatoribus Maximiliani Mariæ Sfortiæ Ducis Mediolani, & pro eo prætor Placentiæ, & qui fcripfit hiftoriam bellorum, & aliorum notabilium, quæ occurrerunt in Italia ab anno 1509. ufque ad annum 1519. in libris decem non impreffis.

Et anno fequuto, Cremonæ prætore Marco Barbavaria J. C. Mediolanenfe Sen. Cæf. die decima nona Februarii hora vigefima fecunda, orto gravi ventorum turbine ibi cecidit grando. Summus Pont. Cæfar, Ferdinandus ejus frater, Veneti, Senenfes, Lucenfes, ac Dux Florentiæ, Romæ die octava Februarii fœdus in Turcas percufferunt. Quo fumptu Cæfaris pro medietate, & pro duodecima fummi Pont. & pro reliqua Venetorum parari & fulciri deberent ducentum triremes, & centum naves exercitu viginti millium Germanorum, quindecim Hifpanorum, & totidem Italorum pedeftrium, & quatuor millium quinque centum equeftrium, & tormentis bellicis, cum eorum materie ad id neceffariis, conftitutis fupremo duce exercitus Principe Urbini, claffis Pontificiæ Marco Grimano patritio Veneto, & Patriarcha Aquilejæ, & Cæfareæ Andrea Doria, & Venetæ Vincentio Capello rectoribus, & per Regem Rom. parari exercitum, quo illis moveret bellum in Ungaria fub Dionyfio Benchidio, & ad hanc expeditionem exhortari deberet fummus Pont. Reges Galliæ, Poloniæ ac Ruffiæ. Et Rex Gallorum una cum Henrico filio, & Ænea Momorantio, ejus militum fupremo magiftro, exercitu feptem millium Germanorum fub Gulielmo Frundisbergo, fex millium Elvetiorum, quatuor millium Italorum, & Guafconorum, & quinque millium Gallorum pedeftrium, & trium millium equeftrium cum fuis velitibus, & multa annona ex Gallia Tranfalpina defcendit in Subalpinam per montem Zenifium, & repulfis Cæfarianis fibi occurrentibus, Camillo Columna & Cæfare Maffio ducibus, opem & annonam tulit Taurino, & ibi militibus, quos habebat ad præfidium, illic arce, quæ tenebatur per Cæfarianos expugnata, ac recepto Monte Calerio, & factis induciis inter eum ac Cæfarem per trimeftre, opera Eleonoræ uxoris, & Margaritæ fororis fuæ, & Mariæ etiam Cæfaris Rectricis Flandriæ, in unum conventarum ad ibi fines, illinc rediit in Galliam Tranfalpinam.

A. C. 1538.

Et fummus Pont. & Cæfar, & Gallorum Rex menfe Julio convenerunt Nicææ Galliæ Narbonenfis, & Cæfar, & Rex cum de pace convenire non potuerint, fecerunt inducias decennales die decima octava, exhortante fummo Pont. & mox in-

insimul convenerunt ad Fossas Marianas, vulgo Aquas mortuas, in Gallia Narbonensi; & inde rediit Cæsar in Hispaniam, & Rex in Galliam Belgicam, ubi convenit cum Regina Maria ibi Rectrice. Et Hispani milites Cæsariani exercitus in Insubria, & Africa, unde classe trajecti fuerant, Bernardino Mendoza præfecto, in Siciliam, ibi, ac in Insubria tumultuarunt, omnia, quæ in eis regionibus sibi occurrerunt, passim diripientes, ob stipendium, quod sibi asserebant adhuc deberi, & Hispani in Insubria sibi soluto stipendio centum viginti millium aureorum per ibi incolas, auctore Davalo ibi rectore pro Cæsare, partim transmissi sunt in Pannoniam, & partim in Dalmatiam adversus Turcas. Et ex Hispanis sex millibus Siciliæ, dum Hereda, & aliis eorum ducibus cum Macagnono Navarro eorum supremo magistro militiæ tumultuarent, & alii sibi dato stipendio fuissent repressi Alvaro Sandeo duce, & data eis stativa in diversis municipiis, & vicis Siciliæ, & concessa venia, auctore Ferdinando Gonzaga, fuerunt illorum duces capti, & laqueo suspensi, & alii pro parte trucidati, & reliqui remissi in Hispaniam. Classibus Pontificia, Cæsariana, ac Veneta triremium centum triginta quatuor, & unius majoris, & navium septuaginta duarum, & aliorum navigiorum, super quibus erant triginta millia pedestrium, cum bis mille equestribus ingressis mare Jonium, & dum eis occurrissent Turcæ classe octuaginta triremium, navium quinquaginta, & navigiorum triginta Ariadeno, & Monacho Eunucho ducibus supremis, ad sinum Partinorum, nunc Prevesæ prope Ambraciam, nunc Lartam, & facta ibi levi pugna Ariadeno tenente classis Turcarum medium agmen, & anterius caput Draguto Raysio, & dextrum cornu Tabaia, & sinistrum Salengo, & per Turcas oppugnata trireme majori, quam regebat Alexander Condelmerius cum duabus aliis triremibus, super quibus erant Mancinus Navarrensis, & Buccanegra Hispani, & multæ turmæ Turcarum equestrium, & cohortes pedestrium ex Naupacto in auxilio illorum classis properassent, interceptis duabus aliis triremibus per illos, super quibus erant Abbas Bibiennæ, & Franciscus Moceningus, per Doriam, & alios præfectos classium recusatum fuit inire certamen cum illis totis viribus, & remigarunt eis evitatis portum Corcyrii ibi propinquum, de mense Octobris. Et classis Cæsariana expugnato Castro novo in Dalmatia, inde expulsis Turcis illud occupantibus, ibi desideratis Buccanegra, & Cæsare Fossio Firmano, & dimissis ad ejus præsidium quatuor millibus Hispanis sub Francisco Sarmenta ex illis, qui tumultuarunt in Insubria, illinc rediit in Italiam. Et Veneti inducias redemerunt ab Imperatore Turcarum, sibi dimissis Neapoli & Malvasia.

Octavius Farnesius, nepos summi Pont. duxit uxorem Margaritam Austriacam, relictam Alexandri Medicæi Ducis Florentiæ, & filiam naturalem Cæsaris. Die decima Aprilis apparuerunt tres soles, & die vigesima nona Septembris, & solemnitatis divi Michaelis in vico Tripergulæ Campaniæ inter Cumas, & Bajas, & Puteolos, ubi erant multa balnea salubria, & diebus præcedentibus graves & frequentes terræmotus viguerunt, apertoque solo, & lata, & profunda voragine facta, ex ea eruperunt flammæ igneæ cum fumo & caligine in magna copia, & dejecti lapides igniti magno cum fragore, ac ingentibus tonitribus in altum, unde cum præcipitanter lapides cecidissent, Tripergulæ, & vicorum circumstantium urbium, & oppidorum per duodecim millia passuum ædificia fuerunt diruta, multorum cæde hominum & animantium, & Tripergula desolata, ibi dimisso tumulo cum foramine in medio latitudinis passuum circiter quadraginta, & altitudinis quatuor millium, summo omnium stupore. Nicolaus Botta J. C. & Orator facundus, Cremonensis, ex hac vita migravit.

Anno subsequuto Turcæ classe nonaginta navium Ariadeno præfecto, & exercitu tercentum millium armatorum, Ullamane Persa Bosinæ rectore duce, die tertia decima Julii obsederunt, & oppugnarunt Castrum novum, ad cujus præsidium erant quatuor millia Hispanorum, Francisco Sarmenta, & Joanne Navarino Moncada nuncupato, Heremia Genuense, Serono Aragonense, Ludovico Sandelio, Ariano Cussano Burgundione, & Valerio Valentino tribunis, & Oliverio Strapula, & Lazaro Coronense ductoribus equestrium, post longam obsidionem, & frequentem oppugnationem, & multa prælia ibi commissa, in quibus ex Turcis supra quinque millia occubuerunt, die septima Augusti expugnarunt ac diripuerunt, ibi Hispanis fere omnibus ad præsidium degentibus, & usque ad extremam lassitudinem strenue pugnantibus occisis, & reliquis captivatis, & mox oppido Rizino capto, profecti Catharum etiam Dalmatiæ, & Venetorum, illud quoque obsederunt, ac oppugnarunt, & inde per milites, qui ibi erant ad præsidium, Jo. Matthæo Bembo patritio Veneto illic rectore, viriliter fuerunt repulsi, gravi illorum strage ac cæde. Hispani imposito sibi subsidio per Cæsarem valde indigentem pecuniis ob bella, quæ diutius gesserat, exhausto ærario, tumultuarunt, & nec aliquid præter solitum ei pendere voluerunt. Et Isabella ejus uxor ex puerperio penes Toletum die ultima Aprilis ex hac vita migravit, superstitibus ex ea Philippo, Maria, & Catharina filiis. Ferdinandus Rex Romanorum, & Stephanus Sepusius occupata Ungaria pacem inverunt hac lege, ut Sepusio mortuo regnum ipsum cederet Ferdinando; sed Sepusius duxit uxorem Isabellam filiam Sigismundi Regis Poloniæ ex Bona Maria Sfortia. Die octava Maji in Tauro apparuit cometes non procul à capite Draconis, quæ fere tribus hebdomadis duravit, & die vigesima tertia Julii Cremonæ fuit percussum horologium exsistens super turre ibi altiori à fulgure, & cecidit grando, ex qua aliqua grana ponderata reperta fuerunt unciarum decem & octo; & in Italia viguit gravis annonæ penuria. Hieronymus Claraveus ex Piceleone, Gregorius Oldoynus moram habens Venetiis, & Julius Crottus Ferrariæ, ambo presbyteri seculares, & omnes Cremonenses, vates celebres fuerunt, eorum carminibus typis impressis.

Anno 1540. Alphonso Davalo, Marchione Vasti, Vicario Cæsaris in dominio Mediolani, & Joanne Masonerio de Brinonia Galliæ Narbonensis J. C. ac Cæs. Senatore Cremonæ prætore, Carolus Cæsar ad compescendum Gandavenses tumultuantes, & ad defectionem spectantes, per Galliam, accepta ibi Regis fide, & ab eo honorifice receptus, statim se contulit Gandavium hæreditariam suam ditionem, & ubi in lucem prodiit, illudque ingressus aliquod armatorum copiis auctoribus seditionis decapitatis, Gandavenses omnibus regalibus exsuit, & divi Brunonis monasterium ad domandam eorum insolentiam, si quæ suppullulasset, ibi in arcem erigi jussit de mense Maji. Et cum Gulielmus filius Joannis Ducis Clivensis ei suspectus, quod externa fœdera sequeretur, & minus gratus, quod præter jussum ipsius se Ducem Geldrensium inaugurari passus fuisset, ac nuptias neptis Cæsaris relictæ Francisci Sfortiæ adspernari videretur, accepta fide à Ferdinando Cæsaris fratre, eum salutaturus Gandavium ivisset, ipsum contemptui habuit, & Gulielmus inde ob id statim recessit, & pater suus, qui non multo post obiit, moriturus eum sedulo monuit, ut officiose Cæsarem coleret posthabitis amicitiis externis.

Ve-

A Veneti compellati per Cæsarem & Gallorum Regem, Davalo ac Anibojo Oratoribus ob id missis Venetias de pace secum ineunda adversus infideles, ipsis diffisi, & cum essent redacti ad inopiam omnium rerum ob gravia recepta damna ex bello Turcarum, cum eorum Imperatore pacem fecerunt, ei dimissis Nadino & Laurano oppidis Dalmatiæ, ac Neapoli Romaniæ, & Malvasiæ, quas solum habebant ex Peloponneso, Aloysio Badovaro ad illum Byzantium destinato. Et Cæsar oblatis nuptiis Mariæ filiæ unicæ, & seu unius ex filiabus Ferdinandi fratris, Carolo filio Gallorum Regis cum dominio Flandriæ, ut paci locus inter eos esset, & per Regem Gallorum affectantem dominium Insubrum, ea oblatione rejecta, cum eo B discors remansit, ac respuit fœdus Regis Angliæ, sibi infensi ob repudium & mortem Catharinæ materteræ suæ. Angonoe, & mox Vormatiæ habita fuerunt comitia per Ferdinandum, & proceres, ac principes Germanos, & legatos civitatum ibi liberarum ad resistendum Turcis, & causa concordiæ Germaniæ, & religionis Federico Comite Palatino, & Nicolao Perenotto Granvela nuncupato, Cæsaris supremo scriba à secretis, præsidentibus, Joanneque Esio, & Julio præsule Norimbergæ, & Groperio Catholicorum, & Melanchtone, & Bucero, & Pistorio adversariorum defendentibus opinionem, res remansit imperfecta ob C Ferdinandi absentiam, & prorogata est ad comitia Ratisbonæ, ad quæ summus Pont. pro componenda religione misit legatos Cardinales, inter quos fuit Alexander Farnesius nepos suus. Et æstate valde torrida & sicca vini & siliginis fuit ubertas, sed fœni & olerum penuria causata, ut creditur, ob cometem, & solis eclipsim, quæ fuit die septima Aprilis per horas duas, & viguerunt multis in locis incendia, & ibi incendiarii quamplures extremo supplicio affecti fuerunt. Et Ægibona Saxoniæ civitas in totum est exusta.

A. C. 1541. Anno altero Carolus Cæsar de mense Aprilis cum D Gaspare Contareno, & aliis legatis sum. Pont. & Ferdinando ejus fratre, & multis Principibus Germaniæ in unum conventis Ratisbonæ, una cum multis doctissimis viris utriusque religionis, & ipsius gratia, & belli Turcarum eminentis habuit comitia, & electis ex utraque religione tribus, præpositoque libello accurate descripto per Cæsarem, cui quod bonum ac æquum esse videretur, adderetur, aut detraheretur, essentque ex omnibus controversiis articuli viginti tres pene in unum conventi, & Protestantes, quæ addenda forent, attulissent legato Pontificio rem omnem ad Concilium rejiciendam esse asserente, cum non intenderet absente summo Pont. quicquam in eis statuendum fore, in qui- E bus Protestantes ab ecclesiæ Romanæ consensu desisterent, res ipsa ad futurum Concilium faciendum infra biennium fuit remissa, & decretum bellum gerendum esse mari & terris adversus Turcas, sumptibus Imperii, & Carolum Allobrogum Ducem restitui in Ducatum suum. Et cum Gulielmus Dux Clivensium, desponsata per ipsum Margarita Henrici Navarræ Regis filia, ex Margarita sorore Regis Gallorum, ad eum defecisset occupato Ducatu Geldrense. Et etiam in partes regis Gallorum multi proceres Germani transivissent, ac F hostes Cæsaris ac fratris se professi fuissent, Gulielmus fuit declaratus rebellis Imperii, & Carolus Cæsar eis perfectis comitiis, & nupta Christierna nepte, relicta Francisci Sfortiæ, Francisco filio Ducis Lotharingiæ, invito Gallorum Rege, jam nupta Francisca sorore Laurentio principi Aurentiorum, inde, & ex Germania descendit in Italiam, & die decima octava Augusti applicuit Cremonam, & inde Mediolanum, & illinc Lucam, & ibi convenit cum summo Pont. & eo, ac Andrea Doria ejus classis supremo præfecto dissentientibus, liberaturus Hispaniam à piratis Algerii in Africa morantibus, & Hispaniam frequenter cursitantibus, & diripientibus, ex Luca abiit concesso Cremonensibus die nona Septembris super vectigali carnis, quæ venditur ad macellum Cremonæ, redditu annuo librarum bis mille imperialium. Et summus Pont. die vigesima Septembris Bononiam ivit. Eo mense fluminibus Galliæ Cisalpinæ, Æmiliæ, Flaminiæ, & Hetruriæ in immensum auctis, & multis terræmotibus eodem mense, ac præcedente factis, ex quibus multa ædificia etiam illabilia Bononiæ, Florentiæ, Lucæ, Pisis, & Volaterris, & multis aliis locis corruerunt, ex quorum ruinis multi oppressi occubuerunt, & aliqui debilitati remanserunt.

Et Carolus Cæsar die vigesima quinta trajecit in Africam classe triremium sexaginta quinque, & ducentum navium onerariarum, & ultra, onusta annona & materia bellica, Doria & Bernardino Mendoza Hispano ejus rectoribus, & super qua erant quinque millia Italorum sub Augustino Spinola, & Camillo Columna, & ex Hispanis septem millia sub Hernando Duce Alvæ, totidem ex Germanis, & tria millia voluntariorum nobiles, & proceres, ex quibus fuerunt septem centum Hispani, & Neapolitani quatuor centum, cum Equitibus Rhodiensibus, & nonnullis aliis Equestribus, & Comitatus per Alphonsum Davalum, Ferdinandum Gonzagam, Octavium Ducem Camarini, generum suum, & Sfortiam Com. Sanctæ Floris, & applicuit Algerium die vigesima Octobris, & ibi rectore Asanaccha Sardo rebelli religionis Christianæ, illud obsedit Duce Camarini primum agmen, Com. Sanctæ Floris extremum, & Gonzaga medium regentibus, & expulsis Numidis, prælio secum inito è monte ei propinquo, & ultra ibi duos pontes ei proximos spacio ictus jaculi cum balista, & die sequente superventa gravi procella maritima, qua submersæ fuerunt quindecim triremes cum aliis navigiis circiter sexaginta. Et nocte sequente nimbo subsequuto à prima vigilia noctis effuso in multa & vehementi copia cum ventorum impetu, & dum Camillus Columna esset septem cohortibus Italorum ad custodiam ibi pontis, & in ipsos Numidæ equestres irruissent, & illinc eos valde debilitatos ab aquis expulissent multa cæde usque ad castra Cæsarea, & superventis aliis in eorum auxilium, illi repulsi fuissent in Algerium, & exercitus Cæsarianus oppressus siti, fame, & frigore, non posset sub dio morari apud Algerium, cum eo pedem retulit ad vicum Mataluffi ibi propinquum, & illinc ad classem eum insequentibus, & lacessentibus infidelibus, & manus conserentibus cum Cæsarianis viriliter eis resistentibus, & multos ex illis occidentibus, & vulnerantibus brevibus armis, dum in eos impetum facerent, & ex ipsa classe navibus, & triremibus circiter centum triginta partim fractis, partim amissis, ac infeliciter terestri pugna commissa cum infidelibus, & ab illis magna recepta clade vix incolumis reliqua classe evasit. Et cum Davalo, & Gonzaga, & Doria, ac Mendoza ambobus ejus præfectis, ac reliquis suis ducibus, & militibus ipsam conscendit die vigesima quarta Octobris, & in Siciliam applicuit, & illinc in Italiam properavit, & inde de mense Novembris trajecit in Hispaniam, plurimis ejus militibus desideratis cum aliquot nautis, & post se dimissis multis tormentis bellicis, equis, tabernaculis, & multis impedimentis ingentis valoris, & plerisque in aquas maritimas projectis.

Cæsar Fulgosius Ligur, & Antonius Rinconus Hispanus, Galliæ Regis legati, Venetias cimba per fluvium Padi trajicientes, ut irent Byzantium ad ibi Imperatorem, intercepti necati sunt die prima

ma Julii, & Georgius de Austria filius Maximiliani olim Cæsaris præsul Valentiæ fuit carceratus Lugduni. Et ex majoribus ducibus pedestrium Italorum, profectorum ad opem Regis Romanorum in Turcas ingressos Pannoniam, fuit Antonius Maria Picenardus, & Jo. Baptista Guazzonus ex ejus tribunis, & vicarius suus, Cremonenses. Antonius Milo Cremonensis, filius fabri cæmentarii, & ex fabro cæmentario miles gregarius factus, & cum esset omnium audacissimus & robustissimus habuit tribunatum à Francisco Sfortia secundo, & ultimo Insubrum Duce, Paulo Tertio Farnesio summo Pont. Venetis, ac Francisco Valesio Rege Francorum, & cum esset nulli secundus architectura, ac muniendis & circumvallandis civitatibus & oppidis, fuit insignitus per Venetos & Regem dignitate supremi eorum architecti, & Cyprum pro Venetis tutatus fuit adversus Turcas, & dum pro Rege adversus Boloniam urbem maritimam Galliæ Belgicæ, quam occupabant Angli, & obsidebant Franci, machinas & novam urbem condi faceret, ibi ex humanis fuit subtractus.

A. C. 1542. Anno sequente, Petro Paulo Origono J. Cons. Mediolanense, & Cæsareo Sen. Cremonæ prætore, Carolus Cæsar, cum per Gallorum Regem compellatus de legatis suis præter jus gentium occisis, & de restitutione dominii Mediolanensis, nihil ad rem respondisset, & Rex Gallorum paratis hinc inde exercitibus bellum adversus se excitarunt, & Rex destinato Antonio Polino legato Byzantium, ad ibi Imperatorem, cum illo percussit fœdus adversus Cæsarem, illumque incitavit classem transmittere in mare Tyrrhenum ad excidium regni Neapolitani, ac requisitis Venetis in ejus partes, qui ad se transmisso per Imperatorem Turcarum in gratiam Regis Junubeo ex suis consultoribus, recusarunt ei adhærere, Cæsaremque dimittere, Longam villam ducem suum transmisit in Geldriam ad Gulielmum Ducem Clivensem, generum Regis Navarræ, qui adjuvante sibi Martino Russenio Teutonico, copiarum duce, conscriptis tredecim millibus pedestribus, & bis millibus equestribus populatus est agros Brabantinos, & oppida & arces circiter centum una cum Roia subvertit, & munita ære mulctavit, Lovaniensesque terrore pene in deditionem coegit, Antverpiam obsedit, ejusque suburbia diripuit, ac combussit, Ferdinando Principe Aurentiorum, cæsis & captivatis ex ejus copiis Germanorum, dum ipsis voluisset occurrere die xxv. Julii, equi sui pernicissimi celeritate aufugiente, Liberto ejus equitum magistro tamen captivato, & superventis in ejus auxilium mille ducentum pedestribus, & in lucem prodito tractatu, quem habebat Antuerpiæ, ut sibi proderetur, & capto, & ultimo supplicio affecto proditore, diffisus ea potiri, ad cujus præsidium erant Lancellottus de Vercellis, Nicolaus Isconenus, Cornelius Pania, & Dux Ariscotti cum Italis ibi negotiantibus, ipsa dimissa illinc abiit. Et Carolus Regis filius Dux Aurelianensium una cum Claudio regulo Guisense expugnato Jacidio nunc Everinosio Arlumnum, Veritonum, Lucimburgum, omnesque ejus Ducatus arces, & oppida munivit præsidiis, & illinc rediit in Galliam. Et Dux Biducensis, Regis rector in Picardia, arcem Tornebam in Belgica Septentrionali captam solo æquari jussit, & Adrianum Bueronem, Rentii Comitem, in Flandria sibi occurrentem copiis invasit, ac prælio fudit, & Libeccum oppidum in Ducatu Artesiæ cum aliquot oppidis intercepit, & Teroanam annona & præsidio munivit. Et Henricus Delphinus alio exercitu Gallorum, & Italorum quinque millium regulo Brisacci, & Jo. Paulo Ursino ducibus supremis pedestrium Italorum sub Petro Corso, & Joanne Taurinense, & totius exercitus Anibojo, obsedit ad fines Hispaniæ & Galliæ

A Perpignanum, ad cujus præsidium erant Cerpellio & Mazaniaga tribuni eorum cohortibus; & dum Cæsar coacto exercitu Hispanorum, & ad ejus opem habitis quinque millibus ex Italia, se ad ejus auxilium sub Autumni tempus accingeret, aquis inundantibus ac turbantibus castra, & ventorum procella, arena visum ac spirandi facultatem militibus adimente, illud reliquit.

Et Gulielmus regulus Langei Prorex in Gallia Subalpina copiis, quas ibi habebat ad præsidia Taurini, Montis Calerii, Savignani, Pinaroli, ac Verolengi, oppugnavit Clarascum una cum Hasta, Vercellis, Vulpiano, Osana, & Cherio, & Clarascum redegit in sui potestatem, noctuque transmissis tribus cohortibus Hieronymo Sacro Neapolitano duce, & aliis Albam, eam frustra diu oppugnavit Comite Francisco Landriano illam tuente, turma velitum Albanensium ducta per Chucarum intercepta ac direpta per Ludovicum Biragum ad Verolengum. Et Dux Ambosius etiam heros Gallicus ex Gallia Narbonense manu Italorum profectus Cunium, illud obsedit, & Petrus de Portu Vicentinus sexaginta velitibus, & Blasius de Soma cohorte illud ingressi tutati sunt viriliter, illinc repulsis Gallis, ex eis circiter centum occisis una cum Gulielmo de Blandrate, & multis aliis vulneratis una cum Petro Corso, Joanne Taurino eorum tribunis: & Cæsariani in Gallia Subalpina Davalo duce tentarunt dolo occupare Taurinum sibi per Gallos Carmagnola, & Caramagna, & multis aliis locis ibi adeptis, & alii ex Gallia Belgica, dum recuperatis oppidis agri Lucimburgensis in Galliam Celticam irruerent gravissima aeris intemperie tanta rabie, & pertinacia, ac pluviarum copia, & frigoris rigiditate superventa, & ex ea non paucis equestribus, & pedestribus ipsorum exstinctis, eisque resistente, Considio, & Rejecto, ibi municipiis vastatis regressi sunt in Brabantiam, & illinc egressi in ditionem Clivensem, eam depopulati sunt, ac invaserunt, & armis infestarunt, Usberto, Dura, Juliaco, & Zitardo, & aliis oppidis, & civitatibus munitissimis interceptis, eisque munitis, & multis ex ibi incolis cum multa præda illinc abductis, Gulielmoque illic Principe copiis supervento Usberto, Susterio, & Duræ præsidio congruo dimisso, & Zitardo mœniis exsuto illinc regressi sunt, & Gulielmus Zitardo instaurato, & egregie vallo munito, & ibi, & Juliaci cohortibus ad præsidium dimissis adversus Cæsarianos mense Decembrio ivit Usbertum, illudque obsedit. Ad magis vallandam Cremonæ civitatem inter portas ibi omnium Sanctorum, & divi Michaelis eis obturatis, & illuc prope instauratis, & templo divi Sebastiani extra, & prope portam Sancti Michaelis, demolito, erectum fuit sublime propugnaculum, quod ex incuria in ruinam mox abiit.

Et dum instarent dies quadragesimales nova superstitio suscitata fuit in pago Ulmenetæ, Cremonense medio, mulieris rusticanæ fanaticæ, asserentis sibi apparuisse B. Mariam Virg. eidem mulieri faventibus multis sacerdotibus, quibus inde maximus proventus reddebatur, eo concurrentibus quamplurimis Cremonensibus, Brixiensibus, Mantuanis, & aliis ibi finitimis, etiam infirmis diversis infirmitatibus, asserentibus se ab eis sanari, fuit sublata opera, ac prudentia Fabricii Aligerii, Vicarii Episcopalis Cremonæ, non sine illorum sacerdotum, & rusticorum gravi animi molestia. Et de mense Augusti copia locustarum initio alis carentium, & post quatuor adeptis, ingens tamquam nubes ex Germania irrupit Galliam Cisalpinam, & regiones finitimas, & omnibus fere virentibus tunc in agris pendentibus absumptis, hyeme superventa frigore contabuit, dimisso in locis, in quibus contabuerunt, gravi fœtore. Et Florentiæ, Pisis, Lucæ, ac Scarpariæ, & in tota fere Hetruria, & Bononia, & mul-

multis aliis locis ex terræmotibus plurima ædificia corruerunt, ex quorum ruinis quamplurimi mortales de mense Junii oppressi perierunt. Et monstruosi infantes, & fœtus pecuini passim in lucem producti fuerunt, & ex multis pluviis, quæ ceciderunt primo vere in Gallia, fuit causata penuria vini. Summus Pont. ex urbe destinavit in Germaniam Norimbergum, ubi Ferdinandus Rex Rom. & Electores, & Germaniæ proceres, & legati liberarum urbium habebant comitia de indicendo bello Turcarum Imperatori, habenti copias militares ad fines Ungariæ, & Austriæ adversus alias ibi Regis Rom. ad præsidia, Joannem Moronum Cardinalem, & antistitem Mutinensem, legatum suum, & ibi per eum aperiri fecit mentem suam de indicendo Concilio Tridenti ad id idoneo electo in Calendis mensis Novembris, & illinc eo profecto Morono cum Polo, & Parisio, & jam Cardinalibus hæreticis id improbantibus. Et Hoscasalis de Hoscasalibus Cremonensis, & ex tribunis militum Caroli Augusti, & hoc anno dum esset pro Ferdinando fratre Rom. Rege, cohorte pedestrium in civitate Belgradi Pannoniæ obsessa per Turcas, viriliter se gessit, & ibi Rectori, & aliquibus ejus ducibus, volentes se permittere Turcis, ne se illis permitterent absque prælio, contradixit. Et Jacobus de Augustis ex tribunis Cæs. Italorum obiit morte violenta.

A. C. 1543. Anno subsequuto die vigesima prima Martii inter Brabantinos, dum conducerent annonam Cæsarianis obsessis Norimbergi, & Gulielmum Ducem Clivensem, & ejus copias eis occurrentes consertis manibus, Brabantini sibi adversantibus ventis tunc subortis, postquam aliquantulum pari Marte certassent, succubuerunt, annonaque, & multa præda, & tormentis bellicis post se dimissis, compulsi fuerunt regredi. Et Clivenses irruperunt ditionem Lucimburgensem, eaque depopulata reversi sunt Heriburgum, illudque crebro oppugnarunt, & dum ipsi ibi obsiderent templum egregie munitum, in quod multi ex ibi incolis confugerant, illinc per eos gravi clade repulsi fuerunt. Et Brabantini reparatis copiis, trajecto flumine Mosæ, opem & annonam obsessis tulerunt, utrinque ibi alia commissa pugna mense Majo, & per obsessos sæpius facta eruptione in Clivenses, & pagis ibi vicinis direptis, & per Clivenses ei amotis tormentis bellicis, ipsius mœniis disjectis, & per obsessos illic aggeribus constructis, eis strenue resistentibus, eo dimisso pedem referentes Martino Russenio, duce tredecim millibus pedestribus, & equestribus bis millibus, ingresso agros Trajectensium, & ibi occupata Anfordia, exclusis miro astu illis, qui erant ad ejus præsidium, dum ex ea plurimi exivissent prædatum in regionem ibi propinquam, & ab ejus incolis exacta multa pecunia, & soluta militibus pro eorum stipendio, & mox irruperunt, & diripuerunt Helmondam, Endoviam, Galeriam, & ditionem Alduburgiensem, & agros Lucimburgiensium, & Brabantinorum.

Et Carolus Cæsar percusso fœdere cum Rege Angliæ adversus Regem Gallorum, Philippo unico filio annorum XVI. creato Rege Hispaniæ, eique desponsata Maria filia Joannis Regis Lusitaniæ, & per eum sibi mutuata multa pecunia, paratis duabus classibus, earumque altera transmissa sub Martino Cordubense adversus Mauros Tramisenis, qui ab eo defecerant, & altera in Flandriam duodecim millibus Hispanis adversus Gallos, ex Tarracone solvens ve la, super classe Ligustica Genuam appulsus de mense Maji, die quinta Junii divertit Cremonam, & inde ad octavam diem ivit Buxetum, ubi cum summo Pont. illuc profecto ex urbe, ibi dimisso rectore, Rodulpho Pio Carpense Cardinale, cum Alexandro Vitellio, & remotis arbitris de rebus pertinentibus quieti Italiæ, & statui Christianorum, per

A triduum collocutus fuit, & compellatus per eum, ut Octavium nepotem suum Ducem Insubrum crearet sub feudo annuo Imperio Rom. pendendo, ac multa auri copia ei oblata, illinc rediit Cremonam, & dimissis arce Florentiæ ac Liburno Cosmo Medicæo, ibi Duci, multa pecuniarum summa sibi soluta, inde abiit per saltus Tridentinos in Germaniam, & ibi coacto exercitu quatuordecim millium Germanorum, duodecim millium Flandrorum sub Principe Aurentiorum, quatuor millium Italorum sub Camillo Columna, & Antonio Doria, totidem Hispanorum sub Alvaro Sandeo pedestrium, & sex millium equestrium, & velitum, Burgundionum,

B Albanensium, Italorum, & aliarum diversarum gentium, equestrium constituto duce supremo Ferdinando Gonzaga, & velitum Francisco Estense, & Stephano Columna magistro castrorum, & materiei bellicæ Joanne Jacobo Medicæo, & per Regem Angliæ alio exercitu quinquaginta millium ex Anglis extra ordinem imperato, jussoque, ut una cum equitatu suo ad diem statutum esset Marobiis, Maluppo duce supremo, trajecto in Annoniam, & ibi Landresio oppido valde munito capto, Landa duce viro impigerrimo illud tuente, & qui cum antea Cæsariani illud obsedissent, illinc erumpens in eos cum paucis expeditis militibus, permissa turma ve-

C litum ad eos remorandum, si impetum in illos fecissent, eis eripuit tormentum bellicum, *colubrum* vocatum, quod per medias hostium vigilias, ac paludem amnis, inter eorum castra & oppidum labentis, abduxit in illud, & inde globos aliquot in eos, antequam ab ipsis ad arma conclamatum fuerit, jaculari jussit. Et per Cæsarianos Ubergo Ducatus Clivensis per ibi Ducem copiis obsesso, dum suppetias ferre voluerint, recepta etiam ibi multa strage à Clivensibus, eorum equitatu in fugam verso, ac fere omni peditatu cæso, ipsique commeatu adepto una cum tormentis bellicis post se dimissis.

D Carolus Cæsar duodecim millibus pedestribus, & bis millibus equestribus, die vigesima secunda Augusti profectus Duram etiam Clivensium Ducis, & ibi secum conjuncto Principe Aurentiorum, copiis suis die vigesima sexta expugnavit, ac diripi & comburi jussit, ibi multis occisis cum eorum duce Flanteo, ex ipsius militibus desideratis sex centum cum Facio Pisanio, Quiritio Neapolitano, & Uberto Mantuano equite; & mox redegit in sui potestatem Roremondam, & Valpodium etiam Geldriæ, & Gulielmum ibi Ducem ob hæc consternatum, & à suis proditum, sibi supplicem medio Henrici Marchionis Brandeburgi, ac præsulis Coloniensis, in

E gratiam suam recepit, sibi supposito ducatu suo munitissimo, ejusque Ducis uxore ex indignitate rei dolore perculsa mortua, ei nupsit Mariam filiam Ferdinandi fratris, ei tantum dimisso ducatu Geldrense sub feudo Imperio solvendo; & mox restituto Juliense, de mense Decembris alio exercitu duce Gulielmo Subburgiense Germano transmisso in Leucos, ubi quædam loca recepit, & Lucemburgo capto per Ducem Aurelianensium, & valde munito, obsesso illinc repulso per Gallos Sergiano Caracciolo, Principe Melphi, duce. Et in Gallia Subalpina Davalo duce etiam potitus fuit Monte Regali, Mondevino, ibi duce Carolo Drusio cum nonnullis copiis Gallorum & Elvetiorum inde excluso,

F & Carmagnola, & multis aliis oppidis ibi Gallorum, Ludovico Vistarino duce ad præsidium Hastæ, ex quibus munitum fuit Carignanum, præsidio Germanorum, & Hispanorum militum sub Pyrrho Columna, & Felice Lodronio Com. Arcus, & Michaele Hispano ducibus. Et Angli milites tuentes Caletum, Cuneam, & Humanam, ingressi ædem Davidem, ibi circiter viginti rusticos cum uxoribus, ac liberis, dum confugissent in ibi templum, & sibi

& sibi promissa incolumitate eorum fidei se commisissent, dimisso templo contempta fide conscendendo ibi turrim, jugularunt, & inde præcipitarunt, & tota hyeme agrum Boloniensem cursitarunt ac diripuerunt, nemine resistente. Et inde per ibi incolas armis arreptis jussu Gallorum alio profecti. Et Cæsar gesto etiam bello in Dania adversus Christiernum ibi Regem, Gallis confœderatum, debellato Duce Clivensium, inde abiens ex Geldria exercitu, eoque conjuncto Anglis, & Flandrogis sub Adriano Beureno, & Germanis quatuor millibus sub Ariscotto, ac Hispanis obsidentibus Landresium, ibi castra firmavit, ad cujus præsidium erant Landa & Decius duces Gallici, copiis & turmis militaribus, & cum Delphinus Galliæ una cum Anibojo, & Brisacco, & Dresana regulis, exercitu quindecim millium Elvetiorum, octo millium Italorum, totidem Guascanorum, ac multorum equestrium, illuc profectus, ei opem & annonam tulisset, resistentibus Cæsarianis, cum eis commisso prælio, & paucis desideratis, & ibi substituto Landa, secum conducto Vermiano regulo, illinc abiens Camariacum, & illic etiam cum Cæsarianis ibi degentibus ad præsidium factis nonnullis aliis levibus præliis, in quibus multi occubuerint, inde reversus fuerit in Galliam. Carolus Cæsar superveniente hyeme, multis ex ejus exercitu pereuntibus ex morbo ob aeris intemperiem, ivit Camariacum, & ibi dimisit exercitum præter Hispanorum. Et Galli degentes in Gallia Subalpina sub Buterio Principe ibi prorege, ad præsidia illic locorum Regi suppositorum, expugnata Yporegia sub hyeme, duce Angiano regulo, redegerunt in sui potestatem Cresentinum, Dresanam, & sanctum Janum, & multa alia ibi oppida, quæ erant in potestate Cæsarianorum, & ducibus Ossono ductore Guasconum, & Bernardino Vicomercato Mediolanense obsederunt Caregnanum; sed Cæsarianis secum prælio concurrentibus Davalo duce, inde pedem retulerunt, captivato Ossono, & multis ex ejus militibus desideratis, & etiam multis captivatis per Cæsarianos.

Et Ariadenus Ænobarbus, classis Turcarum præfectus, in gratiam Regis Gallorum cum Polino ipsius legato ex mare Jonio classe triremium centum decem, & plurium navigiorum, de mense Aprilis cursitavit ac diripuit littora maritima Italiæ usque Hostiam, multo terrore Romanorum capto & depopulato regno Calabriæ, Didaco Hispano ibi duce ad præsidium, & per eum filia sua desponsata Ariadeno, & sibi conjuncta classe Gallica triremium viginti duarum, decem & octo navium, & aliorum plurium navigiorum sub Francisco Borbonio Angiani regulo, ingressus mare Gallicum, ibi occupavit portum Villæ Francæ, ac Nicæam præter arcem, Paulo Simeone Equite Rhodiense, ejus præfecto, ipsam strenue tuente. Et cum Davalus Vicarius Cæsaris in dominio Mediolani illinc exercitu, & Doria ejus classis supremus dux ipsa ex Hispania in eum transirent, diffisus viribus suis, direpta & combusta Nicæa, & illinc abductis in miseram captivitatem viris, adolescentibus, pueris, ac puellis lætum triumphum illius Imperatori allaturus properavit in portum Taurentiorum, ne ab eis circumveniretur. Et cum ad Villam Francam nonnullæ triremes Doriæ ex procella maritima ibi suborta dissipatæ remansissent, illuc profecti Strocius prior Capuæ ex ducibus classis Gallicæ, & Salecchus Turcarum potiti fuerunt nonnullis tormentis bellicis triremium Doriæ extractis ab aquis maritimis, in quibus ceciderant. Et etiam Turcæ, Salesio & Aserino Celebio ductoribus, alia classe ex Africa cursitarunt ac diripuerunt littora Hispaniæ. Cremonæ suborto nimbo vehementi ventorum impetu die secunda Julii, illorum impetu nonnulli columnelli marmorei erecti secus partem anteriorem ecclesiæ ibi cathedralis

A fuerunt dejecti. Et ad castrum Sanctiburgi diœcesis Monasteriensis Germaniæ, sanguis pluit. Jo. Bernardus Regazola, cognominatus Felicianus, ortus Venetiis, sed origine Cremonensis, eruditus quacunque lingua Papiæ, dum ibi publico stipendio conductus legeret libros humanitatis, ex humanis abiit. Et Jo. Paulus Ferrarius, & Jo. Jacobus Tinctus, ex tribunis Cæsarianis Italorum, morte violenta obierunt.

Anno subsequuto, ac præcedente, Cremonæ prætore Francisco Crasso J. C. Mediolanense, ac Cæs. Senatore; & ibi hora septima noctis præcedentis A. C. 1544 B diem sextam decimam Februarii audito terræmotu, ex Gallis pedestribus quatuordecim millia, & equestribus bis mille secum conjunctis Suitensibus, Guasconis, & Allobrogis, Francisco Angiano Borbonense, fratre Principis Vinduncienfis regii sanguinis, & Alpinarum gentium prorege, & cum quo erant Thermensis, Buterius, Viandonus, Tassus dux equestrium, & Sanserius Alverniæ, & multi alii proceres Gallici, occurrentes in vico Cerignolæ Galliæ Subalpinæ die quarta decima Aprilis, & secunda Paschatis, Germanis octo millibus sub Christophoro, & Brunorio fratribus Scaligeris, sex millibus Italis sub Ferdinando Principe Salernitano, & Cæ- C sare Massio Neapolitano, Hispanis tribus millibus sub Raymundo Cardona, velitibus septem centum sub Principe Sulmonense, & Carolo Gonzaga, & aliis quinquaginta Ducis Florentiæ sub Rodulpho Baliono, omnium supremo duce Davalo, proficiscentibus Carignanum obsessum per Gallos, ut Germanis & Hispanis, ibi ad præsidium degentibus, rectore Pyrrho Columnense, opem & annonam ferrent, & utrinque commisso prælio eos, ad quos prius victoria inclinarat, profligarunt, ex eis cadentibus circiter undecim millibus, & plerisque Germanis una cum fratribus Scaligeris eorum ducibus, ac multis aliis tribunis, & proceribus, & multis aliis captivatis una cum Carolo Gonzaga, & ex Gallis bis millibus desideratis, & regulo à Thermis D captivato, & per Columnam ob id diffisum viribus suis, & penuria oppressum, illinc ad dies quadraginta dimisso ex pacto Carignano Angiano, per eum dimissis quibuscunque Cæsarianis in prælio captivatis. Unde Hispani egressi occuparunt Brixellum ad fines agri Cremonensis prope & ultra Padum ditionis Cardinalis Ferrariensis.

Et Julianus Cæsarinus, & Martius, & alii Columnenses, hac audita strage Cæsarianorum, coegerunt ad eorum opem quamplures copias in Latio, & in Hetruria Dux Florentiæ sub Othone Monte acuto bis mille pedestres. Et Ludovicus Ursinus Com. Pitiliani, & Dux Somæ exsul Neapolitanus, E & Petrus Strocius, cum quo erat Palavicinus Vicecomes, præpositus divi Celsi, in oppido Mirandulæ adversus eos, & pro Gallis alias quoque adunarunt. Et Strocius, ut occuparet dominium Mediolani, ejus copiis trajectis citra Padum ad Casale majus, & ductis per agrum Cremonensem, & secus mœnia Cremonæ de mense Maji, & inde per territorium Laudense eos insequente, ac lacessente Hieronymo Sylva suis velitibus, & dum eis oppressis & compulsis in grave periculum, sua frustratus opinione se illis recepisset, auxilio Petri Aloysii Farnesii Ducis de recenti electi per summ. Pont. Placentiæ & Parmæ F invito Cæsare, rursus trajecto Pado in agrum Placentinum, & ibi secum conjunctis sex millibus pedestribus Com. Pitiliani, ac Ducis Somæ sub Com. Copatii, direxisset iter suum in Galliam Subalpinam, ut se conjungeret aliis copiis Gallicis, adhuc obsidentibus Carignanum, per agrum Papiensem versus Genuensem insequentibus Cæsarianis Davalo duce, & pervenisset ad vicum Saravallis die quarta Junii, ibi inter ejus copias ac Cæsarianos commissa pugna fuit profligatus virtute Principis Salerni, Ducis

cis Sulmonæ, Sfortiæ Palavicini, & Com. Sanctæ Floris, & non facta multa cæde, sed captura multorum, inter quos fuerunt Dux Somæ, & Com. Georgius Martinengus Brixiensis, & Vlisses Vrsinus obiit, aufugiente Strocio una cum Nicolao filio Com. Pitiliani, & Flaviano Com. Anguilaræ, & aliis circiter cc. & adhuc reverso Mirandulam, & ibi per eum coactis aliis octo millibus pedestribus, & equestribus, quibus profectus per agros Parmensem & Placentinum via Æmilia recto itinere, & inde per Lunensem ac Genuensem, Albam in Gallia Subalpina dominii Montis Ferrati, eam occupavit. Et Cæsariani Vegia Hispano Oratore Cæsaris penes summ. Pont. & ob indignationem in eum conceptam per ipsum dimissum profecto Mediolanum, & inde in Galliam Subalpinam, eo ductore ibi expugnarunt ac diripuerunt Vulpianum, militibus ibi ad præsidium fere omnibus occisis, duce, & vexillifero, & aliis dominii Mediolanensis incolis ibi captis, furcis suspensis, & nonnulla alia oppida receperunt, & inde mox Velia rediit Romam.

Et Carolus Cæsar Daciæ Regi pace reddita, & eo procurante in comitiis Spirensibus Rege Gallorum hoste ac rebelle Rom. Imperii declarato, imperataque per ipsum ac Regem Angliæ suis ingenti pecunia, & junctis armis in illum prosequutus fuit bellum, & per Anglum obsessa Bolonia, conscripto exercitu Germanorum decem & septem millium sub Corrado Esio, Martino Ruscenio, & Gulielmo Frundisbergo, ad eum à Rege Gallorum reversis, ac Mauritio Duce Saxoniæ, & Marchione Brandeburgi, & Hispanorum septem millium, & sexdecim millium Burgundionum, Clivensium, & Flandrensium sub Maximiliano Comite Buræ, ac septem millium quinque centum equestrium, & velitum sub Francisco Estense, & totius exercitus supremo ductore Ferdinando Gonzaga, profectus Lucimburgum, illud cepit, Sergiano Caracciolo ibi duce ad præsidium militum fame oppressorum, & illinc transgressus in Campaniam, Ligninum expugnavit, Brierio & Ruscenio proceribus Gallicis, illic etiam ad præsidium cum duabus cohortibus sub Ænea Tutavilla, ac Sandricerium oppugnavit, & longa obsidione redegit in sui potestatem, Rhenato Principe Aurentiorum ibi vita functo ex ictu tormenti bellici, illic factis multis præliis inter Cæsarianos & Gallos, ibi ad præsidium degentes sub Landa duce impigerrimo, & in uno eorum occisis supra quinque centum Hispanis, & multis Germanis cum aliquot vexilliferis, & Landa, eique substituto regulo Sanserii, & per Cæsarianos profligatis turmis Gallicis, illuc proficiscentibus duce Brisacco, ut ibi obsessis ferrent opem & annonam, commisso utrinque prælio in vico Vitri, ibi sibi occurrentibus Cæsarianis duce Mauritio, ac Estense, & Jo. Baptista Gastaldo, & Frundisbergo ductoribus, multisque ex eis desideratis, Brisacco erepto è manibus Cæsarianorum per Petrum Corsum tribunum impigerrimum, inde abeunte reliquis; & mox per Cæsarianos occupato Vitro, ibi expugnato templo, illic occisis inhumaniter tercentum pedestribus, qui in illud aufugerant, & dimissis ex Sandricerio incolumibus militibus, ibi ad præsidium cum duobus tormentis bellicis, & mox cepit Aspernaium; & cum Rex Gallorum, sibi superventis copiis Elvetiorum, eisque conjunctis aliis Guasconorum, Gallorum, & Italorum sub Petro Stroccio, & Petro Maria Rubeo, Ca sari accurrisset ad flumen Matronam, & Com. Frundisbergus, dum Cæsar intenderet ire Lutetias obsessum, eo trajecto, & vestibus illic depositis, illius vadum tentaret, & per Gallos illuc superventos agnitus, captus, & ductus Lutetias, ibi incolis territis, ne calamitate belli, & ipsi inundarentur spectantibus ad fugam, & fortunas suas inde exportari facientibus, per Caracciolum Abbatem filium Sergiani scolarem arreptis armis, & aliis scolaribus in unum coactis, & animatis ad ea sumendum ad ibi defensionem. Rex illuc reversus præsentia sua eos erexisset, & bene sperare, & in armis esse exhortatus fuisset, & castro Theodorici per Gallos recuperato, ejus incolis tum occisis, tum ære mulctatis; & ne Cæsariani eo uterentur, combusto una cum pabulo & commeatu, qui in ea regione forent, & ob id Cæsariani omnium gravi penuria opprimerentur, & Germani non sibi dato stipendio tumultuarent, & Cæsar esset indigus pecuniarum, & Rex studio pacis teneretur, Gabriele Gosmano Hispano ex religiosis Ordinis Prædicatorum divi Dominici ultro & citro commeante, dum de ea loqui cœpissent Jo. Jacobus Medicæus, & Com. Franciscus Somalia Mediolanenses duces, ac nobiles, ipsa fuit stabilita die XVIII. Septembris in oppido Crispini Galliæ Celticæ per Ferdinandum Gonzagam, & Nicolaum Peronottum pro Cæsare, & Claudium Anibojum, Carolum de Nuceo, & Gibertum Vajardum pro Rege, qua cautum fuit, ut utrinque occupata post inducias Nicenses restituerentur, & nuberet Cæsar Carolo Duci Aurelianensium, filio Regis, Mariam filiam Cæsaris cum dote status Flandriæ, Ducatus Brabantiæ, Geldriæ, Lucimburgi, Hollandiæ, Namurci, & Utriæ, & regionum ibi vicinarum, & Burgundiæ superioris, omni tamen jure remisso Cæsari per Regem, quod sibi prætendebat spectare in regno Neapolitano, & dominio Mediolani, & vel unam ex filiabus Regis Rom. cum dote dominii Mediolanensis, dimisso omni jure Cæsari per Regem, quod prætendebat in Comitatu Flandriæ, Artusii, & Geldriæ, & sibi per Cæsarem omni jure, quod prætendebat in civitatibus Peronæ, & Boloniæ maritimæ, & in Burgundia inferiori, & regione Machoni, & utrum matrimonium esse deberet, declararetur per Cæsarem intra octo menses, & ubi ejus filia nupsisset, & ex ea non pervenisset proles masculina, Flandria, & alia ejus dotis redirent ad Cæsarem, & penes eum remaneret jus Burgundiæ, & Regi dominii Mediolanensis salvum, dimissis tamen, donec supervenisset proles, penes Cæsarem, ubi filia Regis Rom. nupsisset Duci Aurelianensium, arcibus Mediolani, & Cremonæ, & etiam restituerentur Carolo Duci Allobrogum omnia sibi occupata ex dominio suo, dimissis etiam penes Regem, donec ei dimitterentur arces Mediolani & Cremonæ, & in ea pace comprehensi fuerunt summus Pont. Maximilianus Rom. Sigismundus Poloniæ, Joannes Lusitaniæ, & Christiernus Daniæ Reges, Carolus Dux Allobrogum, Germani, Suevi, ac Veneti, & Principes, & civitates liberæ Italiæ, & Henricus Rex Angliæ tunc obsidens mari & terris Boloniam, & Montilium, si voluisset, & ad quem Rex Galliæ, cum destinasset ex suis primoribus causa ab ipso sciscitandi, num vellet in pace comprehendi, Rex Angliæ eos tenere jussit in arce Ardelonæ, distante per quatuor millia passuum à Bolonia, quam cum habuisset à Vernicense ibi præfecto præsidii clam civibus, & tribunis die vigesima quarta Septembris permissis inde abire cum bonis, quæ inde humeris asportari potuissent, & quos abeuntes & tranantes aquas Angli insequuti, ex eis occiderunt senes, pueros, ac fœminas quamplures, vocatis ad se legatis Gallicis re, quam nollent, facta dimisit eos vacuos ad Regem suum: qui deditione Boloniæ intellecta, copiis suis militaribus ex Campania accersitis, ut eam recuperaret, eas transmisit sub Henrico Delphino, quæ cum ingressæ partem ejus inferiorem, ibi trucidato præsidio Anglico, prædæ inhiarent desertis ordinibus, per Anglos de facili illinc repulsæ fuerunt, & inopia commeatus dissipatæ, inde statim abierunt dimissa Bolonia Anglis, qui oppugnato Montilio sibi dimisso per Ubiam regulum

gulum ibi rectorem, & Rincherii fano incenso, & omni agro contermino late vastato, & in Scotia Edimburgo direpto, ea dimissa sub fideli & congruo præsidio per Regem cum eo reversi sunt in Angliam.

Et Ariadenus Ænobarbus, archipirata Turcarum, solutis velis ex portu Taurentiorum Galliæ Provincialis, una cum Leone Strocio rectore classis Gallicæ, direptis litoribus Hetruriæ, ibi occupatis portibus Thelamonis, & Herculis Senensium, & Insula Lilii, ac oppugnato frustra Orbitello, illud copiis ingresso Joanne Lunense Hispano, & illuc ad opem destinatis aliis agminibus per Ducem Florentiæ sub Stephano Columna, & Chiapino Vitellio ducibus, & per illum habito à Jacobo Appiano regulo Plumbini, filio Sinonis Judæi, & archipiratæ captivato ad Tunetum, & facto Christiano, & depopulatis littoribus Calabriæ, Apuliæ, & Siciliæ, redactisque in sui potestatem Insulis Ischiæ, Liparis, & Procidæ, & oppugnatis Puteolis; & dum illuc ad opem properaret Petrus Toletanus, prorex Neapolis, decem millibus pedestribus, & bis millibus equestribus tumultuarie coactis, ivit Byzantium, ad ibi Imperatorem, multa præda & innumeris captivis, Joanne Doria classe Cæsariana illum insequente, ac lacessente. Petrus Aloysius Farnesius die decima Augusti in ecclesia cathedrali Placentiæ, ejus ac Parmæ Ducatus accepit insignia. Ex Ill. familia Dovaria Cremonense Federicus inter Italos militavit pro Carolo Cæsare turma equestrium quinquaginta, ex quibus plerique fuerunt Cremonenses, & mox pro Cosmo Medicæo duce Florentiæ.

A. C. 1545. Anno 1545. Cremonæ prætore Vincentio Falcutio Urbinate Cæs. Sen. & J. C. & mox revocato Mediolanum uti electo ad censum generalem dominii Mediolanensis, ipsi surrogato Alexandro Vicecomite J. C. Mediolanense, & etiam Cæs. Sen. Joannes Maria de Monte episcopus Prænestinus, & Marcellus presbyter, & Reginaldus Polus Anglicus diaconus Cardinales, ac legati, & Vicarii Pontificii una cum plurimis episcopis, ac legatis, Tridenti Concilium inchoarunt die tertia decima Decembris pro reducenda antiqua religione. Neapoli fuit terræmotus, quo corruit propugnaculum versus molem, & multæ ædes ceciderunt, & quamplurimi oppressi ab eorum ædificiis perierunt. Joannes Baptista Specianus etiam J. C. & Capit. Justitiæ generalis in toto dominio Mediolani pro eodem Francisco Secundo Sfortia ejus Duce, & mox pro invictissimo Carolo V. Augusto Quæstor totius eorum exercitus in Gallia Cisalpina, obiit Mediolani die 30. Octobris, & excellens Physicus, & Astrologus Georgius Fundulus, pariter Cremonensis, die prima Aprilis, ejusque corpus tumulatum fuit in ecclesia ibi cathedrali.

A. C. 1546. Anno altero Carolus Cæs. habitis comitiis Ratisbonæ non invito summo Pont. ab eo habitis duodecim millibus pedestrium & equestrium sub Octavio Farnesio ejus nepote, sed duce pedestrium Alexandro Vitellio, & equestrium Jo. Baptista Sabellico, & legato Apostolico Alexandro Farnesio Card. & fratre Octavii, & à Duce Ferrariæ centum quinquaginta equestribus sub Francisco ejus fratre, & Florentiæ ducentum sub Rodulpho Baliono, & habito delectu quatuor millium Italorum, & sexdecim Germanorum sub Aliprando Mandrucio, Georgio Siamburgo, Georgio Rasimburgo, & Jo. Jacobo Medicæo præfecto materiei bellicæ, & Georgio Vitempulcho notho Bavariæ, & Flandrensium duodecim millium sub Maximiliano Com. Burense, & septem millium equestrium sub Maximiliano ejus nepote, Gulfancho, Melenico, Moderatore supremo equitum Prusensium, Com. Burense, Alberto filio Casimiri Ducis Spiturzensis, Philippo Lanojo, Principe Sulmonæ, Henrico filio etiam Ducis Spiturzensis, Joanne filio Joachimi Marchionis Butiburgensis, Emanuele Philiberto Principe Galliæ Subalpinæ, & Com. Jo. Baptista Spinello Neapolitano, & ex Italia & Pannonia conductis in Germaniam octo millibus Hispanis per Alphonsum Vineum, Antonium Toletanum, & Alvarum de Sandes, & constitutis totius exercitus duce supremo Hernando Duce Alvæ, & Jo. Baptista Castaldo castrorum rectore, & consultoribus rei bellicæ Pyrrho Columna Rom. Cæsare Massio Neapolitano, & Com. Francisco Landriano Mediolanense, & cum quo erant quamplures proceres, nobiles, ac tribuni militum impigerrimi Rom. & Itali, & receptis in ejus partes Guilielmo Duce Bavariæ, fratre Alberti generi Regis Rom. ac Guilielmo Duce Clivense, etiam genero Rom. Regis, & declaratis rebellibus Imperii Rom. Federico Duce Saxoniæ, & Philippo Lantgravio fautoribus hæreticorum, eique contumacibus, exsutoque Federico auctoritate eligendi Cæsarem, collata Mauritio ejus nepoti, ad reprimendum eos, & alios, qui anno 1534. habito conventu apud Schelmeducum in Saxonia per eos, ac Christiernum Regem Daniæ, Federicum Com. Palatinum, Dominicum Ducem Vintiburgiensem, ac Ducem Clivensem, Com. Ubertum Usdemburgi, ac legatos Augustæ, Ulmæ, Argentinæ, Constantiæ, Tonavertæ, & Norimbergæ in unum convenerant, & fœdus percusserant. Et cum in eum transivissent exercitu octuaginta millium pedestrium, decem millium equestrium, & sex millium fossorum, centum triginta tormentis bellicis, & pro eis, ac annona, & materie bellica, & aliis pro usu exercitus conducendis octo millibus equis, octo centum plaustris, tercentum navibus, & multo alio apparatu, exercitus duce supremo Lantgravio, castrorum magistro Stenipeo, & Erneste filio Ducis Spruincensis, vicario Ducis Saxoniæ, & in quo exercitu fuerunt quamplures principes, proceres, reguli, ductores equestrium, & tribuni Germani, earumque civitatum liberarum secum confœderatarum, & per illos occupato propugnaculo Sclusæ in Comitatu Tirolense, & ad fines Italiæ, ut impedirent Italos ingredi Germaniam, & adversus illos volentes occupare Aspurgum, per ibi incolas coactis octo millibus pedestribus sub Guastualdo occupassent Tonavertam, & Trainam Vindelicorum, & firmassent castra ad Heumburgum die tertia Augusti illis duodecim millibus pedestribus, & bis millibus equestribus tantum occurrit, firmatisque castris apud Lanzottum, quod intendebant & hostes occupare, & ibi, & apud Nicastaldium, & Heostadium factis multis utrinque levibus præliis, & in ejus auxilium supervento Comite Burense duodecim millibus pedestribus, & sex millibus equestribus duodecim tormentis bellicis, at ad impediendum ejus iter adversus eum profecto Comite Vindemburgi quindecim millibus pedestribus, & mille ducentum equestribus, & repulso per Albertum, & Joannem Marchiones Brandeburgenses, Maximilianum Regem Boemorum, ac Moderatorem Prussiæ, copiis per Cæsarem transmissos obviam Comiti Burensi, & in ejus auxilium, & etiam Francofortensium Franconiæ, & appulso in castra Cæsariana redegit in sui potestatem Meumburgum, & factis quamplurimis aliis levibus præliis cum hostibus apud Tonavertam, & Torlingam, & Herebona expugnata per Aspurgenses, suppeditavit Tonavertam, Thilingam, & Lovingham; & vigente hyeme aspera, & frequentibus pluviis, & nivibus cadentibus, & utroque exercitu gravi annonæ penuria oppresso, & multis ex morbo & fame ex ipsis exercitibus pereuntibus, & eorum aciebus utrinque dispositis, cum sæpius armis invicem se provocassent, & deventuri fuissent ad

ad extremum certamen, Cæsarque multotiens expositus fuisset morti, utrinque pedem retulerunt, & conjurati facta irruptione per Mauricium decem millibus pedestribus, & quatuor millibus equestribus in Ducatum Saxoniæ, & ibi occupatis Adorfo, Suingha, Virtembergo, & pluribus aliis, frustra ei resistente Joanne fratre Federici, & per illos tentata pace Cæsaris, & nec illis reddita, domos redierunt. Et Ulmenses, Augustani, & Francofordienses multo ære soluto Cæsari ad eum redierunt. Et qui Alphonso Davalo, Marchione Vasti, Vicario suo in dominio Mediolani, mortuo de mense Martii in civitate Viglebani, substituit Ferdinandum Gonzagam ex Principibus Mantuæ.

Et Neapoli de mense Maji, & die vigesima secunda Julii per incolas ob Inquisitionem hæresis in eos inchoatam per Petrum Toletanum, ibi proregem, facto tumultu auctoribus Cæsare Maremano, Priore Barilettæ ex familia Caracciola, & Joanne de Suessa, & coactis per proregem militibus quinque millibus, & totidem per Neapolitanos, & ibi commissis multis præliis, in quibus nonnulli Neapolitani occubuerint, destinatis ad Cæsarem Principe Salerni, & Placidio Sabello, una cum Marchione Vallis Hispano legato proregis in Germaniam, jussit Neapolitanos arma deponere, eisque per ipsos depositis, ex ipsis Joannes de Pasqualibus Suessanus, Cæsar Maremanus, & alii triginta tres sublati fuerunt ex humanis jussu proregis, & Princeps Salerni, & Placidius Sabellus, & multi alii sibi infensi quibuscunque suis dimissis illinc abierunt. Ubertus Gambara Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & commendatarius perpetuus Abbatiæ divi Laurentii Cremonæ, ejus Ecclesiam, ac domos magnificas inde dimissis monachis suis auctoritate Apostolica concessit monachis Montis Oliveti Ordinis divi Benedicti, qui de mense Aprilis se contulerunt in eas habitatum, dimissis Ecclesiæ, & domibus eorum divi Thomæ, & concessis monialibus dominæ Sanctæ Mariæ, nuncupatæ de Columba, Ordinis Cistercienfium Conventualium, eis ademptis ipsarum Ecclesia, & domibus, & semidirutis per moniales divæ Monachæ Ordinis de observantia divi Augustini, cum multis & opulentis fundis consistentibus in diœcesi Cremonensi, post diuturnam litem earum factam Cremonæ, Mediolani, & Romæ. In regione Cremonense, Placentina, Parmense, & Mantuana, suborta est superstitio diabolica, qua multi populares & rurales, quadam mentis levitate tamquam fanatici unitim accurrebant ad ecclesias, & per fora, & alia loca publica ibi se exsuentes vestibus, etiam quod inter eos essent aliquæ mulieres, & nubiles, & cum aliquantulum more bacchantium tripudiassent, se humi prostrabant, & illic diu circumvehebantur, & mox aliquantulum tamquam mortui jacebant, ac etiam nonnulli pugnis ac saxis corpus suum percutiebant, & in templis se adunabant, ibi turmatim canentes hymnos in honorem Dei ac B. M. Virginis, ac vigilabant, & pompas ducebant, nulla alicujus ætatis ac sexus habita differentia, & præsertim in vico Roboreti diœcesis Cremonensis, & quæ insania duravit usque ad mensem Septembris. Et die septima Augusti Mechliniæ in Brabantia, suborto gravi turbine palatium, & domus Cæsaris fulmine prodigioso percussæ, & ex eo cadis circiter sexcentum pulveris sulphurei, qui ibi asservabatur, igne accensis deflagrarunt cum domibus illic propinquis octo centum, ex ibi incolis centum sexaginta, fragmentis lapidum illinc ejectorum percussis, & occisis, & aliis circiter sex centum sauciatis, magno reliquorum stupore ac terrore.

A. C. 1547. Anno sequente Genuæ ad finem Januarii, ut A redderetur pristinæ libertati, excitato tumultu per Jo. Aloysium Fliscum, ex ibi primoribus, ope Othoboni, Cornelii, & Hieronymi fratrum suorum, instigante & consulente Petro Aloysio Farnesio, Duce Parmæ & Placentiæ, emptis per Jo. Aloysium quatuor triremibus summi Pont. & coactis nonnullis copiis militaribus, & per eos occiso Jo. Dominico filio Thomæ Doriæ, nepote Andreæ præfecti classis Ligusticæ, juvene impigerrimo, ipsis occurrente, & Jo. Aloysio, dum vellet occupare classem nocte ex ejus triremi cadente in undis maritimis, & ibi submerso, omnia sedata sunt; & Othobono, & fratribus ex Genua incolumibus ad B Montem Olium ex fuga prolapsis, ubi Hieronymus, dum illic se firmasset, per Augustinum Spinolam, illuc copiis profectum, fuit captivatus, & decapitatus, & ejus, ac fratrum bona captivata, & ædes, quas habebant Genuæ, solo æquatæ. Dux Saxoniæ ejus copiis aggressus Albertum Ducem Pruincensem, ejus acie fusa ipsum captivavit; & multa ex sibi occupatis in Saxonia per Ferdinandum & Mauritium recuperavit. Et Carolus Cæsar munitis præsidiis congruis Ulma, Augusta, Francumfordio, Vertimburgo, Sturedolpho, Chiercona, Aspurgo, & Liumburgo sibi suppositis, & receptis in ejus partes Joachimo Marchione Brandeburgense, & Ferdinando fratre ad eum profecto C mille quinque centum equestribus, & bis millibus pedestribus Ungaris, & Boemis, & Jo. Georgio Pruincense quatuor centum equestribus, & Mauritio Saxoniæ Duce, & Joachimo Brandeburgense tribus millibus ducentum, & tentata adhuc gratia Cæsaris per Joannem Federicum, medio Gulielmi Ducis Clivensis, ejus cognati, receptis Valdemburgo, Rochanizo, Alamsico urbibus, & multis aliis Saxoniæ, exercitu sexdecim millium pedestrium, & trium millium sexcentum equestrium Germanorum sub Ansaldo Suevo, Nicolao Mandrucio, ac Italorum, & Hispanorum, Boemorum, D & Ungarorum, profectus est in eum Jo. Federicum habentem in armis viginti octo millia pedestrium, & tria millia equestrium sub Gulielmo Tubergo, & Alberto Com. Maffeldi, & cui adhæserant multi Boemi, odio prosequentes eorum Regem sub Comite Gaspare Fluschio, & trajecto flumine Albi, & die vigesima quarta Aprilis prope Melburgum equestribus tribus millibus sex centum prælio congressus, cum eo secum habente sex millia pedestrium, cum bis mille quinque centum equestribus, ipsum feliciter fudit, eumque vulneratum in facie, & captivatum per Com. Hippolytum de Portu Vicentinum una cum Duce Ernesto, habuit in ejus E potestate, suo primogenito aufugiente, ex ipsius exercitu occisis circiter bis millibus pedestribus, & quinque centum equestribus, & longe pluribus captivatis, & ex Cæsarianis tantum desideratis quinquaginta, aquis fluminis Albi, dum illud trajicerent Cæsariani, depressis, & mox auctis, ut absque periculo trajici non possent. Et Aquila tunc conspecta eos circundare, & lupo egresso è sylvis ibi propinquis ab eis interempto, & caligine, qua ea die hactenus sol obscuratus fuerat, evanescente, & sole emittente radios suos ferrugineos, & nec solito cursu, sed tarde descendente præter modum ad Occasum, his prodigiis demonstrata fuit F victoria Caroli Cæsaris, & excidium Jo. Federici Ducis Saxoniæ, Sibilla Clivense ejus uxore, una cum Joanne Henrico ejus cognato, & Catharina ipsius uxore, & sorore Ernesti Ducis Virtembergiensis ad Carolum Cæsarem profecta, & per Cæsarianos receptis Virtembergo, Gottia, & omni Saxonia, Lantgravium post multam illius resistentiam diffisum viribus suis, pro eo intercedentibus apud Cæsarem Mauritio Saxonio ejus genero, Joachimo Marchione Pruincense, & Olfangho Duce

Tribolgi, se ei permittentem, omnibus arcibus sui dominii solo æquatis præter Civeriam, seu Casellam, ac solutis per eum aureis tercentum quinquaginta millibus, & dimissis omnibus tormentis, ac aliis instrumentis bellicis Cæsari, dimissoque Henrico Duce Pruincense, quem tenebat captivum, eique & summo Moderatori Prussiæ, his, quæ ex eorum dominio occuparat, restitutis, teneri jussit die decima Junii per Ducem Alvæ sub custodia Hispanorum, in eos ob id per Germanos indignatos assumptis armis, & quos delevissent, nisi eis Itali affuissent, & Cæsar se interposuisset, & qui, dum esset Halæ in Suevia, de mense Junii in sui gratiam recepit Odoricum Ducem Vintumburgiensem sibi supplicem, una cum Federio Com. Palatino, ac Argentinensibus.

Et inde conversis armis in Boemos rebelles Ferdinando eorum Regi, & habentes in armis triginta millia pedestrium, & duodecim millia equestrium, Jo. Jacobo Medicæo copiis suis in illos præmisso, quamplurimis ex ipsis occisis in Thuringia, dum illuc in eos transiret, solo terrore armorum ad pristinam sanitatem illos redegit. Et Bucemenses, Nubicenses, & Horbingenses populos Germaniæ Saxoniæ finitimos, & Philippum, & Bavarum Duces Pomeraniæ, sponte quoque se ei permittentes, sub imperio suo recepit; & postremo Constantienses adhuc sibi contumaces suppeditavit, & profectus Augustam, ibi habuit comitia, & auctore Othone Trusio Cardinale illic præsule pro conservanda religione Christiana, exstirpandave hæresi Lutherana, condi & publicari jussit nonnullas constitutiones die quinta decima Augusti in Germania observandas, donec perficeretur Synodus generalis. Et Germanis, ob stipendium sibi non solutum tumultuantibus, repressis, & ubique in Germania compositis rebus, ex Spira profectus est jam vere Imperator in Galliam Belgicam de mense Octobris, secum conductis Duce Saxoniæ, & Lantgravio. Ex Tridentino fuit translatum Concilium Bononiam. Henricus Octavus, Angliæ Rex, annorum quinquaginta septem, & regni triginta octo, obturato meatu tibiæ suppurantis ex febre ardentissima, Odoardo ejus filio superstite, & Franciscus Valesius, Rex Gallorum, annorum quinquaginta quinque, & regni triginta duorum, in arce Rubeletana ex febre dierum decem & octo oppressus, die ultima Martii, Henrico ejus filio superstite, ex hac vita migrarunt. Et Petrus Aloysius, filius summi Pont. Placentiæ ibi occupato Cœnobio divi Benedicti Ordinis Canonicorum Regularium divi Augustini, & jusso erigi in arcem omnium munitissimam ob illius grave imperium, & quia adversaretur Cæsari, die decima Septembris hora quinta decima illic in urbicula occisus fuit per Com. Joannem Anguissolam, auxilio Com. Augustini de Lando, Jo. Aloysii Confanonerii, & Alexandri, & Hieronymi Palavicinorum à Scipiono, superstitibus Alexandro, & Raynutio Cardinalibus, & Octavio, & Horatio, & Victoria filiis ex Hieronyma Ursina uxore, & Placentia sponte una cum tota ditione Transpadana Palavicinorum agri Cremonensis, Placentini, ac Parmensis, usque ad castrum Guelphorum ad stratam Æmiliam, se supposuit Carolo Cæsari, unde ex post causata sunt gravia bella in Italia, ac Picardia, & de mense Decembris nocte Conceptionis divæ Mariæ apud Parisios, Sequana vehementer inundante, pars pontis divi Michaelis altera flumini ripa adversa ad Orientem spectans laxatis subliciis cum ædificiis superstratis corruit, gravi etiam periculo partis aversæ Occidenti.

A. C. 1548. Anno sequuto Maximilianus, Archidux Austriæ, & filius Ferdinandi Regis Rom. ex Germania per Italiam una cum Christophoro Mandrucio Cardinale, & præsule Tridentino, & Duce Pruincensi transivit in Hispaniam, ibi desponsaturus Mariam filiam Cæsaris, ejus consanguineam, ex dispensatione summi Pont. & die secunda Julii Cremonam applicuit, & ibi moram habuit per triduum: Benedicto de Acoltis Aretino Card. & Episcopo Cremonæ mortuo Franciscus Sfondratus, etiam Cardinalis, factus fuit ibi Episcopus; [cujus effigiem ex Ant. Campi *Hist. Mediol.* æri incisam hic apposuimus.]

Anno subsequuto Philippus, Hispaniarum Rex, inde transiens per Italiam in Galliam Belgicam ad Carolum Cæsarem patrem, Cremonam die decima Januarii divertit, & ibi commoratus est per biduum, & die ultima Martii appulsus Bruxellas, ibi cum triumpho fuit receptus per Mariam & Eleonoram ejus amitas. Paulus Tertius Farnesius summus Pont. annorum octuaginta duorum, & quindecim sui pontificatus, die decima Novembris obiit Romæ, & ut creditur ob animi dolorem conceptum ex recessu ab urbe eo inscio facto per Octavium ejus nepotem Parmam, in quam tamen non fuit admissus per Camillum Ursinum ibi ducem, & rectorem Apostolicum, creatis per eum summum Pont. sex centum equitibus, ejus nomine nuncupatis. Dominicus Baccus, quo alter non fuit præstantior ciere viros, turbamque accendere cantu, & ad magis graphice scribendum, obiit die XXVII. Januarii. A. C. 1549.

Anno Redemptionis humani generis 1550. Cremonæ prætore Jo. Paulo Bertio J. C. Papiense, & Cæsareo Sen. Jo. Maria de Monte Sansuino Florentinus, & Cardinalis annorum sexaginta duorum die septima Februarii factus fuit summus Pont. & nominatus Julius tertius: qui die vigesima quarta Februarii Parmam dimitti jussit Octavio Farnesio, & Romæ celebrato Jubileo de more, transmissis diplomatibus per ditionem Christianorum die quinta decima Novembris omnes Antistites, ac Principes ibi, quorum intersit, provocavit ad Concilium Tridentum reducendum, ubi inchoatum fuerat. Et Franciscus Sfondratus Card. & Episcopus Cremonæ mense Junio illuc profectus, ibi in mane solemnitatis divi Petri in ecclesia cathedrali ad altare majus celebravit solemnem missam, & ex auctoritate Apostolica concessit Jubileum ibi incolis, & creatis Equitibus Laurentio agnato suo, Lombardo Persichello, & Jo. Baptista Paterno, febre oppressus die ultima Julii obiit, ejusque cadaver sepultum fuit in sepulcro marmoreo, ob id erecto in parte superiori ipsius ecclesiæ, eique fuit surrogatus Federicus Cæsius Rom. etiam Cardinalis. Cremonenses, & Papienses, cum utrinque legati in honorandis Principibus, ac pompis publicis obeundis, & aliis, in quibus contigisset una adesse eorum legatos velle præcedere, asserentes, hinc inde agentes, eorum civitatem magis nobilem & antiquam, utrinque disceptarunt coram excelso Senatu Mediolani habitis orationibus, quæ mox ornatiori stylo editæ typis in lucem proditæ sunt, sed controversia ipsa remansit indecisa. A. C. 1550.

Anno altero Carolus Cæsar de mense Februarii habuit comitia Augustæ Vindelicorum, quibus Philippum filium Rom. Regem creari optavit, sed Ferdinando fratre juri suo cedere recusante, ea res in aliud tempus dilata fuit. Et ad quæ comitia sæpius convocati Germani Principes, Saxonesque superiores venire recusarunt, quod adversus id, quod eis Cæsar quadriennio ante promiserat, multa fecisse dicerent, seque nolle ei conventui adesse, in quo religio, in quam conjurarant, damnanda & comprimenda videretur; & Saxonibus arma parantibus novum bellum exortum est, & Mendelburgum obsessum, unde cum erupissent obsessi, tria millia ex illis cæsa sunt, & inde tentata expugnatione parum feliciter per Mauritium Electorem, obsessi licet in magnis angustiis fuissent, tamen deditionem face- A. C. 1551.


FRANCISCVS SFONDRATVS,
Cremonensis;
Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis.



facere recusarunt. Carolus Cæsar in gratia Christiernæ neptis suæ, R. Ducis Lotharingiæ, cum Ferdinando fratre, Philippo filio, Maria rectrice Flandriæ, & Eleonora R. Francisci olim Regis Gallorum, suis sororibus, ac ipsa conventum habuit in Flandria, & inde Philippus per Italiam rediit in Hispaniam, per eum concesso Cremonensibus die quarta Martii super vectigali carnis, quæ venditur ad macellum Cremonæ redditu annuo scutatorum ducentum auri. Maximilianus, Archidux Austriæ, & gener Cæsaris, ex Hispania in Austriam per Italiam transiens cum uxore, & duobus filiis ex ea susceptis, Cremonam divertit de mense Maji. Summus Pont. dum Octavius Farnesius ab eo requisito, & nec impetrato auxilio, timens Parma exsui per Cæsarianos, se supposuisset protectioni Regis Gallorum, sibi ob id data querela per Cæsarem, interpellatis Rege ac Farnesio, ad dimittendum Parmam Ecclesiæ, & recipiendum Camarinum per Farnesium ad eum ob id transmisso Ascanio Cornea summi Pont. nepote, & recusantibus hæc facere, Farnesio indixit bellum, Ferdinando Gonzaga ad id constituto supremo duce, & per eum Hispanis & Italis Cæsarianis ex Gallia Subalpina vocatis, & aliis conductis ad stipendium, & simul conjunctis capto Brixello ditionis Cardinalis Estensis ad fines agri Parmensis, ac oppugnato ibi, & in ejus potestatem compulso Colurnio juris Jo. Francisci Severinatis, quod occuparat Farnesius capto Severinate, de mense Maji obsessa Parma, ad cujus præsidium erant Galli ad id transmissi per eorum Regem, ac jussit Jo. Baptistam de Monte pariter nepotem suum alio exercitu sex millium armatorum, Alexandro Vitellio supremo duce, obsidere Mirandulam Galeotti Picci partes Gallorum sequentis, & ad cujus præsidium erant etiam Galli, ad id destinati per Regem suum sub Bernardino regulo à Thermis.

Et cum Maria pro Cæsare rectrix Flandriæ valde infestaret Gallos ibi negotiantes, & requisita per Regem, ut desisteret ab eorum molestia, eum obaudivisset, asserens Flandros quoque infestari per Gallos, degentes ad præsidium propugnaculi Licantes, erecti ad fines Flandriæ & Galliæ pro conservanda utrinque pace, ibi duce Regnaco Procere; & classe Cæsariana, super qua erant nonnulli negotiatores Flandriæ, per classem Gallicam Antonio Polino rectore in mari Belgico aggressa, interceptæ fuissent nonnullæ triremes cum eorum bonis ac mercibus, inter Cæsarem ac Regem Gallorum adhuc exarsit aliud grave bellum, & dimisso per Regem ab ejus aula Maseliaco legato Cæsaris, & munitis finibus regnorum utrinque præsidiis militum, & annona per Gallos equestres Satilione procere duce Burgundionibus quatuor centum equestribus, apud montem Cervetum in Burgundia commisso utrinque prælio profligatis, ex eis cæsis circiter octuaginta, & ex Gallis paucis desideratis, ex Burgundionibus pedestribus sex millia, cum equestres mille quinque centum, multis aliis levibus præliis utrinque commissis, in quibus multi occubuerunt, in unum coacti sub Sandeo Armindo, & ad fines Lotharingiæ, ibi profligatis nonnullis copiis Gallicis, obsederunt oppidum Aspramontis, & superventis pluviis dimiserunt, & ex Gallis octo millia pedestrium, & quatuor centum equestres, Antonio regulo Vinduncense ductore, irrumpentes Flandriam, ibi tentarunt occupare Alerinam. Et cum classis Gallica triremium viginti quatuor, Leone Strocio earum rectore, in mari Tyrrheno ad portum Thelamonis invasisset classem Ligusticam triremium viginti septem, quæ Doria præfecto trajiciebat in Hispaniam, ut inde Maximilianum Regem Boemum, & generum Cæsaris, cum uxore in Italiam conduceret, & ex ea interceptis multis navigiis eis rediisset Massiliam, & Galli in Gallia Subalpina ibi ad præsidium degentes, regulo Brisacco ductore, occupassent Cherium, & nonnulla alia ibi oppida. Gonzaga, dimissa obsidione Parmæ, & in ejus agro dimissa parte exercitus ad eum diruendum sub Jo. Jacobo Medicæo, reliquo properavit in Galliam Subalpinam adversus Gallos. Summus Pont. nepote suo in levi prælio, facto ad oppidum Mirandulæ, dum illud oppugnaret, occiso, cessavit à bello Mirandulense & Parmense, in eis expenditis ducentum millibus aureis, & adhæsit Regi Gallorum. Sigismundus Guindanus, clarissimus rhetor Cremonensis, per eum descriptis carmine heroico vita, & gestis memorabilibus Caroli Quinti Augusti sub titulo *Austriados*, periit die tertia Decembris.

Anno sequente, Cremonæ prætore Jo. Baptista Raynoldo J.C. Mediolanense, ac Cæs. Senatore, è Gallis decem & septem millia sub Satilione secum conjunctis decem millibus Germanis pedestribus sub Reutechio Recorcho, & Cartello, & mille quinque centum equestribus, & bis millibus velitibus sub Omala, Ænea Momorantio supremo duce, percusso fœdere per eorum Regem cum Mauritio Duce Saxoniæ, Joanne Alberto Duce Mengeldemburgi, & Duce Tonareni, Alberto Marchione Brandeburgi, Ludovico Com. Ottingeni, Com. Altemburgii, & filiis Lantgravii, indignatis adversus Cæsarem ob carcerationem Ducis Saxoniæ, & Lantgravii, ceperunt ad fines Galliæ, & Lotharingiæ Tullum, ac Vedunum, & urbem Mediomatricum die decima Aprilis, & ibi totam regionem occuparunt, Carolo illic duce annorum novem, invita Christierna matre, inde conducto in Galliam, & mox obsederunt Argentinam, exercitus rectore regulo Vindonciense. Et Mauritius, & alii conjurati exercitu viginti millium pedestrium, & octo millium equestrium, occupatis Augusta, Ulma, & multis aliis urbibus, & vicis Germaniæ, ex quibus aliquas diripuerunt, & aliquas gravi ære mulctarunt, irruperunt in Cæsarem una cum Ferdinando fratre in Egeponto degentem, & qui dum occupatis ibi adjacentibus per conjuratos, cum non haberent exercitum, quo possent eis, à quibus nil timuissent, resistere, aufugissent Vilaccum Carinthiæ oppidum Ferdinandi, & in eorum auxilium Veneti tunc parassent copias quindecim millium pedestrium, & equestrium trium millium, Martino Russenio ductore irruperunt oram Suessionum, nunc Campaniæ, & ibi occupata urbe Ostense prope flumen Mosæ, una cum multis aliis eam diripuerunt, ac ferro & igne vastarunt, & cum sibi occurrentibus Gallis Anibojo duce pedem retulissent, Rex Gallorum dimissa Argentina, inde exercitu regressus, & assumpto in ejus partes Principe Seduni, prætendente Ducatum Bolionum, olim juris majorum suorum sibi spectare, eum, ac Damvillam, & multa alia in ea regione Cæsaris suppeditavit, & dimisso Seduno, ibi cum Principe Namurci rectore Lucemburgi, conversis armis in exercitum Cæsaris, degentem ad fines Flandriæ, multa alia ex Ardena redegit in sui potestatem, & ibi nonnullis expugnatis, ac combustis, & gravi strage illata ivit ad stativa Seduno, & Namurco junctis invicem copiis illuc profectis, & multis aliis, quæ ibi erant Cæsaris, receptis.

A. C. 1552.

Et Cæsar dimisso Lantgravio, post tentatam fugam per eum ex Mechlinia oppido Flandriæ, in quo asservabatur, & ob id Mauritio, & aliis conjuratis ad eum reversis auctore Ferdinando fratre, & in ejus gratiam profectis, ipsorum copiis in Turcas Pannoniam diripientes, præter Albertum Marchionem Brandeburgensem, Ducem Tumareni, Com. Antiburgi, & Otingerii, & filios Lantgravii, quatuor millibus equestribus, & tribus millibus pede-

ſtribus, continuato bello Germaniam diripientes, ac ferro & igne diruentes, prælatos, & alios ecclesiaſticos ibi inſequendo, templa, & cœnobia demoliendo, & alia multa enormia committendo, de menſe Octobris redactis ad priſtinam ſanitatem Ulma, Auguſta, Spira, Norimberga, & Francumforte, ab ibi incolis habitis pecuniis, Martino Ruſſenio ſexdecim millibus pedeſtribus, & mille equeſtribus ad fines Picardiæ degente adverſus exercitum Gallorum, ibi ad præſidium ſtantem, exercitu Germanorum ſexdecim millium, Hiſpanorum ſeptem millium, Flamingorum octo, & Italorum ſex, profectus die decima octava Octobris ad urbem Mediomatricum Lotharingiæ, eam, ad cujus præſidium erant Princeps Guiſanus, Strocius, Horatius Farneſius cum multis aliis proceribus, & ducibus Gallicis, & copiis, recepturus, obſedit ac oppugnavit. Et cum Marchio Brandeburgenſis ex Germania properaſſet in Lotharingiam, & ibi intercepto Treveri, illic caſtra firmaſſet, & ibi gravi ſtrage illata tranſiſſet in partes Cæſaris, Reitelbergo ex ducibus ſuis decem cohortibus tamen profecto in caſtra ad ſtipendium regis Gallorum, & per eum Principe Omale fratre Guiſani, dum ipſum mille pedeſtribus, & quinque centum equeſtribus, dimiſſus à pedeſtribus invaſiſſet, habitis cohortibus auxiliaribus à Cæſare, & utrinque commiſſo prælio profligato cum eis turmis, & vulnerato, & captivato una cum multis aliis, ac occiſis circiter centum quinquaginta, ſe recepiſſet in caſtra Cæſariana adverſus urbem Mediomatricum, & Momorantius illuc prope ad ejus ſubſidium haberet exercitum triginta millium pedeſtrium, & ſeptem millium equeſtrium Gallorum, & Elvetiorum. Et Ruſſenio curſitante, & ferro & igne vaſtante Picardiam, per eum expugnato Eſſelino, & Anibojo vita functo, adverſus ipſum deſtinato Satiliono multo exercitu ad recuperationem Eſſelini, & in auxilium Picardiæ, & aliis copiis dimiſſis ad præſidium Lotharingiæ ſub Duce Namurci per Momorantium ſe retrahentem ab eo expugnato, ac munito præſidio Eſſelino, & inter Gallos ac Cæſarianos ad urbem Mediomatricum factis pluribus levibus præliis, in quibus plurimi occubuerunt, & ex Cæſarianis ibi oppreſſis penuria annonæ ſibi impedita per Gallos fame & frigore tunc gravi pleriſque deficientibus, & præſertim Italis, inter quos fuit generoſus Tribunus Jo. Franciſcus Ala Cremonenſis, poſt longam ejus obſidionem, inde die prima Januarii abiit, Galliaque ibi curſitata, & direpta, ac ferro & igne diruta, in Germaniam rediit inſequentibus Gallis, & prælio laceſſentibus Cæſarianos, & Concilium Tridentinum ob id imperfectum remanſit.

Ferdinandus princeps Salerni, inviſus Proregi Neapolis, defecit à Cæſare ad Regem Gallorum, eique & adhæſerunt Senenſes inſtigati per Hieronymum Boſianum Piſanum die vigeſima ſeptima Julii, expulſis ex Senis Hiſpanis ſexcentum Franciſco Alva duce, & Regis protectioni ſe ſuppoſuerunt, introductis ſex millibus pedeſtribus, & nonnullis turmis equeſtribus ſub Nicolao Com. Pitiliani, ac Mario, & fratre Comitibus Sanctæ Floris, indignati in Didacum Hiſpanum, ibi rectorem pro Cæſare, cum eis nimis dure ſe gerentem, prælio utrinque commiſſo, & per Gallos, & Senenſes expugnato templo divi Dominici, in quod tercentum Hiſpani aufugerant, & ex eis occiſis ducentum, & urbicula, ibi noviter conſtructa per Cæſarianos, ſolo æquata, illuc tranſmiſſis per Florentiæ Ducem copiis in ſubſidium Hiſpanorum ſub Othone Monte acuto. Et etiam inſula Corſica fere omnis in poteſtatem Gallorum redacta fuit, eorum claſſe illuc trajecta die vigeſima Auguſti. Et cum quatuor millia Italorum ſub Sfortia Palavicino trajecerint in Tranſylvaniam, ad ibi ſubſidium adverſus Turcas, & Eraſmus Taſſilius aliis copiis obſediſſent oppidum Driguni in Tranſylvania, & Acomates Turcarum ductor quindecim millibus equeſtribus ad ejus opem profectus, & per Palavicinum, & Druſillum, eorum copiis ſecum conſertis manibus, repulſus, multis ex ſuis occiſis; & mox reparato prælio cum reliquis die decima Auguſti, & ſolemnitatis divi Laurentii, ex Germanis munitis foſſis & aggeribus occiſis circiter tribus millibus, & Sfortia reliquis ingreſſo ibi ſilvam proximam, Acomates eum inſequutus fuit, & dum Sfortia cum Italis per pleroſque equeſtres Ungaros dimiſſis intrepide manibus conſertis cum Turcis, omnes fere ſui, non valentes illis reſiſtere ob illorum multitudinem, infeliciter occubuiſſent, & ex ejus manu dextra, ea, & multis aliis corporis ſui partibus vulneratis, excuſſa enſe, captivato una cum Hippolyto etiam Palavicino, Barbino, & Alberto Carpenſibus, Mario Tyburtino, Vincentio Antinojo Florentino, & Eraſmo Taſſilio, & pluribus aliis, inter quos fuerunt multi Cremonenſes, & Eraſmo ex eis ducto Byzantium, & ibi decapitato, & Varinenſe epiſcopo cum multis aliis inſignibus viris occiſo, victoria potitus fuit, & captivos cum omni præda per eum capta duxit Budam, Sfortia mox redempto, ſolutis pro eo quindecim millibus aureis ſcutatis. Ex hac vita migravit Homobonus Orfidius, vulgo Offredus, excellens Phyſicus Cremonenſis, ejuſque corpus ſepultum fuit in eccleſia Heremitarum de Obſervantia divi Auguſtini.

Anno ſequuto ex Cæſarianis quatuordecim millia, eorum ductore Petro Toletano prorege Neapolis, Aloyſio filio ibi ad regimen dimiſſo, & inter eos ac Gallos pro bello Parmenſe factis induciis, moverunt bellum Senenſibus, obſeſſo Monte Altino, ad cujus præſidium erat cum copiis Jordanus Urſinus, & Senarum Bernardinus regulus à Thermis cum Hippolyto Eſtenſe Cardinale, quatuor millibus pedeſtribus, & Groſſeti, & Lucignani Cornelius Bentivolius aliis copiis, qui facta irruptione in ſeptem centum Germanos, profectos Groſſetum tercentum pedeſtribus, & mille velitibus, eos profligavit, multis ex eis occiſis, & multis captivatis; & Adrianus Balionus ad præſidium Monticelli, & Carolus Urſinus Cluſii aliis copiis, & Florentiæ mortuo Petro Toletano, loco ejus perſeverante in bello Garſia filio ſuo cum Alexandro Vitellio, & Aſcanio Cornea pedeſtrium ſupremo ductore, obſederunt Senas, & tranſmiſſis in Hetruriam ex dominio Mediolani per Gonzagam ibi rectorem quatuor millibus pedeſtribus, & nonnullis turmis equeſtrium ſub Jo. Jacobo Medicæo oppugnarunt, & redegerunt in ſui poteſtatem Monticellum die decima nona Martii, Baliono ibi captivato una cum multis aliis, ac plurima alia loca Senenſium. Et ſummus Pont. dum timeret à Cæſarianis, juſſit conſcribi octo millia pedeſtrium, & nonnullas turmas equeſtrium ſub Camillo Urſino, eiſque muniri Romam. Et cum Strocius nocte diei ſexti decimi Decembris mille quinque centum pedeſtribus ex Monte Altino profectus una cum Franciſco Urſino Senas, & ibi commiſſa pugna cum Cæſarianis, in qua utrinque multi occubuerunt, Senenſibus, ac ibi militibus ad præſidium, opem & annonam tuliſſet, & Senenſes tumultuantes una cum Silva Regis Gallorum legato apud ſummum Pont. ſedaviſſet. Jo. Jacobus Medicæus, habitis à Duce Florentiæ nonnullis cohortibus Germanorum, redegit in ſui poteſtatem Carſeolos, & Gramolium, & Carolum Caraffam comitantem copiis ſuis populares Senenſes, ex Senis expulſos, eis occurrens, ipſum repulit multa ſuorum cæde, captivato Matthæo Stendardo exſule Florentino.

Et cum claſſis Turcarum Draguto duce curſitaret, ac diriperet litora Apuliæ, & Calabriæ, Cæſa-

ſariani indigi pecuniarum, & volentes opem ferre Neapoli, Senas deſeruerunt. Et dum ex Germanis quatuor millia Georgio Mandrucio duce ex Genua Neapolim, Pazecco Hiſpano Cardinale, ibi per Ducem Alvæ illic factum proregem, conſtituto rectore, proficiſcerentur triremibus ſeptem claſſis Liguſticæ, Andrea Doria duce, inter Circellas & inſulam Pontiam, Turcæ eorum claſſe interceperunt una cum Mandrucio duce. Et non exſpectato Principe Salernitano claſſe Gallica ad perſeverandum in direptione ipſa, ſuperveniente autumno redierunt Byzantium, ad ibi Imperatorem ſuum. Et Cæſariani irruperunt alia manu in Picardiam, ac expugnarunt, & ſolo æquarunt Teroanam, Martino Ruſſenio ductore, & ei mortuo ſubſtituto equite Bulicorto, & ibi erecto, & munito propugnaculo ad Montale, oppugnarunt Eſſelinum, ubi ad præſidium occiſus fuit Horatius Farneſius, ſibi deſponſata Diana, filia naturali Regis Gallorum, & captivati Dux Bolioni, ac multi proceres Gallici, & Itali; & mox coacto exercitu per Gallorum Regem mille ducentum equeſtrium, ſex centum velitum, & quindecim millium pedeſtrium Gallorum, quatuordecim millium Elvetiorum, mille quinque centum Anglorum & Scotorum, cum centum tormentis bellicis, & utrinque commiſſo prælio ad Ambianos, fuerunt profligati, ex eis occiſis circiter quinque centum, & totidem captivatis cum ſeptem vexilliferis, & ex Gallis deſideratis circiter octo centum una cum Principe Oſſone, ac captivato altero filio Momorantii una cum multis aliis ducibus, & ibi, ac in Burgundia, & Campania, Philiberto ſupremo duce, commiſſis multis incendiis, ac rapinis, ac multis aliis præliis, in quibus multi duces & milites hinc inde perierunt, & ſæpius paratis utrinque aciebus, ut invicem concurrerent, & per Gallos capto Cambreſio, ac tentata occupatione Bipalmæ, ubi erant tercentum quinquaginta equeſtres ad præſidium ſub Alimonte Burgundione, & Camariaco munito multo præſidio per Cæſarianos, ſe receperunt ad hyberna, hinc inde munitis locis ſuis præſidiis. Et Jo. Jacobus Medicæus, die vigeſima ſexta Decembris ex Florentia noctu profectus Senas quatuor millibus Italis, & ſex centum Hiſpanis pedeſtribus, & nonnullis turmis equeſtrium, expugnato ibi propugnaculo in ejus ſuburbiis erecto, eas obſedit, ac oppugnavit, Rodulfo Baliono, & Chiapino Vitellio aliis turmis Florentiæ Ducis curſitantibus, ac depopulantibus agrum Senenſem, & niſi Cornelius Bentivolius dux ad præſidium Senarum obſtitiſſet, Medicæus ipſas occupaſſet. Galli quinque centum pedeſtres, & nonnulli equeſtres ducibus Ludovico Birago, & Bernardino Vicomercato extorribus Mediolanenſibus die decima octava Novembris ex oppidis Guaſchi & Verolengi, ad quorum præſidium erant, properantes Vercellas Ducis Subaudiæ ſibi proditas per ejus aulicum, eas ingreſſi, eiſque reſiſtentibus ibi incolis, & Hiſpanis, qui erant ad ejus cuſtodiam, invicem collatis manibus per biduum captis, & depopulatis, illinc repulſi fuerunt, inde exportata multa præda, & ſupellectile argentea, & alia materie ducali multi pretii, cum ſyndone, quo involutum fuit corpus D. N. J. Chriſti immenſi pretii. Ex pluviis, quæ ciderunt die quintadecima Septembris uſque ad principium Octobris, cum vento auctæ fuerunt præter modum aquæ fluminis Padi, & aliorum fluminum Galliæ Ciſalpinæ, & ab eis inundatis agris ſibi finitimis, & ibi fructibus in grave damnum dominorum ſuorum.

A. C. 1554. Anno ſubſequuto Petrus Strocius, coactis copiis in agro Mirandulæ, ac alibi, acceſſit ad præſidium Senarum, & Aſcanio Cornea duce Cæſariano per eum Cluſio ſibi data ſpe per Fantucium exſulem Florentinum illud occupandi, habitis à Duce Florentiæ tribus millibus pedeſtribus, & ducentum quinquaginta equeſtribus ſub Baliono clam nocte intempeſta ingreſſo, & per Flaminium Urſinum Com. Anguilaræ, ibi ducem ad præſidium ejus copiis, & aliis habitis à Strocio, illiuſque copiis utrinque collatis manibus fuſis, & repulſis, captivato una cum Hercule della Penna ejus ſororio, & ducto Senas cum multis aliis, & cum inde aufugere tentaſſet, illinc tranſmiſſo in Galliam Tranſalpinam ad ibi Regem, & ejus juſſu dimiſſo, & Baliono occiſo cum aliis circiter mille, & Leone, fratre Strocii, priore Capuano, & ex Equitibus Rhodienſibus, duabus triremibus ex Inſula Melita ſupervento in portum Herculis ad opem Senenſium, egreſſus Senas nocte diei undecimi Junii ſex millibus pedeſtribus, & mille equeſtribus, occurrit Comiti Mirandulenſi, & Alexandro à Thermis, proficiſcentibus ad ejus ſubſidium quatuor millibus Italis, totidem Rhætis, & quinque centum equeſtribus, quibus intendebat movere bellum Duci Florentiæ, & per eum occupatis Monte Catino, & Monte Carolo, & ſibi junctis Rhætis & Italis, Jo. Jacobus Medicæus, dimiſſis adverſus Senenſes ſeptem millibus pedeſtribus, & quinque centum equeſtribus, in eum tranſivit aliis copiis, eiſque occurrit ad Spiſiam, & cum Strocius in eum progreſſus fuiſſet, diſſiſus viribus ſuis retroceſſit Piſtorium, & cum Strocius Senas reverſus, ejus fratre occiſo ictu archebuſii ad oppidum Scarlini, dum illud oppugnare voluiſſet, ſuperventa claſſe Gallica bis millibus Guaſconis, & totidem Elvetiis, ad finem Julii fuiſſet egreſſus Senas duodecim millibus pedeſtribus, ut Elvetiis, Rhætis, & Italis, & mille equeſtribus ſe conjungeret, Medicæus id prohibiturus quindecim millibus pedeſtribus Hiſpanis, Germanis, & Italis, bis millibus velitibus, & quinque centum equeſtribus, ei occurrit prope Martianum in Hetruria, occupatum per Strocium una cum Foliano, ibi occiſo Carolo Urſino, & ad cœnobium ſanctæ Abundæ in agro Senenſe commiſſa utrinque pugna, occiſis hinc inde circiter ter centum, & mox renovata multis aliis, ſed pluribus Cæſarianis Mario Sfortia, Com. Sanctæ Floris, & Priore Lombardiæ, captivatis, & ſuperventis in auxilium Medicæi Camillo Columna ex Apulia tribus millibus pedeſtribus, & Joanne de Luna ex Gallia Ciſalpina aliis quatuor millibus, & nonnullis turmis; & die trigeſima Julii apud Lucidum alia commiſſa pugna inter eos, in qua ciderint ex Strocianis circiter mille, & Cæſarianis quatuor centum, reliquis obſedit Martianum, & cum Strocius ei opem ferre voluiſſet, die ſecunda Auguſti prope ipſum, & Florianum, & Lucidum inter eorum acies facto conflictu, ſiniſtrum cornu Hiſpanorum regente Joanne Lunenſe, & Italorum dextrum cornu, Com. Sanctæ Floris equeſtrium ſupremo ductore, & Medicæo extremum agmen, & Borgheto vexillifero Strociorum aufugiente, & Italorum cornu profligato per eos, mox converſa fortuna Stròciani ſuccubuerunt, ex eis cæſis circiter quatuor millibus, & pleriſque Rhætis una cum Joanne Bentivolio, Vincentio Spiritu, & Gino Capone exſulibus Florentinis, Valorono duce Guaſconum, regulo Forchii, ejus locum tenente, & multis aliis ducibus, & nobilibus, ac gregariis militibus circiter quatuor centum, & Strocio, & Paulo Urſino, & Aurelio Fulgoſio vulneratis, eiſque, ac Cornelio Bentivolio, Baptiſta Altovito, Alexandro Salviato, & Antonio de Runcheto, ex Spiſſia fuga elapſis, Senas poſt ſe dimiſſis vexillis circiter centum equeſtrium, & pedeſtrium, cum nonnullis tormentis bellicis, & Borgheto vexillifero, quia inchoato prælio cum Medicæo aufugiſſet cum pleriſque equeſtribus, furcis ſuſpenſo juſſu Strocii. Medicæus potitus victoria, eaque proſequuta ex

 ſuis

suis tantum desideratis circiter septem centum, profectus Lucignanum, illud obsedit, & redegit in sui potestatem, illinc aufugientibus Borgheto & Altovito, ibi dimissis ad præsidium per Strocium, & dimissis captivis una cum Bonconvento, & Monte Carolo, & aliis municipiis Senensium, in quibus reperta fuit multa annona, & dimissis captivis gratis, sibi præstito juramento se non militaturos infra annum adversus Cæsarem, illinc reversus ivit Senas, easque arctius obsedit.

Et Doria, dum Bernardinus à Thermis classe Gallica, & conjuncta classe Turcarum, direptis littoribus Apuliæ & Calabriæ, ingressus Corsicam, ibi occupavisset sanctum Bonifacium, & sanctum Florentium, & alia præter Calvum & Bastiam, & inde ibi dimisso ad regimen Jordane Ursino mille pedestribus abiisset, illuc classe Cæsariana Ligustica profectus obsedit, ac diutius oppugnavit, ac redegit in sui potestatem sanctum Florentium, & mox frustra oppugnavit sanctum Bonifacium. Et Galli supervento primo vere tripartito agmine cursitarunt, ac diripuerunt, ac ferro, & igne everterunt, Ænea Momorantio supremo duce quinque millibus Gallis, totidem Elvetiis, & quatuor millibus Germanis pedestribus, & equestribus mille quatuor centum, & tribus millibus sex centum velitibus sub Omala, & Tavano regulis Burgundiam, & aliis quatuor millibus Gallis, totidem Germanis pedestribus, & equestribus sexcentum, & velitibus mille sub regulo Namurci Lotharingiam, & decem millibus Gallis, & Picardis pedestribus, tercentum equestribus, & quinque centum velitibus sub Principe arcis Sorioni Ducatum Artusii, olim Atrebatum, & die vigesima octava Junii obsederunt, & suppeditarunt Mariæ Burgum Momorantio duce, Cæsarianis Philiberto duce Gallis imparibus frustra resistentibus, & Visanum, & multa alia assistente Rege cum Duce Namurci, & Ducibus Phatuisse, & Alcimoncii, & Cæsarianis sibi occurrentibus nonnullis copiis inter Alexiam, & Bipalmam Principis Sorioni, ibi utrinque commisso prælio fuerunt profligati Cæsariani.

Et Cæsar ad Gallis resistendum coacto multo exercitu sub Philiberto, & Duce Pruvincense, & aliis confœderatis, Alberto Marchione Brandeburgense uti hoste Cæsaris ab ejus dominio per ipsos armis expulso, in auxilium Cæsaris bis millibus equestribus superventis, transivit in Gallorum Regem, & per eum in unum coacto exercitu inter Creventorum & Carmaniacum Gallis se opposuit, & non multum abfuit, quin uterque exercitus, dum esset invicem propinquus, totis viribus confligeret prope oppidum Rontini, quod obsederant Galli, & Cæsariani nixi sunt ei opem ferre ibi commisso prælio, in quo Cæsariani succubuerunt, ex eis occisis circiter mille ducentum, & ex Gallis quatuor centum. Et cum Cæsar dimisso Philiberto, & Rex Momorantio à castris abiissent, & Cæsariani duce Philiberto, & Galli regulo Vindoncense ducibus, plures pugnas leves commisissent, in quibus multi occubuerint, gravi damno utrinque sibi illato iverunt ad stativa. Et Galli degentes in Gallia Subalpina die quarta Decemb. dolo ibi occuparunt Yporegiam, ibi commissa pugna cum Cæsarianis, in qua occubuerunt circiter mille. Carolus Cæsar Ferdinandum Gonzagam per Joannem Figarolam, & Lunensem arcis Mediolani præfectum, Franciscum Tabernam Cæsarei sigilli in Insubria magistrum; Franciscum Crassum præfectum ibi reddituum ordinariorum, & nonnullos alios suos æmulos penes ipsum, dum esset Bruxellis, criminatum de infidelitate adversus ipsum, multis ex ejus ministris Mediolani carceratis, ad se vocatum, & profectum ob ejus dignitatem, prudentiam, ac merita adversus Imperium absolvit, & pro pecunia, quam ei debebat, sibi concessit oppidum Sancti Severini, & nonnulla alia in regno Neapolitano, eique substituit in regimine dominii Insubrum Ferdinandum Davalum Marchionem Piscariæ, & mox Joannem Figarolam. Et Joannes Lunensis veritus iram Cæsaris aufugit in Galliam Transalpinam.

Et Carolus Cæsar concessit liberam administrationem regnorum Neapolis, & Siciliæ, & dominii Mediolanensis, Philippo ejus unigenito, sibi desponsata Maria Angliæ Regina annorum quadraginta, sibi concesso titulo sui Regni tantum, in quod succederet eorum primogenitus, & nec exsistentibus masculis primogenita, Hispaniæ, & aliis dominiis remanentibus Carolo Philippi filio, & ubi obiisset absque prole, perventuris in alios nascituros ex Maria præter Hispaniarum Regnum, nisi facta institutione, & nec suscepta aliqua prole devolveretur Regnum Angliæ in proximiores Reginæ; adversus quam ob id in Anglia fuit excitatus tumultus, Thoma Humeto, Petro Carra, & Henrico Duce Soflocchi auctoribus, per eos, & alios eorum factionis coactis quinque millibus pedestribus, & nonnullis turmis equestrium obsesso Londino per biduum, & mox per eos cum Anglis sequentibus partes Reginæ commisso prælio, ac profligatis eo Thoma, ac Duce Soflocchi captivatis die septima Februarii, Petro jam profecto in Galliam, eisque, ac Joanna per Odoardum instituta hærede, ac Gilpholdo de Duleo marito suo ultimo supplicio affectis, Philippus ex Hispania in Angliam classe profectus ibi in civitate Vincestri die vigesima quinta Julii, & solemnitatis divi Jacobi solemniter Mariam desponsavit, & cum ipsa nocte sequente consumpsit matrimonium, & cum quo fuerunt inter alios proceres Arnaldus Dux Alvæ suus præfectus prætorii, Rigomes de Silva, Antonius de Toledo, & Petrus Langus. Hieronymus Pinzonus Cremonensis excellens Theologus, Astronomus, decretorum Doctor, & ex Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Cremonæ, & litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis eruditus morte violenta occubuit Venetiis, dum ibi esset solatii gratia. Arealdus Colombus etiam Cremonensis tunc temporis cognitus fuit ob peritiam singularem in arte Nothomiæ.

Anno 1555. Cremonæ prætore Danesio Filidono J. C. Placentino Cæs. Senatore, Galli die secunda Martii occuparunt Casale sancti Evasii Montis Ferrati, & mox Montem Calvum, & multa alia Cæsarianorum, in Gallia Subalpina regulo Salvasono ductore, & deinde obsederunt Vulpianum. Julius summus Pont. die vigesima tertia ejusdem mensis, & anno quarto, & mense sui pontificatus ex hac vita migravit, equitibus religiosis quatuor centum per eum creatis sub nomine divi Petri. Et Marcellus Cervinus Senensis ex monte Pultiano, Cardinalis sanctæ Crucis, annorum quinquaginta quinque, integerrimus, & doctissimus per triginta septem Card. conclave ingressos fuit electus summus Pont. eoque mortuo illinc ad viginti duos dies die vigesima tertia Maji, & Ascensionis Dominicæ Jo. Petrus Caraffa Neapolitanus, episcopus Hostiensis, & Velitrensis, & Decanus Cardinalis, annorum sexaginta novem, ei fuit suffectus, & nominatus Paulus Quartus, qui Carolum Caraffam nepotem suum die septima Junii creavit Cardinalem, & Joannem fratrem Com. Montorii, & Antonium filium suum supremum ducem militum ecclesiasticorum, Guidonem Ubaldum Ducem Urbini præfectum urbis, & centum viginti nobiles Rom. equestri dignitate insignivit, ex quibus duodecim singula nocte excubare deberent ad ipsius thalamum, & Romanis dimisit tributum. Et Senenses, dum obsiderentur exercitu sex millium Germanorum, & triuum

trium millium Hiſpanorum, & aliis cohortibus, & turmis Italorum Ducis Florentiæ ſub Jo. Jacobo Medicæo, & Strocius eis opem & annonam daturus coegiſſet bis mille pedeſtres, fame oppreſſi die vigeſima Aprilis ſe permiſerant Philippo Regi Hiſpaniarum, qui eorum regimen dimiſit Duci Florentiæ; & Marcus Brandinus, Hieronymus Spanochia, Andreas Banducius, & multi alii eorum nobiles, ægre ferentes dominium Ducis Florentiæ, inde abierunt ad montem Altinum, eumque muniverunt præſidio, & ibi erexerunt Rempublicam. Et Jo. Jacobus Medicæus die tertia decima Junii expugnavit portum Herculis, ibi deſideratis quinque centum Hiſpanis.

Et Cæſariani Arnando Duce Alvæ ex Anglia profecto in dominium Inſubrum, ibi coacto exercitu duodecim millium Germanorum, ſex Hiſpanorum ſub Alvaro Sandeo, Franciſco Ibara, & Joanne Guerrea, & octo millium Italorum pedeſtrium ſub Veſpaſiano Gonzaga, & Ferdinando Marchione Piſcariæ, Garſia Toletano vicario Arnandi, & Cæſare Maſſio Neapolitano caſtrorum magiſtro, & Raymundo Cardona præfecto materiei bellicæ, & Nicolao Cida quæſtore eo, & equeſtribus octo centum, & mille velitibus multa manu foſſorum, & ingenti numero carrorum, & aliorum impedimentorum, & tormentis bellicis quadraginta, de menſe Julii profecti Ulpianum, per Gallos ſeptem mille pedeſtres, & ſeptem centum equeſtres Briſacco regulo duce obſeſſum, eiſque pedem referentibus Taurinum, eorum municipiis munitis congruo præſidio, die quarta Auguſti opem & annonam tulit ibi obſeſſis, & mox Ulpiano dimiſſo ſub cuſtodia Cæſaris Neapolitani iverunt ad oppidum ſanctæ Agathæ, vulgo ſancti Jani ibi propinquum, ad cujus præſidium erant bis mille pedeſtres ſub Ludovico Birago, & Bernardino Vilmercato, illudque fruſtra oppugnarunt, Gallis ad ejus opem ſuperventis ex Gallia Tranſalpina ſub Aumalo Guiſano regulo deſtinatis, & ex eis tranſmiſſis ad ejus ſubſidium octo centum ſclopetariis, & tercentum equeſtribus, illincque abeuntibus Cæſarianis ex conſilio Jo. Jacobi Medicæi, & Jo. Baptiſtæ Gaſtaldi ex Mediolano profectorum ad pontem oppidi Sturæ, & Duce Alvæ, dimiſſo vicario ſuo ibi Gaſtaldo, illinc tranſgreſſo Neapolim, reverſi Galli Ulpianum, Aumalo & Briſacco regulis ducibus, illud oppugnarunt, & in poteſtatem ſuam compulerunt die vigeſima ſecunda Septembris, ejuſque mœniis, & vallo demolitis, & mox receptis Monte Calvo, & Bugella die octava Octobris, & Monte Calvo demolito, ac Aquenſi urbe, & Ancifa tentatis, ab Ancia repulſi multa præda iverunt ad hyberna. Et alii Galli curſitarunt ac diripuerunt, ac ferro & flamma ſubverterunt fines Flandriæ, Comitatus ſancti Pauli & Arturi proditis in lucem tractatibus, quibus Cæſarianis prodebantur urbs Mediomatricum, propugnaculo Montali, & Mariaburgum, ei tunc, ac media hyeme opem & annonam tulerunt, reſiſtentibus Cæſarianis principe Aurengiorum duce, & ibi utrinque commiſſo prælio, in quo fuerunt multi deſiderati hinc inde, iverunt ad hyberna; & inter naves viginti duas Flamingorum, & decem novem Gallorum, & nonnullorum navigiorum in mari Anglico commiſſa pugna per ſex horas ardentibus animis, & victoria prius inclinata ad Flamingos Galli prævaluerunt, ex navibus Flamingis ſex combuſtis, & quinque interceptis, & navarchis circiter tercentum occiſis, & ex Gallicis ſex combuſtis, & mille navarchis occiſis.

Carolus Cæſar die vigeſima quinta Octob. ceſſit Philippo filio ſuo omne jus Regnorum, & dominiorum ſuorum coram multis Principibus, ac nobilibus Burgundiæ, ac Flandriæ illuc acceſitis, & Maria ſorore, quæ etiam dimiſit regimen Flandriæ. Summus Pont. die vigeſima Decembris creavit quoque Cardinales Antonium Capocidam Rom. Joannem Cruperium Germanum, Joannem Ricemanum Gallum, Joannem Saliceum Hiſpanum, Scipionem Recheidam Siculum, Diomedem Caraffam Neapolitanum, & Bernardinum Scottum Sabinenſem, & tranſmiſit legatos in Galliam Belgicam ad Carolum, & Celticam ad Henricum ibi Regem pro diſcordia inter eos ſedanda. In Italia per menſem apparuit ſtella crinita valde horribilis, & pallida cum radiis auro ſimilibus, à Meridie verſus Septentrionem, & mox ſucceſſit calor ingens, & multæ, & diutinæ pluviæ ceciderunt: & in Norico, Suevia, & Boemia tam vehemens exortus eſt ventorum turbo, cum multis fulguribus ignitis in aere, ut eorum impetu multa fuerunt proſtrata ædificia, & arbores radicitus evulſæ; & in partibus montanis Auguſtæ ex cœlo aperto viſæ ſunt in aere multæ flammæ exire: & ex terræ motu Byzantii multa ædificia corruerunt; & poſt triduum ſtella ſummi ſplendoris, & magnitudinis inuſitatæ prope lunam viſa fuit, quæ ob acumen ſui luminis conſpici non poterat, & in agro Bitucis oppido Germaniæ poſt grandinem & fulmina ingentia viſæ ſunt in aere concurrere invicem acies armatorum, & auditi tubarum & tympanorum ſonitus eos ad pugnam incitantium. Jo. Carolus Afaytatus ſupremi nominis inter negotiatores Europæ Antuerpiæ Morinorum ex Gallia Belgica, dum ibi reſideret, obiit dimiſſis poſt ſe immenſis opibus, & Fortunius ejus agnatus excellens theologus, philoſophus, phyſicus, & aſtronomus, dum eſſet Londini in Anglia annorum quadraginta quinque, dimiſſo poſt ſe libello aſtronomico, & ſi diutius vixiſſet multa alia opera in eis ſcientiis reliquiſſet, & Antonius Maria Auguſtus Scriba Reipub. Cremonenſis, nulli ſecundus proſa & carmine, in quibus multa compoſuit non impreſſa, die ſecunda Decembris Cremonenſes obierunt.

Anno proximo Reges Gallorum & Hiſpanorum, A. C. dum viguiſſet bellum inter eos per quinquennium, 1556. exhortante ſummo Pont. factis induciis convenerunt tractare, num inter eos locus eſſe poſſet paci auctoribus Polo Cardinale, & Regina Maria Angliæ eis, & præſule Vinceſtre, & ſupremo quæſtore, & duobus aliis proceribus Anglicis pro Rege Hiſpaniarum conventis in unum ad Giavarinum una cum Cardinale Lotharingiæ, & præſulibus Aurelianenſium, & Dividuri, ac Momorantio, & Albaſpina Scriba ſupremo Regis Gallorum pro eo, ac præſule Alexiæ, & duce Medioli pro Cæſare, & per Cardinalem & Reginam facta propoſitione, ut Iſabella primogenita Regis Gallorum nupta Carolo primogenito Regis Hiſpaniarum, ſibi dimiſſo dominio Mediolani, & Regi Gallorum Comitatu Caroloini loco Teroanæ, & propugnaculo Montilii demoliendo una cum arce Monteniæ Juri, vel Damvillæ arbitrio Regis Gallorum, vel omnibus reſervatis Synodo generali per ipſam decidendis, interim dimiſſis Emanueli Philiberto quibuſcunque occupatis per Gallos, ex ejus Ducatu Sabaudiæ, ac principatu Galliæ Subalpinæ præter arces, ducta per eum uxore Margarita ſorore Regis Gallorum, & cum agentibus ſuis hæc offerentibus facere, etiam reſtitutis Duci Octavio Farneſio Placentia, & aliis ibi occupatis per Cæſarianos ex ejus Ducatu, & aliis controverſiis remiſſis etiam Synodo per eam decidendis, cum ob id compoſitioni locus eſſe non potuiſſet, Galli adhuc curſitarunt & diripuerunt, ac ferro & igne diruerunt Picardiam, Cæſarianiſque Principe Aurentiorum duce eis reſiſtentibus, ope & annona Marieburgo per Gallos datis, ibi ac alibi in ea regione commiſſis utrinque levibus præliis, in quibus multi occubuerunt, mox ipſi & Cæſariani iverunt ad ſtativa, & deinde fecerunt inducias per annos quinque die quinta Februarii ad pagum

gum Vacellæ apud Camariacum Burgundiæ, Gaſpare regulo Caſtulonis, & Carolo Principe Aurentiorum pro Rege Hiſpaniæ procurantibus. Carolus Cæſar cum Maria & Eleonora ſororibus profectus Selimburgum Zelandiæ, & ibi die prima Septembris diplomate dimiſſo jure Imperii Ferdinando fratri, illinc trajecit cum ejus ſororibus in Hiſpaniam, & ibi ingreſſus cœnobium divi Juſti religioſorum Heremitarum divi Hieronymi, vacavit contemplationi divinæ.

De menſe Martii cometes horribilis apparuit per multas hebdomadas. Summus Pont. Chriſtophoro Mandrucio Cardinale, & epiſcopo Tridentino Vicario Regio in dominio Mediolani, ut Regem Hiſpaniarum exſueret Regno Neapolitano, percuſſo in eum fœdere cum Rege Gallorum ſibi per eum promiſſis ad illud vindicandum octo millibus pedeſtribus, & ſex centum equeſtribus, & juſſu ipſius carceratis Carciſlao de Vechia legato, Jo. Antonio Taſſo Magiſtro Tabellariorum Regis Hiſpaniarum, Camillo Columna, & Juliano Cæſarino ſequentibus ejus partes, & Aſcanio Maria Sfortia Cardinale, & Quæſtore Apoſtolico una cum Latino Volaterano ejus ſcriba à ſecretis, per Carolum ejus fratrem receptis ex claſſe Gallica, quæ erat in portu Hoſtiæ, duabus triremibus ſibi per Gallos, dum eſſet cum eis Maſſiliæ, adeptis, & ex juſſu ſummi Pont. penes Gallos dimiſſis auxilio eorum Regis movit bellum Columnenſibus, eis, & ipſorum fautoribus, & auxiliatoribus excommunicatis, & ad ejus ſtipendium conductis Julio, Camillo, Franciſco, & Paulo Urſinis, & Aſcanio della Corna, Antonio Torclado, & ex eis conſtituto duce ſupremo Julio, & Aſcanio Locumtenente Antonii nepotis ſui, exſuit Marcum Antonium Columnam dominio Paleani, & aliis, quæ habebat in Latio, & Paliani nepote ſuum conſtituit Ducem, & ejus filium Marchionem Cavarum die decima ſeptima Maji, & Antonium alterum nepotem Comitem Balnei, & Marchionem Montis Belli. Et dum Aſcanius Corna, ei exoſus, ab ipſo timens aufugiſſet Neapolim, juſſit carcerari Angelum fratrem Cardinalem, & Cæſarem nepotem ipſius, & dum Strocius profectus Paleanum illud intenderet munire propugnaculis, & Dux Alvæ Prorex Neapolis timens, ne quid adverſus regnum Neapolitanum innovaretur, ut rumor erat, coactis ſeptem millibus Italis ſub Veſpaſiano Gonzaga, tribus millibus Hiſpanis ſub Garſia Toletano, quatuor centum equeſtribus ſub Marco Antonio Columna, & mille tercentum velitibus ſub Com. Populi, eos duodecim tormentis bellicis ad principium Septembris tranſiſſet in Latium, & ibi occupato ponte Corvi, redegiſſet in ſui poteſtatem Verulas, Boudas, Froſſinum, ac Ananiam, ea expugnata. Summus Pont. habitis à Rege Gallorum ex Corſica bis millibus ducentum Guaſconis, & aliis mille ex Monte Calvo, & ex Ducatu Urbini mille quinque centum Italis ſub Aurelio Fulgoſio, tercentum Germanis, & nonnullis cohortibus Italorum profectis Romam ad ejus præſidium, & per ibi incolas Alexandro Columna duce aſſumptis armis ad ipſius defenſionem, juſſit præſidiis congruis muniri Boniam, & alia municipia ad fines Latii, & alibi in dominio Eccleſiæ adverſus Hiſpanienſes. Et dum, & ipſi redegiſſent in ſui poteſtatem Neptunum, & alia uſque Marinum, ac Hoſtiam die decima octava Septembris per Ducem Somæ, profectum duabus cohortibus Guaſconum, & nonnullis turmis equeſtrium Pitilianum, ut illinc expelleret Hiſpanos ibi ad præſidium degentes, reliqui Pontificii, tranſmiſſis ad eorum auxilium per Regem Gallorum ex Gallia Tranſalpina, duodecim triremibus appulſis in portum veterem, & inde conductis per Strocium Neptunum cum nonnullis copiis, illud obſederunt ac oppugnarunt, ac tentarunt occupare Moreto Calabro ibi duce ad præſidium; & cum Hiſpanienſes illuc ad auxilium properaſſent, & oppugnaſſent arcem Hoſtiæ, ad cujus præſidium erat Horatius Sbirrus, dux Romanus ſeptuaginta militibus. Et Strocio multis copiis ad Urbem veterem profecto, ibi utrinque commiſſa pugna ex Cæſarianis centum, Hiſpani occubuerunt Veſpaſiano Gonzaga, & pluribus aliis Italis vulneratis, ex quibus multi perierunt.

Et Dux Alvæ, ſibi data ſpe per Pontificios pacis, pro ea tractanda exſpectato ad Critam ferratam juxta ordinem ſecum datum Cardinale Caraffa, & nec profecto, deluſus proſequendo bellum cepit Tybur, ad cujus præſidium erat Franciſcus Urſinus quatuor centum pedeſtribus, & mox ad ejus præſidium acceſſit Montuchius ſeptem centum Guaſconis, habito delectu aliorum militum per Baldeſarem Rangonum, Lucium Vitellium, Brunerium Vapoſchium ex Foro Pompilii, & Antonium Caraffam duces Pontificios, & Roma munita per Alexandrum Columnam ſeptem millibus Italis, Guaſconis, & Germanis, & totidem Romanis, cum Hiſpanienſes curſitaſſent ac diripuiſſent uſque Romam, & Pontificii forent oppreſſi gravi inopia omnium rerum vigente hyeme, ſummus Pont. exſpectatis in auxilium aliis bis millibus Guaſconis, ſex millibus Elvetiis pedeſtribus, & octo centum equeſtribus, & mille velitibus ex Gallia Tranſalpina, per ibi Regem deſtinatis ſub Franciſco Principe Guiſano, & tentata ſocietate Venetorum, & nec habita, die vigeſima octava Octobris fecit inducias cum Regiis, ſe interponentibus Cardinalibus Sanctæ Floris, & Sancti Jacobi, eo Cardinale Sancti Jacobi tranſmiſſo per ſummum Pont. ad Ducem Alvæ Anagniam, & per eum ad ſummum Pont. Romam Franciſco Pacecco etiam Cardinale, mox in unum conventis ad Critam ferratam, Hiſpanienſes pedem retulerunt Tybur. Et Rex Hiſpaniarum recepit in ſui gratiam Octavium Farneſium, ſibi reſtitutis Placentia, & aliis, quæ ex ipſo Ducatu pervenerant in Carolum Cæſarem patrem, ac conceſſit Alexandro fratri ſuo Abbatiam Morealis in Sicilia. Cremonæ ex ordine Chriſtophori Mandrucii, Cardinalis Tridentini, Regii Vicarii in dominio Mediolani, & pro exſecutione litterarum Regis Hiſpaniæ, dici duodecimi Novembris factæ fuerunt effoſſiones extra ipſam à porta divi Michaelis, & propugnaculo ibi erecto fere uſque ad arcem ſuper ſolo privato pro ea amplianda, & munienda vallis, & mœniis, & aliis propugnaculis lapideis, ſed mox permiſſæ interdiu tranſire in vacuum.

Anno ſequente, Ludovico Mazenta J. C. Mediolanenſe, & Cæſ. Sen. Cremonæ prætore, Rex Gal- A. C. 1557.
lorum poſtpoſitis induciis, quæ erant inter eum ac Regem Hiſpaniæ, indignatus in eum, ipſum incuſando ſibi fidem non ſervaſſe, tentata per eum furtim occupatione urbium Mediomatrici Lotharingiæ, ac Burdigalliæ in Burgundia, cum ibi, ac in Flandria propugnaculis, & Montis Altini, ac Groſetti in Hetruria moto bello ſummo Pont. in ejus auxilium ex Gallia Tranſalpina tranſmiſit in Italiam ſub Franciſco Principe Guiſano Elvetiorum octo millia, & Guaſconorum quatuor millia pedeſtrium, ſex centum equeſtribus, & mille ducentum velitibus; qui cum perveniſſent in Galliam Subalpinam, ibi occuparunt, ac diripuerunt, & mœniis nudarunt Valentiam Regis Hiſpaniæ, & progreſſi in agrum Rhegienſem ditionis Ducis Ferrariæ, ibi ſecum conjunxerunt ſex millia pedeſtrium, ducentum equeſtribus, & ſex centum velitibus per Ducem conſcriptâ ad ſui ſtipendium; & cum Chriſtophorus Mandrucius Cardinalis, & Prorex in dominio Mediolani, conſcriptis quinque millibus Italis, & Dux Florentiæ aliis copiis militaribus, ab illis timentes muniviſſent præſidiis civitates, & alia loca

loca dominii Mediolanensis, ac Ducatus Florentiæ, & per Carolum Caraffam Cardinalem, ex urbe profectum Rhegium, ad Ducem Ferrariæ, & Principem Guisanum, & alios eorum consultores in re bellica, habitis ibi comitiis, quibus proposuissent, antequam progrederentur, dominium Mediolani suppeditare, hac omissa deliberatione properarunt in Latium. Et cum Hispanienses sub duce Alvæ ibi in unum coacti transmissis nonnullis cohortibus ad præsidium Civitellæ sub Comite Sanctæ Floris eis occurrissent, secum conjunctis ex Pontificiis ibi quatuor millibus pedestribus, & nonnullis turmis equestrium sub Antonio Caraffa irruperunt Aprucium, & ibi direpto campo, & occupato Trano, regressi sunt Latium, & cum ad opem Hispaniensium ex Latio applicuissent illuc nonnullæ copiæ Germanorum, & ex eis septem cohortes transmissæ fuissent ad præsidium oppidi Florentini, receperunt Pipernum, & multa alia ibi Bonifacio Com. Sarmonete duce, & Gallianum, & Zaccarolum Sarra Columna, & Cintio Capisucco eorum copiis, dum voluissent progredi, profligatis per Hispanienses Pompejo Columna duce, utrinque commisso prælio, in quo multi fuerunt occisi, & Tybur, & Montem Fortinum dimissum per Franciscum Branchatium, quod direptum & combustum fuit, ac Neptunum sex centum Italis, & Guasconis pedestribus illuc profectis Duce Paliani, & Strocio ductoribus, & Marinum, Frascatum, Critam Ferratam, Gandulphum, Barigelatam, & oppidum Sancti Angeli, & inter Lucium Ursinum, ejusque copias, & Mar. Antonium, & Pompejum Columnenses, eorumque acies consertis manibus, ipsoque profligato ac repulso, & per Franciscum Columnam multis quoque locis expugnatis ac direptis, expugnarunt ac diripuerunt die quartadecima Februarii Vicum Varonis, ibi ducentum Hispanis, qui illic erant ad præsidium, & multis aliis occisis, & multis aliis captivatis; & mox obsederunt Civitellam, Hispaniensibus adhuc tenentibus Ananiam, Fresulonum, Montem Fortinum, Ganazanum, Sublacum, & multa alia ex Latio. Et summus Pont. indignatus in Regem Hispaniæ, legatum, quem penes eum habebat, revocavit Romam: & in Ducem Octavium Farnesium, quia eo invito ipsi adhæserat, destinavit Comitem Antonium de Tolentino ad occupandum Castrum, & Adrianum Balionum Velitras, inde revocato Romam Duce Somæ, & Franciscum Ursinum Tybur, & mox Monucum Gallum, & dum diffisi illud, quod esset munitissimum, tueri, dimisissent, destinavit Ursinum ad Vicum Varonis, & cum Hispanienses eo, ac Tybure cum toto dominio Columnensium receptis incursassent usque Romam, summus Pont. requisitis aliis copiis militaribus à Rege Gallorum, & à Venetis, & habitis turmis Regiis, quæ erant Parmæ & Mirandulæ, & conductis ad sui stipendium Julio Vitellio filio Alexandri, Baldesare Rangono, & Brunorio Ciriabosco ex Foro Pompilii, in unum coactis Romæ septem millibus pedestribus, & totidem aliis Romæ adversus Hispanienses.

Et dum Antonius Caraffa tribus millibus pedestribus stipendiariis, & nonnullis evocatis, & aliquibus turmis profectus Asianum, inde fines regni Neapolitani incursando, eos infestaret, & copiæ Pontificiæ, quæ Romæ erant, inde intenderent erumpere adversus Hispanienses, ipsi secum junctis bis millibus pedestribus, & turmis equestribus adversus Pontificios arma pararunt; & dum Romani in Guasconos, qui cum eis non solveretur stipendium, sinistre Romæ se gerebant, illic arma assumpsissent, & eis, qui ducebantur per Caraffam, Lofredus rector Alviani occurrisset; ex Hispaniensibus octo millia Italorum, sex millia Germanorum, & totidem Hispanorum pedestrium, bis millibus equestribus iverunt ad auxilium Civitellæ, quæ obsidebatur per Pontificios, & eis occurrentibus turmis Gallorum duce Scipiero, inter eas ac quinque centum velites sub Com. Sanctæ Floris, & cohortes Hispanorum Garsia duce, factum fuit leve prælium pari Marte, & per Hispanos capta & direpta Julia nova ad medium mensis Martii, & superventis ad opem Hispaniensium sex millibus Germanis, ductis per Doriam super classe, & ex eis tribus millibus progressis in Latium, & ibi junctis secum quatuor centum pedestribus, & quinquaginta equestribus Italis, & copiis Marci Antonii Columnæ, & apud pontem Sarli facto levi prælio per turmas & cohortes Pompeji Columnæ cum aliis Pontificiis, Leonardo de Rupere duce, eis profligatis, & Leonardo captivato, & receptis per Marcum Antonium oppido vallis Montalii, eoque direpto & combusto, & oppido Prænestino etiam direpto, Matthæo Stendardo ibi rectore, & ad ejus auxilium profectis mille octo centum Germanis, & mille ducentum Hispanis cum duabus turmis equestrium, & summi Pont. Romam mille quinque centum Elvetiis, & per Columnam firmatis castris inter Signiam & Palianum, & cum ad Paliani auxilium ex Elvetiis & Italis quatuor millia cum nonnullis turmis ex urbe sub Julio Ursino transirent, eisque occurrisset Columna aliquibus copiis, & utrinque commissa pugna ipsos, ad quos prius inclinarat victoria, profligasset, vulnerato & captivato Ursino cum aliis quatuor centum, & occisis centum viginti ex eis, & per ipsos post se dimissis septem signis militaribus, & ex Columnensibus triginta interemptis, & multis aliis vulneratis, & Flaminio egresso Palianum nonnullis copiis, per eas ex Germanis, ibi ad obsidionem degentibus, occisis circiter sexaginta, & nonnullis armentis interceptis, & ductis intus Palianum, Columna ejus copiis, Signia expugnata & direpta, plerisque militibus occisis, eis admotis Paliano, illud obsedit, & dum Galli pedem retulissent Firmum, & Asculum, & ex eis, cum Hispanienses movissent bellum Duci Ferrariæ, ad ejus subsidium nonnullæ cohortes ivissent, & nonnullæ aliæ, dum timeretur, ne Dux Florentiæ, cui Rex Hispaniæ dimiserat Senas, obsideret Montem Altinum, illuc ad præsidium properassent, summus Pont. Ducem Guisanum ad se vocavit Romam, qui illuc una cum Caraffa die secunda Maji profectus fuit; & cum Hispanienses superventis in eorum auxilium tribus millibus Hispanis ex Hispania, & aliis mille ex Sicilia, & per eos dimissis Italis, & expugnatis Aregnano, & Felignano, Aregnanoque direpto, combusto, mœniisque nudato, & etiam recepto Malignano irent obsessum Asculum, ibi ad præsidium ducibus Joanne Antonio Toraldo, & Scipicro, & ibi commissa alia pugna inter Hispanos, & Guasconos, in qua utrinque occubuerint circiter octuaginta, & plures remanserunt vulnerati, & Guasconi, qui erant pauciores, succubuerunt, se conjunxissent Columnensibus, & classis Neapolitana cursitaret ac diriperet littora dominii Ecclesiastici, & Hispanienses, & Columnenses tentata occupatione Romæ, pedem retulissent Columnam, summus Pont. se interponentibus Venetis in gratiam Regis Hispaniæ, ac Cardinale Sanctæ Floris, & Vitelotio Vitellio post gravia damna illata, multa incendia commissa, & levia prælia facta per ejus copias & Hispanienses, plurimorum utrinque cæde in Latio, & dum ibi incolæ fame opprimerentur, motus eorum calamitate inivit pacem cum Rege Hispaniæ die quarta decima Septembris, utrinque captivis dimissis, & quibuscunque occupatis ex dominio ecclesiastico per Hispanienses restitutis ecclesiæ, ac ducibus, & militibus, qui hinc inde militarant, data venia, restitutisque bonis Marco Antonio Columnæ, & Ascanio Cornio,

eis, ac Comite Balnei non tamen receptis in sui gratiam, præter Palianum sequestratum sub custodia Jo. Bernardini Carboni utrinque electi, & data fide per summum Pont. dimittendi partes Gallorum Regis, & ejus jussu dimissis ex carcere Camillo Columna, ac uxore, & fratre præsule, & Juliano Cæsarino, & aliis sequentibus partes Regis Hispaniæ, quos, ut præfertur, carcerari fecerat.

Et Galli in Picardia coacti in unum ex præsidiis, quæ ibi erant, nocte diei sexti Februarii invaserunt, ac tentarunt dolo occupare Aseburgum, & inde irrumpentes Comitatum Atrebatum, illic occuparunt, ac diripuerunt, ac combusserunt Lanceum, & Hispaniensibus arreptis armis per eos sibi resistentibus, ulterius non fuerunt progressi: sed in Gallia Subalpina ex Gallis quindecim millia pedestrium & equestrium mille, Brisacco duce, de mense Aprilis valle Fenaria occupata, illinc dolo eductis Hispanis, ad ejus præsidium degentibus, & plerisque occisis eversa, una cum Clarascho, obsederunt Cunium, & cui, dum ex Hispaniensibus, septem millia pedestrium, quinque centum equestribus Marchione Piscariæ ductore voluerint opitulari, eorum parte subsistente Cunii, ipsis occurrerunt apud Fossanum, & ibi facta utrinque pugna eos profligarunt, ipsorum equestribus tum occisis, tum captivatis, & aliis aufugientibus Fossanum die vigesima octava Junii, & inde Hastam; & ad eorum subsidium Cardinalis Tridentinus Vicarius Regius in dominio Mediolani coactis raptim ibi stipendiariis, & aliis octo millibus evocatis, adversus illos se accinxit inter Piscarium, & regulum Reumagum Gallum, & Georgium Marinquem Hispanum, & procerem Vasonium etiam Gallum, & procerem Milortum, & Anvillam, commisso tunc ex pacto equestre, & singulari certamine lanceis, & Reumago vulnerato per Piscarium in brachio, Vasonio per Marinquem in latere, & occiso, & Anvilla per Milortum in femore equo Milorti vulnerato, & alios Hispanienses, & Gallos etiam equestres diebus sequentibus diverso Marte virtutis in armis ostendendæ gratia. Et Dux Ferrariæ concepta suspicione per eum in Sigismundum Estensem, & Corrigienses, qui recepissent in eorum locis nonnullas cohortes Hispanorum, moto eis bello, exsuit Estensem oppido Sancti Martini, & Corrigienses Corrigio, ac occupavit Nubilariam, & Rolum, & obsedit Guardattallum; & Marchione Piscariæ illuc profecto, & per eum, & Ducem Parmæ & Placentiæ, coactis copiis militaribus, quibus ei moverent bellum, oppugnavit, & dum ad ibi auxilium supervenirent, ad impediendum earum accessum, motis castris & destinata classe fluviatili in eas, inter ipsas ac suas commisso prælio in flumine Padi, in quo multi occubuerunt, illinc abiit: & Dux Parmæ jussu Regis Hispaniæ adversus eum bello prosecuto, ipsius copiis ac Hispanorum, ingressus agros Mutinensium, ac Rhegiensium, ibi incolis grave damnum intulit.

Et Rex Hispaniæ dimissis Senis una cum toto earum dominio, præter Urbitellum ac portum Herculis, Duci Florentiæ, ab eo habita multa pecuniarum summa, coacto exercitu triginta millium pedestrium, & duodecim millium equestrium, tentataque occupatione Roncaroli, ac recuperatione Burgi Mariæ, Henrico, ac Hernesto Pruvincensibus, ac Geldrense Ducibus, & Comitibus Agamontis, Orni, Masfeldi, & Opiani, ac plurimis aliis proceribus, ductoribus, & eorum omnium supremo Præfecto Philiberto Duce Allobrogum, commisso prælio per ejus exercitum cum Gallis apud Roncanicum pari Marte, obsedit Ghisam; & cum Rex Gallorum, sibi etiam indicto bello per Reginam Angliæ, ejus classe cursitante & depopulante littora Normandiæ, adunatis decem & octo millibus

A pedestribus, & octo millibus equestribus, eis occurrisset, Hispanienses dimissa Ghisa, secum conjunctis novem millibus pedestribus, & bis millibus equestribus Anglicis, per ipsorum Reginam ad opem Philippi conjugis sui destinatis, obsederunt Fanum Sancti Quintini, olim Augustam Veromanduorum nuncupatum, Philippo ipso ex Anglia profecto Brussellas, & dum ex Gallis viginti millia pedestrium, & undecim millia equestrium coadunata ad oppidum *Fere*, Ænea Momorantio duce, voluissent ei, ac Gallis ibi obsessis, Bruillo ac Satilione Proceribus ducibus, opem & annonam ferre, ex consilio Comitis Agamoni, eoque bis mil-
B libus equestribus Sequanis, & Hispanis, ac Herneste, & Henrico Ducibus Suessionum bis millibus quinque centum, & octo centum Ferrarolis Masfeldi Comite, & mille Menapiis Comite Orni ducibus, & aliis septem millibus pedestribus sub aliis ducibus, quatuordecim tormentis bellicis, occurrentibus Gallis ad flumen Somæ, propinquum Fano Sancti Quintini, die decima Augusti utrinque facto conflictu fusis Gallis, ex eis occisis circiter sex millibus una cum Joanne Borbonio, & Angiano, & plurimis aliis proceribus, regulis, ductoribus, & tribunis, & multis aliis captivatis una cum Ludovico Gonzaga ex Principibus Mantuæ, vexillis quin-
C quaginta pedestrium, & decem & octo equestrium, & tormentis bellicis curulibus viginti, & decem muralibus, & curribus annona onustis, & impedimentis bellicis cum multo numero equorum post se dimissis, Hispanienses eis potiti prævaluerunt, ex ipsis tantum desideratis circiter mille tercentum cum Bonicotto Hispano magistro castrorum, Masfeldi Comite in femore, & Sandeo in genu vulneratis, cum duobus aliis proceribus Germanis, & reliquis Gallis inde pedem referentibus ad præsidium locorum sibi suppositorum Namurtii Duce eos ducente, regulis Dandalosi, & Sancti Remigii, pluribus aliis proceri-
D bus ac ducibus ingressis Fanum Sancti Quintini, quinque millibus stipendiariis, illuc profecti illud oppugnarunt, & ibi inter illic obsessos ac eos factis multis levibus præliis, in quibus multi occubuerint, ejusque mœniis pluribus in locis quassatis ac apertis tormentis bellicis redegerunt in sui potestatem die vigesima septima Augusti, ac diripuerunt salvis templis, & mulieribus, & earum pudicitia servata, ac senibus, & pueris ex edicto Philippi Regis illuc profecti publicato, ejusque jussu ipsis mulieribus, senibus, & pueris, ac omni imbelle turba curribus impositis, in Galliæ oppida ibi propinqua traductis, & Ger-
E manis, qui erant ad ejus præsidium, dimissis incolumibus, singulo eorum donato aureo pro viatico, ibi captivatis eis Regulis Dandalosi, & sancti Remigii Amirata, ac filio Momorantii cum multis aliis regulis, principibus, & tribunis, ac militibus, & multis aliis occisis; & mox receperunt Casteletum, illuc profecto ad præsidium regulo Solignachi, & dimissis Anglis redire domum, illuc revocatis per eorum Reginam, timentem Angliæ fines infestari per Scotos, se accingentes ad arma adversus Anglos, & sedata discordia inter Germanos & Hispanos orta ob Gallos, quos captivarant, expugnarunt Hunum die decima septima Septem-
F bris, ubi erant ad præsidium reguli Sepulsii & Elli, & mox receptis multis aliis locis in ea regione, & rursus commisso prælio inter eos ac Gallos apud Secusium, in quo multi etiam utrinque occubuerunt, & Galli prævaluerunt, & in eorum auxilium supervent is decem millibus Helvetiis, & totidem Germanis, & ex Italia Principe Guisano exercitu, qui ibi sibi superfuerat, & Principe Omalæ turmis equestribus, & multis Germanis ab exercitu Hispaniense ob stipendium sibi non solutum in castra Gallorum pro-

profectis, & decem millibus ex eis in castra Hispaniensium per regionem Secusianorum Galliæ, ibi per Gallos ac Elvetios, illuc ad præsidium degentes, eo ire prohibitis, & cum Hispanienses essent impares Gallis, & supervenisset hyems, vigeretque aeris intemperies, uterque exercitus ivit ad hyberna, Gallorum duce Principe Guisano ad principium Novembris: Ferdinandus Austriacus per Carolum fratrem transmissis legatis Gulielmo Principe Aurentiorum, Georgio Verualio, & Sigismundo Alerio die vigesima quarta Februarii ad Electores, ut Imperio, per ipsum dimisso Ferdinando, ipsum insignirent ejus corona, per eos, & multos alios Principes Germanos congregatos apud Francumfordium, die tertia decima Martii fuit confirmatus, & coronatus, & mox secum profectus Antobrigam, ibi ad principium Octobris, ad tollendas hæreses religionis Christianæ, cum eis habuit comitia. In Gallia Cisalpina quam plurimi oppressi fuerunt insolita capitis gravedine cum febre, causata ex repentina aeris frigiditate post gravem æstum, & mox sequuta solita aeris temperie ex eis multi perierunt; & Tyberis Romæ die quinta decima Septembris prætermodum illico aquis auctis illam inundavit, & ibi demolitis duobus pontibus, gravique illato damno fere statim relapsus fuit in alveum suum: & Padus, & alia flumina valde creverunt, & grave damnum aquis suis intulerunt, Florentiæ nocte ex incremento Arni nonnullis ibi templis & ædificiis solo æquatis, una cum quatuor pontibus, & in Sicilia, & Aquitania.

A. C. 1558. Anno sequuto Galli, duce supremo Principe Guisano, cum quo erant Reguli à Thermis, Omalæ, & Grandimontis, & Petrus Strocius, die prima Januarii obsederunt Calesium Morinorum juxta mare in Picardia olim, & die tertia Augusti 1347. Gallis Philippo eorum Rege per Anglos Odoardo ipsorum Rege, postquam illud anno obsedissent, ademptum, & expugnatis propugnaculis, ibi erectis ad ejus defensionem per Anglos illud tenentes, ac quassatis & apertis ejus mœniis à tormentis bellicis plurimis in locis, compulerunt in sui potestatem, Anglis, qui ibi erant ad præsidium, dimissis incolumibus præter eorum ducem supremum, una cum aliis quinquaginta ex suis primoribus, quos Galli penes se tenuerunt captivatos, die octava Januarii: & die vigesima tertia, sequentes victoriam, ceperunt, ac demoliti sunt oppidum Chines, illinc egressis novem centum militibus cum suo duce, jam aliis quatuor centum occisis, & deinde receperunt oppidum Nanes, illic ducibus captivatis, & multa alia, quæ ibi occupabant Angli, cum tormentis bellicis sexcentum, ac multa bellicæ materiei & annonæ copia summa cum felicitate; & Rex eorum convocatis multis prælatis, ac omnibus proceribus, & legatis civitatum totius Galliæ in civitatem Parisii, & ibi habitis comitiis pro tuendo & conservando illic Regno suo, & ab ibi incolis & ecclesiasticis habita multa pecuniarum summa, jussit haberi delectum Germanorum, Elvetiorum, & Guasconorum, & Maria Stuarda, Regina Scotorum, die vigesima quarta Aprilis ibi desponsata per Franciscum primogenitum suum Delphinum, inde abiit Calesium, & ibi constituit rectorem Bernardinum Principem à Thermis, & ex ejus exercitu Gallorum pedestrium septem millium, mille quinque centum equestribus secum junctis aliis pedestribus tredecim millibus sub Roncadolpho, Recolcho, Leneburgo filio Reiburgi, & quatuor millibus quinque centum equestribus sub filio Ducis Leneburgi, & Reimbergo Locumtenente unius ex filiis Lantgravii Hassiæ, Germanis omnium duce supremo Guisano, de mense Junii obsederunt, & die quinta oppugnarunt, & vigesima secunda redegerunt in sui potestatem Theumvillam in Lotharingia, ibi factis multis præliis cum Hispanis, & Burgundionibus, qui erant ad ejus præsidium, Comite Orni, & Codarobba ducibus, in quibus Petrus Strocius Florentinus, dux impigerrimus Gallorum Regis, ac multi alii Proceres, & milites utrinque occubuerunt, & mox per eos capto ac mœniis nudato Arlumno, & receptis Villamonte, Chigno, & Rusignolo, obsederunt ac oppugnarunt Lucemburgum, Principe Masfeldi, & Comite Orni ducibus, & ex eis, qui erant ad præsidium Calesii, quinque centum equestres cum quatuordecim cohortibus illud egressi, & secum conjunctis sex millibus Germanis cum tribus turmis Scotorum, Principe à Thermis ductore, iverunt Gravelinum Picardiæ, & illuc prope occupatis nonnullis locis ipsum obsederunt, & ad ejus auxilium profectis quindecim millibus pedestribus, & bis millibus quinque centum equestribus Com. Agamone ductore, & factis utrinque ibi nonnullis levibus præliis, Galli noscentes se impares hostibus pedem retulerunt, & Hispanienses superventis in eorum auxilium navibus Anglicis illic in mare propinquum, & in ipsos facto impetu die tertia decima Julii commissa pugna illos profligarunt, vulnerato & captivato Principe à Thermis una cum Ambosio, & Sinaponte, & Villabono proceribus, & multis aliis ducibus, & militibus, occisisque circiter millibus quinque centum, & multis aliis submersis in flumine ibi propinquo, dum aufugerent, & plurimis vulneratis, & ex Hispaniensibus circiter quinque centum desideratis. Et Princeps Guisanus hac audita strage ex Lotharingia exercitu, quem illic habebat, in Picardiam transivit, & ad finem Julii adversus illos, & apud Pirapontem castra firmavit, illuc tunc appulso in sui subsidium Gulielmo ex ducibus Saxoniæ bis millibus equestribus, & decem cohortibus Germanorum sub Jacobo Ansimburgo, & conjuncto suo exercitui, in quo habuit octo millia equestrium, & supra viginti millia pedestrium ex Germanis, & Elvetiis, & alii Galli duce Namurtii ductore expugnarunt Herbamontem, & multa alia ceperunt ex Ducatu Lucimburgi, ex quibus aliqua Hispanienses dimiserunt, & superventis pluviis Galli non fuerunt progressi, & classe Anglica navium sexaginta Milordo Chitono præfecto, ingressa mare Normandicum, ibi littora infestante, & cum Dux Baleoni illuc ejus copiis in sui auxilium profectus fuisset, illinc abeunte, & mox Flaminga septuaginta navium Præsule Vachanio rectore illuc appulsa, & ex ea egressis militibus in littora Britanniæ, & per eos occupato, direpto, & combusto Conquesto, illisque progredientibus occurrentibus regulo Crescemontis ibi rectore, sex millibus armatis illic coactis, & regulo Tampes Britanniæ multis aliis copiis pedestribus, ac equestribus per eum coactis, inde pedem referentibus ad eorum classem, & illinc super ea domum reversis multa præda.

Et Reges Hispanorum & Gallorum mox inclinarunt ad pacem, dum Rex Hispanorum haberet in armis supra triginta millia pedestrium, & quatuordecim millium equestrium Germanorum, Hispanorum, Burgundionum, Sequanorum, & Italorum, multa copia tormentorum ac rei bellicæ, sub Philiberto Duce Allobrogum, cum quo erant multi proceres, nobiles, ductores, ac tribuni Itali, Hispani, Germani, Belgæ, & Sequani, & Rex Gallorum decem & octo millia equestrium, & triginta millia pedestrium ex Gallis, Suevis, Elvetiis, & Italis, & etiam Germanis apud Pirapontem sub Rege Navarræ, ac multis aliis regulis, proceribus, nobilibus, ductoribus, & tribunis Gallis, ac Germanis, & Principe Salerni, & Ducibus Somæ, & Atri exsulibus Neapolitanis, in domibus Abbatiæ Cercarupii ad fines Picardiæ, & Atrebatum convenerunt ad medium Octobris opera Poli Cardinalis

Anglici, & Christiernæ Ducis Lotharingiæ ad sedandum illud bellum, Cardinalis Lotharingiæ, & Præsul Aurelianensis, & Proceres Momorantius, & Sancti Andreæ cum Claudio Albaspina Scriba à secretis Regis Gallorum pro eo, cum Præsule Alexiæ, Duce Alvæ, Principe Aurentiorum, Comite Miletti, & Virgilio Cebideo ex consultoribus Regis Hispaniæ pro ipso, & propositis uxoribus per Gallos Hispanis Isabella primogenita unigenito Regis Hispaniæ, & Margarita sorore Regis Gallorum Emanueli Philiberto Duci Sabaudiæ, utrinque dimisso exercitu, paci adhuc locus esse non potuit, adversantibus Anglis sibi non restituto Calesio. Et classis Turcarum trajiciens ex Gallia Narbonensi, infensa Gallorum Regi, Ariadeno Ænobarbo Præfecto, Byzantium, cursitavit ac diripuit litora maritima Apuliæ & Siciliæ, ibi quamplurimis captivatis, & secum abductis.

Inter Cremonenses & Brixienses vigente æstate renovata fuit controversia, totiens olim agitata ob possessionem fluminis Ollii, ex quo derivantur aquæ, ad irrigationem agri Cremonensis, & etiam Brixiensis, eis è regione buccæ Navigii Cremonensis in agro Bergomense dirutæ vi & armis per Brixienses, proprio imperio in eorum agrum derivatis in grave damnum Cremonensium, & quæ controversia tandem sedata fuit interventu arbitrum, missis nomine Regis Hispaniæ Venetias ad ibi Senatum & Ducem legatis. Et Rex Hispaniæ reddidit pacem Alphonso Duci Ferrariæ auctore Duce Florentiæ, per eum ejus tertia filia nupta Herculi ipsius primogenito, alia jam nupta Paulo Jordani Ursino. Et Rex Galliæ nupsit Claudiam secundam filiam Caroli Duci Lotharingiæ. Carolus Cæsar die vigesima prima Septembris, & solemnitatis divi Matthæi Apostoli, annorum quinquaginta octo, mensium sex, & dierum viginti septem, & imperii triginta septem, & mensium duorum, & totidem dierum, & Regnorum Hispaniæ, Belgarum, Germaniæ inferioris, utriusque Siciliæ, & Indiæ Occidentalis, facta confessione peccatorum, sumpta Eucharistia è manibus Bartholomæi Mirandæ præsulis Toletani, humili ac puro corde, per eum uti verum & catholicum Christianum in ædibus monasterii divi Justi monachorum Ordinis divi Hieronymi in Hispania, prope Placentiam ibi urbem per septem millia passuum, ex hac vita migravit, post se dimissa fama sanctitatis, plurimis bellis per eum habitis, & fere toto tempore ejus Imperii, & in Germania multis habitis comitiis, & passis incommodis, & longis factis itineribus ad exstinguendam hæresim Lutheranam, quæ duravit toto ipso tempore Imperii sui, & ad ejus gloriam, & Religionis Christianæ conservationem, ejusque cadaver sepultum fuit in civitate Illiberis in sacello, in quo ibi tumulata sunt cadavera Regum Hispaniæ majorum suorum, superstitibus Philippo, & Joanna, & Maria filiis legitimis, & Joanne, & Margarita naturalibus. Et Maria relicta Ludovici Pannoniæ Regis die decima octava Octob. & Eleonora Francisci Valesii Galliarum Regis de mense Februarii sorores suæ, & ad finem Novembris Maria Elisabeth Regina Angliæ, & uxor Philippi Regis Hispaniarum nulla prole post se dimissa, & die decima Decembris, Reginaldus Polus Cardinalis in Anglia obierunt.

A. C. 1559. Anno subsequuto Hernandus Gonzales Cordubensis, Dux Suessæ, Vicarius Regis Hispaniæ in dominio Mediolani, Julio Claro J. C. Alexandrino, & Reg. Sen. Cremonæ prætore, coacto exercitu equestrium & pedestrium in Gallia Subalpina cepit Centale, & expugnavit Montem calvum, & obsedit Casale, & Franciscus Ferdinandus, Marchio Piscariæ, & dux ibi regius, Rovilascum. Et Reges Hispaniæ & Galliæ ad medium Februarii, adhuc eorum ac Reginæ Angliæ legatis in unum conventis, una cum Christierna nepte Cæsaris, & Carolo filio Ducibus Lotharingiæ, eorum opera tandem post longa & gravia bella inter eos ac parentes suos gesta, ac excidia commissa in Gallia Transalpina, Subalpina, & alibi, pacem iniverunt in oppido Cambresii Camaracensis Burgundiæ die tertia Aprilis, utrinque occupatis restitutis, & Isabella filia Regis Gallorum ducta uxore per Regem Hispaniæ dote aureorum quatuor centum millium, & Margarita sorore per Emanuelem Philibertum Ducem Allobrogum dote aureorum ter centum millium, eique restituto principatu Galliæ Subalpinæ, quo exsutus fuerat, & in regimine Flandriæ constituta Margarita uxore Octavii Farnesii, Ducis Parmæ & Placentiæ, sorore naturali Regis Hispaniæ per eum. Viso comete ad finem mensis Maji usque ad diem vigesimam secundam Junii. Henricus Rex Francorum, dum hastiludia, quæ exerceri faceret Parisiis in Gallia ob nuptias Isabellæ filiæ Regi Hispanorum, & Margaritæ sororis Emanuelis Philiberto Duci Sabaudiæ, concurrisset equester hastili cum filio Comitis Gomelii, & principe Langeo Scoto, duce militum destinatorum ad sui custodiam, spacii gratia, ex ictu fragmenti hastilis fracti in eo concursu & ingressu intra oculum galeæ, quam habebat ad faciem, & ibi infixo hora decima nona diei vigesimi secundi Julii anni quadragesimi, & regni sui duodecimi obiit, superstitibus Francisco, Carolo, Maximiliano, Alexandro, & Hercule, & Isabella, & Claudia filiis susceptis ex Catharina Medicæa, filia Laurentii secundi ex Magdalena Bojona Gallica, & Margarita filia naturali, & Franciscus primogenitus annorum quindecim ei successit in regno, sub quo in Gallia Transalpina hæreses Lutherana & Calvina suscitarunt, & valde auxerunt.

Paulus IV. Caraffa summus Pontifex multis decretis per ipsum conditis ad exstirpandas hæreses, quorum aliquibus fuerunt prohibiti multi auctores, qui scripserunt in diversis scientiis, & aliqui aliqua dixerunt in religionem Christianam, & aliqui de ea male senserunt, inter quos multi fuerunt Germani cum libris, qui in Germania impressi fuerunt, & nonnulla adversus eos, qui egressi fuerant cœnobia, in quibus professi fuerant religionem, & in eam redire compellebantur, ejusque nepotibus cum sinistre se haberent expulsis ex urbe, ibi hora vigesima prima diei decimi octavi mensis Augusti tertii anni sexti sui pontificatus obiit, per Rom. tunc arreptis armis, & carceribus apertis, ingressos ædes officii Inquisitionis Hæreticorum, & ibi combustis quibuscunque processibus per ejus Magistratus formatis, & omnibus libris diversorum auctorum illuc allatis, & tentato incendio ædium Marchionis Valensis nepotis sui, statuaque in ejus Pont. honorem in capitolio erecta, dejecta & ignominiose comminuta, ac commissis multis homicidiis, rapinis, & aliis delictis. Et Jo. Angelus de Medicis Mediolanensis presbyter, Cardinalis tit. sancti Stephani, in Cælio monte per Cardinales ingressos conclave die quinta Septembris electus fuit summus Pont. nocte diei Natalis gloriosissimi Dominici, & Pius Quartus nominatus, & qui ex mente, & cum interventu sacri collegii Cardinalium sanctæ Rom. Ecclesiæ Francisco Turriano penes eum pro Ferdinando Austriaco Oratore, confirmavit eum Cæsarem nunquam approbatum per ejus prædecessorem, prætendentem jus devolutum fuisse ad sacram Sedem Apostolicam Imperium conferendi cuicunque voluisset, & nec Carolum olim Imperatorem, cum ipsum deposuisset, potuisse illud conferre fratri, & nec confirmari per ejus Electores, ac Principes Germanos, præter mentem & ordinem ipsius prædecessoris, ac sacri collegii Cardinalium Rom. Ecclesiæ.

Anno

A. C. 1560. Anno 1560. ortus Dominici Nicolao Sfondrato Cremonæ episcopo, ob assignationem de ejus episcopatu factam per Federicum Cæsium Cardinalem, eamque die quarta Julii prius ingresso, & per ipsum die Dominica septima celebrata missa solemni in Ecclesia ibi Cathedrali, & Julio Claro J. C. Alexandrino, & Reg. Senatore, adhuc illic Prætore, & per Ducem Suessæ, Vicarium Regium in dominio Mediolani, ibi sibi substituto Francisco Ferdinando Avalo Aquinate, Marchione Piscariæ, & cujus scriba fuit à secretis Franciscus Locatellus Cremonensis, litteris Latinis eruditus, & graphice scribens, & qui, dum Davalum factum proregem Siciliæ, secutus fuerit, eo ibidem mortuo, illic subsedit, ibi Magistratum gerens, ducta uxore ex ibi incolis opulenta, & ejus frater Vincentius, insignis Architectus, ob ejus eximiam artem fuit in maximo pretio apud Henricum olim Regem Francorum, & Arnandum Alvarezzum Ducem Albæ in Hispania, & per ibi Regem constitutum rectorem, & ducem supremum in Gallia Belgica, & regionibus ibi propinquis sibi suppositis, & cujus opera Rex in regno suo, & Dux in eis regionibus usi fuerunt in ibi construendis propugnaculis, & muniendis, & vallandis civitatibus, & oppidis adversus illic rebelles & hostes suos. Cremonæ, & in ejus agro, & regionibus vicinis, gravis annonæ penuria viguit, causata ob uredinem, & multas pluvias, quibus crevit flumen Padi, & inundavit partem inferiorem territorii Cremonensis, & agros Mantuanos, & Ferrariensium. Inter Cremonenses & Brixienses adhuc suscitata controversia ob flumen Ollii, & sedata.

Nostris auspiciis Regis Hispaniarum Duce Medinæ, prorege Siciliæ, ductore, solutis velis ex insula Melitæ post multa infortunia, ac pericula maritima, ac mortem multorum militum ac nautarum, cum impediti procella maritima non potuissent trajicere Tripolim, appulsi Meningem insulam, nunc Zerbi, distantem per octuaginta millia passuum à Tripoli, & à Melita ducentum octuaginta, die secunda Martii, & ibi commissis nonnullis præliis cum Arabibus & Numidis, & hinc inde paucis desideratis, & ejus Principe sponte se eis permittente die tertia decima Aprilis, ipsam receperunt, & ibi constructo propugnaculo, & munito præsidio quinque millium pedestrium, illinc dimissis mulieribus, & aliis imbellibus circiter mille, sub Alvaro Sandeo duce impigerrimo, & Michaele Bajono, & Antonio Oliverio, Hispanis aliis inde abire intendentibus in Italiam super classibus, intellecta profectione in eos classis Turcarum, eaque octuaginta quinque triremium, & aliorum navigiorum, super quibus forent duodecim millia pedestrium, & multæ turmæ equestrium sub Pialo, ac Suillo ejus locum tenente, ex Byzantio superventa eis, & Caracosa Mitylineo, & Draguto archipiratis, rectoribus, & inter ipsos, ac eorum & Hispaniensem classes, ac Turcas, & Arabes, & Numidas sex millium secum conjunctos, & Hispanienses commissis quamplurimis levibus præliis tum mari, tum terris, ac oppugnato & concusso tormentis bellicis, & recepto die ultima Julii propugnaculo per hostes, dum Hispanienses in eo degentes carerent lignis & aquis, & opprimerentur omnium rerum penuria, viginti septem triremibus, & quatuordecim navibus classium Hispaniensium, & plerisque Siculæ interceptis, & ex Hispaniensibus tum occisis, tum submersis, tum ex morbo amissis supra quinque millia cum multis proceribus, & tribunis Hispanis, & Italis, ac captivatis Castono filio proregis, ac præsule Majorcæ, Sandeo, & Santio de Læva, reliqui inde compulsi fuerunt inde abire, & redire in Italiam, gravi strage recepta, ex infidelibus quoque desideratis supra novem millia ex illis, qui erant super eorum classe, & conductis Hispaniensibus Byzantium ad eorum Imperatorem, & ex ejus jussu carcerato Sandeo cum ejus presbytero, & unico famulo in turri ibi nuncupata maris nigri. Jo. Baptista Schitius, excellens J. C. Cremonensis, & Reg. Senator, ex familia antiquissima Oldroanda, denominata à Jacobo Oldroando nuncupato Schizza, qui vixit circa annum 1177. & rexit incolas vicorum Bordolani, & & Pratibissi, nunc Vicecomitum, & dimisit post se sex filios, à quibus processit familia nuncupata Schitia, decessit in Gallia Belgica, dum ibi foret penes Regem Hispaniarum, tunc illic degentem Orator pro toto dominio Insubrum, & per ipsum ob ejus doctrinam, & mores receptus fuerit inter suos consultores, & pro eo intervenerit inter alios ad pacem anno præcedente contractam per ipsum cum Rege Gallorum: ejus sepulcrum Bruxellis in Ecclesia Cathedrali cum hac inscriptione visitur:

D. O. M.
IO. BAPTISTAE SCHITIO CREMONENSI
VIRO CLARISS. QVI INTER MEDIOLANENSES PRIMVM SENATORES DEINDE
INTER PRIMOS CAR. V. AVG. ET REGIS
PHIL. EJVS FILII CONSILIARIOS. CVM
INTEGRITATIS, FIDEI, ET PRVDENTIAE
GLORIA, PER QVINQVENNIVM VERSATVS EST FRATRI BENEMERENTI FEDERICVS FRATER MOESTISS. P.
OBIIT BRVXELLAE OMNIBVS MAXIMVM
SVI DESIDERIVM RELINQVENS AN. AGENS XLVIII. ID. FEB. M. D. LVIII.

Et Marcus de Paulis, cognominatus Tartesius, Rhetor clarissimus, & qui Cremonæ publice docuit litteras grammaticales & humanitatis, superstite Francisco excellente Physico, patre Hieronymi, etiam Physici.

Anno altero, Hieronymo Montio J. C. Mediolanense, Regio Senatore, Cremonæ prætore, summus Pont. Carolo Caraffa Cardinale tituli sancti Viti, & Joanne ejus fratre Duce Paliani, ob eorum demerita damnatis, & Romæ nocte præcedente diem sextam Martii ultimo supplicio affectis, indixit, & inchoari jussit Concilium Tridenti, ob id transmissis diplomatibus ad quoscunque prælatos, & Principes Christianos, & destinato Tridentum ad aperiendum ipsum Concilium Antonio Capilucho, legato Apostolico apud Venetos. Et Gabriel Faernus litteris Latinis valde eruditus, & poesi conspicuus, Romæ die decima septima Novembris periit, dum ibi ob ejus doctrinam & mores dilectus sum. Pont. inter ejus familiares degeret, & haberet custodiam bibliothecæ Vaticanæ, multis prosa & carmine eleganter compositis, per eum post se dimissis, & pro parte impressis. Et inter horam quartam noctis præcedentis diem etiam quartam ejusdem mensis ex hoc seculo abiit Joannes Musonius, ex vico Rupis Jani, Rhetor clarissimus, & qui Cremonæ docuit publice litteras grammaticales & humanitatis. De mense Septembris noctu circa primam vigiliam visum fuit cœlum ardere longo & lato spatio ad occasum Solis, & Aquilonem, & in eo esse exercitum instructum, & divisum inter acies militares equestrium & pedestrium, properantem ex Italia in Galliam Transalpinam maximo omnium stupore. A. C. 1561.

Anno sequente, durante Synodo Tridenti, ad fines Italiæ & Germaniæ, illuc convenerunt ex Urbe, ac Italia, Hispania, Pannonia, Polonia, Boemia, Gallia, & aliis partibus orbis, bene sentientibus de religione Christiana, quamplurimi præsules, prælati, religiosi cujuscunque ordinis, Theologi, ac J. C. ac Legati Cæsaris, ac Regum Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, & Poloniæ, & quamplu- A. C. 1562.

Plurimorum Principum, & civitatum liberarum, & alii, & ibi Legatis Apostolicis pro summo Pont. Hercule Gonzaga tit. sanctæ Mariæ novæ Mantuano, Hieronymo Seripando tit. sanctæ Susannæ Neapolitano, & ex religiosis Heremitarum divi Augustini, Stanislao Osio tit. sancti Nicolai, & episcopo Vermiense Polono, & Marco Altempso tit. duodecim Apostolorum Germano, Cardinalibus sanctæ Rom. Ecclesiæ, factis plurimis Sessionibus, & disputationibus, condita fuerunt quamplurima decreta salubria, pertinentia ad religionem Christianam, & extirpandas perfidas hæreses, adhuc debacchantes in Anglia, & tota fere Germania, & quæ prosilierunt in Gallias Transalpinas, ibi suscitato novo nomine hæreticorum se appellantium *Ugonottos*, & quorum hæresi fuerunt pene omnes ibi incolæ infecti, eorum fautoribus Antonio Borbonio Duce Vindunciense, marito Joannæ filiæ Henrici Albreti ex Margarita Valesia Regina Navarræ, & Carolo Principe Decondeo fratribus, & quamplurimis aliis principibus, & proceribus Gallicis, per illos eorum duce supremo Decondeo assumptis armis in ecclesiasticos & Catholicos, ac occupatis urbibus Aurelianense, Rothomagense, Lugdunense, & quamplurimis aliis ibi urbibus, oppidis, & locis etiam auxilio Anglorum, & aliquorum Germanorum sibi adhærentium, & ibi templis, ac cœnobiis demolitis, illinc, & ubique imaginibus, ac statuis Redemptoris nostri, B. Mariæ Virg. ac Sanctorum abrasis & fractis, & reliquiis Sanctorum ibi repertis dissipatis, ac sacramentis aquarum baptismatis, Eucharistiæ, & olei sancti profanatis, bonisque quibuscunque ecclesiasticorum & catholicorum direptis, & multis utrinque commissis præliis in diversis ibi locis, in quibus infiniti occubuerunt, & incendiis, & licet ad sedandam eorum hæresim, ac seditionem impiam Carolus Maximilianus ibi Rex, ac Catharina Medicæa ejus mater, & alii Principes, & heroes bene de fide sentientes, omnem operam præstiterint, & auxilio Philippi Regis Hispaniæ per eum dimissa Navarra urbe Duci Vindunciensi, ut hæreticos illos compesceret à tam immani furore, nihilominus omnia frustra fecerunt, ut necesse fuerit Regi Gallorum ad illam coercendam, & pro tuendo regno suo habitis etiam copiis auxiliaribus à summo Pont. ex urbe, ac Italia, ac Rege Hispaniæ ejus sororio ex Hispania ac Gallia Cisalpina arma assumere, & cogere exercitum equestrium & pedestrium sub Francisco Guisano, ac Ænea Momorantio ducibus supremis adversus illos.

Maximilianus, primogenitus Cæsaris, Rex Boemiæ, habitis comitiis in ecclesia sancti Bartholomæi, Francoforti in Germania per omnes Electores, ac Principes ipsius, fuit electus Rex. Rom. die vigesima quinta Novembris, & die trigesima corona insignitus multa pompa ac lætitia, assistentibus legatis Ducum Ferrariæ ac Mantuæ, & Ferdinandus pater suus fecit inducias cum Imperatore Turcarum per octo annos, in ejus gratiam per ipsum dimisso Alvaro Sandeo penes eum Byzantii captivo, & profecto Viennam, una cum Joanna Guzamanna ejus uxore.

A. C. 1563. Anno sequuto, Cremonæ prætore Thoma Odeschalco J. C. & Regio Senatore, illuc die vigesima prima Decembris Rodulphus & Hernestes, ex filiis Maximiliani Cæsaris, ex Austria in Hispaniam ad ibi Regem avunculum suum per eum accersiti, proficiscentes per Italiam una cum Othone Hetrusco, Cardinale tit. sanctæ Sabinæ, & præsule Augustæ Vindelicorum, illuc diverterunt. Et die vigesima quarta solutum fuit Concilium Tridentinum, quo multis ibi factis sessionibus & disputationibus quamplura decreta renovata fuerunt, quæ in Conciliis antiquis probe, ac prudenter, & utiliter per Reverendiss. Patres, ac Sanctissimos Pontifices Sac.

A & Catholicæ Ecclesiæ condita fuerant, & abierant in desuetudinem, & condita multa alia ad conservandam religionem Christianam, & exstirpandas impias hæreses in Anglia, ac fere tota Gallia, & Germania debacchantes, ac tollendum abusus, & malos mores, quibus infecta fuerat Resp. Christiana tam circa sacramenta, quam pios usus ecclesiæ, Joanne Morono tit. in Lucina, & Ludovico Simoneta tit. sancti Quiritii Cardinalibus legatis, & præfectis Apostolicis ad ipsum Concilium, Hercule Gonzaga ex regulis Mantuæ, & Cardinale tit. sanctæ Mariæ, ibi jam vita functo. Paulus Ala, subtilissimus legum interpres Cremonensis, Mediolani B hora duodecima diei Dominicæ quarta mensis Januarii, dum ibi esset ex illustribus Senatoribus Serenissimi Regis Hispaniæ, obiit, ejusque cadaver conductum fuit Cremonam, & ibi in ecclesia Cathedrali sepultum fuit in sepulcro majorum suorum juxta altare illic dicatum divo Michaeli archangelo, & erectum per eos majores suos, cum hujusmodi inscriptione:

D. O. M.

PAVLO ALAE QVI OB IV. CI. EXIMIAM PRVDENTIAM IN SENATVM MEDIOL. COOPTATVS EVM MAGISTRATVM EA FIDE GRAVITATE ABSTINENTIA CASTE INTEGREQVE ET AD PRISCAE PROBI- C TATIS LAVDEM GESSIT VT LONGE MAJORES A REGE SPERARE DEBVISSET, SED HEV DVM REIP. DIGNITATI ENIXE PRIVATORVMQVE COMMODIS BENIGNE STVDET SVIS PARVM CONSVLENS PERDITA VALETVDINE DIV VSVS VITA CESSIT SVO MAGIS QVAM ALIOR. TEMPORE VIX. ANN. IL. M. X. CIVITAS CR. DECRETO SEPVLCRO SVMPTV PVB. CIVI B. M. PARENTAVIT.

Et ex fratribus suis fuerunt Benedictus excellens Ma- D thematicus, & Daniel, Jo. Baptista, & Jo. Petrus ex inclitis tribunis militum ejusdem Serenissimi Regis in Italia decessit. Et Franciscus Petreus Niger, pariter Cremonensis, & clarissimus orator, & vates, & litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis peritus Mediolani, dum esset ibidem ex Scribis, ac supremis apud illic excelsum Senatum Serenissimi Regis Hispaniæ.

Anno subsequuto, Gabriele de Cueva, Duce Al- A. C. 1564. burquerquæ, Hispano rectore in dominio Mediolani, Ferdinandus Cæsar die quinta Julii Viennæ Austriæ ex hac vita migravit anno imperii sui quinto, & mense decimo fere expleto, & electionis suæ trigesimo quarto, & ætatis annorum sexaginta, & E mensium decem. Orta controversia inter legatos Regum Hispaniæ & Galliæ Romæ penes summum Pont. cum alter alterum vellet præcedere in pompis, & aliis, quibus contingeret ibi adesse, summus Pont. declaravit debere præcedere legatum Regis Galliæ sub fundamento, ut creditur, quod præcessores Regis Galliæ statum Rom. Ecclesiæ, ac religionis Christianæ valde auxerant, & pro eo conservando & ampliando multa bella obierint, & præclara facinora egerint adversus infideles, & alios, qui ipsum opprimere voluerint, & Galliæ Regnum sit antiquius Regno Hispaniæ, & Galli prius Hi- F spanis fidem Christi receperint, quamvis Rex Hispaniæ plura habeat Regna, & sit potentior Rege Gallorum, & ob id per Hispanos concepto odio in summum Pont. ac Gallos revocatus fuit legatus Hispaniæ Regis in eam cum aliis ibi ejus ministris. Et ejus classis centum tredecim triremium, & centum navigiorum majorum, & aliorum minorum, ac triremis præaltæ Regis Lusitaniæ, super quibus erant duodecim millia Italorum, Hispanorum, & Ger-

Germanorum cum multis proceribus trajecturis in Africam, ibi expugnavit, ac redegit in sui potestatem infra triduum de mense Augusti propugnaculum nuncupatum Pignonum, non multum distans ab Algerio è regione Calpensi, ibi quamplurimis ex infidelibus, qui illud tenebant, & aliis ad ejus auxilium profectis, occisis, & ex Regiis quatuor tantum desideratis, & nonnullis vulneratis, & Mauri, & Arabes obsederunt ac oppugnarunt Oranum, & illinc per Hispanos, qui ibi erant ad præsidium, repulsi fuerunt. Et inter horam quintam & sextam noctis præcedentis diem vigesimam tertiam Decembris, & per biduum antecedens prolapsa ab aere multa nivis copia fuerunt præter morem ac statum temporis tonitrua procellosa cum fulguribus. Hieronymus Regazola Cremonensis satis edoctus litteris grammaticalibus & humanitatis, & ingenii mirabilis, & ad omnia versatilis, comes & compater meus Venetiis, dum ibi esset ex supremis scribis Tribunorum, & Advocatorum Fisci publici in toto dominio Venetorum, ex hoc seculo abiit de mense Martii, & etiam die septima Julii Philippus de Nicolis ex oppido Castrileonis agri Cremonensis, olim ex excellentissimis scribis à secretis Caroli Quinti Rom. Imperatoris, coram quo, & Clemente VII. summo Pont. Cardinalibus, & prælatis, ac principibus, & nobilibus, & aliis congregatis in mane diei vigesimi quarti Februarii 1530. in ecclesia cathedrali divi Petronii Bononiæ habuit orationem elegantem Latino sermone, & mox ex quodam humore melancholico demens factus, per Carolum Augustum dimissus rediit Cremonam.

A. C. 1565. Anno 1565. ortus Dominici, Patriarcha Alexandrinus in Ægypto ex Thebaide destinavit legatum Romam ad summum Pont. ad promittendum ei obedientiam, cum biennio antea Amplisius Patriarcha Assyriorum Orientalium illuc ad eum profectus fuerit, & ad ejus genua provolutus ei solemni juramento promiserit etiam obedientiam, & omnium Conciliorum œcumenicorum, præsertim Tridentini novissime facti, statuta & decreta suscipere, & suos omnes sibi subditos docere, & per eum, ac presbyteros, ac diaconos, quos secum habebat, vestimentis, & aliis ad eorum sacerdotium pertinentibus, & viatico habito à summo Pont. rediit in Assyriam ad ejus sedem, quam habet in civitate Muratii de mense Martii. Et in eum summum Pont. facta fuit conjuratio per Leonardum Acoltum Aretinum, Antonium Camissam, Prosperum Pictorium, & Antonium Manfredum Pelliparium à toto dominio Veneto proscriptum ob nummos adulterinos, per illum excussos, qua occidi debebat summus Pont. ex instigatione Acolti per alios proditores pugionibus, promissis per eum alio sanctissimo & angelico summo Pont. ei surrogando profecturo Romam ingenti numero piorum, & fidelium Christicolarum illico, ut ajebat, promisso etiam Camissæ dominio Papiæ, Pellipario Cremonæ, & Pistorio Aquilejæ; & cum ex gratia omnipotentis Dei nequaquam ausi committere tam grave scelus, discordes remanserint, Acoltus, Pistorius, & Camissa de eo crimine accusati per Pelliparium, capti fuerunt, & ultimo supplicio affecti.

Et Turcarum Imperator indignatus in religiosos Equites divi Joannis, incolentes Insulam Melitæ, Africam & Siciliam interjacentem juxta mare Africum in Tingitana nunc Numidia, intendensque eos delere, ac Melitam Insulam, ac ibi urbem, & propugnacula ipsorum sedem diruere, quia propinquum suum cum uxore ex Africa Byzantium per Rubeam illius uxorem vocatum, & per fretum Africum ad eam trajicientem occidissent, instructa classe, ac suo exercitu recensito die prima Aprilis in Insula Tesia, seu Tiresia, juxta Byzantium per lapides decem, illuc edicto publicato ire prohibitis

A quibuscunque Christiani nominis sub pœna ultimi supplicii, movit bellum ipsis Equitibus, jussis Mustapha supremo rectore sui exercitus viginti octo millibus sex centum ex suis militibus magis electis, & Piali, & Draguto regulo Tripolis in Africa, & archipirata, ac Narceto centum quadraginta duabus triremibus, & aliis triginta novem navigiis onerariis, onustis plurimis tormentis ac impedimentis bellicis, ac ingenti annonæ copia, ac materiei bellicæ, trajicere in Melitam Insulam, eamque una cum Arabibus, ac Numidis, & aliis sociis Turcarum in Africa sibi junctis diripere, ac ferro & igne subvertere, ejus civitate ac propugnaculis ibi expugnatis. Et Mustapha Alibascia, & Piali Amirata

B classe die decima quinta Maji illuc appulsi, & ibi die decima octava Portu Masirocci occupato, & ex classe expositis in terris classiariis viginti millibus, & superventis ex Alexandria Ægypti sex triremibus, super quibus erant pedestres novem centum, ex Tripoli Draguto tredecim triremibus, super quibus erant sex centum, ex Leochupetia Syriæ decem, super quibus erant octo centum, & ex Algerio viginti sex, super quibus erant bis mille ducentum, eis, ac Numidis, & aliis infidelibus illic coactis obsederunt die vigesima quinta propugnaculum sancti Hermi, ibi constructum in loco sublimi,

C & juxta ibi urbem, eoque sexies mari ac terris oppugnato, ipsiusque apertis mœniis cum globis ferreis ex tormentis bellicis triginta duobus, illuc conductis, in ea emissis, & cum equitibus, & aliis militibus mille quatuor centum, qui ibi erant ad præsidium, commissis multis & frequentibus præliis die ac nocte, in quibus plurimi utrinque occubuerunt, una cum Draguto & multis aliis satrapis Turcarum, expugnato ac solo æquato die vigesima tertia Julii, ibi ex Equitibus centum triginta, & aliis ibi militantibus ad præsidium degentibus, & qui eorum manus aufugere nequiverunt mille centum septuaginta inhumaniter occisis; & die quinta Julii ad-

D motis reliquis copiis tormentis bellicis septuaginta oppido, & burgo sancti Michaelis ibi urbis, eisque vallis circundatis, & duodecies, & ultimo loco die vigesima prima Augusti ipsum oppugnarunt, & ejus muris fere solo æquatis, Equitibus & aliis militibus, ei illic ad præsidium, viriliter resistentibus, & cum Turcis & aliis infidelibus continuo congredientibus, Joanne Valeto nobile Gallico Equitum supremo moderatore: & tunc temporis per quatriduum horis vespertinis Byzantii conspectis è cœlo flammis igneis vibrare in ædes ibi imperiales, & mox triduo sequente comete horribili super ædes Constantini, olim ibi Imperatoris, & in au-

E xilium obsessorum superventis die prima Septembris triremibus septuaginta duabus ex classibus Regis Hispaniæ, Ducum Florentiæ, ac Sabaudiæ, ac Ligusticæ, super quibus erant decem millia pedestrium electorum tum ex Italis, tum Hispanis cum ducentum ex eis Equitibus Melitensibus, & quadraginta sancti Stephani sub Garsia Toletano prorege Siciliæ, cum quo erant multi alii proceres ac nobiles, tum Itali, tum Hispani, Turcæ & alii infideles omissa obsidione Burgi, quem intendebant totis viribus expugnare, conscensa eorum classe, & Italis bis millibus, & Hispanis quinque millibus quinque centum, & ex eis equitibus ducentum, &

F nautis tercentum ad sacrum Junonis egressis ipsorum classem, & Turcis, & aliis infidelibus sex millibus egressis illorum classem occurrentibus die undecima Septembris, & utrinque prælio congressis, ipsis profligatis, ex illis occisis circiter mille octo centum, & quatuor centum submersis in undis maritimis, dum per Italos ac Hispanos compulsi ad eorum classem aufugerent, nocte sequente valde territi illinc abierunt, dimissis post se viginti quatuor tormentis bellicis, & multis aliis impedimentis, & ex

ex illis viginti sex millibus sex centum quinquaginta quatuor tum ferro, tum morbo exstinctis, & ex Equitibus, & aliis, qui erant cum eis circiter novem millibus, inter quos fuerunt filius Garsiæ, & tercentum tredecim equites, ex quibus remanserunt octuaginta vulnerati, & triginta incolumes ex mille, & Toletano septuaginta triremibus illos insequente appulerunt Lepantum Peloponnesi; & illorum Imperator gravius indignatus in eos Equites, decrevit adversus ipsos anno proximo totis viribus bellum instaurare, quibuscunque templis Christianorum, ac synagogis Judæorum ubique in Imperio suo jussis demoliri, eisque ac Christianis quibuscunque illic habitantibus militare coactis, seu pendere stipendium Turcis, & aliis militantibus pro eo, ex monitu & instigatione illius sacerdotum, asserentium præter votum res sibi infeliciter cessisse, & has clades evenisse, quia pateretur ibi degere tam diversas religiones.

Mediolani habita fuit Synodus per Carolum Borromæum, tituli sanctæ Praxedis Cardinalem, & majorem Pœnitentiarium, & legatum Bononiensem sanctæ Rom. Ecclesiæ, & ibi præsulem, & alios episcopos ac prælatos provinciæ suæ, in qua condita fuerunt multa salubria decreta ad reformandos mores, & ritus ecclesiasticos, & tollendum abusus, qui in Ecclesiam Rom. irrepserant. Et Cremonæ ad augendam & conservandam religionem, & doctrinam Christianam juxta dispositionem decretorum Synodi Tridentini anno præcedente stabilitæ, inchoatæ fuerunt scholæ erudiendi pueros & puellas in aliquibus ecclesiis ipsius, & suburbiorum, & etiam episcopatus diebus festivis, à prandio articulis fidei, & præceptis sanctæ Rom. Ecclesiæ, & bonis moribus, & doctrina Christiana per viros & mulieres seculares mediocris generis pro eorum congregatione, ipsis mox concessa ecclesia parochiali divi Christophori. Pius IV. summus Pont. una cum Rege Hispaniæ, & supremo moderatore Equitum Melitensium, intellecta impia mente Turcarum adversus eos, ad defensionem Melitæ convenit habere delectum pedestrium sexdecim millium, ex quibus haberent stipendium tria millia ex ærario Apostolico, octo millia à Rege, & reliqui à supremo moderatore. Et hora vigesima secunda diei noni Decembris mensis undecimi anni sexti sui pontificatus, & ætatis annorum septuaginta septem, mensium quinque, & dierum duorum, ex hac vita migravit, creatis quinquaginta quatuor Cardinalibus, & fere ex omni natione Christiani nominis, & multis ex Gallia Cisalpina, inter quos fuerunt septem ex Mediolano patria sua, & duo sui nepotes, quos multum ditavit ex ære Apostolico, & vita functis triginta quatuor, & ex creatis per eum Federico Gonzaga presbytero, & erecto Ordine religiosorum militum ducentum piorum nuncupatorum, quos decoravit multis privilegiis. Viguit grave frigus inchoatum de mense Decembris, quo multis in locis vites & aliæ arbores aruerunt, & mox secuta fuit ingens fluminum inundatio, & præsertim Danubii & Rheni, qua agris & ædificiis eis propinquis grave fuit illatum damnum, & in Germania sævit pestis, qua infiniti hoc anno & duobus sequentibus perierunt, & dura fames in multis partibus Europæ, qua aliqui sibi inferre manus compulsi fuerunt. Et in Liguria prope Nicæam aliquot vici repentino hiatu absorpti fuerunt, ut eorum nulla vestigia superfuerint.

A. C. 1566. Anno altero, prætore Cremonæ Camillo Porro J. C. Mediolanense, & Reg. Sen. Michael Ghiselerius presbyter, Cardinalis tit. sanctæ Mariæ super Minervam, & creatus per Paulum IV. olim summum Pont. die duodecima Martii 1557. & Ordinis Prædicatorum de observantia divi Dominici, ex oppido Boschi diœcesis Alexandriæ Galliæ Cisalpinæ, modicis parentibus natus, per quinquaginta quinque Cardinales, ingressos conclave nocte præcedente diem vigesimam secundam Decembris, & inter quos non fuerunt Galli, & ibi mortuo Francisco Gonzaga presbytero Cardinale tit. sancti Laurentii in Lucina, fuit creatus die Lunæ septima mensis Januarii, & solemnitatis divi Christophori auspiciis præsertim Alexandri Farnesii episcopi Tusculani, & sanctæ Rom. Eccl. Vicecancellarii, summus Pont. & Pius V. nominatus: qui multa edidit decreta ad componendum mores, & reprimendum luxum ecclesiasticorum, & ad tollendum abusus Laicorum, & adversus impudicas mulieres, & Hebræos dominii ecclesiastici, ex quibus Eliam Romanorum Hebræorum Synagogæ præpositum cum tota familia, & alios ultra tercentum baptizavit; & dum tribus diebus in mane rogationes obierit Romæ pedibus nudis, & aperto capite, & junctis manibus, & contrito corde obsecrando omnipotentem Deum, & demoniacam ei oblatam, & quæ valde ejulans à nullis teneri posset, ab eo ter signo crucis benedictam in prima rogatione; & in secunda tres alias, ex quibus una ignobilis per aliquem ecclesiasticum liberari non potuerat; & tertia rogatione aliam liberavit, & multos alios, qui oppressi erant diuturnis & incurabilibus morbis extra eas rogationes ab illis sola ipsius benedictione in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis facto signo crucis, sibi data ad hæc ob ejus eximiam bonitatem potestate per omnipotentem Deum. Et Matthæus Raparius Cremonensis fuit ejus pocillator, & ob ejus puritatem ac sinceram fidem, ipsius auspiciis assequutus fuit honores ac proventus magnos Ecclesiasticos, & factus nobilis, & Senator Rom. Plerique populares Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ, Annoniæ, Hollandiæ, Frisiæ, Namurci, & Geldriæ infecti hæresibus Lutherana, Calvinista, & Anabaptistarum, dum Philippus Rex Hispaniæ, eorum dominus, datis litteris Margaritæ sorori suæ ibi rectrici, imposuisset, ut pro conservatione ibi fidei Catholicæ per eorum incolas observari faceret edicta Serenissimi Caroli Cæsaris ejus patris, & per ipsum confirmata, ac decreta Concilii Tridentini ad cleri reformationem; & fuissent suspicati, ne adversus eos vellet introduci facere Inquisitionem hæresis observatam in Hispania, incitati per doctores illarum hæresium, ac concionatores, armis arreptis irruerunt in templa Antuerpiæ, Gandavi, Brugiæ, Trajecti inferioris, Valenzanæ, Tornaci, Ipræ, Ondiscorii, Alderandi, Bergiæ, Cassovii, Buscovii, Mechliniæ, Hostedelavii, Balioli, Amstelodami, Armenteriæ, multarumque aliarum urbium, oppidorum, vicorum, & pagorum earum regionum multa cum sævitie, domibus ibi Catholicorum & religiosorum direptis, eversis, ac profanatis, simulacris divinis abrasis, & prostratis, & baptismate, & oleo sancto, & chrismate venerabilibus sacramentis turpiter abjectis, & pedibus conculcatis, ac ossibus & reliquiis illic sanctorum asservatis, dissipatis, & Catholicis, & ecclesiasticis sibi resistentibus tum occisis, tum vulneratis, ac aliquibus ex eis captis, & cruciatis, & martyrio affectis, & monialibus stupratis. Et cum Margarita ipsa rectrix conscriptis nonnullis copiis militum sub Comitibus Egmondano, & Mendano, & Principe Aurentiorum, & aliis Principibus, regulis, proceribus, & ducibus Catholicis, & sequentibus partes regias, adversus illos eis arreptis armis obstitissent, Bucsolenses, Rugienses, Lovanienses, Dordoncienses, Montenses, Alostani, Teveremondani, Curtacenses, Tornanenses, Ducreatii, Gandavenses, Arilimenses, Novomagenses, Devavabrovenses, populi earum regionum, sequentes partes Regias, aliquantisper sedati fuerunt, obsessis Valancenis, & nonnullis ex ipsorum concionatoribus captis, & ultimo supplicio affe-




MARC HIERONYM.
VIDA,
CREMONEN.
Albae Episcopus.

affectis. Et Philippus Rex Hispaniæ conscriptis quatuor legionibus Germanorum per Paridem & Felicem Lodronios, Jo. Baptistam de Archu, & Annibalem Altempsum ductores suos, ex eis decem cohortes destinavit ad præsidium propugnaculi Goletæ in Africam, & reliquas triginta ad præsidium Insulæ Melitæ, & civitatum & oppidorum Galliæ Subalpinæ.

Et Solimanus Imperator Turcarum perventis in lucem proditionibus, quibus ei prodebantur Trieste & Gradisca in Istria Imperii Rom. Brundusium in Apulia Regis Hispaniæ, & Savona in Liguria Genuensium, cum intellexisset Melitam insulam esse munitam præsidio militum, ac annona & materie bellica, & vallis, & muris, ac propugnaculis, jussit Pialim Illyricum ejus classis præfectum ipsa octuaginta triremium, & aliorum navigiorum Apuliæ, Calabriæ, Samnitumque littora cursitare, depopulari, ferroque & igne diruere, & per illum regione maritima Samii, & finitima concursata, & illic interceptis & direptis Ortona urbe, ac oppidis Franchæ villæ, Sancti Viti, Montis Susii, Ripæ, Clusii, Termularum, Casalis, Frontonii, & multis aliis ibi incolis, militibus, ad eorum præsidium degentibus, non ausis secum congredi, & oppugnato Vasto, & mox dimisso; & cum appulisset ad insulam Diomedeam, habitatam per Canonicos Regulares divi Augustini, eis illinc repulsis audacter per milites, qui ibi erant ad præsidium, superventaque tunc procella maritima ex classe ipsa submersis sex triremibus, super quibus reperta fuerunt sexdecim tormenta bellica, ex quibus unum habebat insigne Caroli Cæsaris, & ad Seram Capriolam cadente filio spurio Solimani ulnarum undecim, & mox cursitatis maritimis Calabriæ & finitimis, & per piratas Algerii decem navigiis, onustis multis preciosis, ex Æthiopia trajicientibus in Hispaniam, interceptis. In Insubria vigente æstate tanta latronum manus occupavit itinera, ut nullis tuta essent, quin per eos spoliarentur, & sæpe occiderentur, & cum quotidie augerentur, & magis grassarentur, & nec coerceri possent aliqua turba satellitum supremi ibi vindicis scelerum, & aliorum magistratuum, dum quæsiti aufugerent in latibula, quæ sibi pararant ad omnes casus, in locis silvestribus, conditum & publicatum fuit edictum ibi vicarii Regii, ex mente illic quoque excelsi Senatus, quo concesso præmio illos capientibus, & præsentantibus ibi magistratibus, sin minus occidentibus, & ubi aliqui fuissent damnati aliquo crimine capitali, etiam atroci, dummodo non fuisset adversus divinam ac regiam majestatem, data eis venia, plurimi ex illis ipsius vigore tum fuerunt occisi, tum fuerunt capti, & consignati jusdicentibus Mediolani, & aliarum urbium ejus dominii, & ipsorum jussu ultimo supplicio affecti, inter quos fuerunt eorum duces, & reliqui ob id territi dimissis latibulis alio aufugerunt.

Et cum multæ mulieres prolapsæ ex paupertate, vel ex vitio carnis, vel aliam ob causam in inhonestatem, ab ea redierint ad honestatem, eis assignatæ fuerunt ad habitandum ædes monasterii olim monialium Conventualium Ordinis divi Benedicti sub tit. divæ Annæ in vico sanctæ Mariæ novæ Cremonæ; & provisum de alimentis, congruis electis viris, & mulieribus etiam ecclesiasticis, & ex honestioribus ipsius civitatis ad earum regimen. Et de mense Aprilis concessæ fuerunt ecclesia & domus Apostolorum in ibi suburbiis per Jo. Petrum de Glosanis, patritium Mediolanensem, præpositum ecclesiæ sanctorum Viti & Modesti ipsius civitatis, cui erant annexæ ipsæ domus & ecclesia Apostolorum Religiosis Ordinis divi Francisci de observantia, vulgo Capucinorum, excitati anno 1525. Matthæo Langeo ex religiosis tertii Ordinis etiam divi Francisci, residentium in oppido Falconis diœcesis Firmanæ in Piceno, promotore, erecto tunc monasterio in urbe Camarini, sibi concesso solo per Catharinam de Cibo ibi dominam, & confirmati per Clementem VII. summum Pont. die vigesima octava Maji 1526. & multi ex ipsis se contulerunt in ædes ipsas Apostolorum, illic degendo & vivendo ex eleemosynis quotidianis eis subministratis per Cremonenses, die noctuque celebrando officia divina in ipsa ecclesia, reformatas una cum ipsis ædibus etiam ampliatis. Hieronymus Vida, [ejus imaginem in ære incisam, ex *Hist. Mediol.* Ant. Campi desumptam, hic exhibemus] Episcopus Albæ in Gallia Subalpina, Cremonensis, ob ejus poesim ac prosam ubique gentium notus, ibi die 27. Septemb. ex hac vita migravit magno sui desiderio dimisso apud doctos, & Cremonenses compatriotas suos, & Albenses: fuit sepultus in civitate Alba, nihilominus Cremonenses, exsequiis ei publice solutis, pulcherrimum Cenotaphium in Ecclesia Cathedrali ipsi erexerunt cum hac inscriptione:

D. O. M.
M. HIER. VIDAE ALBAE EPISCOPO
QVEM PROBE OMNES NORVNT CIVIT.
CREMONA DECRETO SEPVLCRO SVMPTV PVBL. CIVI QVI DE VNIVERSA CIVIT. B. M. EST PARENTAVIT.
V. A. N.
QVI CVM QVICQVID IN EGREGIVM HOMINEM LAVDIS DICI POTEST IN EVM BENEFICIO NAT. FVERIT COLLATVM IMMORT. ERAT DIGNVS NISI NATVRAE COMMVNIS CONDITIO OBSTITISSET VIVIT TAMEN ADHVC APVD NOS VIVETQVE AETERNVM AD POSTEROS BENEF IVCVNDISS. AC PERPETVA RECORDATIONE.
QVI OMNIBVS ERGA GREGEM SIBI COMMISSVM OFFICIIS FVNCTVS PIETAT. CHARIT. FIDE CONST. PRAECLARVS OMNIBVS CARVS NEMINI NOXIVS A NOBIS DISCESSIT SVO MAGIS QVAM ALIORVM TEMPORE.
QVI NON SOLVM PIE, ET SANCTE DEVM COLVIT, SED ITA ETIAM CECINIT, VT IN COELO LOCVM VBI BEATVS AEVO SEMPITERNO FRVATVR, ET IN TERRIS AETERNAM SIBI GLORIAM MAXIMO OMNIVM MORTALIVM FRVCTV COMPARARIT.

Et Jo. Paulus Zacharias, etiam Cremonensis, ex tribunis militum Regiorum. Et summus Pont. revocavit concessionem per ejus præcessorem factam Episcopo Mantuæ de nonnullis vicis diœcesis Cremonensis, propinquis diœcesi Mantuæ, tamquam juris diœcesis Cremonensis, ut semper fuerant.

Anno sequente Flamingi, Brabantini, & alii populi ibi finitimi, ex Gallia Belgica & Germania inferiori suppositi Regi Hispaniarum, exsecrandis hæresibus infecti, cum Rex ipse illos absque armis reducere ad pristinam sanitatem tentasset, magis debacchati sunt in templa divina, ea & bona catholicorum & ecclesiasticorum demoliendo, & diripiendo, ac profanando, illorum ducibus supremis Henrico Bredaroda, Ludovico Nassovio, Vandalbergo, & Coloviano ibi proceribus, factis utrinque frequentibus præliis, in quibus multi occubuerint, & per illos duces supremos cum aliis supra quinque centum habito conventu in catholicos die tertia Aprilis, Margarita ibi rectrix ad illos sedan- A. C. 1567.

 dos

dos illinc destinavit in Hispaniam ac Philippum eorum dominum, & fratrem suum Joannem de Berga Marchionem, & Com. Valentiæ, Florium Momorantium regulum Montegii, & insignitos velo aureo ab eo Philippo, pro obtinenda ab ipso approbatione privilegiorum olim sibi concessorum per Carolum IV. Imperatorem, & confirmatorum per Carolum V. quæ sunt hæc, scilicet, *Principi ibi non licere, citra consensum nobilitatis & urbium, statum ecclesiasticum ampliare latius progressu temporis, quam ab aliis Principibus obtinuerint, & ut nullum subditum, vel externum incolam, accusatione, aut petitione criminali, aut civili prosequatur, nisi per viam justitiæ ordinariæ, & liberæ, in qua reus defendere possit seipsum, suamque causam auxilio advocatorum publice, & quod absque consensu regionum aliquod vectigal imponeretur, & nec vetus consuetudo mutaretur, nec in Brabantia aliquis externus præficeretur alicui muneri, quod foret alicujus magni ponderis, nec ubi Princeps in unum cogat statum earum regionum, quo ab eis pecuniam exigat, vel ab eo postulet, populi Brabantiæ non teneantur egredi fines suos, quin nihil extra ejus ditionem statueret, sed teneretur se transferre in loca Brabantiæ, si quid ab eis impetrare cuperet, & nec injuste, aut aliquas eorum leges, consuetudinem, & statuta violaret, sed ipsos ab omni juramento & diplomate absoluti, & liberi remanerent, nullaque ibi in re adstringerentur.* Et cum Rex intendens armis illos reprimere, & cogere ad id faciendum, quod sponte noluissent agere, ex Hispania & Italia in ipsos destinasset tria millia Hispanorum, septem millia Italorum & Allobrogum, & totidem Germanorum, mille ducentum equestribus sub Arnando Duce Alvæ, cum quo fuerunt Chiapinus Vitellius pro magistro castrorum, Gabriel Cerpellonus pro præfecto materiei bellicæ, Vincentius Locatellus Cremonensis insignis architectus, destituti per Gulielmum de Nassau Principem Aurentiorum, & nonnullos alios eorum duces ac fautores, deposuerunt arma, & quamplurimi ex eis aufugerunt in Angliam & alias regiones, & ibi incolas eorum sectæ abominabilis, & Princeps Cavanæ una cum Philippo Momorantio Amirata, & Orni Comite, & Philippo Crojo Arescotti Duce, ac Petro Ernesto, & Nivardo Com. Arigucii ex ibi Principibus, & Leodicenses, Bolducenses, & Vianenses, populi Brabantini, ad pristinam sanitatem redierunt. Et Norcanius Annoniæ præfectus, & Resagnanus Dux nonnullarum civitatum ex regulis Belgicis pro rege ad sedandas illas turbas fidelem operam præstiterunt. Et cum Hispani de mense Septembris ingressi fuerint Flandriam, Dux Alvæ ex jussu Regis carcerari jussit Amoratum Com. Agamoni, & Philippum Osemondium Com. Orni, & præfectum classis Regiæ in Gallia Belgica, & duos alios ex ibi primoribus, & plurimos ex illic popularibus, & ex ipsis multos suspendi furcis, & ad retinendum alios in fide, Antuerpiæ, & in multis aliis urbibus, in quibus non forent propugnacula & arces, de eis construi.

Et optimus Pont. Rom. Ecclesiæ ad exstirpandum has hæreses contagiosas omne, quod potuit, subministravit auxilium Regibus Hispaniarum, & Galliarum, & militibus Rhodiensibus ad muniendum insulam Melitam eorum domicilium, & Maximiliano Cæsari adversus impetum Turcarum, & ad augendam religionem Christianam, & tollendos abusus, qui in eam irrepserant, multa laudabilia fecit, & Mantuæ, Veronæ, Mutinæ, Bononiæ, & Faventiæ, & nonnullis aliis urbibus, oppidis, & vicis Flaminiæ, quam plurimi comperti fuerint infecti exsecrando crimine hæresium, ex quibus, dum pro eo adversus illos processum foret per Inquisitores ex Religiosis Ord. Præd. de Ob-

A serv. divi Dominici, quibus istius criminis spectat cognitio, multi fuerunt carcerati, & ex illis, qui noluerint ab eorum vesana opinione recedere, & ad catholicam ecclesiam redire, aliqui ultimo supplicio affecti fuerunt, & aliqui aliis pœnis citra mortem, & alii cum recognoverint errorem suum absoluti, & multi, cum vocati in judicium ad se expurgandum, ab illo noluerint sui copiam facere, condemnati, & ejecti extra cœtum catholicorum, & ab omni regione Christianorum proscripti. Et Mantuæ per illos inito tractatu de occidendo quoscunque ibi religiosos Ordinis divi Dominici degentes, duo ex ipsis nocte præcedente diem Natalis
B Dominici, dum monasterium ipsum egressi fuissent, profecturi ad templum ibi propinquum monialium, illic celebraturi pium Missæ sacrificium de more, inhumaniter necati fuerunt. Cremonæ de mense Maji & Junii primores religionum Eremitarum divi Augustini, & Carmelitarum in Longobardia, in eorum monasteriis convenerunt, & de rebus spectantibus eorum Ordini tractarunt, & multi ex eis valde eruditis Theologis habuerunt in eorum templis, ac æde cathedrali, conciones & disputationes. Et de mense Julii, Humiliatorum ad ædes ibi ipsorum religiosorum, & quia dignitates, & suprema officia, ac opulentos redditus ipsius religionis sibi
C vendicarant, & inter se diviserant, & post mortem aliis, quos elegerant, dimittebant, & ab aliis religiosis separatim vivebant more prælatorum præter instituta divi Benedicti, quæ fuissent professi, Carolus Borromæus presb. Card. tit. S. Praxedis, & præsul Mediolani, & eorum conservator, & qui cum ipsis convenerat, ex auctoritate Apostolica sibi data eos redegit in ordinem, & ad ipsa instituta. Et inter eum ac Senatum Regium in dominio Mediolani orta controversia pro cognitione criminum utrique foro spectantium, Petrum Franciscum Vicecomitem omnium ibi criminum supremum vindicem, & Hieronymum Pectium ex primoribus Advocatis
D Fisci, cum Vicecomes assentiente Pectio ex mente ipsius excelsi Senatus lictorem primarium Borromæi præsulis commisisset capi, & fune publice distendi, & qui dum adeo præcipitanter distentus fuisset, ventre aperto viscera ex ipso effluxerunt. Et concessæ fuerunt ædes præpositurae ecclesiæ divi Jacobi cum ecclesia constructæ in parochia S. Vincentii ejusdem civitatis, ejusque redditu annuo aureorum mille percipiendo ex ipsius fundis, sitis in vico Pozalii agri Cremonensis, per Alvisium de Basilica Petri Novariensem, ejus tunc præpositum, & etiam supremum magistrum Ordinis Humiliatorum, religiosis presbyteris sancti Pauli Decollati
E Ordinis Regularium de observantia divi Benedicti, Mediolani anno 1526. auctoribus Jacobo de Morigio, Bartholomæo Ferrerio Mediolanensibus, & Antonio Maria Zacharia Cremonensis, illic erecto monasterio & templo magnificis ad memoriam Decollationis divi Pauli, sumptu Isabellæ de Taurellis ex Principibus Guardastalli, eo per ipsam, & alios Taurellos in ipso participantes venditi Ferdinando Gonzagæ, & quæ ipsum una cum multis aliis mulieribus & virginibus nobilibus ingressa fuit, & ipsam religionem professa, ex ædibus monasterii parte muris divisa, & assignata eis religiosis, in templo ipso die & noctu celebrantibus Missam,
F & alia officia divina, erecto & inchoato ipso Ordine monasterio monialium ejusdem sub titulo divæ Marthæ in domibus illorum de Burgo, sitarum in vico sancti Donati Cremonæ, sumptu & opera nobilis & honestæ matronæ Cremonensis Valeriæ de Alieriis R. Octaviani de Burgo, per eam ipsius Ordinis assumpto habitu, & facta professione cum multis aliis, eidemque assignata dote sua.

Hora tertia noctis præcedentis diem vigesimam sextam Januarii apud Caffam, olim Theodosiam, Ge-

Genuenſium in Taurica Cherſoneſo, nunc minori Tartaria, ſpatio trium horarum in aere apparuerunt tres ſoles cum circulo diverſi coloris, ex quibus unus ivit verſus Ortum, alius verſus Occaſum, & medius verſus Septentrionem, & mox Occaſum, & deinde evanuit, commutato circulo in colorem tum rubeum, tum viridem, tum croceum, tum cœleſtem. Et hora ſexta decima cum dimidia Mercurii noni Aprilis, dum eſſet in quarto gradu Leonis, & luna in vigeſimo nono Arietis, paſſus fuit deliquium per horas circiter duas. Et hora quarta noctis præcedentis diem vigeſimam luna apparuit lucidiſſima uſque ad auroram cum cruce ſuper eam, ac ſtella prope ipſam, præter modum fulgentibus. Et hora quinta decima cum dimidia Veneris decimi ſeptimi Octobris, dum eſſet in quarto gradu fere per horam cum dimidia paſſa fuit etiam deliquium. Et die Jovis duodecima Junii hora quintadecima in Valle nigra ducatus Sabaudiæ, & prope Genebram per lapides ſeptem, graculi, picæ, & cornices cum corvis turmatim conflixerunt, eoſque profligarunt multis utrinque occiſis. Et de menſe Auguſti Tyberis egreſſus alveum ſuum, ſecum piſcium innumerabili copia educta, urbem inundavit. Et de menſe Octobris aquæ Padi, & aliorum fluminum, & torrentium Galliæ Ciſalpinæ, & regionum ibi propinquarum, præter modum ac morem auctæ, & egreſſæ eorum alveos, nedum ſibi finitimis, ſed longe ab illis diſtantibus, grave damnum intulerunt. Et æſtas fuit præter modum torrida. Ex generoſa familia ipſorum de Trecchis Cremonenſe Petrus Franciſcus & Sigiſmundus fuerunt ex inclitis tribunis militum, & Ludovicus eorum frater ductor equeſtrium in Italia pro Rege Hiſpaniæ. Et Julius, & Antonius, & Bernardinus de Campo fuerunt egregii pictores, & Jo. Baptiſta Cambius ſculptor, & Martinus Siccus Romæ ex ſupremis architectis, & mox Maximiliani Cæſ. & Jo. Baptiſta Andreaſius ex tribunis Italorum, ex hac vita migravit die vigeſima prima Septembris.

A.C. 1568. Anno ſequuto, Cremonæ prætore Antonio Londonio, & mox eo creato præfecto reddituum ordinariorum ſtatus Mediolani, ei ſubſtituto Ferdinando Hortitio Hiſpanis J. C. & Regiis Senatoribus, Dux Alvæ prorex in Flandria, cum intellexiſſet Germanos, qui erant in Gallia Celtica, contracta pace inter ibi Regem & perduelles ſuos, ad quorum auxilium iverant, irrupturos Belgicam, antequam redirent in Germaniam, ad id prohibendum in illos tranſmiſit Hiſpanos & Italos equeſtres cum peditatu Galliæ Ciſalpinæ, & alios milites juſſit conſcribi, & cum etiam intellexiſſet, Mariachiteneum ducem ex illis tranſire navigio copiis ſuis per flumen Moſæ, illuc quoque tranſmiſit quingentos equeſtres cum nonnullis cohortibus peditum, qui illos ſecum conſertis manibus in fugam compulerunt, ex eis cæſis circiter quinque centum, & ex Regiis tantum deſideratis quadraginta, & proditis in lucem proditionibus, quibus debebat occidi ad Abbatiam proximam Bruſſellis in ibi eccleſia mane diei Dominicæ Palmarum, dum illuc propoſuiſſet aſſumere euchariſtiam, & præſul Leodii per hæreticos direptis oppidis ſui dominii juſſit eorum complices capi, & carcerari: & per Principem Aurentiorum ære nonnullorum illius ſectæ conſcriptis novem millibus equeſtribus, & quindecim millibus pedeſtribus, cum ex illis bis mille equeſtres, & quatuor millia pedeſtrium, ſub quodam Comite irrupiſſent Geldriam, & ex aliis tria millia equeſtrium, & decem millia pedeſtrium Friſiam ſub Ludovico Com. Naſſovii, & ibi eccleſiaſticis & catholicis gravi damno illato, & Veda occupata, obſediſſent Grunvildam, omnibus fere Hiſpanis deſtinatis Naumacum, & bis millibus pedeſtribus, & quinque centum equeſtribus Trajectum ſuperius, & aliis ſub Com. Boſovii præfecto Hollandiæ ad alia loca tuendum, aliis pedeſtribus Hiſpanis & Germanis partes Regias ſequentibus, & Burgundionibus ſub Com. Arambergio in Naſſovium, & dum Naſſovius eis ſuis occurriſſet, & utrinque facta pugna uſque in noctem, eis pedem retuliſſet in Daniam, illoſque Regii inſequuti fuiſſent, & ibi pedeſtres non exſpectatis equeſtribus manus ſecum conſeruiſſent, & occiſis Arambergio, & nonnullis aliis ducibus, & gregariis militibus, in fugam converſi fuiſſent, dimiſſis poſt ſe ſex tormentis bellicis cum pecunia eorum ſtipendii, ex illis occiſis multis cum Philippo fratre Comitis Naſſovii, juſſit die prima Junii Antuerpiæ decapitari viginti octo Equeſtris Ordinis, & multos alios non obſcuri generis vario mortis genere affici, & die ſexta Bruſſellis Amoratum Com. Agamoni cum ejus ſcriba, & Philippum Momorantium Com. Orni, Amiratam claſſis Belgicæ, eductos ex arce Gandavii publice decapitari, & nec multo poſt Antuerpiæ Dominicum ab Azali ex primoribus ibi nobilibus, & multos alios uti rebelles Regios, inter quos fuit unus ex illis, qui decreverant ipſum occidere, & alius, qui tribus aliis propoſuiſſet Groningam quatuor in locis comburere, ut facilius daretur in eam ingreſſus Naſſovio, qui eam obſideret, ad cujus præſidium erat Com. Meganus octo cohortibus Germanorum, & mille Hiſpanis, & cum Martinenghus ex ductoribus Regiis equeſtribus tercentum ſe conferret ad ejus præſidium, & ſexdecim millibus pedeſtribus hoſtium occurriſſet, inter illos, ac equeſtres Martinenghi, ac obſeſſos apud Abbatiam commiſſa pugna die vigeſima ſecunda Junii, ex illis circiter tercentum occiſis, & ex Regiis decem, & Megano Com. vulnerato ictu globuli emiſſo ab archebuſio in collo. Dux Alvæ illuc tranſmiſit ad ſubſidium alias decem & ſeptem cohortes, ex eis dimiſſis ſexcentum pedeſtribus ad præſidium nonnullorum locorum, prope quæ tranſiverunt; & Naſſovius bis provocavit ad pugnam Vitellium procerem, Rom. ducem ſupremum Regiorum, qui erant adverſus ipſum. Et dum Gulielmus ex Comitibus de Naſſavio Princeps Aurentiorum, profugus, & frater Ludovici, & Com. Palatinus Rheni cognatus Agamoni, & Auguſtinus, & fratres filii Federici olim Ducis Saxoniæ, & filii Philippi olim Lantgravii Haſſiæ, & Golfangus Dux Propontis, & plures alii Principes Germani, ægre ferentes necem Agamoni, fœdus invicem percuſſiſſent, ut eam ulciſcerentur, & Flamingos in libertatem vendicarent, ex illorum extorribus & hæreticis, ad eos confluentibus, coactis copiis, & Com. Metenſium ſuis recuperaſſet Bergam ejus oppidum, ibi cæſis militibus, qui erant ad ejus præſidium, & ex Mechlinia adductis nonnullis tormentis bellicis, Dux Alvæ exercitu, quem habebat, ſe appropinquavit Gronovindæ, & cum illinc Naſſovius ſuis abiiſſet, & per Regios, qui illos inſequuti fuerint, ex illis occiſis circiter mille, ex eo exercitu dimiſſis ſexcentum equeſtribus Ducibus Pruvincenſibus ad præſidium Gronovindæ, reliquis die ſexta decima Junii illos inſequutus fuit, & cum Naſſovius auctis ejus copiis ad duodecim millia pedeſtrium, & quinque centum equeſtres, eis ſubſtitiſſet in loco munitiſſimo, & intra vallum impoſitum in ſolo ſilveſtri, & paluſtri, & à fronte adjacentem lato, & profundo flumini, ut ibi exſpectaret Gulielmum fratrem ſuum aliis copiis, in eum iter ſuum convertit, & in illum miſſis centum equeſtribus ſclopetariis ad eum provocandum, & mox quinque centum pedeſtribus etiam ſclopetariis, & deinde tercentum prætorianis, & poſtea aliis mille ſclopetariis cum aliquot equeſtribus, & ſubinde Hiſpanis cum ſex millibus Germanis, & quindecim cohortibus Burgundionum,

A num, & successive aliis tercentum equestribus, & aliis velitibus sub Ferdinando filio suo, & cum illis à meridie usque ad noctem, & sequente die usque ad vesperas, consertis manibus illos fudit, occupato ponte flumini imposito, quo in continentem ibatur; & dum se in fugam posuissent, & palantes irent, Hispanienses illos insequuti, ex eis occiderunt circiter septem millia, ex Regiis tantum desideratis octo, & totidem vulneratis, signis militaribus viginti, & sexdecim tormentis bellicis, & equis mille quinque centum curulibus, & multis aliis post se dimissis cum pecunia & supellectile argentea Nassovii & Hiscatonii reguli multi pretii, eo ante per biduum illinc ex fuga prolapso: & Nas-
B sovio navicula Mosa flumen transgresso, dum ante pugnam castra Regia aquis ibi lacunarum & fluminum, multa copia illac labentium, tunc tumefactis ex pluviis è cœlo prolapsis, intenderet inundare, aufugit in Picardiam; & cum Princeps Aurentiorum frater suus novem millibus equestribus & duodecim millibus pedestribus reliquis copiis ejus se conjunxisset supervento autumno, & ex Hispania superventis bis millibus quinque centum Hispanis cum quadraginta millibus aureis pro eorum stipendio in Galliam Belgicam, Dux Alvæ eis secum conjunctis transivit in ipsos fratres exercitu bis mil-
C lium quinque centum equestrium, totidem velitum, & duodecim millium pedestrium, & ad Trajectum inferius trajecto flumine Mosæ, & dum timeret, ne hostes per Burgundiam transirent in Galliam, & se ibi hæreticis Decondeo regulo illorum duce, ad id prohibendum transmissa pecunia præfecto Burgundiæ, jussit per eum ad ejus fines militibus conscriptis eos apponere; & cum ipsi fratres exercitu suo castra firmassent apud Rhenum, eisque se conjunxisset Agustanus Regulus Germaniæ cohortibus tredecim, in illos accessit pedestribus triginta millibus, & sex millibus equestribus. Et cum fratres ipsi viginti quinque millibus pedestri-
D bus, & octo millibus equestribus trajecto Rheno irrupissent in Principatum Juliensem, & ibi ad eos appulsis aliis quinque centum equestribus sub quodam Comite propinquo Comitis Agamonii, ad ulciscendum ejus necem, à Principe Juliacense petita, & nec habita annona, Dux Alvæ prope Trajectum per mille passus castra movit, & cum hostes per Rhenum transmissis machinis bellicis Geldriam versus iter direxissent, & occupato oppido Respinæ prope Coloniam Agripinam, & ad ejus præsidium dimissis pedestribus ducentum, & cum non haberent naves, quibus possent Mosam ponte conjungere, & sibi impedita annona per Hispanien-
E ses non multam copiam ipsius, & materiei bellicæ haberent, secus flumen ipsum tenderent, illos insequutus fuit; & cum hostes die vigesima Octobris motis castris, nonnullis copiis Gallorum eorum superstitionis in ipsorum auxilium tendentibus, Hispaniensibus occurrissent, in illos transivit, & dum nonnulli ex hostibus transivissent Mosam flumen, ubi Brabantia à Leodiense dividitur ditione, & in eos transmissis nonnullis cohortibus Hispanorum, & turmis equestrium, & utrinque ibi commisso certamine, ex illis plurimis cæsis, & multis captis, & in eorum auxilium superventis eis copiis Gallicis, oppressi annona & pecuniarum egestate
F motis castris tentassent Mosam trajicere, ut irent in Germaniam, & ejus aquis auctis, præsul Leodiensis id non permisisset, converso itinere in Galliam properassent, Belgis gravem stragem inferendo illos quoque insequutus fuit, & cum fratres ipsi nonnullis copiis suis in Galliam incolumes se recepissent, ivit Camariacum, & mox ibi, & in aliis municipiis Belgicis ad eorum præsidium Germanis, & aliquibus aliis ejus copiis, & aliis transmissis Antuerpiam, & Valenzenas, & alia loca Hollandiæ, accessit Brussellas, & cum Auriacus & frater freti clandestino favore Belgarum illorum sectæ, intenderent occupare Frisiam, illuc destinavit alias copias Hispanorum, & ad præsidium oppidi Bronduni juris Auriaci, ibi munitissimi, ejus filio, qui foret Lovanii, illinc Antuerpiam adducto, & mox inde in Hispaniam conducto, & dum quidam ex illis hæreticis ad Picardiæ fines occultati in silvis, illac transeuntes invaderent, spoliarent, ac occiderent, in illos quoque transmissis aliis Hispanis, & per eos cum illis commissa pugna, illisque fusis, ex eis multis cæsis, & multis captis, & plerisque extremo supplicio affectis, proposito edicto publico citatis fratribus Auriacis, & multis aliis illorum sectæ, ut coram eo sisterent intra certam diem, & cum non comparuissent, illos declaravit rebelles regios, & ex illis sexaginta septem Antuerpiæ & multos alios Gandavii, Tornaci, & Mechliniæ capi & carcerari jussit, & cum ex illis hæreticis circiter mille quinque centum prope Antuerpiam per mille passus templa, & monasteria, & domos catholicorum diriperent & comburerent, conscripto novo milite in illos destinavit nonnullas copias Italorum sub regulo Beovorense, eisque prælio fusis, ex ipsis plerisque submersis in flumine ibi propinquo, & centum captis, & furcis suspensis, & ex Tornaco evocatis nonnullis turmis Italorum, eas & alias Hispanienses locavit ad fines Galliæ Belgicæ ad eam tuendam ab hæreticis.

Carolus Austriacus, unigenitus masculus Philippi Regis Hispaniarum, dum ab eo dissentiret, & ipsius jussu relegatus fuisset in ædes regias Madriti Hispaniæ Tarraconensis, ibi ex inordinato victu obiit die vigesima quarta Julii. Et nocte præcedente diem quartam Octobris Isabella Valesia uxor puerperio ingenti ipsius, & suorum dolore, superstitibus Eugenia annorum quatuor, & Catharina trium, filiabus. Et die penultima Augusti in aurora aere sereno versus Occasum apparuit stella crinita cum cauda longa, & ignita directa ad Ortum. Byzantii subortoque impetuoso turbine ventorum, & statim subsecuta procella maritima, & superventis pluviis, gravibus tonitribus, & portentosis fulguribus, omnia ibi inundata remanserunt, summo ibi incolarum stupore, & gravi damno. Ex obscuris caliginibus, & ventis vehementibus, & frequentibus pluviis, quæ fere toto primo vere viguerunt in Insubria, & locis propinquis, excussis floribus ac uvis, & segetibus, eisque conculcatis, & plerisque putrefactis, & multa agri inferioris Cremonensis parte inundata ab aquis, successit tenuis redditus vini, & fere omnium granorum. Hyems fuit torrida, & frigida ex aliqua copia nivis in ejus principio, & mox pluviis frequentibus superventis. Et Nantuæ municipio Sabaudiæ, distante à Lugduno per duodecim millia passuum, die penultima Junii circa meridiem ex vehementi vento, ibi tecta domorum illius impetu, qui duravit per quartam partem horæ, prostrata fuerunt, plurimæque arbores miræ proceritatis exstirpatæ, culmine ibi prætorii ad tria millia passuum procul ejecto; & turri, in qua erant campanæ, ex adverso latere aperto, ejusque culmine campanæ majoris, & horologio dejecto, & in terram infixis per duos cubitos, eoque fere toto prætorio demolito, molendinoque, ejusque mola in varias partes disjecta, diruto, plurimis, & pueris, & infantibus ex eorum matrum uberibus arreptis in aerem translatis, nec unquam visis, ut ibi indigenæ conspectis in aere lignis, & arboribus ingentis molis, putantes jam supremum diem adesse, ut ab imminenti periculo servarentur, aufugerint in loca subterranea.

Anno subsequuto Rex Hispaniæ, stabilita arce Antuerpiæ ad ibi incolas, & alios Flandriæ, & cæterarum regionum ex Gallia Belgica, & Germania in- A. C. 1569

A inferiori, sibi suppositarum in fide Christiana, & adversus eum conservanda, jussit ipsam, & alias civitates, & oppida earum regionum muniri annona, materie bellica, ac præsidio militum, Aurentiorum Principe nonnullis copiis subsistente in agro Argentoratense, & dum ibi non haberet pecunias, quibus posset eis solvere stipendium, per ipsos dimisso, & venditis Argentoratensibus tormentis bellicis, & cuncta supellectile, quam habebat, clam profecto Moguntiam, ubi erat uxor, & illinc Coloniam, Chiapino Vitellio, & Gabriele Cerpelono, degentibus cum copiis ad præsidium Zelandiæ; & per Ducem Alvæ rectoribus statuum earum regionum B accersitis Brussellas, & ab eis petita decima valoris omnium bonorum mobilium, quæ per eos venderentur, & trigesima immobilium, & centesima omnium semel solvenda, quibus posset solvere stipendium militibus, quos ibi haberet ad eorum præsidium, & loca alienata redimere, & reliquum referre in ærarium Regium, ut si qui motus bellorum illic insurrexissent, facilius coerceri possent, & per Provinciales sibi oblata certa summa pecuniarum, & in centesimam facto consensu, factaque promissione eam solvendi, & ex eis per Frisios & Geldrenses facta redemptione, & fere omnes habito consensu solvendi decimam & vicesimam certis C conditionibus, cum adhuc insurrexissent hæretici adversus eum, & Hispanienses, & ex Bætica circiter triginta millia parum firmi in fide Christiana, & sua, sed magis cum sint finitimi Africæ, mare Atlantico intermediante, adhærentes superstitioni Mahumetanæ, sumptis armis auctore filio olim illorum Regis, ex Hispania Tarraconense clam illuc ex fuga prolapso, ab eo defecissent, coacto exercitu ad illos reprimendum, & compellendum in jus pristinum, adversus illos eum destinavit sub Joanne Austriaco fratre naturale, & Ferdinando Cordubense Duce Suessæ, & ex Africa illuc trajectis, & aliis transmissis per Imperatorem Turcarum infidelibus D in illorum auxilium, utrinque multa diverso Marte, & plurimorum cæde, ibi fuerunt commissa certamina, & affecti fuerunt gravibus cladibus, ex illis aliquibus destinatis, clam per illorum ducem ad occidendum Austriacum, & interceptis ultimo supplicio affectis.

Et Regina Angliæ ipsum latenter exosa, qui hæreticos, quos ipsa fovebat, ubique insequebatur, ad diminuendas ejus vires, pecunias, quas navigiis ex Hispania per mare Anglicum transmittebat in Flandriam, quibus ibi militibus ad præsidium posset solvi stipendium, retentis, & per Ducem Alvæ illic rectorem quibuscunque Anglis ibi repertis cum eorum E mercibus illinc abire prohibitis, & interdictis commerciis inter utriusque subditos non sine magno eorum damno, cum Regina ipsa novam contraxit simultatem. Et ex Gallia & Anglia multa hæreticorum manus navigiis triginta trajecit in Indiam, Regi Hispaniæ suppositam, ad ibi excidium. Ad opem mendicantium Cremonensium exhortatione Fr. Timothei de Pandino, Ordinis Heremitarum de observantia divi Augustini, eximii Theologi, facta in concionibus per eum habitis ad populum durante Quadragesima in Ecclesia Cathedrali, hospitale illorum de Dulciis, situm in vico sancti Apollinaris ipsius civitatis, erectum fuit sub titulo F divi Alexii, eisque concessum ad habitandum, electis viris probis ex ipsa civitate, mutandis quotannis ad providendum de eorum alimentis congruis, & mox valde ampliatum, & factum magnificum ex eleemosynis piorum. Brena, Orobiorum vicus prope lacum Novicomii, & fonte Bromi fluminis coacta multa copia aquarum ex pluviis tunc superventis, & monte ibi propinquo aperto, ac prolapso in vallem ibi proximam, illarum impetu submersa fuit, & ibi factus lacus nullis remanentibus vestigiis, & ibi fere omnibus incolis obrutis de mense Julii. Et Venetiis nocte intempesta, præcedente diem Mercurii quartam decimam Septembris, aere sereno, pulvere sulphureo asservato in tribus turribus ibi armamentarii, habentibus muros valde crassos ex lapide cocto, & calce cum ostiis tribus munitis ferro ad unamquamque earum, accenso seu industria humana, seu ira cœlesti, eis turribus apertis & dirutis, & ex armamentario nonnullis porticibus ac muris exterioribus spacio triginta duorum brachiorum, pulvis ipse pensium circiter tredecim millium, in triginta cadis exsistens, remansit combustus una cum quindecim triremibus, & ædibus monasteriorum divæ Mariæ Virginis, vulgo Cœlestis, Ordinis Cœlestinorum, & Religiosorum divi Francisci ei propinquis, concussis, præter sacellum ædis divi Francisci, in quo asservabatur Eucharistia, una cum nonnullis aliis ædificiis etiam valde remotis, & in Murano oppido quibuscunque vitreis fractis ingenti ibi dominorum suorum damno, quinque ex illis, qui erant in armamentario, & nonnullis aliis ex incolis Venetiarum exstinctis, & plurimis aliis mutilatis, summo omnium ibi superstitum stupore ac horrore, & nisi excitati strepitu ignis, & ruina turrium, & viso incendio invicem, & per ibi Nobiles & Magistratus animati illic incolæ ad illud exstinguendum præsto fuissent, periculum erat, ne tota civitas cum armamentario ipso, & navigiis, & materie bellica inæstimabilis pretii, ibi asservatis, funditus deleretur, hora nona noctis eo incendio exstincto, ipsius strepitu quoque audito Tarvisii, Patavii, & in Istria.

Et Byzantii, dum in domo Hebræi coctus fuisset panis in furno, ibi exorto igne in crepusculo noctis præcedentis diem Mercurii tertiam Octobris inter Prætorium & Mesquitam Mahumetanam usque ad mare, illac labens spacio quatuor millium passuum vagato nocte ipsa, ac biduo continuo remanserunt combusta ædificia lignea cum bonis, quæ ibi fuerunt immensi valoris, & plerisque Hebræorum, dum Dux supremus illic vigilum ægrotaret, & Imperator esset intentus lasciviæ & ocio, & ulterius progressum fuisset incendium, nisi Imperator tandem admonitus, ac vigiles, & prætoriani ibi milites, & Byzantini ad illud exstinguendum properassent, in domibus Hebræorum repertis cadaveribus multorum ex illic incolis tum Græcorum, tum Turcarum, & in una cum ex illorum Synagogis pueri cruci affixi. Et apud Tanam, Emporium ad Tanaim flumen, pulvere sulphureo ibi quoque asservato, ex jussu Imperatoris Turcarum igne in ipsum conjecto per Mamalucchum combusto, plurimis ex ibi illum summa vigilantia custodientium exstinctis. Et Derthonæ & Vincentiæ etiam fuerunt incendia. Et Parmæ, nocte præcedente diem quartam Octobris, auctis aquis fluminis eam interlabentis ex nimbo illuc supervento, citra illud fuit inundata usque ad tabulata illic domorum. Et Perusii, nocte præcedente diem Veneris subsequentis, hora septima ex terræmotu, qui duravit per horam cum dimidia, multa corruerunt ædificia, & Catanæ, Agrigenti, & Leontii civitatibus Siciliæ, ac in Æmilia, & Hetruria multis in locis tunc temporis multorum ab eis oppressorum cæde, & superstitum gravi damno. Et Neapolis ibi etiam hora vigesima quarta diei sabbati subsequentis ex terræmotu, qui duravit per sex horas cum summo fragore tonitruum, & fulguribus, & nimbo copioso, & mixto grandine, qui duravit per biduum, tota remansit inundata, & quamplura ædificia etiam valde stabilia corruerunt, & quam multa alia facta labilia fuerunt, ex ibi incolis plurimis ab eis tum oppressis, tum suffocatis, tum debilitatis, & ibi & prope per triginta millia passuum exstirpatis arboribus, & submersis molendinis, & spacio palmorum quinque elevato so-

ſolo ex limo ibi dimiſſo, ingenti damno ibi accolarum, qui durante aeris turbine, timentes ab aquis ſuffocari, ad evitandum periculum mortis altiora conſcenderunt. Et Florentiæ teſtudo primarii templi noctu duobus fulminibus icta, in plures partes diſciſſa, & perfracta remanſit, ut ad eam inſtaurandam expenſa fuerint aureorum ſupra quatuor millia. Et in Sicilia, & toto Oriente conſpecta fuit ſtella crinita horribilis. Ex illuſtribus Comitibus Ponzonorum Cremonenſibus fuit Eques Rhodienſis divi Joannis Baptiſtæ Rubertus.

A. C. 1570. Anno, poſtquam Dominus Noſter Jeſus Chriſtus ſua paſſione acerbiſſima redemit humanum genus 1570. Cremonæ prætore Camillo Caſtillionæo J. C. Mediolanenſe, & Reg. Sen. ſummus Pont. die Dominica quinta menſis Martii, & tertia Quadrageſimæ, & ſolemnitatis divi Euſebii confeſſoris, & Cremonenſis hora decima ſeptima, Romæ in templo ibi divi Petri, & ſacello Sixti olim ſummi Pont. dum celebraret illic miſſam cantatis Euangelio & Symbolo Apoſtolorum, & ante elevationem Euchariſtiæ inſignivit Coſmum Medicæum Ducem Florentiæ, & Principem Piſarum, Senarum, Volaterræ, Aretii, Montis Altini, & Groſſeti in Hetruria, ibi aſſiſtentem inſignibus illic Magni Ducis ſumma cum pompa multis ex Italia, & Germania Ducibus id ægre ferentibus. Rex Hiſpaniæ bello proſequutus fuit Granatinos ſibi rebelles, ad illos delendum, obſeſſa & expugnata Galera eorum urbe, ibi ex illis bis millibus, & ex infidelibus tercentum, qui erant ad ejus præſidium occiſis, & ex ſuis deſideratis mille quatuor centum cum quadraginta eorum tribunis. Et ex Vienna per reliquam Germaniam, Flandriam, & Oceanum in Hiſpaniam traducta uxore Anna filia Maximiliani in ejus gratiam, & ob ingens gaudium contractum ob nuptias cum eo factas, conceſſit veniam Flandris extorribus, & rebellibus, & jus domum revertendi, abjurata impia hæreſi per eos, qui illa forent infecti, & recognita vera & Catholica religione Chriſtiana & ſanctiſſimæ Rom. Eccleſiæ; & deſtinavit adverſus Turcas bello infeſtantes Venetos ad eorum opem claſſem triremium quadraginta novem, egregie munitam materie bellica, & copiis militaribus, Andrea Doria Genuenſe duce impigerrimo. Et diſcordiam, quam habebat cum Regina Angliæ, annixus fuit tollere. Hora ſecunda noctis præcedentis diem Martis vigeſimam primam menſis Januarii fuit deliquium lunæ prius nigri coloris, & mox ſanguinei conſpecta Byzantii, & in plaga Orientali per horas quatuor; & die Mercurii decima ſeptima Maji inter horas decimam & undecimam Mediolani, dum ibi fierent Rogationes, conſuetæ illic fieri ſingulo anno per triduum poſt ſacratiſſimam ſolemnitatem Pentecoſtis, apparuerunt tres Irides cum tribus ſolibus diſtinctis, & invicem propinquis, qui durarunt uſque ad horam ſextam decimam, & in unum inter eos medium, & majorem, ac magis ſublimem coaluerunt, dum palleret ſummo omnium ibi incolarum ſtupore, & prodigio mortis Principum, ſubmerſionum, everſionum regnorum, & præliorum, & gravis epidemiæ, & terræmotuum, & afflictionum eccleſiaſticorum. Et nocte præcedente diem Veneris decima ſeptima Novembris fuit terræmotus Mantuæ & Ferrariæ prima vigilia noctis ſubſecutæ per breve tempus ſemel, & nec multo poſt iterum, & deinde ſepties, quo illic ædificia concuſſa fuerunt, & arx, ſeptem ibi pueris, & aliis ex familia ibi Ducis, qui illinc aufugere nequiverint, oppreſſis & occiſis, & alia ædificia corruerunt, & die proxima alii noningenti aliquo ſpacio interjecto, & ſingula ferme hora tres, ut Dux cum uxore & reliqua familia illinc territus acceſſerit in hortum citra urbis pomerium, ibi ſibi conſtructis tuguriis ligneis & tentoriis, in quibus

A habitare poſſent ad evitandum illud imminens periculum, & hora circiter ſecunda noctis ſequentis obſcurato aere, & maximo turbine ſuborto, & illinc ad horam clarificato, & viſa luna valde lucida, & ſtella crinita latitudinis cubitorum fere duorum, & illinc ad horas duas rurſus obſcurato aere, ut alter alterum cernere nequiret, & circa horam tertiam noctis terræmotu facto aliis vehementiore, ut nonnulli ibi homines ac domus conſiſtere poſſent, & circa horam quartam multis aliis, ex quibus turris, curia, templum majus, duodecim cœnobia, & alia templa, & ædificia, & pleraque è regione arcis, & templum divi Pauli, multorum cæde corruerunt ſemihoræ ſpacio, quo unus duravit; & B aliis tribus diebus ſequentibus luctante ſpiritu multi alii aliquo intervallo, & ſubinde plures alii, ut circiter quinque millia utriuſque ſexus, & cujuſlibet ætatis territi aufugerint in novum forum, eo trepidantibus mulieribus, & matronis aſportantibus teneros infantes ſub ulnis, & ad pectus ubique gemitu & luctu gravi, ut omnes crederent diem extremum adveniſſe, ſpacio quadraginta horarum centum quadraginta terræmotibus, & multis aliis poſt duos menſes, quibus urbs ipſa deformata remanſit, multis ex ejus incolis interemptis, & pleriſque aliis ad evitandum necis periculum per eos C derelictis tabernaculis, in quibus degerent, ſuiſque opificiis, quæ exercerent, extra ipſam per quinque & ſex millia paſſuum conſtructis tuguriis, illuc profectis, & cum aliquot tranſactis menſibus ſuos penates repetere voluerint, & rurſus terram commoveri, & tremere audiverint, illinc recedere rurſus coactis, ibi illato damno æſtimato ultra quatuor centum millia aureorum ſcutatorum. Et nocte ſubſecuta diem primam Novemb. Oceano egreſſo ejus littora in Gallia Belgica, & ibi aggere alto & lato, facto ad arcendas ejus aquas, disjecto ab ipſis aquis Antuerpiam, & multa alia loca ei proxima inundata fuerunt, illic ædificiis ſubmerſis & dirutis, & D innumerabilibus incolis ſuffocatis, & immenſo damno illato. Et in Gallia Lugdunenſe Rhodano, & aliis fluminibus, ac torrentibus ob multas & frequentes pluvias de menſe etiam Novemb. auctis in immenſum, ibi fuit ingens aquarum diluvium, gravi illic quoque multorum damno, & ex eis multis ſubmerſis. Et etiam in Hetruria & Latio auctis præter modum & morem Arno, Tyberi, & aliis ibi fluminibus, & torrentibus ob diuturnas & frequentes pluvias, Roma & Florentia fuerunt inundatæ. Et in Anglia mare aliquo ſpacio arefecit nonnullis horis, ut per illud iri tuto potuerit pedibus ſiccis. Et hyems fuit aſperrima, & præter E modum frigida ob multas & frequentes nives, quæ ceciderint in Liguria, Inſubria, & fere tota Gallia Ciſalpina, ut in aliquibus locis pedes novem exceſſerit, & ſuper ſolo uſque ad menſem Maji manſerit.

Anno proximo ſummus Pont. cum ei innotuiſſet ex relatu fide dignorum plurimis ex præpoſitis, & religioſis Ordinis Humiliatorum ſub norma divi Benedicti, inchoati in Italia anno 1070. per nonnullos Mediolanenſes, in Germaniam relegatos per Henricum IV. Cæſarem Mediolanenſibus infenſum, & deinde aucti anno 1181. per alios Mediolanenſes & Inſubres, auctoribus Guidone & fratre de Capitaneis Mediolanenſibus per Federicum Cæſarem Æ- F nobarbum Suevum demolitis Crema, Derthona, & Mediolano, captivatos & tranſmiſſos in Germaniam, & contracta pace cum Mediolanenſibus, & aliis confœderatis, auctore Henrico filio dimiſſos & reverſos in Italiam, & anno 1200. confirmati per Innocentium IV. ſummum Pont. non bene ſe habere, & nec vivere ſecundum ipſam religionem, ejuſque pia dogmata in malum exemplum & ſcandalum reliqui populi Chriſtiani, re ſæpius propoſi- A. C. 1571.

ta

ta in ſacro cœtu Cardinalium, & per eos coram ipſo ſæpius tractata, diſputata, & conſiderata, & mature diſcuſſa ex eorum conſenſu ad annihilandum ipſum Ordinem, & ne ulterius procederet, decrevit neminem amplius eam debere profiteri, ejuſque opulentos proventus conceſſit nonnullis ex ipſis Cardinalibus, non habentibus multos redditus eccleſiaſticos, & aliquibus aliis prælatis cum onere ex ipſis proventibus ſibi aſſignatis alendi religioſos, qui forent ex ipſo Ordine profeſſi, donec in eo viverent, ipſiuſque inſtituta ſervaſſent.

Et dum per Turcas ſpoliatis Venetis Inſula Cypri per centum quinquaginta millia pedeſtrium & equeſtrium, ab illis Nicoſia ibi metropoli obſeſſa, ad cujus præſidium erat Nicolaus Dandulus mille tercentum Italis, & Græcis quatuor millibus quinque centum, & ex ibi incolis bis millibus, & inſularibus mille pedeſtribus, & Dalmatis, & Illyricis quinque centum equeſtribus, & pluries oppugnata, & inter illos & ibi obſeſſos commiſſis multis præliis, in quibus plurimi utrinque occubuerint. Et Piali præfecto illorum claſſis, & Halimo ex illorum ſupremis ducibus, ſuperventis in illorum auxilium die nona Septembris anni præcedentis compulſa in jus ſuum, & ſolo æquata, quibuſcunque ibi repertis ſibi occurrentibus armatis, & qui illorum manus aufugere nequiverunt, & nec ſe ipſis permiſerunt, occiſis una cum Dandulo, & multis aliis nobilibus, & viginti millibus captivatis, Danduli abſciſſo capite a reliquo corpore, & tranſmiſſo Famaguſtam, aliam Cypri civitatem munitiſſimam maritimam, ad Aloyſium Bragadinum patritium Venetum ibi rectorem, & Hectorem Balionum, ducem ſupremum militum impoſitorum ad ibi præſidium, & mox per reliquos ex illis, ex quibus infiniti perierunt, tum ferro, tum morbo, & alios infideles centum triginta quatuor millium cum quadraginta millibus foſſoribus, Muſtapha omnium illorum ſupremo duce, ea obſeſſa, ad cujus præſidium erant quatuor millia octo centum, & plerique Itali, & ex ibi incolis, & inſularibus tria millia pedeſtrium, cum ducentum equeſtribus Epirotis, cum illorum Imperator minaretur quoque occupare quaſcunque alias regiones Chriſtianas, imperio ſuo finitimas, ſummus Pont. ad id prohibendum, & conſervandam & tuendam ditionem ipſam, & ſuccurrendum Famaguſtæ, & Turcarum, & aliorum infidelium audaciam & ſævitiem comprimendum, deſtinatis per eum legatis & nuntiis ad Maximilianum Cæſarem, Reges Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Poloniæ, ac Duces, & Principes, & civitates liberas Italiæ, tentavit ipſos in unum ſecum & cum Venetis conjungere, & una cum Venetis ac Regibus Hiſpaniæ & Luſitaniæ, ſecum conjunctis etiam Ducibus, & civitatibus liberis Italiæ, percuſſit fœdus in Turcas, & ad communem Religionis Chriſtianæ ab illis defenſionem, eorumque offenſionem, & recuperationem ditionis Chriſtianæ per illos occupatæ, die vigeſima quarta Junii, & datis ope & annona Famaguſtæ, & illic obſeſſis per Marcum Quirinum claſſis Venetæ rectorem, illuc appulſum ex Creta die vigeſima ſexta Januarii duodecim triremibus, & quatuor navibus onerariis ea onuſtis, & triremibus ſeptem Turcarum ei occurſis prælio repulſis, ex eis tribus ſubmerſis, duabuſque navibus onuſtis commeatu dando, per illos obſidentibus Famaguſtam captis, & quibuſdam propugnaculis per illos erectis ſupra ſcopulos Ganzellæ prope arcem Famaguſtæ everſis, & per Turcas ſæpius ea oppugnata ſecum per ibi obſeſſos commiſſis multis præliis, in quibus occubuerint ex illis circiter octuaginta millia cum rectoribus Tripolis, & Arabiæ, & multis aliis Satrapis, & ducibus ex decem & octo qui erant in illorum exercitu. Jo. Franciſco ex Comitibus Covi, & Carolo Regonaſco Cremonenſibus ex tribunis Italorum viriliter congredientibus, & ex quibus Covus, multis ex illis interfectis, occubuit, & dum Bragadinus, & Balio, & alii, qui ſuperfuerant ex obſeſſis, diffiſi ſpe auxilii, & oppreſſi omnium inopia ſe permiſiſſent Muſtaphæ, ſibi dimiſſa Famaguſta, eumque ſolo tantum enſe accincti acceſſiſſent una cum ipſo Regonaſco, & ex illius juſſu præter fidem ſibi datam per eum fuerint capti, & inhumaniter trucidati, Bragadino excoriato, & atroci martyrio affecto, & per eum conſtanti animo paſſo; & Alimus, & Porcaredus dimiſſo ſupremo duce Muſtaphatio ad obſidionem Famaguſtæ ſibi ex claſſe centum octuaginta ſex, & levium centum decem dimiſſis triginta, reliquis, ſuper quibus erant viginti quinque millia armatorum, irrupiſſent Cretam, & ibi mari propinquis direptis, & igne, & ferro expoſitis, & ex illic incolis captivatis octo centum, illinc progreſſi fuiſſent ad Inſulas Zacynthi, & Cephaleniæ, & etiam ex illic incolis captivatis aliis circiter ſex millibus, illinc iviſſent Corcyrium, & ex procella maritima abſorptis illorum quatuor triremibus Aſſirium, nunc Catharum, quod obſediſſent, Joannes Auſtriacus frater Regis Hiſpaniæ, adoleſcens impigerrimus, factus Dux ſupremus per ſummum Pont. ac Regem, Venetos, & alios confœderatos eorum claſſium, & per eos paratis triremibus, & inſtructis navarchis, remigibus, annona ac materie bellica congruis, & etiam aliis copiis militaribus coactis per Venetos adverſus Turcas, & tutelam ditionis ſuæ illorum imperio finitimæ, ex Hiſpania trajecit triremibus quadraginta ſuper tribus conductis ex eis Rodulpho, & Herneſte filiis Maximiliani Cæſaris, & nepotibus Regiis in Italiam, & illinc in Sicillam Meſanam, aliis triremibus viginti ſex claſſis Liguſticæ ſub Andrea Doria, & triginta Neapolitanæ claſſis ſub Alvaro Baſimano Marchione ſanctæ Crucis, & cum mox illuc applicuiſſent duodecim ſum. Pont. ac Ducis Florentiæ ſub Marco Antonio Columna, & ſex Equitum Militenſium, & centum novem cum ſex majoribus Venetorum ſub Auguſtino Barbadico, & per Auſtriacum, & præfectos earum claſſium, ac conſultores rei bellicæ ſecum degentes, re in conſilium deducta ex voto Aſcanii Cornei decretum fuiſſet claſſi Turcarum occurrere; & in mane diei octavi Septembris, & ſolemnitatis B. M. Virg. per Paulum Odeſcalcum Novicomenſem, Epiſcopum illuc deſtinatum nuntium Apoſtolicum per ſummum Pont. celebrata miſſa ſolemni in honorem Sancti Spiritus in templo ibi majori, per Auſtriacum, & fere omnes alios duces, & aliquos navarchos facta confeſſione peccatorum, & ſumpto Venerabili Sacramento Euchariſtiæ, & ſibi conceſſa per Odeſcalcum ex auctoritate ei attributa per ſummum Pont. venia omnium peccatorum, & per ipſos duces & Auſtriacum ſibi utrinque data fide, & etiam per eos duces, navarchos, & remiges præſtito opportuno juramento fidelitatis, & militiæ verſus Auſtriacum triremibus centum, ex quibus fuerunt decem Siculæ ſub Joanne Cardona, & aliis levibus, & navibus onerariis viginti quinque, & ex eis triremibus viginti quinque ſub Cæſare Davalo, omnium ſupremo rectore Alexandro Farneſio, Principe Parmæ & Placentiæ, & ſuper quibus fuerint duodecim millia Italorum, octo millia Hiſpanorum, tria millia Germanorum, & totidem ex eis nationibus voluntariorum, cum Pompejo & Proſpero Columnis, Paulo Jordano, & Virginio Urſinis proceribus Romanis, Aſcanio Cornea, Gabriele Cerpellono, & pluribus aliis proceribus ac ducibus Rom. Venetis, ac aliis Italis, Hiſpanis, ac Germanis; læto ac conſtanti animo die ſequente abiit adverſus Turcas, mari & terris diripientes, ac ferro & igne ſubvertentes inhumaniter Dalmatiam & Illyrium ditionis Venetorum; & qui intellecta profectione in illos claſſis confœderatorum,

rum, dimisso Catharo, quod obsidebant, factis inter illos & incolas ibi ac alibi illic regionum dominii sui nonnullis præliis diverso Marte, & aliquibus oppugnatis, & ex eis Antivaro, Soporto, & Dulcinio captis, & Budua direpta, ibi se eis conjunxissent aliæ triremes Ochiali, & Caracosa archipiratis ductoribus, eisque omnibus profectis Corcyrium, & illinc repulsis die decima Septembris, tribus earum triremibus classis Alexandrinæ ad ibi portum submersis, & ubique factis captivis, populationibusque redierunt Lepantum eorum classe ducentum quinquaginta triremium, super qua forent decem millia Janicerorum, & quatuordecim millia Spacchorum, confœderati, postquam impediti per aliquot dies turbine ventorum progredi, Turcis subsistentibus ad litus Galacchæ, die sexta Octobris progressi sunt in Insulam Cephaleniæ, distantem à Lepanto per triginta millia passuum, & ibi se firmarunt.

Et cum Turcæ assumptis super earum triremibus aliis sex millibus Janiceris, & sexdecim millibus Spacchis, ex illis, qui erant ad præsidium Peloponnesi pro Imperatore Turcarum, & viginti triremibus, ac duabus navibus dimissis in Cypro sub Caraperio archipirata, reliquis die quarta Octobris se appropinquassent classi confœderatorum triremium ducentum septem, ipsi ea quadripartita, & ex ipsa locatis sexaginta duabus triremibus cum quindecim levibus, & duabus magnis in fronte, quam regeret Austriacus, degentibus ad ejus triremis latus dextrum prætoriana ecclesiastica, super qua esset Columna cum Pompejo agnato suo, & Michaele Ghisilerio nepote Pontificio, & juxta prætoriana Ducis Sabaudiæ, super quam foret princeps Urbini, & in ejus ala prætoriana Equitum Melitensium, & ad latus sinistrum Veneta, super qua foret Sebastianus Venereus, & juxta eam Genuensis, super qua foret Farnesius; & in ala alia Genuensis, super qua foret Paulus Jordanus Ursinus, & alia Hispaniensis, super qua foret Aloysius Rechezenus major Commendatarius Castiliæ, Vicarius suus, & post Venetam aliis duabus Venetis, super quibus forent Catharinus Malipierus, & Joannes Lauretanus; & in cornu dextro, quod regeret Doria, sexaginta tribus cum aliis duabus etiam magnis; & in sinistro, quod duceret Barbadicus, cum Marco Quirino, & Antonio Canale, quinquaginta tribus cum duabus aliis magnis; & in parte posteriori, & subsidiaria, quam tenerent Marchio Sanctæ Crucis, & Joannes Cardona præfectus classis Siculæ, cum Octavio Gonzaga, Vincentio Vitellio, & aliis proceribus Hispanis cum associantibus, triginta octo in illos trajecissent, eosque ad Insulas Echinades, nunc *Cozolari*, obvios habuissent; & ipsi quoque divisa illorum classe triremium ducentum tredecim in quatuor partes, ex qua primam tenuerint Porcaredus, degens ad manum dextram cum quinquaginta, & Ochialus ad manum sinistram cum præfectis Alexandriæ, Algerii, & Mitylenæ triremibus nonaginta, & parvis quinquaginta; & sinistrum Caracanus, & partem subsidiariam Siroclus: & per Austriacum & Joannem Cardonam classe sua & confœderatorum lustrata, ejusque militibus exhortatis ad pugnam, & quibuscunque, qui erant super ea, captivis libertate donatis die Dominica septima Octobris, & solemnitatis divæ Justinæ destinatis in illos sex magnis triremibus vento prius sinistro, & mox dextro, & elevatis duobus vexillis ex trireme Austriaca, super quorum altero foret picta imago Domini Nostri Jesu Christi, & in altero B. Mariæ Virginis ejus Matris, & pulsatis tubis, & oneratis tormentis bellicis bis, ter, quater, & quinquies per confœderatos, multæ triremes ex illorum classe irruissent in frontem, & utrunque cornu confœderatorum invicem concursum fuit ardenti animo, inchoato prælio hora decima septima, & dissipatis decem triremibus confœderatorum, eorumque cornu dextro concurrente cum sinistro hostili, quod regebat Ochialus, multum laborante, ei data ope per Austriacum, & Marchionem sanctæ Crucis, & sole oculos Turcarum verberante, & summo Pont. Romæ continuis precibus Deum exorante, prævalente Barbadico, Ochialus, dimissa victoria nostris, aufugisset viginti quinque triremibus, & decem liburnicis una cum Caracalio Amirato, & Elia Genuense archipiratis infidelibus Naupactum, & victoria ad nostros inclinata per captivos Christianos, qui erant super illorum classe in vinculis, eis fractis, & in illos assumptis armis, & ex spiculo sagittæ percusso Barbadico super supercilio, & mox mortuo, nostri victoriam prosecuti fuerunt usque ad noctem, ex hostilibus triremibus submersis viginti quinque & quindecim combustis, centum septuaginta unam cum quadraginta levibus ceperunt, inter quas fuerunt triginta novem prætorianæ, occisis Porcaredo, & Alimo percusso ictu pilulæ emissæ ex sclopo in capite, mox cum cecidisset, per Hispanum capite ei amputato, & delato ad Austriacum, & cuspidi infixo, & in aera sublato in hostes, & Caracosa, ac rectoribus Mitylenæ, Sicyon, Chii, Rhodi, Nauplii, & aliis viginti Satrapis cum quindecim millibus gregariis militibus, & nautis tum occisis, tum obrutis, & rectore Chalcidis, cum aliis tribus Satrapis, & duobus filiis Alimi, & multis aliis ducibus, & quatuor millibus militibus captivatis, & ab eis recuperatis captivis Christiani nominis penes ipsos duodecim millium, & super illorum triremibus repertis ducentum millibus aureis, cum alia supellectile, & materie, ac annona immensi valoris; & divisis inter confœderatos captivis, & triremibus, ex eis viginti septem, cum captivis octo centum octuaginta & uno, pervenerunt summo Pont. & octuaginta, cum septem centum captivis Regi Hispaniæ, & quinquaginta, cum mille ducentum sexaginta duobus captivis Venetis, & ex nostris triremibus submersis tamen septem, una scilicet Pontificia, alia Equitum Melitensium, alia Ducis Sabaudiæ, duabus Siculis, & totidem Venetis, quarum una fuit Marci Antonii Molini, & altera Hieronymi Georgii Cretensis, & alia Genuense Marci Antonii Ciconii, & desideratis Barbadico, Andrea ejus agnato, Benedicto Soprano, Marco Antonio Lando, Antonio Pasqualigo, Vincentio Quirino, Hieronymo & Marino Contarenis, Catharino Malipietro, Joanne Lauretano, Francisco Molino, Theodoro Balbo, Francisco, Stephano, & Hieronymo Corneliis patritiis Venetis, Virginio & Horatio Ursinis proceribus Rom. Offredo Justiniano Genuense, Francisco Bonsforzato, Joanne Baptista, Benedicto, & Jacobo de Marcio, Antonio Moliaco ex Insula Cephaleniæ, Jacobo Ursino Vicentino, Benedicto Cyprio, Hieronymo Risarco ex Catharo, & Andrea Salerno Cretense, cum navarchis octo millibus, & totidem aliis vulneratis una cum Austriaco, Paulo Jordano, Sforcia Regulo sanctæ Crucis, Troilo Sabello, Marco Molino, Thoma Medicæo, Raynerio Bifolo, Marcellino Guizardino, Spina Mazengho, Julio Haldino, Joannino Mugialio, Jo. Maria Puceo, Tornabono Filiacio, & Federico Martello.

Et die vigesima octava Octobris classis Regis Lusitaniæ nonnulla navigia ex Africa tendentia ad subsidium Turcarum, dum illis occurrisset in mari Africo, invicem facto alio prælio profligavit. Et dum confœderati assecuta victoria in portum ibi propinquum se recepissent, ibi illico suborta procella maritima, quæ, cum essent in loco tuto, eis nequaquam nocere potuit, per triduum subsistendo festum & gratias egerunt omnipotenti Deo ob ipsam victoriam, & ob eam, & alteram Regis Lusitaniæ asse-

assecutas ex gratia Dei Opt. & Max. ob frequentes preces ei factas per summum Pont. & reliquos catholicos, factæ fuerunt rogationes Romæ, Neapoli, Messanæ, Mediolani, Florentiæ, Genuæ, Venetiis, & alibi in Italia, ac Hispania, ac alia ditione Christiana, & ingentes actæ gratiæ omnipotenti Deo, & ostensa multa & diversa signa ingentis lætitiæ. Cremonæ inchoatus fuit Ordo laicorum, incedens indutus indusio telæ coloris albi usque ad calcem, sub titulo Divæ Mariæ Misericordiæ, dum comitatur illos, qui damnati fuerint ad ultimum supplicium ob illorum demerita, sibi electo loco eorum congregationis in ædibus confraternitatis divi Hieronymi in Parochia ibi majori, & prope forum majus. Hispaniensium quatuordecim millia, ex quibus fuerunt octo millia Italorum, quinque millia Germanorum, & Hispanorum mille, eorum ductore Beltramo, nepote Ducis Alburgiecchi Insubrum Regii rectoris, coacti in Insubria illinc profecti ad Finale, oppidum constructum juxta mare in Liguria versus Galliam Narbonensem, illud obsederunt, & in potestatem suam redegerunt, & cum ibi Marchio in partes Regis Hispaniæ inclinasset, illud ei, quem prius suspicabatur, ne vellet amplecti partes Gallicas, seu transire in jus Cæsaris, dimiserunt, præter ipsius arcem præsidio Hispaniensium munitam die decima octava Junii. Maximilianus Cæsar, Stephano Sepusio rege Ungariæ mortuo, nulla post se dimissa prole, de mense Februarii per eum sibi legata Transilvania eam habuit. Gabriel della Queva, Dux Alburgeti Hispanus, & regius rector supremus in dominio Mediolani, & Vicarius in Italia, homo integerrimus, circiter dimidium noctis præcedentis diem Martis vigesimam primam Augusti obiit ex febre contracta labore itineris, quo comitatus fuit usque Brixellum Rodulphum & Hernestem filios Maximiliani Cæsaris, ex Hispania redeuntes in Austriam ad ipsum, eique surrogatus fuit Alvarus Sandeus etiam Hispanus, & olim rector legionis Hispanorum veteranorum, ipsique mox suffectus Aloysius Rechezenus major Commendatarius Castiliæ, & Hispanus. Brocardus Secundus ex Illustribus Comitibus de Persico Cremonensibus, & intimis familiaribus Serenissimi Regis Hispaniæ, & per eum insignitus munere præfecturæ stabuli equorum suorum, & mox castrorum ejus exercituum in dominio Mediolani, & regiminis Siciliæ, & legationis penes Pium IV. summum Pont. & ex Equitibus Rhodiensibus Divi Joannis Baptistæ, Mediolani decessit hora septima noctis præcedentis diem Lunæ vigesimam tertiam Aprilis, ejusque cadaver illinc fuit conductum Cremonam, & sepultum in sacello dicato D. Jo. Baptistæ, & per majores suos erecto in templo monasterii divi Dominici, & ejus sumptu reformato. Annus fuit sterilis ex aeris intemperie & ex humo productis nonnullis vermiculis, à quibus siliquæ fabarum, & vitiæ, dum penderent in agris immaturæ, comestæ fuerunt, multa tamen copia milii subsequuta in Insubria, & fere tota Gallia Cisalpina.

A. C. 1572. Anno sequente, Cremonæ prætore Francisco Rincono, J. C. Hispano, & Regio Mediolani Senatore, & Aloysio Rechezeno magno Commendatario Castiliæ, Vicario regio in dominio Mediolani, & de mense Februarii percussa fulgure statua Angeli ex aurichalco affixa super arbore in summitate arcis sancti Angeli, & projecta in terras. Pius V. Pont. Maximus, postquam sedit per annos sex, mensem, & dies viginti unam in Sede Apostolica, valde aucta religione Christiana, depressaque multum hæresi, & emendatis multis abusibus ecclesiasticorum & sæcularium, eoque auctore secum, & cum Venetis bello gravi infestatis per immanissimum Imperatorem Turcarum in illum, & ad defensam Venetorum contracta societate per Regem Hispaniæ, & in unum coactis classibus inita pugna in mari Jonio cum classe Turcarum die septima Octobris præcedentis, eaque profligata gravi illorum strage ex gratia omnipotentis Dei concessa, ut creditur, ad frequentes preces hujus summi Pont. & per eum creatis Cardinalibus viginti, & uno cum Michaele Bonello nepote suo obiit ex morbo calculi Romæ, non sine nomine sanctitatis, hora vigesima secunda diei Jovis primi Maji, ejusque cadaver jussit transferri ad vicum Boschi agri Alexandrini, unde fuit oriundus, & sepeliri in templo ad honorem divi Mauritii martyris ibi erecto ejus jussu, & sumptu, & culto per Religiosos Ordinis Prædicatorum de observantia divi Dominici, cujus Ordinem professus fuerat, habitantes in ædibus valde magnificis prope ipsum templum, erectis etiam jussu & sumptu ipsius. Et die Martis tertia decima, hora vigesima prima per Cardinales, qui Romæ fuerunt, ingressos conclave vespere præcedente non exspectatis aliis, concorditer electus fuit summus Pont. Ugo Compagnonus Bononiensis, ex mediocri familia, annorum circiter septuaginta unius, & creatus Cardinalis die duodecima Martii 1565. per Pium IV. tunc summum Pont. ob ejus eximiam doctrinam, & experientiam rerum, ac probos mores, & multam peritiam in utroque Jure, & nominatus fuit Gregorius XIII. & unctus, & coronatus die Dominica decima septima, ejus titulo, & dignitate cardinalatus tit. sancti Sixti concessis Jacobo Compagnono, ejus nepoti ex fratre, & qui omni re posthabita operatus fuit, ut societas inita cum ejus prædecessore ac Venetis in Turcas, per Regem Hispaniarum confirmaretur, secum additis quoque Sebastiano Rege Lusitaniæ, ac Ducibus Sabaudiæ, Urbini, Ferrariæ, Mantuæ, Florentiæ, & Parmæ, & eorum communibus sumptibus procuravit muniri classem adhuc sub Joanne Austriaco. Et Collegium Germanorum annuis & perpetuis proventibus aureorum decem millium auxit, ut in eo possent alii centum Germani, qui vacarent litteris & sacræ Theologiæ, qua possent impugnare hæresim impiam in Germania debacchantem. Flandrenses tumultuarii Aurentiorum Principe duce occuparunt die prima Aprilis Brussellas, & sexta, qua celebratum fuit Pascha, Flissingam oppidum Zelandiæ munitissimum, & mox Nassovio, fratre Principis Aurentiorum, duce civitatem Montium primariam Annoniæ, & octava die Valenzenas, unde non multo post expulsi fuerunt per Hispanienses, & decima nona Junii Aquas Veteres Hollandiæ, & vigesima quinta Goudam, Dordracum, Harlemum, & Leidam, & in Zelandia Venense oppidum, & Zerchineam, & die vigesima sexta Corconariam, & eodem mense Alemaniam, & Ruremundam die vigesima Julii, & die ultima Augusti Mechliniam mox recuperatam, & direptam per Hispanienses, & die septima Septembris Narsense oppidum etiam Brabantiæ, & mox Zutelanium, & multa alia loca ibi incolis ob grave tributum eis impositum per Ducem Alvæ in eum indignatis, ibi per illos perduelles hæreticos templis, monasteriis, & ædibus religiosorum & catholicorum direptis & eversis, & statuis, & imaginibus sanctorum inde abrasis, projectis, & fractis, ossibus, & reliquiis sanctorum, sacramentis baptismatis, eucharistiæ, & olei sancti pedibus ignominiose conculcatis, & quibuscunque religiosis, & catholicis, qui illorum manus aufugere nequiverint, affectis diverso martyrio, quod plerique constanter pertulerunt, & trucidatis, & male tractatis, in ea regione, & Germania, ac Gallia gravi omnium penuria vigente, & ob hanc rebellionem Hispanienses triremes aliis confœderatorum jungi non potuerunt, nisi lapsa æstate, sed Hispanienses apud Flandros degentes Montium civitatem Annoniæ per tumultuarios

occupatam, ut præfertur, & in qua esset Comes Nassovius ad ejus præsidium equestribus quinque centum, & pedestribus mille tum Flandris, tum Germanis, tum Anglis hæreticis obsederunt & oppugnarunt, & cum quinque millia pedestrium, & mille quinque centum equestrium ex Gallis, illuc ad auxilium ex Gallia transmissa per ibi amiratam, secum multis aliis coactis copiis nixi fuerint ei opem & annonam ferre, facto cum illis prælio illos inde repulerunt, ex eis multis occisis, & multis captivatis cum illorum duce supremo, & fere omnibus furcis suspensis, & reliquis per rusticos finitimos trucidatis, & cum mox Princeps Aurentiorum aliis copiis tentarit idem facere, & nec potuerit, superventis Germanis partes regias sequentibus, & stipendio conductis, & ex eis aliquibus Valenzenas, & aliquibus Buschudium destinatis, & die vigesima quinta Augusti occupato monasterio ibi propinquo illic occisis præsidiariis, eam die ultimo oppugnarunt, & Princeps Aurentiorum ex consilio nonnullorum Gallorum, dum Hispanienses superventis pluviis diffisi ipsam expugnare, intenderent eam deserere, occupavit Mechliniam, & mox oppugnavit Lovanium, & illinc fuit repulsus per ibi incolas, ex ejus copiis illic cæsis circiter tercentum, & mox sibi soluta pecunia illinc abiit, & cum ex illius copiis die sexta Septembris bis mille equestres Germani, & ipse reliquis die octava ad auxilium civitatis Montium iverint, & in castra Hispaniensium eam obsidentium irrumpere nixi fuerint, & illinc per Hispanienses quoque repulsi fuerint, ex illis occisis pedestribus circiter quinquaginta, & equestribus quadraginta, Aurantius ivit Valenzenas, & mox illinc rediit ad civitatem Montium, & prope ipsam combustis nonnullis pagis, illinc abiit die undecima, & Hispanienses pedestres mille quinque centum, & velites quinquaginta superinduti indusiis albis eum insequuti, & media nocte ingressi ejus castra, ibi occisis excubiis, ex illius militibus interemerunt circiter quinque centum, & multos alios vulnerarunt, & illinc multos eorum equos abduxerunt, Aurantio inde reliquis ex fuga prolapso in Brabantiam; & mox reversi ad obsidionem Montium reliquis die tertia decima, & quarta decima Septembris oppugnarunt, & cum die sexta decima gravius oppugnare intenderent, eam se permittentem illinc permisso abire Comite, cum aliis ducibus, & militibus mille quinque centum eorum armis, & tot bonis, quot potuissent ferre absque vexillis die vigesima quarta receperunt, & incolæ, qui illic remanserunt, una cum eorum clero habuerunt solemnes rogationes ad omnipotentem Deum.

Et Comes suis accessit in Frisiam, & Galli iverunt in Picardiam, & Dux Alvæ, dimisso congruo præsidio in civitate Montium, reliquis accessit Butitium, illinc distans per tria millia passuum, & die ultima Septembris Mechliniam, eamque obsedit, & cum ipsam intenderet oppugnare, eam rebelles dimiserunt, & cum ibi incolæ spe veniæ obtinendæ ad Ducem Alvæ destinassent legatos, & reliqui incumberent rogationibus divinis, Hispanienses ipsam ingressi die secunda Octobris nullo resistente eam diripuerunt, & solo æquarunt, exceptis templis & monasteriis, præter mentem Ducis Alvæ, & bis mille equestres ex ipsis insequuti illos, qui illinc aufugerant versus oppidum Driastense, eosque assecuti occiderunt, & spoliarunt omnibus bonis, quæ secum asportabant, Principe Aurentiorum, qui illic ante per quatriduum fuerat, suis pedem referente ultra flumen Mosæ, & aliis rebellibus fere ex tota Hollandia, Zelandia, Frisia, & Brabantia, præterquam ex Flessinga Zelandiæ, & Arlemo Hollandiæ expulsis, ibi omnibus ferme eversis; & ex quibus dum expulsi ab Argu ivissent Amingam ex insulis Hollandiæ duobus tormentis bellicis illinc repulsi fuerunt per Hispanienses egressos Middelburgum & Amassam, ex illis occisis circiter sexcentum, & eis adeptis tormentis bellicis una cum navibus, quibus illuc trajecerant, & quas combusserunt. Et dum die vigesima rebelles obsedissent insulam Argu Hollandiæ, ex Hispaniensibus tria millia illuc profecta per aquas profundas è mari effluxas spacio duodecim millium passuum ei opem tulerunt, ex illis occisis supra octo centum cum ducibus eorum Gallicis, dum destitutis ab aquis navibus, quibus illuc trajecerant, aufugere non potuerint, aliis illinc ex fuga prolapsis intellecto adventu Hispaniensium, die vigesima quarta obsessa quoque Albinga, ex eis quoque rebellibus, dum aufugissent ex Aldernardo per eos occupato, die septima Septembris audita receptione Mechliniæ, ut irent Flissingam sexaginta duobus captivatis, & furcis suspensis. Et de mense Septembris obsesso Zutifeno Zelandiæ, in quo erant mille ducentum rebelles, & receptis suburbiis multis illinc aufugientibus occisis, & quatuor centum quinquaginta & uno captivatis, & projectis in mare, & in ejus aquis suffocatis, & expugnato propugnaculo Sparadami munitissimo una cum Nardense oppido Leidæ, & multarum aliarum urbium, & oppidorum ex Hollandia, incolis se eis permittentibus receptis, ac direptis etiam Termonda & Aldrado. Et cum Auriacus intenderet repetere Ruremundam, ejus militibus passim omnia illic circumvicina diripientibus, Dux Alvæ plerisque suis copiis accessit Trajectum, & ibi ab se dimisit plerosque equestres, & cum multi ejus regionis incolæ ad eum supplices accesserint, illos in sui gratiam recepit, & die decima septima Octobris nonnullas copias transmisit Ruremundam ad præsidium, & cum multa oppida ibi ab hæreticis dimissa se ei permiserint, ivit die vigesima sexta Neumagum hybernatum, & illinc dimissis Duce Olsatiæ, & Henrico Duce Pruincense suis copiis, quas penes eum habebant, accessit obsessum Zeutafaniam paludibus circundatam, & quam cum oppugnasset die quarta decima & quinta decima Novemb. inde aufugientibus perduellibus die sexta decima Hispani & Burgundiones eam ingressi sunt, nonnullis ibi militibus, qui dimissi fuerant ex urbe Montium, ab eis exacto juramento, ne militarent adversus Regem Hispaniæ, deprehensis, & pedibus suspensis, & sclopis in eos displosis pilulis confossis & occisis; & diebus decima octava & decima nona ex eis aliquæ copiæ iverunt ad Narsense oppidum, & aliquæ ad alia loca, & Narsense expugnato, direpto, & combusto, ibi omnibus fere occisis, dum tercentum Galli ex illis, qui quoque dimissi fuerant ex urbe Montium, incolumes sub præmisso juramento noluerint eis resistere. Et reliqui populi Hollandiæ exacerbati cæde Nardisensium, pertinaciter in rebellione perseverarunt præter Austodoromenses ex ibi primoribus, qui semper in fide Regis perstiterunt, hæreticis, dum die decima octava Decembris eorum urbem nixi fuerint occupare, inde die sequente prælio repulsis multorum cæde, ex suis tamen desideratis circiter triginta tribus, & mox Federico filio Ducis Alvæ profecto Arlemum, non ignobilem urbem Hollandiæ, multa militum manu, & die decima Decembris ibi aggere occupato, & ex hæreticis, qui erant plurimi ad ejus præsidium, occisis circiter centum, & multis aliis vulneratis, & plerisque aliis, dum voluerint illinc aufugere, in aquis submersis, ea die sequente ad Septentrionem & Austrum obsessa, & cum nonnulli hæretici pedestres & equestres ad ejus opem irent, nonnullis cohortibus Hispanorum & Germanorum sclopetariorum in illos transmissis, & utrinque commisso certamine ipsis repulsis, ex eis circiter septem centum occisis, reliquis aufugientibus post se dimissis vexillis septem pedestrium, & uno

uno equestrium, & pago, in quo substiterant, direpto, & dum ex obsidentibus Germani & Burgundiones illud ingredi nixi fuerint, die vigesima per obsessos sclopetis displosis, & lapidibus projectis in eos ipsis repulsis, ex eis tum submersis, tum exstinctis circiter ducentum, & die vigesima nona ad ejus subsidium sclopetarii septem centum Galli illorum sectæ illud ingressi sunt.

Ad comprimendum Cremonensium nimium luxum, & epularum sumptum, & valde frequentem usum tripudiorum, institutus fuit ordo saluberrimus à præfectis administrationis eorum Reip. & approbatus per excelsum Senatum Regium in dominio Mediolani, pœna eum servantibus pecuniaria imposita, & eorum delatoribus præmio proposito. Byzantii per triduum conspecta fuit in aere Crux valde fulgens, & quæ, dum in eam ibi infideles pilulas plumbeas ex archebusiis disploderent, abscondebatur, & rursus apparebat. Et Damasci, & Hierusalem conspecta quoque aquila cum coronis ad pedes, quibus ac rostro eas lacerabat. Et in pago Aristoderami natus est die undecima Decembris infans biceps gemino dorso, & octo pedibus, & statim periit. Et Cremonæ mense Julio ex Sarra, nuncupata Serena, uxore Moysis de Sathan vicus sancti Nicolai Hebraicæ sectæ natus est infans cum capite bovino. Et hora decima diei Mercurii quarti Junii ibi & Parmæ fuit terræmotus, quo aliqua ædificia Parmæ corruerunt; & hora secunda noctis præcedentis diem vigesimam sextam fuit deliquium lunæ per horas duas, & totidem minutos, ex quo ejus corpus fuit obscuratum punctis quatuor, & minutis duodecim. Et hora tertia noctis præcedentis diem Veneris quartam Julii suborto turbine vehemente in aere cum ventis, nimbo, tonitribus, & fulguribus cecidit grando multis in locis agrorum Cremonensis, Laudensis, & circumvicinorum, & exstirpatæ fuerunt multæ arbores, prostrata ædificia, & damnificatæ uvæ, & alii fructus super solo ibi pendentes. Hyemsque fuit præter modum frigida ex multa nive, quæ cecidit, & remansit super humo fere per totum mensem Januarii subsequuti. Partenia Gallarata, uxor Mag. J. C. Jo. Baptistæ Maynoldi, litteris Græcis & Latinis erudita, decessit die sexta Augusti.

A. C. 1573. Anno sequuto, Antonio Guzmano Marchione Ayamontis procere Hispano substituto Aloysio Rechezeno, magno Commendatario Castiliæ, destinato ad regimen Galliæ Belgicæ, & regionum finitimarum loco Arnandi Toletani Ducis Alvæ, in dominio Mediolani, ac Italia Hispanienses, Federico ipsius Arnandi Ducis filio ductore, ac Comite de Bosu Regio Hollandiæ præfecto, obsidentes Arlemum, & capto ibi propugnaculo ex ibi obsessis, & rebellibus circiter bis millibus armatis, illinc egressis in castra Hispaniensium mense Januario, & secum manibus collatis progressis usque ad tormenta bellica, quibus oppugnabatur civitas, & illinc nonnullis ex eis occisis pede relato in ipsam civitatem, die proxima ad reprimendam illorum audaciam, & delendam hanc ignominiam ex eis tercentum armatis archebusiis, per alios vallis & propugnaculis ab ipsis adversus eam erectis, & plerique Valenses in aurora ejus mœnia conscenderunt, & cum nonnulli ex ipsis in eam descendissent, per obsessos accenso pulvere tormentario ab illis ibi in loco subterraneo exposito, ex eis plerique illic remanserunt exstincti, & alii compulsi fuerunt eam regredi. Et cum viginti currus onusti annona in ipsam ducerentur, eos interceperunt, & duxerunt in castra, & mox obsessis subministrata annona, & dato subsidio per Hollandos & Zelandos illorum sectæ, & in media civitate erecto propugnaculo, & super eo impositis tormentis bellicis, & exoneratis in Hispanienses à globis ferreis ex eis displosis gravi affecti remanserunt damno. Et per Burgenses ibi populos Principe Aurentiorum rebellium supremo duce penes illos moram trahente expulso, & die septima Januarii per rebelles navigiis occurrentes aliis duodecim ex Hispania in Galliam Belgicam trajicientibus per mare Gallicum, & dum pervenerint apud Ramingam oppidum, eis interceptis, & utrinque commissa pugna, ex ipsis quinque redactis in illorum potestatem, & aliis in ea conjecto igne combustis, & mox, cum nixi fuerint occupare Amstelodamum Arlemo propinquum, & per ibi incolas fuerint repulsi, aliquorum suorum, & illorum multa cæde, & copiæ auxiliares Italorum, Burgundionum, Hispanorum, & Germanorum, partes Regias sequentium, Arlemum applicuissent in subsidium illud obsidentium, & Aurantius nixus mari ac terris subministrare annonam, & materiem bellicam, ac milites recentes obsessis quinque millibus veteranis, & octo millibus ibi incolis dura oppressis fame, repulsus fuerit per Hispanienses, ex illius copiis occisis mille sex centum, & per eos post se dimissis quatuordecim signis militaribus, decemque tormentis bellicis, & tercentum curribus annona onustis, & ab obsessis, ut duram famem lenirent omnibus fere equis, canibus, felibus comestis, & per plerosque ex eis viginti diebus prorogata vita tergoribus bovum sale conditis, & aqua maceratis, & siti per mensem sola aqua sedata, una salis tantum copia semper habita, & ex quinque millibus præsidiariis militibus tribus millibus quinque centum tum fame, tum morbo, tum gladio, inter eos ac Hispanienses factis multis præliis, exstinctis, postquam ipsa urbs obsessa fuerit per menses septem, & sæpius oppugnata die tertia decima Julii, ibi incolis & militibus reliquis se permittentibus arbitrio Hispaniensium, eam receperunt in sui potestatem, & per ipsos concessa fuit vita incolis, præterquam nonnullis seditiosis, & fuerunt dimissa bona pro eorum pretio, solutis per ipsos Hispaniensibus florenis ducentum quadraginta millibus, & cum inter milites reperti fuerint Guascones circiter sexcentum, & Angli tercentum, qui ex civitate Montium dimissi illuc se contulerant præter juramentum ab illis præstitum, Guasconis suspensis laqueo una cum nonnullis Arlemi incolis seditiosis, & aliis exsutis vestibus præter camisiam, & abductis extra civitatem, & præcipitatis in aquas, & Germanis venia data.

Et cum Dux Alvæ Hispanienses, & multos alios proposuisset classe destinare in Zelandiam ad auxilium Middelburgi, ibi per rebelles obsessi, ipsi Arlemum ingressi eo occupato recusarunt ipsi parere, & illinc abire, nisi sibi soluto stipendio integro quadraginta mensium, quod promeruissent, & nec habuisse dixissent; & mox ex eis aliquæ copiæ profectæ Flissingam, ut eam obsiderent, & rebellibus eis occurrentibus repulsæ, mox aliis copiis secum conjunctis reintegratis viribus eam obsederunt. Et hæretici Hollandiæ Rustivero exsule duce occuparunt Alerinam, & dum illic incolæ eorum sectæ tenerent portam occidentalem, & catholici tenerent portam meridionalem, & per eos accersiti ad eorum opem Hispanienses, & ex eis tres cohortes, & duæ turmæ, & Hollandiensium catholicorum tres legiones cum tribus tormentis bellicis murariis illuc destinatæ die sexta decima Julii, eo sunt tarde profecti, impeditæ in diripiendis bonis ruralium Hesloe, & Asmunde. Joannes Austriacus frater, & Dux supremus classium Regis Hispaniæ, eis onustis Hispanis, & Italis sub Ferdinando, & Octavio Gonzagis, Paulo Sfortia, Marcello Doria, & Joanne Cardona, atque Germanis, inter quos fuerint multi alii proceres tum Hispani, tum Itali, & præsertim Romani, & multa annonæ copia, & materie bellica, ex Sicilia trajecit in Africam, & ibi

Tunetum per Numidas, & alios infideles, qui erant ad ejus præsidium dimissum, cepit, & dimisit Muleassi, illius Regi illinc expulso, ibi ad præsidium Hispanis & Italis impositis sub Pagano Doria, & Gabriele Cerpellono ibi facto rectore, & ad ipsum muniendum jussis fieri propugnaculis; & cum tria millia quatuor centum ex Turcis cum nonnullis Numidarum copiis, profecti Bisertam, eam nixi fuissent occupare, & per ibi incolas, & nonnullos captivos Christianos penes eos degentes, illis prælio fusis, sibi trireme & galiono, super quibus erant, interceptis die decima tertia Octobris, Bisertani missis ad Joannem Austriacum legatis se ipsi permisissent, eam recepit, & Amida rege Tuneti, qui auctor fuisset discordiæ & perturbationis regni Tunetani, illius hæredibus illinc expulsis, & cum adversus Tunetanos male se gessisset, Turcæ illud invaserant & occupaverant, captivato, & è Guletæ propugnaculo cum uxore & liberis super trireme in Siciliam destinato & relegato, & cum Muleasses ei jurasset, se uti clientem & vasallum Regis Hispaniæ ei præstiturum quicquid sibi impositum fuisset, & ex Tunetanis quadraginta millia, qui illic dimissis omnibus bonis aufugerant Bisertam & Caramiam, supplices illuc reditum obtinuissent, & reversi fuissent, classe & milite incolumi Neapolim ovans rediit.

De mensibus Julii, Augusti, & Septembris viguit gravis controversia inter Carolum Borromæum ex Cardinalibus sanctæ Rom. Ecclesiæ, & Archiepiscopum Mediolani, ejusque Vicarium Jo. Stephanum Belvisium ex una, & Aloysium de Rechezeno Commendatarium Castiliæ Rectorem, & Præsidem Excelsi Senatus, & supremum Cancellarium, & Camillum Cathaneum vindicem generalem criminum in dominio Mediolani, & alios ibi Magistratus Regios ex altera, pro conservanda eorum jurisdictione ob litem motam ad officium Archiepiscopale per Moniales divi Michaelis in vico Gallarati Ducatus Mediolanensis, adversus Franciscum Restam pro nonnullis bonis, quæ Moniales prætenderent earum monasterio debere dimitti per Restam, Rectore, Præside, Cancellario, & Vindice ob id excommunicatis per Borromæum, & per ipsos ab ejus excommunicatione interposita appellatione ad sanctissimam Sedem Apostolicam, destinato ob id Romam Politonio Mediabarba patritio Papiense, & J. C. & Regio Senatore eruditiss. & ibi mortuo, & multis aliis utrinque factis, tandem sedata fuit. Et die Mercurii decima mensis Augusti Jo. Baptista Gaudentius Ferrariensis super foro Capitanei vivus combustus fuit ob hæresim, in quam, dum esset ex religiosis Heremitarum de observantia divi Augustini, inciderat, & cum mox ab illa resipuisset, ab ea absolutus fuerat, & deinde relicta religione in illa relapsus vagatus fuerat, & iverat Genevam asylum hæreticorum, & ibi ducta uxore, illic, & in Gallia Transalpina concionatus fuerat adversus religionem Christianam, & mox assumpto habitu clericali docuerat litteras grammaticales in oppido Brixelli, ubi captus fuerat, & illinc ductus Cremonam in manus ibi hæresis Inquisitoris, & per ipsum adversus illum instructo processu condemnatus per judices illius supremos in urbe, & in mane diei Mercurii præcedentis solemniter degradatus per Nicolaum Sfondratum illic Episcopum, assistentibus Abbatibus Canonicorum Regularium monasterii divi Petri, & Monachorum Montis Oliveti, residentium in ædibus divi Laurentii ipsius civitatis, & innumerabilibus ibi incolis. In Hollandia mense Januario Lovanium, propinquum Oceano & flumini Mosæ, inundatum fuit ab illorum aquis præter modum auctis. Apparuit stella crinita horribilis in Piscibus circa ultimam partem. In Gallia Cisalpina ex nimio & diuturno frigore hyemalis, & verni temporis, plerisque agri Cremonensis & Insubriæ vitibus arefactis, & ex reliquis, dum tota die quinta decima Junii, qua deflorescerent, pluviæ ceciderint, racemis madefactis, & granis ab eis productis fere omnibus vitiatis, & mox effluxis, & dum florerent segetes ex frequentibus caliginibus contaminatis granis, quæ ex eis fuerant producta, tum corruptis, tum diminutis, successit vini & grani gravis penuria, quæ duravit in annum sequentem, & donec eo facta fuerit granorum & uvarum collectio.

A. C. 1574.

Anno subsequuto, Cremonæ prætore Marco Antonio Aresio Mediolanense J. C. & Sen. Regio, in Gallia Belgica Ludovicus Comes de Nassau, & Joannes, fratres Principis Aurentiorum ducis supremi rebellium ibi, & in Germania inferiori supposita Regi Hispaniæ per illos obsessa, & occupata civitate Middelburgi maritima Zelandiæ, dum ibi non esset annona, & Hispanienses annonam ac opem ipsi ferre mari nixi fuerint, & nec potuerint impediti procella, illinc militibus, qui erant ad ejus præsidium, dimissis eorum armis, & bonis præter ipsorum ducem supremum, & nonnullos alios commutandos cum captivis, quos Hispanienses penes se ex illis habebant, & data venia ibi incolis, sibi concessis eorum bonis non mercantilibus, irruperunt una cum Christophoro, & fratre, ex filiis Comitis Palatini, & multis aliis proceribus, & tribus millibus equestribus, & circiter octo millibus pedestribus, tum Gallis, tum Flamingis, tum Germanis, tum Anglis, tum Scotis illorum superstitionis, & ex Zelandia, Geldria, & Hollandia multis aliis quoque occupatis, illinc irruerunt in Brabantiam, & ibi intercepto Septemburgo, ejusque, & ipsius totius regionis agris ferro, igni, & prædæ expositis, dum intenderent occupare proditione arcem Antuerpiæ, & multa alia ex ea inclinantium in illorum impium votum, secum conjunctis multis aliis equestribus, & pedestribus ex illis secum confœderatis die decima Februarii obsederunt civitatem Trajecti inferioris, vulgo *Mastricci*, propinquum flumini Mosæ, & cum patefactis conjurationibus, & aliquibus ex earum consciis carceratis tercentum Hispani, & sex centum Valenses pedestres, & quatuor centum equestres, Santio de Anvilla Hispano procere ductore illuc, ut ei opem ferrent, accederent, & per eos Septemburgo, & aliquibus aliis, per rebelles occupatis, recuperatis, & mox secum junctis aliis, in eorum subsidium destinatis per Aloysium Rechezenum Commendatarium majorem Castiliæ, & dum navigia in flumine Mosæ exsistentia, ne illud ipsis conjungerent, rebelles ac socii illinc abducerent, & ipsi ad id impediendum eis occurrerint, utrinque facto prælio succubuerint ex illis occumbentibus circiter sex centum, & multis aliis vulneratis, & in auxilium Hispaniensium superventis aliis bis millibus Hispanis Gonzale de Buccamonte, & Mondragone ducibus ex Hollandia cum nonnullis cohortibus Valensium ex illis, qui erant ad præsidium Brussellarum, Lovanii, & Filimontis, & equestribus armatis archebusiis procere Samburgo duce, & turma Burgundionum, & aliis velitum Joanne Baptista de Monte, & Ferrarolorum Bernardino de Mendoza, & aliis Bernardo de Toledo ducibus cum aliis nobilibus, & strenuis viris, rebelles & socios, dum, ut occuparent aliquas urbes Geldriæ, & se unirent aliis, quos secum habebat Princeps Aurentiorum, dimisso Mastricco illinc motis castris abiissent, Hispanienses tum flumine conscensis navigiis, tum terris secus alteram ipsius ripam insecuti sunt, & cum pervenissent ad civitatem Mucchi Ducatus Clivensis, ibi trajecto flumine profecti ad civitatem Gravii Geldriæ suppositam Regi Hispaniæ, & ibi secum conjuncto procere Foergo, illic rectore, copiis suis die quarta decima Aprilis ibidem cum eis, licet numerosioribus, facto aliquo temporis spacio prælio illos fu-

de-

derunt, ex eis occisis circiter quinque millibus pedestribus, & mille quinque centum equestribus una cum Christophoro filio Comitis Palatini, & multis aliis vulneratis, cum filio majori natu Principis Aurentiorum, & aliis captivatis, Ludovico & Joanne illorum ducibus ex fuga prolapsis, post se dimissis triginta septem vexillis, ex Hispaniensibus tantum desideratis quadraginta, & centum quinquaginta vulneratis ex gratia magis divina, quam arte humana, & reliqui cum nullum diutius habuerint stipendium, recusarunt, nisi eo habito, ulterius militare, & ingressi Antuerpiam, & domos ibi incolarum, ipsos compulerunt sibi præstare victum lautum, eisque ob id per ipsos numeratis aureis quinque centum millibus in hostes Zelandiam occupantes progressi sunt, & qui interim vires auxerant, & eos Hispanienses, ubi prosecuti fuissent victoriam, delere potuissent.

Carolo Maximiliano Galliæ Rege, dum opera ibi tumultuariorum fuerit fascinatus, annorum circiter triginta quinque, & regni sui quarto decimo ad finem Maji mortuo, dimissa unica filia annicula ex Isabella Austriaca uxore, Alexander frater suus, qui, sibi assumpto nomine patris, fuit nominatus Henricus III. ei successit, & habito nuntio mortis fraternæ ex Cracovia Poloniæ, ubi ejus Rex die vigesima prima Februarii solemniter coronatus fuerat, clam nocte intempesta equis velocibus ad id paratis paucis comitatus properavit in Austriam ad Maximilianum Cæsarem, & Rodulpho, & Herneste ejus filiis, sibi, dum præsensissent ejus adventum, occurrentibus cum multis eorum aulicis & nobilibus, perductus fuit Viennam, & summo cum honore & gaudio ibi receptus per Cæsarem, cum eo moram habuit multis diebus, & illinc abiit Venetias, & postquam ibi substiterit nonnullis diebus, sibi illic præstito per Venetos omni genere honoris & lætitiæ, cum Emanuel Sabaudiæ, & Hercules Ferrariæ Duces ex suis propinquis, & multi Reguli, proceres, & nobiles Gallici ex ejus adhærentibus illuc applicuissent, cum eis accessit Ferrariam, & mox Mantuam, ubi cum per ibi Duces fuerit receptus summo cum honore & gaudio, inde divertit Cremonam die octava Augusti navigio per flumen Padi sinistro cursu, & die decima audita missa celebrata in ecclesia ibi parochiali, & collegiata divæ Agathæ, per Cæsarem de Moronibus ex ejus Canonicis ad oppidum Fontanellæ, & sequente Modœtiam, & alia die Vercellas deductus fuit multa cum pompa & lætitia per Antonium Guzmanum Marchionem Ayamontis, & in dominio Mediolani Gubernatorem supremum pro Rege Hispaniæ, ex ejus ordine & sumptu ubique per dominium ipsum comitatus omnibus fere ejus regulis, & nobilibus, ac militibus equestribus, & ex Vercellis mox per Emanuelem Ducem Sabaudiæ, ac suos nobiles, & purpuratos, ac milites ductus Taurinum Galliæ Subalpinæ Metropolim, ejusque sedem, ubi, dum cum eo, qui adversus ipsam usus fuerit omni genere honoris & lætitiæ interdiu moram fecerit, illinc ab eodem habitis suis copiis equestrium & pedestrium, quibus posset rebelles, ubi ei iter in Regnum suum impedire tentassent, ivit Lugdunum, & ibi degens cum Catharina matre, Alexandro fratre, & Henrico Albreto Rege Navarræ sororio ipsius, ac aliis proceribus Gallis sibi fidelibus, affectansque quoscunque Regni sui incolas Rom. Ecclesiæ, ac sibi adhærere ex ipsius naturali mansuetudine, ac consilio procerum suorum die decima Septembris illic, & ubique in eo Regno publicatis & propositis palam edictis, obtulit quibuscunque, qui defecissent à religione Christiana, & fide Regum ipsius prædecessorum, & ad eam, & se reverterentur, veniam concedere, & in sui gratiam recipere, & Regulo Momorantii, dum ad eum Lugdunum ivisset jusso ibi carcerari, & regulo Damvillæ exauctorato administratione Tholosæ, quam habebat, illinc cum fratribus in Germaniam prolapso, paucisque, & præsertim ex junioribus tumultuariis ad eum & religionem Christianam reversis, coacto multo exercitu, eoque tripartito adversus illos in Gallia Narbonense, Delphinatu, & Tholosis degentes transivit, ut illos armis ad pristinam sanitatem compelleret.

Selimus Turcarum Imperator cum Venetis die quarta decima Januarii confirmata amicitia, eis dimisso Despoto oppido Illyrii, & per ipsos illi agro Jaderense, præterquam prope civitatem per bis mille passus, & proditione secum inita per Oldroaldinum, & Fabium de Gorlis Ravennatem, & nonnullos alios, qui erant pro Ecclesia Rom. ad præsidium Anconæ, quæ per illos debebat prodi Turcis, in lucem prodita de mense Aprilis, proditoribusque Romam conductis, & cum eam fassi fuerint, ultimo supplicio affectis, destinavit in Africam classem navigiorum ducentum octuaginta quatuor onustam annona, materie bellica, ac multa copia lanæ ac bombycis ad usum aggerum, & multis copiis militaribus Ochiali archipirata Calabro, perfidissimo fidei Christianæ proditore, supremo rectore, & Piali Græco magistro militum suorum Europæorum ductore, ex Græcia per mare Jonium, Siculum, & Africum, & ibi secum conjunctis ultra centum millia Numidis partium suarum, die quarta decima Julii obsesso Tuneto cum propugnaculo Guletæ illic in stagnis maritimis vallato triplici muro lato, & intus aggeribus cum octo aliis propugnaculis ad ejus latera, & frontes, ac arce inexpugnabili ex lateribus coctis, & calce, ac duro silice, & saxo ad ejus præsidium degentibus circiter mille septem centum Hispanis, & Italis impigerrimis cum multa copia annonæ ac materiei bellicæ, sæpiusque oppugnato, tormentisve bellicis apertis, & fere dirutis duobus muris, nullo eis resistente ex ignavia, seu magis, ut creditum fuit, perfidia Petri Pontiscaralii ibi rectoris, & supremi ducis Hispani, die secunda Augusti eo potitus fuit, ipsoque solo æquato, ac militibus ibi ad præsidium impositis se Turcis permittentibus captivatis, & aliquibus ex eis necatis, alioque propugnaculo illuc prope, & inter Guletam ac Tunetum, & ad eorum tutelam de recenti erecto obsesso, ac expugnato die quarta decima Septemb. militibus, qui ibi erant ad præsidium, Italis Gabriele Cerpelono, & Pagano Doria, ducibus viriliter resistentibus, & ex eis multis occisis, & multis vulneratis, multisque aliis captivatis cum Cerpelono tribus vulneribus pilulis plumbeis confosso, ejusque filio adolescentulo coram eo inhumaniter decapitato, Doria autem, dum nonnullorum Numidarum fidei se permisisset, per illos trucidato, ejusque capite abscisso præsentato Piali Turcarum supremo duci, omnibusque captivis super classe impositis, & ibi turpiter alligatis catenis, eaque, jam recepto & munito congruo præsidio Tuneto, conscensa, & datis velis versus Siciliam, ut confligeret cum Hispanienses stantes ibi in portibus maritimis, Joanne Austriaco ejus supremo præfecto, ut se accingeret ad opem Guletæ, ejusque propugnaculi, sed discorde cum Andrea Doria, Rectore triremium Genuensium, & fratre Pagani, & Marchione Sanctæ Crucis rectore triremium Neapolitanarum, & nonnullis ex Hispanis Siciliæ præsidiis præpositis consentientibus cum Turcis, & nec sibi data copia pugnæ, regressa Byzantium incolumi & victrice, ex ejus tamen navarchis, nautis, ac Numidis, tum ferro, tum peste, tum aliis morbis desideratis quamplurimis, & Selimo præsentatis, Petro Carrario paulo post ex humanis sublato, & Cerpelono, & aliis captivis Christiani nominis, ibi diversis in locis carceratis, ingenti lætitia fuit affe-

ctus; subortoque non multo post incendio in ejus palatio Byzantii, quo consumpta remanserint bona valoris aureorum circiter ducentum millium, ex humanis sublatus die decima Decembris anni Imperii ipsius septimi, & mensis tertii, & ætatis quinquagesimi primi; Amuratesque, ejus primogenitus annorum circiter viginti quinque, illi successit, ipsius jussu strangulatis duobus fratribus, ac totidem nepotibus. Venetiis die quarta decima Maji, dum Ludovicus Morosinus ibi Dux, convocatis quamplurimis Senatoribus, Patriciis, ac nobilibus Venetis amicis suis ad epulum solemne, paratum ob memoriam ejus dignitatis, ad quam adscitus fuerit ea die anno 1570. in ædibus palatii ejus residentiæ, contiguis ædibus ecclesiæ divi Marci numinis tutelaris Venetorum, in quibus exerceantur omnes fere Magistratus, & habeantur Comitia, & repositum est ærarium Venetorum, suborto incendio, earum, & divi Marci magna pars remansit combusta; & die vigesima, & diebus sequentibus, dum de more fierent nundinæ, super foro ibi majori propinquo eis ædibus, ac stagno maritimo, ex alio incendio causato, ut suspicatum fuit, arte hominis, quamplures ibi quoque tabernæ, cum mercibus, ac aliis bonis, quæ erant in eis, pretii immensi, consumptæ fuerunt, multo dominorum suorum damno & dolore; & ibi incolarum metu, eorumque, & quorumcunque aliorum ingenti stupore prodigio aliquo sinistro concepto de Republica Veneta in ejus perniciem. Ad principium quoque Septembris ex multis & frequentibus pluviis superventis, mare, ac Pado, & aliis fluminibus, & torrentibus Italiæ præter modum auctis, eis adjacentia ab eorum aquis inundata fuerunt, damno quoque ingenti ibi accolarum.

A. C. 1575. Anno 1575. ab ortu Dominico, Cremonæ adhuc prætore Marco Antonio Aresio, celebrato Jubileo annorum viginti quinque apertis instrumentis aureis & argenteis, ad id aptis, die prima Januarii in mane per summi Pont. Vicecancellarium & Decanum, & episcopum Portuensem, & Cardinales sanctissimæ Rom. Ecclesiæ, etiam ope nonnullorum aliorum ipsius Cardinalium duabus portis constructis, & obturatis ad utrunque latus portarum anteriorum ecclesiarum B. Mariæ Virg. Majoris nuncupatæ, & divorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Joannis Lateranensis etiam nuncupati, & die ultima Decembris obturatis, quo Jubileo concessa fuit remissio, & Indulgentia peccatorum, tam quo ad culpam, quam ad pœnam, in quam fuisset incursum, qui illa confessi fuissent contrito corde Sacerdoti idoneo, & de illis pœnituissent, ac proposuissent ab illis se abstinere in futurum gratia tamen omnipotentis Dei, ac visitassent diebus ad id statutis eo anno ipsas ecclesias, illic effusis precibus ad omnipotentem & optimum Deum per ingentia merita Passionis & Crucis unigeniti D. N. Jesu Christi, ac plurima suæ matris Mariæ Virg. ac multa divorum Apostolorum, Discipulorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & Viduarum ipsius, pro conservatione & augmento suæ religionis, & Fidei, ac sanctissimæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ, & Catholicæ, ejusque inimicorum exstinctione, & exstirpatione hæresium adversus eam vigentium, & unione, & pace, ac conservatione Regum, ac Principum, ac totius populi sui, ejus preciosissimo sanguine redempti, commutatis captivis alicujus dignitatis, quos summus Pont. Rex Hispaniæ, & Veneti penes se habebant ex Turcis cum Gabriele Cerpelono, & patriciis Venetis, & aliis, qui erant penes Turcarum Imperatorem, & utrinque dimissis. Maximilianus Secundus Cæsar indixit & habuit comitia de mense Octobris cum plerisque Electoribus ac Principibus, & reliquorum, & Civitatum liberarum Germaniæ, legatis Ratisbonæ Vindelitiæ, ubi per ipsos electus fuit eorum ac Romanorum Rex die vigesima septima Rodulphus primogenitus suus, illic exsistens secum, ac cum matre, & fratribus, & Carolo, & Ferdinando patruis suis, & mox ductus Aquisgranum Hollandiæ die Martis prima Novemb. & solemnitatis Omnium Sanctorum, insignitus fuit ibi corona per Archiepiscopum Moguntinum, assistentibus Treverense & Coloniense, etiam Archiepiscopis.

Philippus Hispaniæ Rex, mortuo filio Carolo suo infante ex Anna Austriaca, ejus quarta uxore, die sabbati nono Julii ex ea die Martis duodecima subsecuta alium suscepit, nominatum in baptismate etiam Carolum, & cum ex Belgis, & Batavis, & aliis finitimis sibi suppositis multis urbibus, & oppidis receptis, & aliquibus eversis ex eis, quæ ab ipso defecissent ad rebelles religionis, & fidei Christianæ, & sanctissimæ Rom. & Catholicæ Ecclesiæ, ac suos, & ex illis plurimis occisis, ipsos fere in jus suum compulisset, obtulissetque sibi supplices in gratiam sui recipere, modo sanctissimæ Rom. Ecclesiæ, & suas observassent leges, & utrinque ob id datis obsidibus, & electis arbitris ad firmandas leges ipsas, illique recusassent licitis & honestis adhærere, impiamve tamen deserere, & quamplurimis ducibus & militibus gregariis Hispaniensium legionum, quibus illos bello insequebatur, exstinctis tum morbo, tum ferro, alios in eorum supplementum cum pecunia ex Hispania transmisit, & ex Germanis suas partes sequentibus ad ejus stipendium conductis, adversus rebelles ipsos bellum prosequutus fuit, & cum res sibi feliciMarte succederent, Aloysio Rechezeno Commendatario majori Castiliæ ibi ipsius vicario, & duce supremo, & Chiapino Vitellio procere Rom. & nonnullis aliis ducibus suis ex humanis sublatis, res ipsæ tepuerunt & declinarunt. Et Hispani ob stipendium sibi non solutum tumultuarunt, & militare recusarunt adversus rebelles, qui sibi data pecunia, & promisso auxilio per Reginam Angliæ inhiantem occupare Zelandiam ex ea regione Regi suppositam, & Angliæ propinquam, audaciores facti sunt, illorumque res fuit aucta.

Instituta fuit Cremonæ sodalitas nominis Dei, inchoata in Hispania auctore Didaco de Venoso, eximio Theologo, & Concionatore Hispano ex Religiosis Divi Pauli Ordinis Prædicatorum divi Dominici, & mox Romæ, & deinde in multis aliis civitatibus Italiæ, ad prohibendum blasphemias, perjuria, & illicita juramenta, cui summus Pont. Pius IV. concessit multa indulta, & privilegia sibi electa ecclesia divi Jacobi ipsius civitatis pro eorum congregatione. Et Rex ad occurrendum quoque ne classe Turcarum Siculi, Calabri, Apuli, & alii finitimi etiam sibi subditi in Italia, & Equites Melitenses infestarentur, illuc ex Hispania destinavit Joannem Austriacum fratrem suum de mense Maji super classe sex millibus Hispanis, eisque additis quatuordecim millibus Germanis ad sui stipendium conductis, & in ipsius dominium Mediolani appulsis, & sex millibus Italis illic conscriptis, & eis, & aliis Hispanis, & Germanis, & aliis Italis, quos in Italia ad sui tutelam habebat, eam jussit tueri ab infidelibus, sed fame dura & dira peste infestati, Byzantii & in Thracia quieverunt. Die septima Septembris hora sexta, & minutis quinquaginta tribus, Venetiis ex Hebræa natus est infans bicorporeus, capitibus & cruribus annexis absque pudibundis, solo lumine in ventre instar umbilici pro emittendis excrementis, & obiit infra biduum exstinctus, ut creditum fuit, per Hebræos ibi habitantes ad evitandum damna, quæ illis portendi timuerunt, inter illos suscitato novo propheta, qui illos decepturus foret. Nocte præcedente diem duodecimam Octobris vehemente turbine ventorum ab Occasu suborto Byzantii, & in ejus agro cecidit multa

ta copia nivis, quæ supergressa fuit solum ibi uncias sex, & inter fauces Ægæi, & Bosphori maris, inter Philippopolim & Byzantium, ducentum naves, & aliæ sex majores, super quibus erant septuaginta millia sextaria frumenti, & multa copia vini, quæ conducebantur Byzantium, ad ibi incolarum læniendam famem duram, obrutæ remanserunt cum nautis, & aliis, qui erant super eis, inter quos fuerunt decem & octo millia captivorum Christiani nominis, & viginti tres triremes in armamentario Byzantii, ac ibi circiter ducentum domus magnificæ, & multa alia ædificia cum multis tabernis assidiis corruerunt, ex quorum ruina quamplurimi oppressi fuerunt, & plerique perierunt, multo ibi incolarum superstitum stupore, ex virtute omnipotentis Dei, ad reprimendum immanem sævitiem & audaciam Turcarum, ibi, & in tota illa regione, ac Orientali, & Meridionali, & etiam aliqua parte Occidentali, & Septentrionali dominantium, ac immenso illorum Imperatoris damno, ac dolore. Et nocte præcedente diem septimam Januarii culmen sublime palatii marmorei Brixiæ, & omnium Italiæ speciosissimi, constratum laminis plumbeis, conflagravit ex igne, qui à cœlo descenderit, ut creditum fuit. Et de mense Augusti cecidit grando in agris Mandalphi Ducatus Urbini in Umbria, cujus grana fuerunt libræ circiter unius, & quibus grave damnum illatum fuit fructibus tunc ibi pendentibus. Et die decima septima Novembris auditus fuit terræmotus Ferrariæ. Et Tridenti, & in vallibus ibi propinquis, & Rhætorum, Romæ, Venetiis, Messanæ, Mantuæ, & multis aliis in civitatibus, & municipiis, vicis & pagis Italiæ plurimi ex epidemia obierunt, & annonæ fuit mediocritas. Et Paulus Fossa J. C. Cremonensis decessit Mediolani, ibi, & in universo ejus statu criminum Quæsitor generalis.

A.C. 1576. Anno proximo, Cremonæ prætore iterum Camillo Porro Mediolanense J.C. Reg. Senatore, procurantibus Reverendissimo Carolo Borromæo presbytero Cardinale, & Archiepiscopo Mediolani, & venerabili Nicolao Sfondrato Episcopo Cremonæ, & quampluribus aliis vener. Præsulibus civitatum Italiæ, ad placandam iram omnipotentis Dei, imminentem populo Christiano ob ejus gravia peccata, & pro salute animarum suorum subditorum, & ne ipsi, qui anno præcedente tum ratione ætatis, tum infirmitatis, tum aliorum impedimentorum Romam accedere nequiverint pro consequenda Indulgentia Jubilei tunc ibi celebrati, carerent eo salutifero beneficio, summus Pont. concessit omnibus & singulis utriusque sexus eorum subditis, & in ipsorum Episcopatu exsistentibus vere pœnitentibus, & confessis, & puro corde visitantibus usque ad octavam Paschatis Resurrectionis Dominicæ hujus anni ecclesias per ipsos deputandas diebus quindecim continuis, vel interpolatis, etiam diminuendis per ipsos, seu eorum generales Vicarios infirmis, & aliis impeditis aliquo legitimo impedimento, temporum, rerum, locorum, & personarum qualitate pensata, & super eis aliis opportunis remediis adhibitis, & singula vice quinquies recitantibus orationem Dominicam, & salutationem Angelicam orando omnipotentem, & misericordem Deum pro Christianorum, & Principum suorum unione, hæresum exstirpatione, sanctissimæque matris ecclesiæ exaltatione, plenariam ejusdem Jubilei omnium peccatorum suorum Indulgentiam & Remissionem, perinde ac si anno ipso Jubilei ecclesias Romæ pro eo deputatas statutis ad id diebus personaliter visitassent, concessa quoque facultate unicuique eorum eligendi presbyterum secularem, vel cujusvis ordinis regularem ab ordinariis approbatum, cui confiteri possent eorum peccata, ipsis diligenter per eos auditis data auctoritate per ipsos eis injuncta pœniten-

A tia salutari absolvendi ab illis quantumcunque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & quæ fuissent comprehensa in Bulla consueta publicari in die cœnæ Domini, Cremonæ deputatis ad eas orationes recitandas ecclesiis Cathedrali & parochialibus Divorum Michaelis, ac Lucæ cultæ per Religiosos Ordinis de observantia divi Francisci, & Bartholomæi cultæ, per Religiosos Ordinis Carmelitarum Sanctissimæ Mariæ Virginis etiam de observantia, fere omnes ibi Christianæ Religionis, & qui domi fuerunt cujuscunque sexus, dignitatis, status, ordinis, conditionis, & ætatis etiam decrepitæ, debilis, & infirmæ per ipsos contrito corde, confessis peccatis, & assumpto tempo-
B re opportuno saluberrimo Sacramento Eucharistiæ, & factis jejuniis, & indigentibus, ac locis piis datis eleemosynis, & factis aliis bonis operibus per plurimos, visitatis ipsis ecclesiis tam tempore diei, quam noctis, & fere continuo, & etiam unitim, sæpe ipsos associante eo ven. Episcopo Sfondrato, & crebro pedibus nudis, imaginem D. N. Jesu Christi cruci affixi coram eo semper allata, hoc divinum & saluberrimum acceperunt Jubileum, & quamplurimi ex oppidis, vicis, ac pagis ejus Diœcesis turmatim & vicatim confluxerunt, durante eo tempore Jubilei in ipsam civitatem, ad eas ecclesias cum ipsorum mulieribus, puellis, pueris, discipli-
C nis, religiosis, & presbyteris, vexillis, & signis venerandæ Crucis ecclesiarum suarum, eos præcedentibus summa cum jubilatione, canendo dum irent litanias, antiphonas, & hymnos in honorem Dei, & ad implorandum ejus misericordiam versus ipsos, & alios Christicolas, & in ipsis ecclesiis recitatis eis oratione Dominicali, & Salutatione Angelica ad consequendum hoc donum saluberrimum Jubilei, mox prorogati per eundem ven. Episcopum ex auctoritate per summum Pont. sibi, & ad ejus intercessionem concessa per triginta dies, præstito eis Diœcesanis, cum pernoctarint in civitate, per cives hospitio, cibo, & potu laute & hilari
D fronte in eorum domibus, & reliqui fere Diœcesani tam citra, quam ultra flumen Padi eadem pompa quoque concurrissent ad ipsas ecclesias pro assequenda hac Indulgentia, nisi eis prohibitum fuisset per Præfectos Sanitatis ipsius civitatis, metu pestis sævientis Venetiis, Patavii, & Mantuæ, & in multis aliis municipiis, vicis, & pagis Italiæ, ad quam arcendam à Cremonensibus ipsemet ven. Episcopus Sfondratus apud summum Pont. obtinere procuravit, ut obtinuit, dari aliam similem peccatorum Indulgentiam usque ad finem ipsius anni eis Cremonensibus etiam confessis, & contritis, visitantibusque easdem ecclesias per alios dies quinde-
E cim, vel ad minus tempus limitandum, (ut præfertur) & ibi recitantibus quinquies easdem orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, & rogantibus etiam omnipotentem Deum pro aversione pestis ab eis, & per ipsum ven. Episcopum durantibus temporibus earum Indulgentiarum, factis sæpius rogationibus generalibus, & publicis, eundo ab ipsa ecclesia cathedrali ad eas alias ecclesias, & illinc ad ipsam ecclesiam cathedralem præcedentibus vexillo rubeo, in quo sit picta imago B. M. V. cum cruce alba, & signis ven. Crucis ejusdem ecclesiæ, puellis & pueris eruditis in articulis & præceptis religionis Christianæ circiter quatuor
F millibus, cum multis viris & mulieribus eos regentibus, ac aliter, orphanis, disciplinis religiosis Ordinum Jesuatorum, Servorum, & Carmelitarum sanctissimæ Mariæ Virg. Heremitarum divi Augustini de observantia, Minorum Conventualium, & Capucinorum, ac tertii, & quarti divi Francisci, Prædicatorum divi Dominici etiam de observantia, Humiliatorum, & montis Oliveti Conventualium divi Benedicti, & Canonicorum regularium divi Augusti-

gustini, presbyteris, capelanis, parochis ipsius civitatis, canonicis secularibus divæ Agathæ una cum clericis ipsius Seminarii, Mansonariis, & musicis ipsius ecclesiæ, una cum eis puellis, pueris, & orphanis, & aliquibus ex disciplinis, religiosis, & presbyteris litanias, & aliquas antiphonas, aliquosque hymnos, & psalmos proferentibus ad impetrandam misericordiam divinam, secum allatis in urnis ac vasculis æreis, crystallinis, & alius materiei deauratis, & argentatis capitibus divorum Hymerii, Homoboni Cremonensium protectorum, Arealdi, & ex ligno sanctissimæ Crucis, cui affixum fuit corpus D. N. Jesu Christi, & ex ossibus, membris, & reliquiis Divæ Mariæ, ac aliquorum Apostolorum, Discipulorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, & sanctarum Virginum, quæ asservantur in sacello dicato divo Jo. Baptistæ in eadem ecclesia cathedrali, & mox succedentibus Canonicis cum Archipresbytero, Archidiacono, Decano, & Præposito, & aliis prælatis ejusdem ecclesiæ, & ipso ven. Episcopo incedente pedibus nudis coram se habente honorandissimam imaginem D. N. Jesu Christi cruci affixi, eum subsequentibus multis aliis prælatis, J. Consultis, & aliis viris, & mulieribus nobilibus, & plebejis, & sæpe magistratibus ipsius civitatis, inter eos disciplinos exsistentibus ex eorum quinque ordinibus, seu scolis, durante hoc Jubileo inchoatis, ex quibus unus ordo fuerit indutus cilicio cum cruribus nudis, conductis mox pro eorum Congregatione domibus penes ecclesiam divi Gregorii, ibi novo structo sacello sub titulo divi Pauli primi Heremitæ, alius veste linea albi coloris, & alius veste lata telæ sancti Galli nuncupatæ, cum venerabili signo sanctissimæ Crucis coloris albi, habente circulum coloris viridis ad latus dextrum, eis insuto sub vexillo serico etiam coloris nigri habente, & hujusmodi signum crucis, ac diadema cum hoc versiculo, *Egredimini, & videte diadema, quo coronavit eum Mater sua*, & alius aurificum etiam hujusmodi indusio cum insigni cranei ad latus sinistrum, & partem posteriorem, & duorum ossium mortuorum ad latus dextrum, & eorum partem anteriorem, insito eis & capite etiam mortui fabricato, in manibus allato per eos, & alius indutus tela cannabis albæ, quinque aliis scolis, quæ ante forent, una scilicet sub titulo Christi Resurgentis incedens induta indusio telæ coloris albi, cum signaculo crucis super summitate capitis ei insuto, & divi Michaelis ad latus sinistrum, mox anno sequente in colorem rubeum commutati, cum signaculo sanctiss. Trinitatis ad latus sinistrum, & alia sub titulo Christi ad columnam flagellati incedens induta indusio telæ coloris cærulei ab eorum capite usque ad tibias cum signaculo Christi columnæ alligati insuto ad latus sinistrum, & qui disciplini eorum Ordinum, dum eunt ad Rogationes, incedunt bini seriatim cum scuticis ferreis in manibus eorum terga enudata percutiendo usque ad effusionem sanguinis, præallatis eorum vexillis, & insignibus Christi columnæ alligati, & Resurgentis, & alia sanctæ Crucis sibi recenter assumpto vocabulo divi Marcelli summi Pont. & martyris incedens induta modo præmisso indusio telæ coloris subnigri cum linea à parte anteriori, & posteriori, & signaculo crucis rubeæ ad latus dextrum, & in summitate capitis insuto, & dum ipsi omnes reversi fuissent in ecclesiam cathedralem, per ven. Episcopum eis data solemni & divina benedictione, & visitatis quoque per plerosque ibi incolas singulis quadraginta horis aliqua ex ecclesiis ipsius civitatis, & recitatis quoque oratione Dominica, & Salutatione Angelica ad sacratissimum Sacramentum Eucharistiæ ibi exsistens pro consequenda indulgentia eis data per eundem ven. Episcopum, & etiam visitantibus aliquam aliam ecclesiam præfixis diebus per eum, & ibi recitantibus præmemoratas oratio-

A nem Dominicam & Salutationem Angelicam sincero ac puro corde. Et nisi per sanctissimum & œcumenicum Concilium Tridentinum constitutio utilis & laudabilis renovata fuisset, qua sancitum fuit ven. Episcopos, prælatos, & alios presbyteros, habentes dignitates ac beneficia ab ecclesia, in eis debere residere, hæc & multa alia facta ad decus & salutem animarum populi Christiani, nunquam equidem procurata, ac facta fuissent.

Maximilianus Secundus Austriacus Cæsar, occupato per Stephanum Batorium Transilvanum regno Poloniæ, ducta uxore Isabella filia Sigismundi olim ibi Regis, maturæ ætatis, & Maximiliano collato
B per plerosque prælatos, & proceres Polonos, ac Lithuanos pro habendo auxilium ad illud vendicandum ab Electoribus, Principibus, & civitatibus liberis Germaniæ, & alius populi Christiani, habuit comitia Ratisbonæ cum Joanne Morono Cardinale, & legato Apostolico, & eorum legatis, & cum nimis tardi fuerint ad ei consentiendum, ex gravi cordis dolore febre causata & morbo calculi, nulla alia re memorabili gesta, annorum quadraginta octo, & mensium trium, ejusque electionis, & imperii duodecim & mensium trium, die Martis nona mensis Novembris obiit, superstitibus Rodulpho, Herneste, Alberto, Vincislao, Maximiliano, Mat-
C thia, & Ferdinando, & quatuor filiabus susceptis ex Maria Austriaca, filia Caroli Augusti patrui sui, ex quibus in Imperio ei successit primogenitus suus Rodulphus annorum viginti septem, & Hernestes secundus genitus in Regno Ungariæ, & Albertus creatus fuit Cardinalis sanctissimæ Rom. Ecclesiæ, & Ladislaus ex Equitibus Rhodiensibus, & Commendatarius Leonis in Castilia, ex ejus filiabus nuptis Anna Hispaniæ regi, & Isabella Carolo Maximiliano olim regi Francorum. Cæsar Brumanus, litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis valde eruditus, & J. C. Cremonensis, & natus ex Raphaele multæ doctrinæ, humilitatis, & dexteritatis, &
D cujus pater Matthæus etiam J. C. fuit, & Cæsar ipse ex cubiculariis summi Pont. & anno præcedente Romæ præfuit annonæ, ex hoc sæculo etiam migravit Neapoli, dum ibi oppressus gravi animi ægritudine, amissa gratia summi Pont. dum ejus mentem arcanam scrutari tentarit, & ex ea familia etiam fuerunt Franciscus, & Josephus pater, & filius J. C. & Joseph fuit mirabilis, & versatilis ingenii, & perspicacis, & profundæ memoriæ, & plusquam humanæ, & obiit anno 1539. pater autem 1512.

Hispanienses Serisam, seu Sericiam, civitatem Zelandiæ munitissimam, occupatam per hæreticos,
E obsessamque per Hispanienses ultra annum, postquam Princeps Aurentiorum hæreticorum dux ibi obsessis aliquot vicibus opem & annonam tulerit, illis tandem dura fame compulsis in potestatem suam redegerunt ac diripuerunt, & mox recusarunt ulterius prosequi bellum adversus hæreticos, & perduelles regios, nisi sibi soluto stipendio, quod eis deberi prætendebant, ingressique ipsam civitatem, & alias ejus regionis Regi suppositas compulerunt ibi incolas illis dare victum laute, & solvere pecunias, & cursitantes eorum agros illinc prædas abigerunt, & incolæ his compulsi ac irritati, armis in illos arreptis, eos compulerunt in ipsas civitates,
F quas obsederunt, & incolæ Brussellarum per eos carceratis ipsorum Rectoribus se vendicarunt in libertatem, & pro ea conservanda ipsi & alii earum regionum incolæ in ipsorum societatem acceperunt Principem Aurentiorum, ipsiusque sequaces conventionibus utrinque initis, & publicatis Gandavii die octava Octobris, & dum Rex intenderet illos in sui gratiam recipere, eorumque privilegia confirmare, & ob id destinare ad ipsos Joannem fratrem suum ex Italia in Hispaniam vocatum, & profe-
ctum,

ctum, & Comes Agamonius filius Amorati profectus in Galliam ad ibi Regem propinquum suum, cum tentarit incitare in Regem Hispaniæ ejus sororium, & occupare regiones ipsas, tumultuantibus & indignatis in Hispanos ibi incolis, hæcque recusaverit facere Rex Galliæ, & regulus Zampegni rector Antuerpiæ pro Rege Hispaniæ, & ibi administratores Reip. & arcis præfectus, & tribuni Hispanorum in ea degentium invicem sibi promisissent Hispanos, & incolas se vicissim non molestaturos, & ubi Hispanorum hostes illuc ivissent Antverpienses illos non recepturos, & nec eis in Hispanos auxiliaturos, illucque die tertia Novembris in mane accesserit Agamonius pedestribus circiter duodecim millibus Valensium, Germanorum, & Belgarum sub signis viginti tribus procere Zamperio supremo duce, & equestribus octo centum sub proceribus Zavareo, & Davareo fratre Principis Arescotti, & procere Herbestano supremo duce Germanorum, secumque ibi incolis junctis arcem obsedisset ad ejus partem civitatem respicientem adductis quamplurimis saccis, lana & bombyce plenis, ad eam vallandam, & illic deinde aggeres terreni cum propugnaculis construerentur ad prohibendum, ne illinc Hispani, & alii milites ad ejus præsidium degentes possent exire, & in eos ex tormentis bellicis displosis globis, & pilis ferreis, ac marmoreis ipsos lædere, & fame opprimerentur, & Princeps Aurentiorum aliis militibus super navigiis viginti extra, & prope ipsam in flumine Scheldæ ei propinquo foret ad custodiam, per Hispanos accersitis aliis ex degentibus ad præsidia Alosti, & Liræ, & municipiorum circumvicinorum, & illuc profectis ex arce circa meridiem diei sequentis sumpto cibo, & potu in illos irruperunt circiter bis mille ex eis cum mille quinque centum Valensibus, & velitibus circiter quatuor centum sub vexillis sex eo in impetu illinc in civitatem exoneratis tormentis bellicis, & consertis manibus ad aggeres cum eorum custodibus, & inde expulsis, prosecutaque victoria conjecto igne in ædes prætorias, eisque & aliis illo accensis, ex ipsis circiter viginti duo millia fuderunt, ex illis quatuordecim millibus occisis, & multis captivatis cum Agamonio, ac Pluscono, Davareo, Zamperio, & Zampegno rectoribus, & Herbestano, dum illinc aufugeret, in flumine submerso, & reliquis cum Aurantio & suis ex fuga prolapsis Flissingam, diripuerunt Antverpiam per quatriduum, exactis ab Italis, Hispanis, Lusitanis, & Germanis ibi aureis decem scutatis pro singulis centum valoris bonorum suorum, Gallorum autem, & Anglorum, & aliarum nationum mercatorum ibi degentium domibus depopulatis, & præda valoris immensi ibi facta in arcem paucis ex suis amissis cum præda ipsa pedem retulerunt, & arcem annona muniverunt, Joanne Austriaco cum Octavio Gonzaga, & aliis octo ex nobilibus Hispanis equis velocibus sæpius mutatis ex Hispania per ibi Regem transmisso ad eos populos sedandos per Galliam ad ipsos properante, & è Parisiis appulso Lucimburgum, & his auditis diffiso illinc progredi, & mox dum Augustani, Norimbergenses, & Francofordienses transmissis ad eum legatis ab ipso requisivissent, ut vellet statuere, quod Hispani, qui forent in arce Antverpiæ uterentur aliqua modestia in eorum mercatores, sibi restitutis ipsorum mercibus, & bonis eis honesta aliqua pecunia dimissa, seu soluta, & Gallis circiter bis millibus ad eorum populorum opem in unum coactis, & ex eis nonnullis copiis appulsis Gandavium, ibi arce ab eis populis recepta, & cum Principe Aurentiorum societate confirmata, & Brussellis publicata. Et dum Hispanienses degentes ad præsidium Trajecti superioris sæpe irrumperent agros ibi propinquos, eosque diriperent, ferrove, & igne vastarent, Austriacus, conductis nonnullis turmis & cohortibus Germanorum ad sui tutelam, annixus fuit, una cum præsulibus & aliis prælatis eorum populorum, ipsos & Hispanienses conciliare, & uti ipsi populi fideles essent suo Regi ejus nomine ipsis oblata confirmatione privilegiorum suorum, sed nil operatus fuit. Ex Hispania mari destinata tunc ingenti argenti copia in Insubriam cudenda in pecuniam.

Neapolitani indignati in eorum Proregem ex nimia arrogantia aulicorum suorum in eorum nobiles, & duro ipsius regimine in eos & cunctos alios ibi regni, multis ex ipsis nobilibus ac popularibus, eis impactis multis criminibus, & aliis tum carceratis, tum mulctatis, tum proscriptis, tum diversimode vexatis, prohibitisque eorum legatis ire in Hispaniam, ad ibi & eorum Regem hæc significandum, Ferdinando Caraffa ex ipsis nobilibus, & pro eis legato, dum equis velocibus sæpius mutatis illuc properando appulisset Ostiam in Latio, ibi capto & conducto Neapolim ex consensu summi Pont. ad evitandam indignationem Proregis, nonnullos armorum motus concitarunt de mense Novembris. Et summus Pont. ad eos sedandum illuc destinavit legatum Joannem Riccium Cardinalem, & Pisanum Episcopum. Noctibus præcedentibus diem Lunæ decimam mensis Aprilis, & Martis primam mensis Maji cecidit pruina, qua palmites vitium producti in multa copia aruerunt, & in multis locis agrorum Cremonensis, & Parmensis, & circumvicinorum præcedentibus ventis frequentibus Septentrionalibus cum gravi frigore præter statum temporis subsequuto, cum multa aeris siccitas præcessisset, & æstas fuerit tepida, reliquis uvis maturatis productum fuit vinum acidum, ejusque ac fœni causata mediocritas, & lini modicitas. Die Veneris vigesima septima etiam Aprilis in mane, dum latrunculi circiter quadraginta ex illorum secta, quos errantes *cingaros* vulgo appellant, delituissent in nonnullis sylvis agri Brixiensis, & per ibi incolas armis infestati tentassent irrumpere agrum Cremonensem trajecto flumine Ollii utrumque agrum intermediante, resistentibus & invitis custodibus impositis ad ejus ripas, ne paterentur aliquos, qui ex Mantua, ejusque agro ob pestem illic vigentem abiissent, illud transgredi, tantus illos, & alios Brixienses, & Cremonenses invasit timor, ut pulsatis campanis ibi ecclesiarum ad tinnitum turmatim arripuerint arma, timentes illos esse aliquas acies hostiles, quæ vellent ingredi domos suas, easque, ac alia ipsorum bona diripere, ex eisque aliquos captivare, & alio abducere, & ab ipsis pro eorum redemptione pecunias extorquere, ut illis resisterent, eodem timore illinc longe usque in agros Bergomensium, Laudensium, & Mediolanensium penetrato, ut ibi quoque incolæ idem fecerint, licet nullos unquam aliqui viderint, nisi Brixienses, qui nonnullos ex illis latrunculis captivarunt, & duxerunt Brixiam, ubi jussu illic magistratuum furcis suspensi fuerunt, per prodigiosos aliquos ex his concepto malo omine aliquod eis regionibus superventurum malum, & damnum. Et die Sabbati XIV. Julii hora vigesima in pagis propinquis Cremonæ per sex millia passuum versus Septentrionem inter Ortum & Occasum eodem spacio cecidit nimbus cum grandine crassitudinis unciarum circiter octo, qua & vehementi ventorum turbine tunc suborto exstirpatæ & projectæ fuerint multæ arbores, etiam procerrimæ, attritique fere omnes fructus super solo ibi tunc pendentes. Et nocte præcedente diem Lunæ octava Octobris, qua hora quinta fuit deliquium lunæ, visus fuit in aere imminere vapor igneus super urbem Romæ, & prope arcem Adriani per horas circiter tres tanti splendoris,

doris, ut ex eo custos exsistens super ibi turri sublimi expavefactus fere exstinctus remanserit. Venetiis, Patavii, Mediolani, Mantuæ, & in nonnullis aliis municipiis Insubriæ sæviit epidemia, ex qua plurimi, & plerique populares, & Venetiis multi physici exstincti remanserunt. Et Cremonæ, & in ejus agro viguit mirabilis corporum sanitas, quamvis Parmenses & Placentini suspicati Cremonenses cum Mediolanensibus habere conversationem, eis secum habere commercia libera prohibuerint.

A. C. 1577. Anno sequente Rex Hispaniæ de mense Januarii opera Joannis ejus fratris recepit in sui gratiam Belgas, Batavos, & alios populos Germaniæ inferioris, qui ab eo defecerant, ad ipsum, & religionem Christianam reversos, illinc abeuntibus Hispanis, & aliis, qui erant ibi ad præsidia adversus illos præter Valenses, sibi confirmatis illorum privilegiis immunitatum, & aliorum eis antiquitus concessis, ac approbatis, & auctis per Carolum V. Rom. Imperatorem patrem suum invictissimum, & Gulielmo Aurentiorum Principe constituto rectore Batavorum & Zelandorum, ejusque approbatis conventionibus per ipsum initis cum eis populis, & Gandavi die octava Novembris publicatis, & per Hispanos dimissis arcibus Antuerpiæ, & aliis ejus regionis demoliendis, publicata ipsa conventione die decima septima Februarii Brussellis, & die vigesima Martii Antuerpiæ, ibi arce per Hispanos consignata Duci Arescotti, & Valensibus, eam ingressis, & Joanne Austriaco per Regem constituto eorum supremo rectore, & magna cum pompa ingresso die prima Maji Brussellas. Et dum Rex Hispaniæ eis populis quietis curatus à febre tertiana, qua oppressus fuit de mense Martii, proposuisset una cum Sebastiano Rege Lusitaniæ nepote suo ære communi conscripto exercitu, & munitis classibus inferre arma Turcis, & Mauris infidelibus in Africa, illorum navigiis latrociniis sæpe infestantibus littora maritima Hispaniæ & Italiæ, & impedientibus, ne tuto ex Hispania & India ultro citroque trajici possent ipsorum navigia per Africam, illosque coercere, & Maumethem Seryphum Regem ibi Feacum, è Regno suo expulsum per Memolucum patruum suum, cum ad eorum opem confugisset, in illud reducere. Et Austriaco Rectore suo apud Belgas, & ibi Magistratibus invicem discordibus in eorum regimine, eisque, & plerisque aliis ipsarum Regionum incolis, perseverantibus in impia hæresi, Austriacus mense Julio comitata Regina seniore Navarræ ex Belgis, ad quorum balnea fuerat salutis gratia, per eum, & præsulem Leodii summo cum honore suscepta, revertente domum se recepisset Namurcum, & in agris, & sylvis ei propinquis, solatii & recreationis gratia una cum nonnullis Belgarum proceribus sibi fidis incumberet venationi, & monitus litteris ei per incognitum destinatis, ut caveret ab insidiis in ipsum paratis per illos magistratus, quod à nonnullis eorum equestribus interciperetur, omissa venatione eis proceribus, & aliis, qui secum forent, properavit Namurcum, & in ejus arcem, & ad illos Magistratus datis litteris de eis insidiis sibi patefactis, & per ipsos ad eum transmissis duobus illorum præsulibus se excusatum, eos non fore illarum conscios, omnique opera & diligentia usuros, ut earum auctores, ubi factæ fuissent, detegerentur, & ubi comperissent, punirentur; & per Austriacum de præmissis omnibus ad Regem scriptis litteris, eisque tabellario properante in Hispaniam per ditionem Navarræ, ibi intercepto per Gallos tumultuarios, & per Navarræ Regem, habitis & transmissis ad Aurentiorum Principem, qui per ipsum collectis copiis suis militaribus festinarit Antuerpiam, eamque ibi accolarum ope, illinc expulsis Germanis & Valensibus, ipsam pro

A Rege custodientibus, occuparit una cum multis aliis civitatibus, & oppidis ejus regionis, & mox die septima Augusti arce Antuerpiæ ab ipsius custodibus habita, ejusque, & aliorum Belgarum rebellium jussu ipsius parte demolita.

Rex ipse jussit copias Hispanorum, qui in Insubria regione Italiæ substiterant, illinc accelerare adversus rebelles illos, & ad eos reprimendum alias copias Germanorum partes suas sequentium conscribi, & per Austriacum, cum quo foret Octavius Gonzaga, ex regulis Italiæ, juvenis impigerrimus, illis moveri bellum, & ipsi sibi electo protectore Aurentiorum Principe, & destinatis Legatis

B per illos Viennam Austriæ ad Rodulphum Cæsarem ibi residentem ei obtulerunt, quod ubi aliquem ex ejus fratribus ad illos transmisisset, ipsum recepissent in illorum dominum, & cum eis non annuisset, Matthias, frater suus minor natu, eo inscio clam nocte præcedente diem undecimam Octobris cum legatis ipsis ex Vienna abiit Coloniam, & ibi substitit, & post multos sermones cum rebellibus per ipsum & eorum internuntios factos, & utrinque propositis multis conditionibus, aliquibusque earum receptis, per ipsos illorum factus fuit Rector. Et trireme Melitense, & tribus aliis classis Hispaniæ onustis aureis tercentum millibus, & super quibus forent centum quadraginta navarchi,

C cum quadraginta nobilibus Hispanis, & præsule Valentiæ, & nonnullis Equitibus Melitensibus jussu Regis ex Hispania trajicientibus in Italiam, ut Hispanis ibi in Insubria degentibus solveretur stipendium, ut transirent in Belgas rebelles & alios, ad bellum illis inferendum, interceptis in mari per piratas infideles, & abductis in Africam, Rex ad illos reprimendum constituit Siciliæ Vicarium suum Marcum Antonium Columnam procerem Rom. magistrum sui stabuli equorum in regno Neapolitano, ei proposito Fabricio filio suo per Martinum de Camia Hispanum, dum esset Byzantii combustis triremibus sexdecim cum alia magna ex classe Turcarum subsistente in mari Ægæo, in eam conje-

D cto igne clam noctu fuga prolapsum. Et nocte præcedente diem vigesimam secundam mensis Julii, & solemnitatis divæ Magdalenæ, dum esset Rex cum suis aulicis & purpuratis in ædibus, quas superioribus annis construi fecerit cum monasterio & templo celeberrimis, in quibus degerent religiosi Ordinis Carmelitarum beatissimæ Mariæ Virginis in vico appellato *Excuriatarum* agri Mantuæ, seu Orsariæ civitatis nunc Madriti ex Hispania Tarraconense, & prope eum per leucas circiter septem, & sæpius incolebat solatii, & aucupii, & venationis gratia ibi non exsistentibus ali-

E quibus aliis ædificiis, suborto nimbo cum ventis, tonitribus & fulguribus, eis ædibus ab una eorum fulgurum perussis & fere conflagratis, gravi Regis & secum commorantium timore & periculo, & ibi incolarum stupore.

Et Cremonæ inchoata fuit Confraternitas sub titulo divi Jo. Baptistæ in ecclesia Cathedrali, ubi est sacellum ei dicatum cum altari in parte superiori ipsius ad manum sinistram chori, circiter annum 1248. erectum sumptu & opera Joannis Boni de Geroldis tunc Archidiaconi, & mox Episcopi ipsius civitatis patriæ suæ, & in parte posteriori altaris adest armarium, in quo maxima cum reverentia as-

F servatur de membris, ossibus, cruore, cineribus, & reliquiis in tabernaculis, vasculis, urnis, & arculis crystallinis, & alius materiei deauratis, & deargentatis beatissimæ Mariæ Virg. & scilicet de ejus capillis, vestimentis, cruore, & lacte, digitus ipsius divi Jo. Baptistæ, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi Alphei, & Zebedei, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & digitus Matthiæ, & ex cruore divi Pauli, & ma-

maxilla divi Barnabæ discipuli, Marci, & Lucæ Euangelistarum, Stephani Protomartyris, cum illio divi Laurentii, & ex carbonibus, quibus ustum fuit corpus suum, & Martyrum summorum Pontificum, Clementis, Stephani, Sixti, Calisti, Lucii, & Fabiani, & episcoporum Bassiani, Apiani, Eustachii, Blasii, Procopii, & Sebastiani, Dalmatii, Gorgonii, Christophori, Vincentii, Archelai, Georgii, Vitalis, Victoris, Marcialis, Dionysii, Viti, Faustini, Pantalemonis, Procatii, Anastasii, Nicomedis, Theodori, Saturnini, Sigismundi, Pomponii, Quiritii, Herculani, Gregorii presbyteri, Joannis eleemosynarii, Sigibaldi Vincentini, Nicomedis, Sisinii, Cassiodori, & Germani, cum digito divi Dionysii, & Joannis, & Pauli, Cosmæ, Damiani, Gervasii, Prothasii, Cornelii, Cypriani, Babillæ, Simpliciani, Marcellini, Petri, Abdon, Sennen, Primi, Feliciani, Gordiani, Epimachi, Faustini, Jovitæ, Nazarii, Celsi, Abundii, & Hippolyti, Irenei, Basilii, Laurentii, Pergentini, Felicis, Tranquillini, Artemii, Candidi, & Paulini, Grisanti, & Dariæ, Quatuor Coronatorum, & Septem fratrum, & Felicissimæ eorum matris, & Confessorum summorum Pontificum Sylvestri, & Gregorii, & Archiepiscoporum Ambrosii, Geruntii, Cosmæ, Germani, & Episcoporum Nicolai, Gregorii Nazianzeni, Zenonis, Hilarii, Syri, Savini, Materni, Genesii, Simpliciani, Sabini, Egidii, Columbani, Germani, Leonardi Filletti, Benedicti Abbatis, cum brachio divi Maximi, Hirconi, Barbatiani, & Simonis monachi, & heremitæ, cum pulvere divi Lazari, & interula beati Facii, & sanctarum Virginum & Martyrum Catharinæ, Cæciliæ, Agnetis, Luciæ, Agathæ, Margaritæ, Anastasiæ, Eufemiæ, Juliæ, Justinæ, Theodoræ, Firminæ, Theclæ, Victoriæ, Candidæ, Paulæ, Concordiæ, nutricis divi Hippolyti, Gualpergiæ, Helenæ Reginæ, & ex ligno, cui affixum fuit corpus Dominicum, lapide columnæ, cui fuit alligatum, ac lapide, super quo è cruce depositum fuit expositum, Montis Calvarii, & Præsepis, in quo habuit ortum, solo ejus sepulchri, ac purpura, qua indutus fuit, & fimbriis vestimentorum suorum, ac Montis Sinai, virga Moysis, veste divi Pauli, ac lapide, super quo sedit Elias Propheta, dum filium viduæ suscitavit, ac capitibus divorum Homoboni, Himerii, & Arealdi, & dente divæ Apolloniæ, & capite Samaritanæ, plerisque superioribus annis translatis è sacello divi Stephani erecto in parte superiori ejusdem ecclesiæ, & repositis in eo armario, & ipsis Confraternitati concessis, multis indulgentiis à peccatis per Gregorium XIII. summum Pont. & ex quibus multæ sint in ecclesia parochiali, & collegiata divæ Agathæ, & olim culta per Canonicos Regulares divi Augustini congregationis Lateranensis Romæ in quinque tabernaculis, & duabus capsis deauratis, cum reliquiis Sanctorum Damiani, Ursicini, Irinæi, Marcelli, Mauritii, Cassiani, Romani, Floriani, Hippolyti, Tiburtii, Valeriani, Savini, Martini, Sixti summi Pont. & martyris, Papii, & Theophili episcoporum, Quadraginta Martyrum, & Adalberti confessoris, divarum Agathæ ejus velo, Barbaræ, Justæ, Mariæ Ægyptiacæ, & ex ejus brachio, Firminæ, & undecim millium Virginum, cum osse divi Jacobi Apostoli Alphei; ibi anno sequente inchoata alia Confraternitate sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virg. Antonio Trecco ejus præposito procurante, & etiam in ecclesia parochiali D. Sanctæ Mariæ in Bethleem cum reliquiis sanctorum Nerei, Archelai, Floriani, Joannis summi Pont. Martyris, Antonii, & Ursulæ, & ex cerebro Innocentium, cum articulo digiti divæ Magdalenæ, & lapide sepulchri B. Mariæ Virginis, & ejus lacte, & indumentis divi Antonii, & maxilla divi Gerardi socii divi Alberti, & articulo digiti divi Homoboni, & ex lapidibus appositis D. N. Jesu Christo, dum jejunasset in deserto per quadraginta dies per Satanam eum tentando.

Et in ecclesia divi Petri Apostoli erecta una cum ecclesiis divorum Pauli, Salvatoris, Tiburtii, ac B. Mariæ Virg. Archangelorum anno 1064. ex voto Ardinghi de Judicibus filii Albizonis, & Editæ uxoris, eorum bonis sibi legatis, prius culta per Monachos Ordinis divi Benedicti anno 1074. receptos in protectionem per Alexandrum Secundum summum Pont. & mox anno 1440. per Eugenium summum Pont. concessa Canonicis Regularibus divi Augustini Ordinis Lateranensis, tunc incolentibus ecclesiam divæ Agathæ, & ejus ædes anno 1468. concessas per Callistum Tertium summum Pont. Jo. Baptistæ Archidiacono nob. Cremonensi, & tunc ex scriptoribus Apostolicis, & facto ejus ecclesiæ divæ Agathæ præposito, ipsis Canonicis remanentibus usque in præsens in ipsa ecclesia divi Petri, & ejus ædibus, in qua asservantur summo cum honore in tabernaculis idoneis corpus divæ Mariæ Ægyptiacæ, cujus solemnitas celebratur quotannis die secunda Aprilis, dum circiter annorum 317. ortus Dominici, postquam è vita impudica ad pudicam ex virtute omnipotentis Dei, & opera B. Mariæ Virginis profecta Hierusalem ex Ægypto, una cum nonnullis peregrinis, ad visitandum sepulcrum ibi D. N. Jesu Christi, asperam & solitariam vitam ducendo ad se expiandum à peccatis, quæ commisisset in heremo regionis Palæstinæ illic vicinæ per annos circiter quadraginta septem, à divo Zozimo illic Abbate reperta fuisset, & sibi facta confessione peccatorum, & ex ejus manibus assumpto venerabili Sacramento Eucharistiæ spiritum ibi emiserit, cum capite ipsius divi Zozimi, & ex capitibus septem fratrum martyrum, & ex præsepi, in quo D. N. Jesus Christus in lucem productus, repositus fuit, & columna cui fuit alligatus, & ex spinis coronæ impositæ ejus capiti tempore ejus passionis, & ex velo B. Mariæ Virginis, & ex ossibus Andreæ ex Canonicis ipsius Regularibus, & ex dente & ossibus divæ Cæciliæ virg. & mart. & cineribus sanctorum Alexandri, Sisinii, & Mauritii, & ex cilicio divi Raymundi, & S. Eulaliæ virg. & mart. & ex reliquiis D. Hippolyti, Quiritii, & Julitæ, Sebastiani, & Victoris mart. divorum Alexii, Chrysostomi, & Martini confessorum, & S. Mariæ Magdalenæ, & in ea ecclesia parochiali divi Pauli ex eodem præsepi, & una ex ipsis spinis, & ex rosis productis in horto, in quo captus fuit, & ex porta aurea Hierusalem, per quam transivit, dum duceretur ad patibulum crucis, & tabula ipsius, super qua scriptus fuit titulus suus, & uno ex lapidibus cameræ, in qua Angelus Gabriel annunciavit B. Mariæ Virgini ipsum Jesum Christum ex ea nasciturum, & solo ubi sparsit lac, quo ipsum alebat, & ex capillis, & vestimentis, & velo ipsius, & ex humo loci, in quo Innocentes infantes fuerunt affecti martyrio, & perierunt, & ex osse alterius brachii unius ex eis, & de collo divi Jo. Baptistæ, & uno ex digitis divi Philippi, & ex ossibus & capillis divi Andreæ, & ossibus & cilicio divi Thomæ Apostolorum, & de ossibus divorum Laurentii, Anastasii summi Pont. Grisanti, & Dariæ, ac Blasii, & ex osse tibiæ divi Antonini, & alterius brachii divi Damiani, & particula unius ex osse capitis, & reliquiis divorum Martini, & Cosmæ, & capite divi Antonini Episcopi, & confessoris, & ex altero genu divi Christophori, maxilla divæ Apolloniæ, & ex capite divi Timothei ex discipulis divi Pauli, & dente unius ex quatuor Coronatis, & illio divæ Ursulæ, & liquore divæ Catharinæ, & ex terreno, ubi mortua est diva Mag-

dalena, ſolo montis Sinai, in quo Moyſes dedit Hebræis præcepta, & legem Dei, & ex cilicio divi Gulielmi, & divæ Marinæ, & camiſia beati Facii, & ex reliquiis divorum Simonis, & Judæ Apoſtolorum, Innocentii ſummi Pont. Simpliciani, Nerei, Nicolai, Babillæ, Griſanti, Marci, Marcelliani, Chriſtophori, Clementis, Hippolyti, Coſmæ Abbatis, & Feliciani, & Sanctarum Ruffinæ & Secundæ.

Et in eccleſia etiam parochiali divi Matthiæ corpus divi Alberti, & ejus caput in pyxide, & ex brachio divi Jo. Baptiſtæ, & ex oſſibus divi Laurentii, & ex reliquiis divorum Romani, Mauritii, Marci, Marcelli, Feliciani, Vincentii, Germani epiſcopi, undecim millium Virginum, Apollonii martyris, ex diſcipulis D. N. Jeſu Chriſti, ſanctæ Dulciſſimæ virg. & mart. Quadraginta martyrum, Tyburtii, Valeriani, Matthiæ Apoſtoli, Anatalionis epiſcopi, Nicolai, Giſalberti, Bernardi, Leonardi, Donati, & Himerii epiſcoporum, & confeſſorum, & Clementis ſummi Pont. & divarum Agnetis, Agathæ, Luciæ, Mariæ Ægyptiacæ, & Chriſtinæ, & ex veſte B. Mariæ Virg. & divi Bernardini, & ex brachiis Innocentium, & brachio divi Firmi, & ex digito pedis divæ Barbaræ, & ex brachio divi Theobaldi. Et in eccleſia parochiali divæ Helenæ alterum brachium etiam divæ Barbaræ. Et in eccleſia etiam parochiali divi Proſperi ex reliquiis divorum Michaelis, & Benedicti. Et in eccleſia etiam parochiali SS. Nazarii & Celſi, de eorum reliquiis, & de Sudario, purpura, & aliis veſtimentis, & fimbria D. N. Jeſu Chriſti, & lapide, ſuper quo fuerunt diviſa ejus veſtimenta tempore ipſius Paſſionis, & de eo, ſuper quo ſedebat beatiſſ. Maria Virgo, dum eum lactaret, & thalami, in quo orarunt, & veſte, & aliis veſtimentis ejuſdem beatiſſimæ Mariæ Virginis, & ex veſtimentis divi Joannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ, & crus unius ex Innocentibus, & ex oſſe alterius humeri divi Paulini, & capitis ſanctorum Eraſmi, & Geneſii, & alterius humeri, & duobus ex capillis divæ Magdalenæ, & oleo emanato ex oſſibus divæ Catharinæ, & reliquiis divorum Jacobi & Bartholomæi Apoſtolorum, Ambroſii, Vincentii, Florentii, Julii, Alberti, Babillæ, & Simpliciani, Zenonis, Domicii, Archelai, Pancratii, Nicolai, & Quadraginta Martyrum, & Machabæorum, & divarum Claræ, & Anaſtaſiæ. Et in eccleſia Prioratus S. Sylveſtri, de oſſibus ipſius, Babillæ, & Simpliciani, & oſſibus & pelle ſanctæ Euſemiæ martyris, & ex oſſibus divi Auguſtini, & de ligno Crucis, cui affixus fuit D. N. Jeſus Chriſtus, & porta aurea, & capillis divæ Mariæ Magdalenæ, & de reliquiis SS. Marcellini, & Petri, Valentini, Anaſtaſii, & Coſmæ. Et in eccleſia S. Eraſmi de ligno memoratæ Crucis, & lapide monumenti, in quo corpus ipſius D. N. Jeſu Chriſti ab ipſa Cruce acceptum poſitum fuit, ac beatiſſ. Mariæ Virginis, & ex oſſe divi Gelaſii, & digito divi Peregrini, & maxilla S. Mariæ Ægyptiacæ, & manu Longini, & ex corona divæ Catharinæ, & veſte divi Franciſci. Et in eccleſia divi Pantalemonis ex brachio ipſius, & ex ligno memoratæ Crucis, & ex oſſibus ſanctorum Prothaſii, Gordiani, Epimachi, Stephani, & Emerentiani, & reliquiis ſancti Ambroſii, & ex palma beatiſſ. Mariæ Virg. & ex capillis divæ Mariæ Magdalenæ. Et in eccleſia divi Galli ex maxilla divi Simpliciani. Et in eccleſia ſancti Syri, nunc Sepulchri, ex oſſe divi Arealdi, capillis divi Andreæ, & ex ſpongia, qua porrectum fuit acetum cum felle mixtum D. N. Jeſu Chriſto cruci affixo. Et in eccleſia S. Georgii ex oſſe digiti divi Euſtachii. Et in eccleſia monaſterii Monialium divæ Monicæ Ordinis de obſervantia divi Auguſtini, ſituati in parochia S. Baſſiani, ex oſſe alterius bra-

A chii divi Sebaſtiani, & colli divi Blaſii, & ex reliquiis Innocentium, & ex ligno crucis Dominicæ, & ſepultum eſt cadaver Blancæ Franciſcæ filiæ naturalis Franciſci Primi Sfortiæ Ducis Mediolani, defunctæ anno 1516. annorum ſexaginta, dum vixerit in eo monaſterio per annos quadraginta ſeptem, & cujus opera auctum fuit opibus ipſum monaſterium facta longa lite per ejus Moniales cum Monialibus D. S. Mariæ de Columba Ordinis Ciſtercienſium divi Bernardi.

Et in eccleſia ſancti Vincentii ejuſdem, ac divorum Arealdi, Quiritii, & Simpliciani, & Longini martyrum, & divi Lucæ Euangeliſtæ, & ex lacte Beatæ Mariæ Virg. B & ex reliquiis undecim millium Virginum. Et in eccleſia divi Leonardi ex reliquiis ejuſdem, & divi Theodori, & ex veſtimentis divarum Mariæ Magdalenæ, & Mariæ Solomæ, & Jacobi, & ex ſolo, in quo fuerunt reperti tres diſcipuli, ac fuit captus D. N. Jeſus Chriſtus, ac crottæ in qua ſtetit. Et in templo divi Gregorii presbyteri & martyris, erecto in parochia S. Michaelis, adſunt ejus oſſa cum duobus fruſtulis ſanctiſſimæ Crucis D. N. & binis ex digitis divæ Brigidæ, & ex reliquiis divi Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, & aliorum Apoſtolorum ex ipſa eccleſia tranſlatis cum eis oſſibus in ipſum templum tempore ejus erectionis, factæ anno 1369. C ſumptu ibi vicinorum. Et in eccleſia divi Bartholomæi culta per Religioſos Carmelitanos maxilla divæ Apolloniæ, & caput divi Guidonis Alberti epiſcopi & confeſſoris. Et in eccleſia divi Lucæ, culta per Religioſos tertii Ordinis de obſervantia divi Franciſci, pars anterior capitis divi Lucæ. Et in eccleſia præpoſituræ divæ Luciæ parochiali, erectæ jam annis circiter novem centum ſexaginta, dum Longobardi Italiæ dominarentur, reliquiæ divorum Tiburtii & Valeriani fratrum, Romæ die quartadecima Maji martyrio affectorum, Urbano ſummo Pont. & Marco Antonino Heliogabalo imperante, D cum brachio & manu divæ Firminæ martyris. Et in eccleſia divi Egidii, etiam parochiali, & olim collegiata, brachium divi Sebaldi martyris, & cujus ſolemnitas celebratur quotannis die vigeſima nona Januarii. Et in eccleſia divi Cataldi vicus Mottæ de Beluffis diœceſis Cremonenſis ex reliquiis SS. Thomæ Apoſtoli, Silveſtri, Felicis, & Agapeti, ſummorum Pont. Nerei, & Archelai, martyrum, Euſebii, Baſſiani, & Theodori, ac Eliſabeth matris divi Jo. Baptiſtæ, & Juſtinæ mart. & quibus temporibus, & per quos, & quorum opera tranſlatæ fuerint in ipſas eccleſias, reperire non potui.

Ad principium menſis Junii Romæ uxor Leonar- E di Bottæ J. C. & ex judicibus criminalibus, prodigioſe peperit duodecim fruſta carnis animata cum aliqua effigie humana, & oculis, vulgo *molas* appellata. A die prima uſque ad diem tertiam decimam Maji pluviæ fere continuæ cum gravi viguerunt frigore. Et in agro Tuderti cecidit ingens grando, & Oceanus egreſſus ejus littora Hollandiæ, ac regionum ſibi propinquarum, eas inundavit, dimiſſa ibi multa piſcium copia, cum duabus balenis ingentis longitudinis & craſſitudinis, omine ob id per ibi vates capto, grave bellum, ſeu duram famem, vel diram peſtem in eis regionibus fore debere. F Et hora ſecunda noctis præcedentis diem tertiam Aprilis per horas tres, & minutos quadraginta duos, & hora ſeptima noctis præcedentis diem vigeſimam Septembris totidem horis, & minutis quadraginta, luna paſſa fuit deliquium. Et in crepuſculo noctis præcedentis diem Mercurii tertiam decimam menſis Novembris, cum luna foret in Occaſu verſus Septentrionem, apparuit ſtella crinita valde ſplendida cum coma verſus Ortum in gradu vigeſimo octavo Scorpionis, & Capricorni vigeſimo, & in decimo ipſius Saturni, & exaltationis, &

& termini Mercurii apud astrum Aquilæ cum quadrante Jovis, per horas circiter tres coloris prius nigri, mox albi, & subinde rubei, eundo versus Ortum, & inclinando versus Septentrionem, & successive in crepusculo cujuscunque noctis per dies quinquaginta octo finitos: die nona Januarii subsecuti Limisses, & Paphus Cypri urbes terræmotu dierum circiter viginti octo quassatæ fuerunt gravi ibi damno illato, & etiam Brixiæ, & mox dira peste infestatæ, quamplurimis ex illa ibi, ac Mediolani, Papiæ, & Vincentiæ, & Lugduni, & in eorum agris mortuis, & Venetiis voto emisso per ibi Ducem, Ecclesiasticos, Senatores, ac populares construi faciendi in vico Judaicæ ad honorem Christi Redemptoris templum magnificum cum ædibus die vigesima quinta mensis Martii proximi, & solemnitatis nostræ Redemptionis assignandum religiosis Capucinis, Ordinis divi Francisci, ut in eo habitando in ipsis ædibus celebrarent officia divina die & noctu, à peste illa liberatis ex gratia omnipotentis Dei. Et Aloysio Mocenigo eorum Duce die quarta Junii, & anno secundo Ducatus sui mortuo, surrogato Sebastiano Venerio die duodecima. Et hora circiter decimam nonam diei Veneris vigesimi mensis Decembris, in unum ex caminis ædium Ducalium, omnium Italiæ amplissimarum & pulcherrimarum, majorisque pretii, in quibus resideat ibi Dux, ac fiant fere omnia officia, quæ Venetiis exerceantur, & habeantur comitia juxta ecclesiam in honorem divi Marci celeberrimam, & ad forum illic majus, & prope stagnum ibi maritimum, & in earum parte ornatiore, & opulentiore, & propinquo ipsi ecclesiæ, & se protendente usque ad pontem paleæ nuncupatum, accenso igne culpa unius ex ibi habitantibus pars ipsa conflagravit, una cum multis scripturis tum publicis, tum privatis in ea asservatis, & aliis ibi exsistentibus, & nonnullis ex illic habitantibus, dum illud incendium durarit usque ad horam fere septimam, qua exstinctum fuit, facto ibi concursu per populum Venetum, ad illud exstinguendum, quibuscunque Senatoribus, & magistratibus Venetis, eorumque apparitoribus id procurantibus, statua marmorea Justitia ei parti affixa in fronte versus forum deformata ejus capite, manibus, cruribus, & pedibus cum ense, & examine in ejus manibus retentis consumptis; & in die præcedente ex procella in eo stagno suborta nonnullis quoque navigiis submersis cum bonis, & nautis, & aliis circiter centum viginti, qui erant super eis. Mense quoque Martio visis turmis piscium in eo stagno insolitorum præter morem supernatantium uti attonitorum, ex quibus multi forent ventre supino.

Columbanus Ballettus Cremonensis, dum postquam fuit ætatis maturæ promotus ad sacerdotium ob ejus doctrinam grammatices, & humanitatis, electus fuit plebanus ecclesiæ sancti Mauritii Diœcesis Cremonensis, Papiæ, dum ibi doceret eas artes, obiit de mense Maji ex epidemia illic vigente. Decesserunt & Calistus Divitiolus, Rhena cognominatus, ex Canonicis Regularibus divi Augustini, insignis Theologus, & concionator, & ob ejus doctrinam factus episcopus Caleni, vulgo *Carinula* ex Campania felici, & Hieronymus Politius ex Religiosis ordinis Prædicatorum de observantia divi Dominici, etiam eximius Theologus, & concionator, & ob ejus quoque doctrinam factus episcopus Trebularum, seu Tribii, in Umbria Ducatus Spoleti, qui fuerunt Cremonenses. Non viguit grave frigus, nec vehemens calor, & ex fundis Cremonensibus & Parmensibus fuit perceptus congruus redditus frumenti, vini, & fœni, & ex agro Transpadano Cremonense & Parmense habita fuit copia pomorum, Cremonæ rectore Raphaele Arcimandrico Hispano, & Camillo Porro prætori, cum fuerit electus præfectus redditum extraordinariorum Regiorum, ac annonæ, & fluminum in dominio Mediolanensi, suffecto Camillo Cathaneo Vayano, etiam J. C. Mediolanense, & Regio Senatore. Et Camillus ex illustribus Comitibus de Persico Cremonensis decessit in Insula Melitæ violenta morte, dum ibi esset ex Rever. Militibus divi Jo. Baptistæ.

Anno sequuto Rex Hispaniæ multa passus fuit infortunia, plerisque Belgis, Batavis, & aliis populis Germaniæ inferioris Septentrionalibus ibi finitimis recusantibus ejus dominium, ac Hispanorum regimen, & præsidium, & sanctissimæ Rom. Ecclesiæ obedientiam, ac divina sacramenta respuentibus, & doctrinis impiis Lutheri, Calvini, & aliorum hæresiarcharum infectis, & armis Hispanienses, ac religiosos, & catholicos ibi infestantibus, & ex illis sexdecim millibus pedestribus, & mille equestribus duce regulo Montagnini, dum proposuissent obsidere Namurcum, in cujus agro foret Joannes Austriacus, vicarius ipsius in ea regione viginti millibus pedestribus, & bis millibus equestribus, & castrame arent apud ibi oppidum Gibeili propinquum castris Hispaniensium per sex millia passuum, & ex eis die ultima Januarii Alexandro Farnesio Principe Parmæ & Placentiæ, & vicario Austriaci, tribus millibus pedestribus Italis in illos progresso, & Octavio Gonzaga bis millibus equestribus eum subsequuto, ipsi motis castris vellent progredi, utrinque consertis manibus illis profligatis, ex eis multis tum occisis una cum supremo eorum duce, tum captivatis una cum regulo Grugni ex illorum primoribus ducibus, & valde strenuo, & ex ipsis tantum quatuor millibus pedestribus fuga prolapsis in ipsum oppidum, post se dimissis triginta signis, & quatuor vexillis, cum multis impedimentis magni valoris per victores habitis, & prosequuta victoria obsesso eo oppido, & sibi dedito per quatuor cohortes, & quatuor centum equestres dimissos ad ejus præsidium sex tormentis bellicis cum alio oppido ibi propinquo juxta flumen Mosæ, ad cujus præsidium erant alii eorum milites, quibus prohibebatur per ipsum flumen conduci annonam ex Gallia Celtica Namurcum, & per illos in eorum auxilium, ut Hispaniensibus possent resistere, accersitis Regina Angliæ, Hercule Duce Alanzoni fratre Regis Gallorum, & Casimiro regulo Germano, & secum cum Com. Palatino, ac Rege Sueviæ, & Daniæ, & Duce Saxoniæ, & Lubecensibus in Hispaniarum Regem percusso fœdere, & Duce Engolismensium, nonnullis copiis Gallicis mense Junio, & Casimiro aliis Germanorum sub stipendio Reginæ Angliæ, ad illorum opem profectis, & inter illos ac Matthiam Austriacum, Principem Aurentiorum, Ducem Ariscotti, & Com. Egmontis divisa ea regione, & ex ea assignatis Matthiæ Brabantia, Duci Alanzoni civitate Montis cum tota ibi proxima regione ad fines Galliæ Celticæ, Principi Aurentiorum Hollandia, Zelandia, & Frisia, Casimiro Comitatibus Lucimburgi, Liburgi, & Bolduci, Duci Ariscotti Comitatu Bouchaini apud flumen Scheldam inter Valenzenas, & Samorobricam metropolim Comitatus Ostervandes Ambianorum, olim Nerviorum, & Comiti Egmontis Comitatu Here apud Teroanam, & ad fines Atrebatum, & constituto per eos populos ipsorum exercitus duce supremo Alanzonio secum mense Augusto convento pro eis militare decem millibus pedestribus, & bis millibus equestribus ejus proprio ære per sex menses, & mox sex millibus eorum ære, ut omnia, quæ ex ea regione armis recepta fuissent citra flumen Mosæ, essent juris sui, sibi per illos dimissis municipiis Landresii, Alarini, & Beovoi, & inter eos ac Hispanienses multis commissis præliis diverso Marte, in quibus multi occubue-

A. C. 1578.

buerint, & multi vulnerati remanserint cum Principe Parmæ, & Octavio Gonzaga, & multi captivati, plurimis municipiis ac locis ibi direptis, igneque, & ferro dirutis, dum noluerint ibi incolæ se eis permittere, & per illic hæreticos instigatos ab illorum concionatoribus, perseverando in illorum inchoata impietate adversus catholicos, religiososve, eorumque bona divina, templa, & sacramenta, & reliquias Sanctorum. Et Gandavi furcis suspensis præsulibus Ipræ, & Brugiæ, & Duce Ariscotti, & fratre, ac regulis Montagnini, Egmontis, Capusii, & Gandavii ex illis hæc ægre ferentibus, eis dimissis, & profectis Liliam nonnullis copiis pedestrium & equestrium, & peste, fame, & ferro ex illis circiter octuaginta millia peremptis, per Rodulphum Cæsarem, & Electores, & multos alios ibi ac Germaniæ præsules procurata concordia inter Regem & illos hæreticos, & per Regem commissa omni eorum, ac ipsius differentia Rodulpho nepoti, & sororio suo, & ob id ad eum destinato Carolo de Aragonia Duce Terræ Novæ, & per summum Pont. Jo. Baptista Castaneo præsule Rosani transmisso legatis jam per summum Pont. Regi subministrata pecunia ad reprimendum hæreticos illos ex ære ecclesiastico. Et dum Coloniæ convenire decrevissent una cum ibi præsule, ac præsulibus Herbipoli, Virtembergi, & Comite Suitemburgi legatis Cæsareis, ac Archiepiscopo Moguntino & Treverense, & legato Reginæ Angliæ, & agentibus illorum rebellium, Joanne Austriaco oppresso febre acuta, & lentiginibus, ac fluxu ventris, ex eis die prima Octobris annorum viginti novem mortuo in propugnaculo Busii, erecto in agro Namurci adversus hostes, ejusque cadavere delato Namurcum, & ibi in ecclesia majori exposito multa pompa, & illinc mox in Hispaniam translato, & sepulto in ecclesia divi Bartholomæi Excuriatarum, eique suffecto Farnesio vicario suo, & per eum regiis copiis cum rebellibus commissis multis præliis, eisque gravibus affectis cladibus, & die vigesima secunda Septembris hora octava noctis in civitate Madriti mortuo quoque Vincislao Austriaco filio Maximiliani olim Cæsaris sororio, & nepote suo, & magno Priore Castiliæ, ejus successore Maximiliano fratre minore natu, & die decima octava Octobris Ferdinando filio annorum circiter quinque ex humanis rapto, ei, ac patri Carolo annorum circiter duorum, & Philippo nato nocte præcedente diem Dominicam tertiam decimam mensis Aprilis, & die prima Maji, & solemnitatis divorum Jacobi & Philippi baptizato, & etiam vita functis Catharina sorore Caroli patris, & relicta Joannis Lusitaniæ Regis amita, ac Sebastiano etiam Lusitaniæ Rege filio Joannis Secundi, & nepote suo ex sorore Joanna, die quarta Augusti in conflictu facto exercitu suo in Mauritania cum ibi infidelibus, & Joanna filia Ferdinandi olim Cæsaris, & uxore Francisci Ducis Florentiæ, ibi ex abortu die decima Aprilis propinqua sua, & anno præcedente die Lunæ octava Julii Maria, filia Odoardi Ducis Bragantiæ Lusitani, & uxore Alexandri Farnesii Principis Placentiæ & Parmæ, castissima, & valde proba, etiam nepte sua Parmæ, & Barchinone ad finem mensis Junii inundata per biduum; & de mense Decembris Medina civitate Asturiæ Hispaniæ, & ibi regione propinqua per passuum circiter sexaginta millia terræmotibus concussis, & ibi infinitis ædificiis dirutis, incolarum illic multorum oppressione, & aliquorum ex eis cæde, & aliorum debilitatione, & superstitum gravi damno, & stupore, & his omnibus infortuniis constanti animo passis, & omnipotenti Deo actis gratiis, & precibus supplicibus per eum catholicum, & fere jussis ubique in regnis, & dominiis suis per illic religiosos, & seculares. Christierna, Christierni olim

A Regis Sueviæ, Daciæ, & Gothiæ, & illic expulsi, filia ex Isabella sorore Caroli V. olim Imperatoris, & prius nupta Francisco Secundo Sfortiæ olim Duci Mediolani, & eo mortuo Francisco olim Duci Lotharingiæ, die vigesima prima Novembris accessit Cremonam, & ibi summo cum honore suscepta per illic magistratus Regios, nobiles, & populares ex ordine Regis Hispaniæ propinqui sui, & hospitata in ædibus magnificorum de Trecchis vicus sanctæ Agathæ per dies septem, illuc appulsa navigio averso flumine Padi, ejusque aquis augescentibus ob frequentes pluvias tunc cadentes, ex Mantua, illuc profecta adveniens ex Ferraria, & templo honorabili Laureti in Piceno erecti in honorem B B. Mariæ Virg. ei oblatis donis multi pretii pro recuperanda ipsius pristina valetudine.

Rodulphus Cæsar Sablonetæ oppidum ex diœcesi & territorio antiquo Cremonense, ad intercessionem, & in gratiam Vespasiani Gonzagæ eidem dominantis erexit in Ducatum, ejusque tit. insignivit ipsummet Gonzagam. De mense Augusti ab impio hæretico Hollandiæ ibi percusso sacerdote portante venerabile Sacramentum ad infirmum, & cum è manibus ipsius cecidisset eo sæpius pugione ingenti rabie confosso, ex ipso aliquo effuso sanguine illæso conservato, & hæretico furore correpto, & mox C mortuo, ingens procella in mari ibi propinquo supervenit cum ingenti pluvia, & turbine ventorum, & aeris obscuritate. In Pannonia apud Budam & Danubium die duodecima Februarii apparuit monstrum cum quatuor brachiis, & manibus, ac aliis, duabus auribus asininis, cruribus hispidis instar Satyri, pedibus leoninis, & oculis emittentibus flammas ignitas, in quoscunque obvios saxa gravia impetu projiciendo, & ex illis multos percutiendo. A die tertia decima ipsius mensis fere usque ad diem vigesimam secundam Aprilis Quadragesima vigente fuit aer nubilosus, & caliginosus, & pluviæ ceciderunt frequentes. Hora tertia noctis præcedentis D diem Martis primam ipsius mensis aere pluvioso, & ventoso conspecta stella crinita cum cauda bifurcata instar draconis, & die quinta decima Julii taberna pontificia aromataria ab igne correpta, & ab eo illic aromatibus & aliis valoris aureorum circiter mille consumptis, & nisi ibi incolæ illuc accurrissent, & ignem exstinxissent, ipsa, & multa alia ædificia ibi propinqua ab illo consumpta remansissent. Et etiam nonnullis Hispanis, & Lusitanis illic degentibus, & uno ex illis sacerdote verba proferente, se invicem conjungendo matrimonio exsecrandum vitium Sodomiæ exercentibus, delatis ibi magistratibus criminalibus, ex jussu eorum carceratis, & de E illo vitio convinctis ultimo supplicio pro eo affectis. Et die Jovis decima Aprilis insurrexerunt à Septentrione & Meridie venti frigidissimi, qui durarunt per dies & noctes fere decem continuo, ex quibus pleræque vites in Gallia Cisalpina aruerunt, omnesque fere fructus in agris pendentes damnificati fuerunt. Et nocte præcedente diem sabbati duodecimam suborto incendio casuali Mediolani in una ex tabernis ibi vicus fabricantium, & vendentium arma, flantibus ipsis ventis, ipsa cum aliis quinque cum supellectile, quæ in eis reperiebatur, valoris aureorum circiter triginta millium, combusta remansit, igne exstincto die ipsa sabbati. Eodemque F mense Faventiæ in lucem producta fuerunt duo monstra, quorum unum fuit cum capite, & unguibus mustelæ, & aliis membris humanis, alterum cum capite equino, & duobus oculis in pectore, & cauda draconis, & statim mortuo. Die prima Maji ex pernicioso grandine, qui cecidit in multis pagis, vicis, & municipiis Galliæ Cisalpinæ segetes, & aliæ fruges pendentes in agris fuerunt attritæ, & valdæ damnificatæ, & superventa grani aeris siccitate, ex ea causata fuit modica copia lini, fœni, leguminum,

num, & olerum. Arx Budæ eodem mense, & arx Montis Calvi Marchionatus Montisferrati de mense Junii clara die fuerunt percussæ fulgure.

Et inter horam nonam, & decimam diei Dominicæ octavæ Junii auditus fuit Cremonæ terræmotus, & ex eo in Dalmatia, & ad fines agri Bononiensis & Florentini, aperti fuerunt montes, & multa ibi ædificia corruerunt, multorum ibi incolarum oppressione, & ex eis aliquorum cæde, & aliorum debilitatione, & navigia circiter centum, dum forent in mari Dalmatiæ, obruta remanserunt cum multis, qui super eis erant. Et die Mercurii vigesima quinta ejusdem mensis in mane orto vehementi turbine ventorum cum grandine ingenti in agro Ferrariense, ibi grave damnum illatum fuit, & dum Alphonsus ibi Dux incumberet venationi in campis illic latissimis, & ad ipsam procellam evitandam conscendisset cum aulicis, & nobilibus, quos secum habebat, currus, ut properarent in loca tuta, & transirent prope flumen Padi illac labens, multi ex eis projecti fuerunt in flumen ipsum, & in ejus aquis obruti remanserunt, & ubi per multos ex suis, qui ad ejus opem accurrerunt, non fuisset retentus, idem infortunium quoque incidisset. Et prope Patavium per quinque millia passuum ex fulgure, quod illic ceciderit, ædificiis multis combustis illatum fuit damnum aureorum circiter mille. Et in mane diei quinti Augusti, & solemnitatis B. Mariæ Virginis ob miraculum nivis ex ea cecidit aere tunc ubique claro, & sole lucenti in solo Casamento Ludovici de Figalis in vico Madignani Diœcesis Cremonensis, & agri Cremensis, habitato per Andream Costam. Et die decima nona Octobris ex procella, auctis aquis maritimis prope & intus civitatem Venetiarum, & tumefactis fluminibus, & eis aquis unitis ob pluvias dierum sexdecim continuorum, urbs ipsa inundata fuit, & grave damnum ibi incolis illatum, dum irruperint plerasque eorum domos usque ad primam ipsarum contignationem, & etiam Genuæ, & aliis civitatibus maritimis Italiæ. Et nocte præcedente diem vigesimam tertiam Novembris inter horam septimam & octavam Romæ, & multis aliis in locis, visa stella summi splendoris etiam bifurcata. Et de mense Decembris ad oppidum Buari Mauritaniæ Tingitanæ ex terræmotu multa quoque ædificia corruerunt plurimorum oppressione, & aliquorum cæde, & aliorum debilitatione, multorumque navigiorum, quæ fuerunt in ibi mari naufragio, superstitum illic incolarum stupore & timore. Bernardus de Gattis, nuncupatus Soliarius, egregius pictor, origine Papiensis, & cum impubes una cum parentibus ex Papiæ ob bella, quæ tunc ibi, & in tota Insubria, Gallia Subalpina & Transalpina vigebant, Cremonam accesserit, ibi substitit, & lares suos elegit, & fuit educatus, & receptus inter illic cives, ac periit.

A. C. 1579. Anno subsequuto Gregorius summus Pont. & Rodulphus Cæsar una cum præsulibus Moguntino, Treverense, & Coloniense, ex Electoribus Imperatorum, annixi sunt Belgas, & Germanos transrhenanos sibi finitimos, rebelles sanctissimæ Rom. Ecclesiæ, & Catholicæ M. Regis Hispaniæ, reducere ad veram Christi religionem, & obedientiam Regis eorum domini, sedareque bellum grave inter illos ac Regem vigens, eorum exercitibus regionem ipsam diripientibus, ac ferro & igne evertentibus, rebellibusque illis insequentibus ibi catholicos & religiosos, eos occidendo, ipsorumque bona, ac templa divina, & monasteria diruendo, inde imaginibus & statuis divinis abrasis & fractis, & venerandissimis sacramentis baptismatis, crismatis, olei infirmorum, ac Eucharistiæ dissipatis, & pedibus conculcatis ignominiose per illos, destinato per summum Pont. legato Jo. Baptista Castaneo

A præsule Rosani Viennam Austriæ ad Rodulphum, & illinc cum Carolo Aragonio Duce Terræ Novæ Siculo, ad id destinato per Regem, ac præsulibus Herbipolis, & Virtembergi, & Comite Suitemburgi legatis Cæsaris, & Moguntino & Treverense, anno præcedente profectis Coloniam, & cum ibi præsule in unum coactis, & illinc sæpius per eos transmissis nuntiis monitum rebelles, ad eos destinandum ipsorum legatos legitimos, illisque redeuntibus ad obedientiam sanctissimæ Sedis Apostolicæ, ac Regis ex ejus ordine præcipuo, & naturali clementia per legatum suum oblata pace, & venia rebellionis, confirmatione quarumcunque im-
B munitatum sibi concessarum per Carolum Imperatorem ipsius genitorem, & alios eorum dominos, & libera dimissione civitatum, & arcium, & oppidorum ab Hispanis, aliisque extraneis militibus, & magistratibus, oneribus insolitis, & ibi rerum publicarum administratione, reservata sibi tantum superioritate, & præcipue vectigalium, reddituumque solitorum per ipsum haberi ex eis regionibus, & volentibus perseverare in impia hæresi dato illinc exsilio, & quadriennio ab ea recedendi, percepto interim redditu bonorum suorum medio procuratorum, & interea die septima Martii obsesso Trajecto superiori ex Brabantia propinquo flumini
C Mosæ, etiam illud nuncupatum Mastricum interlabenti, per tria millia Hispanorum, quatuordecim millia Germanorum, octo millia Valensium, quatuor millia Italorum, & quinque millia Burgundionum pedestrium, & equestrium quatuor millium, & Ferrarolorum bis mille, Italorum totidem, & fossorum circiter decem millium, tormentis bellicis tum castrensibus, tum muralibus, Alexandro Farnesio duce supremo, ac vicario Regio, & circa ipsum constructis novem propugnaculis, & ad munimentum castrorum tribus, & factis cuniculis intus & extra, eoque undecies oppugnato, ac inter obsessores ac obsessos pluribus factis præliis, repul-
D sis Hispaniensibus, ex eis occisis circiter duodecim millibus cum viginti sex eorum tribunis, inter quos fuerunt multi Parmenses, ac Placentini, & alii Itali nobiles, qui militabant cum Farnesio, & ultima vice die præcedente solemnitatem divi Petri vigesimam nonam Junii, ejusque civitatis plurimis in locis apertis mœniis, & dum in crepusculo noctis subsequentis per cuniculum, constructum ad partem Orientalem Trajecti, illum ingressi Hispani circiter centum in nonnullis ibi domibus dirutis à tormentis bellicis substitissent, & vexillifer Germanus mœniis conscensis, & nonnulli sui milites per eum accersiti ipsum secuti fuissent, & reperto ibi vigile,
E qui somno oppressus fuisset, & occiso, & occupata illic hostium materie bellica, & in mane ipsius diei per Hispanos conjecto igne in eum cuniculum, & obsessis ob id territis pedem referentibus, Germani, & Hispani, & alii illos insecuti fuissent, & ex illis occisis circiter quatuor centum cum fossoribus circiter mille, reliqui aufugissent in vicum ibi propinquum, & ultra ipsum flumen Mosæ, & per ibi incolas illinc repulsi fuissent, multisque ex eis, dum trajicerent flumen una cum eorum supremo duce Cantabro ab illius aquis obrutis, capta ea civitate cum ipso vico, ac direpta, data venia mulieribus, senibus, pueris, & illis, qui aufugerint in templa
F ibi divina, ac ecclesiasticis, facta præda valoris aureorum circiter ducentum millium ex ordine Farnesii inter omnes obsessores divisa, ac Sebastiano Veronense obsessorum architecto captivato, & ducto ad Farnesium, dum ex rebellibus essent in armis circiter viginti millia pedestrium, & sex millia equestrium, quo opem & annonam ferrent obsessis, & Com. Agamonius, & alii reguli conversi ad Regem ducti pœnitentia ob impios actus per rebelles in catholicos, & ecclesiasticos, ac templa divina, & sacra-

sacramenta, ut præfertur, commissos, eorum copiis illis resisterent, ab eis Nivella, & Mechlinia receptis, & ibi quibuscunque rebellibus illic repertis interfectis, Matthia ex Archiducibus Austriæ, dum timuisset, ne ibi incolæ, cum non auxiliatus fuisset Trajecto, in eum sævirent, ex fuga prolapso in Galliam, & per Hispanienses conversis armis in Artesiam & Annoniam, ibi incolæ se permisissent Farnesio eos recipiente, Buscondoncenses, Transilvani, Vallanienses, Tornacenses, Novagenses, Antuerpienses, Gandavenses, Brabantini, Geldrenses, Neomagenses, Artemienses, & alii populi eorum regionum, sæpius per legatos Pontificium, Cæsareos, & præsules, & alios congregatos Coloniæ missis ad ipsos nuntiis, eos exhortati fuissent ad acceptandum sibi oblata per legatum Regium, quæ forent honesta & laudabilia pro illorum quiete, salute, & utilitate manifesta, eorum responso exspectato usque ad diem tertiam Novembris, nec aliquo dato, perseverassent in eorum pertinacia, legati ac præsules ipsi diffisi illorum conversione Colonia abierunt.

Et Rex Hispaniæ jussit quoque cogi ex Germanis legiones binas per Com. Hieronymum Lodronium ex suis primoribus ducibus, & habere stativa in parte inferiori agri Cremonensis inter flumina Padi & Ollii tota æstate & autumno, & in Hetruria, Apulia, & Calabria, & regionibus Italiæ circumvicinis alias tres Italorum per Petrum Medicæum, & superventa hyeme transire in oram Lunensem, & ibi portus, & classibus ibi coactis Fabritio Columna procere Rom. filio Marci Antonii præfecto classis ibi regionis, & Marchione sanctæ Crucis Neapolitanæ, trajici in Hispaniam, & conjungi aliis legionibus Hispanorum, illic etiam coactis ad finem Lusitaniæ, Genuæ, Neapoli, & Messanæ, parata ingenti copia annonæ & materiei bellicæ, cum multis tormentis, machinis, & aliis instrumentis bellicis, ex quibus credebatur velle sibi vendicare regnum Lusitaniæ, ei spectans mortuo ibi Rege Cardinale avunculo suo, ubi ibi incolæ se ei sponte non permisissent, & seu movere bellum Mauris Algerii, & aliis in Africa sequentibus partes Turcarum, ope ibi Regum Feacum & Marocci sibi dimissis per eos quibuscunque Lusitanis penes eos captivatis, pro eorum redemptione solutis ipsorum dominis per Regem aureis quatuor centum millibus, dum ad præsidium Algerii foret Venetus rebellis religionis Christianæ duodecim millibus armatorum, & Rex Hispaniæ classes centum triremium, & totidem navium munitas, & circiter triginta millia pedestrium & equestrium in armis, & sibi dimisso Finali ex Liguria per Rodulphum Cæsarem ex consensu ibi reguli de Caretis Hispani, ex ejus ordine illic impositi ad præsidium, prætendentes municipium Milesimi ei propinquum Regi quoque spectare, illud ceperunt, ibi regulo ex familia quoque Careta captivato, & illinc ducto Mediolanum. Archangelus de Blanchis Viglebanensis, ex Religiosis Ordinis Prædicatorum divi Dominici, episcopus Theanensis, & Cardinalis tit. S. Cæsarii in palatio, & perpetuus Commendatarius præposituræ S. Abundii Cremonæ, cultæ per Religiosos Humiliatorum sub regula divi Benedicti, ejus ecclesiam & ædes valde magnificas, illinc dimissis eis Religiosis, concessit Religiosis Theatinis Ordinis Regularium divi Benedicti, inchoati Romæ anno 1526. promotoribus Petro Caraffa, procere Neapolitano, episcopo etiam Theani, & mox creato Cardinale, & deinde summo Pont. sanctissimæ Rom. Ecclesiæ, & Paulo IV. nominato, & Galeatio Theaneo Vincentino protonotario Apostolico, Bonifacio Colla, & Alexandro, & Paulo Romanis erecto monasterio ibi in vico Montis Caballi sub titulo, & ad memoriam, & honorem divi Sylvestri summi Pont. quod plurimi ingressi sunt, ac professi ipsam religionem; & mox Mediolani, & in multis aliis civitatibus & municipiis Italiæ, ibi constructis sibi aliis monasteriis, & ex quibus multi se receperunt Cremonam in ecclesiam & ædes ipsas habitatum. Et die quinta decima Augusti Isabella Gonzaga, filia Federici olim Ducis Mantuæ, & relicta Francisci Ferdinandi Davali Marchionis Piscariæ filii Alphonsi, ex hoc seculo migravit in municipio Casalis majoris agri Cremonensis, relicta de se ipsa maxima sanctitatis opinione ob ejus probam & laudabilem vitam, ac bonos mores, orationibus, eleemosynis, & jejuniis incumbendo, & corpus suum valde affligendo. Et Alexander Picenardus J. Cons. de mense Julii Genuæ, dum ibi esset prætor ex quinque ad ibi incolis jusdicendum præfectis factus ob ejus eximiam legum doctrinam, & Rochus de Capellinis egregius architectus, etiam Cremonensis, Romæ die vigesima septima, & circa principium mensis Maji, excellens in musica tam vocali, quam instrumentali, & ex Canonicis ecclesiæ cathedralis ipsius civitatis Marcus Felinus.

Die vigesima sexta Januarii in municipiis hæreticorum Galliæ Lugdunensis fuerunt graves terræmotus. Et urbs Blesensium ex inundatione aquarum passa fuit grave damnum, multis ibi ædificiis eversis, & aliquibus ex eis alio abductis. Et etiam nocte præcedente diem Martis decimam septimam Februarii urbs Lutetiæ auctis valde aquis ibi fluminis Somæ inundata fuit, illic incolis illato immenso damno. Et in vespere diei Jovis sextæ decimæ Aprilis, & Cœnæ Domini subortis ventis à Septentrione & Meridie vehementibus, & perseverantibus usque in diem sequentem, nocte cecidit pruina in multa copia, ex qua in tota fere Gallia Cisalpina, & regione circumvicina, fuit causatum ingens frigus, & illatum grave damnum fructibus tunc pendentibus in agris. Et in fretis Italiæ submersa fuerunt navigia. Et die Dominica vigesima sexta gravi procella suborta apud Genuam factis rogationibus per ibi præsulem, & clerum, ac populum ad omnipotentem Deum, & cineribus divi Joannis Baptistæ illic asservatis circumlatis per ipsam civitatem, ea sedata fuit, & deinde illic ipsius & regionis suæ incolæ infecti peste dira, ex ea infiniti occubuerunt: & die vigesima octava, & nona Aprilis apparuit sol sanguinei coloris. Et de mense Julii ob gravem æstum in Hispania exortum ab humo processit multa copia glirium, à quibus devastata fuit pars fructuum ibi pendentium in agris. Et in multis locis agri Cremonensis, & agrorum circumvicinorum, durante æstate cecidit grando, ex qua valde damnificati fuerunt fructus illic pendentes. Et die nona Septembris ex terræmotibus, qui durarunt per sex dies & noctes in Sicilia, aperto ibi monte Æthna in quinque locis, ex eis flammæ eruperunt, cum lapidibus ignitis in aere projectis, & ex quibus arbores plantatæ ibi, & in locis circumvicinis, arefactæ remanserunt, gravi ibi accolarum damno, timore, & stupore, & pullulavit pestis. Arx Lixæ, seu Alexiæ, ex Liburnia die secunda Octobris percussa fuit fulgure, & diruta, exstincto Joanne Cornelio patricio Veneto ibi præfecto cum tota ejus familia, ac multis militibus, qui erant ad ejus præsidium, cum multis aliis illic incolis, ex fragmentis lapidum ædificiorum ibi eversorum, multisque aliis quassatis cum nonnullis navigiis, quæ erant in mari illic propinquo, duodecim militibus, qui erant super eis, occisis; bimestre fere continuo inchoato die decima Octobris pluviæ ceciderunt, ex quibus aquæ Padi, Tyberis, & Arni, & aliorum fluminum, ac torrentium in Italia, valde & præter modum creverunt, & ibi finitimis grave damnum intulerunt. Et ex fluxu maris de mense No-

Novembris apud Cornetum in Latio fuit projecta extra ipsum balena in terras. Nocte præcedente diem Martis tertiam mensis Decembris visa fuit Luna cum circulo circa eam coloris instar rubei. Et in regionibus Aquitaniæ, & Geldriæ, Namurci, & Lucimburgi Galliæ Belgicæ, & Elvetiorum, & Rhætorum sæviit pestis. Die septima Aprilis Venetiis ex muliere Græca prodiit in lucem infans cum facie & pede leoninis, & à tergo duabus pellibus, & nec multum vixit. Et in vico Zurleschi agri Laudensis mulier peperit duos canes cum infantulo. Nocte præcedente diem Martis decimam septimam mensis Februarii Camillo Cathaneo Vayano prætore Cremonæ mortuo, ei substitutus fuit Alexander Panigarola, etiam J. C. Mediolanensis, ac Reg. Sen. Fuit mediocris redditus frumenti, & aliorum granorum congruus, & multa copia vini, sed acidi, ac pomorum.

A. C. 1580. Anno saluberrimo Natalis D. N. Jesu Christi ex beatiss. Mar. Virg. 1580. Romæ Imagine ejusdem gloriosiss. Genitricis D. N. Jesu Christi cum eo infantulo in gremio picta super parte interiori unius ex muris turris, constructæ in vico Parionis in montibus, & dum foret occultata fœno, quod esset in turre, percussa tridente ferreo, quo motum fuisset fœnum, & voce lugubri ab ea emissa audita, & statim ab ipsa amoto fœno conspecta, & ab aere tunc effuso nimbo copioso gravi ventorum impetu, tonitruum strepitu cum fulguribus frequentibus de mense Aprilis, dum quamplurimi ex ibi incolis his auditis ac visis attoniti accurrerint in ipsam turrim, & genuflexi ante imaginem ipsam, & factis ad eam Genitricem Mariam precibus, invocato ipsius auxilio ad omnipotentem Deum in illorum periculis, & infortuniis, & pro assequenda venia peccatorum suorum ab eo, ipsiusque placanda ira adversus illos, ex ejus gratia, & intercedente ipsa gloriosiss. Maria Virg. multi ex ipsis sanati fuerint ab infirmitatibus variis, quibus opprimebantur, & multa alia facta miracula, quotidie plurimis etiam aliis à diversis infirmitatibus sanatis, quibus detinebantur, ingens multitudo personarum concurreret ad ipsam multis pecuniis, & aliis magni precii, quas ibi dimitterent ad ornandam ipsam imaginem, & turrim, & ut ante eam fieret quotidie divinum sacrificium missæ, cum aliis officiis ad honorem omnipotentis Dei, & ipsius gloriosiss. Mariæ Virg. memoriam, & ex ipsis pecuniis distribueretur egenis, & fierent alia opera pia, summus Pont. ordinavit eam imaginem, ut foret in loco magis honorato, commodo, idoneo, & frequentato, illinc amoveri, & transferri in ecclesiam cathecumenorum ejusdem urbis; & cum ibi Gubernator ob id illuc profectus fuisset cum fabris, nullaque eorum arte & vi amoveri potuisset, & ibi vicini ægre ferentes eam inde asportari, fabros ipsos, ac rectorem, & milites, quos secum habebat, susceptis saxis & baculis impetiissent, & illinc expulissent, & nimbus quoque tunc vehemens gravi ventorum impetu cum tonitribus & fulguribus exortus fuisset, ordinavit eam turrim redigi in templum, ac ampliari sub vocabulo D. Sanctæ Mariæ à Tronis, ad honorem ipsius, & prænarratorum memoriam ibi constructis domibus, in quas se conferrent cathecumeni ipsi habitatum, & in eis alimenta haberent, & in templo ipso celebrari facerent missas, & alia officia divina, die & noctu per sacerdotes secum assistendo, eisque auxiliando ex pecuniis, & aliis, quæ ibi oblata & dimissa fuissent per illuc accedentes. Et finito sacello magnifico cum sepulchro ex ordine ipsius summi Pont. quoque erecto in ecclesia Divi Petri etiam Romæ ad honorem & memoriam divi Gregorii Nazianzeni Episcopi, & insignis thelogi, & ex celeberrimis doctoribus religionis Christianæ in partibus Orientalibus, ejus corpus die undecima Junii transferri fecit ex ecclesia Monialium, degentium in ædibus regionis ibi campi Martii, in ipsam ecclesiam divi Petri, & locari in eo sepulchro constructo in ipso sacello, ipsum comitando ab ipsa ecclesia Monialium ad eam divi Petri cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, prælatis, religiosis, presbyteris, ac laicis ex incolis Romæ, & aliarum regionum circumvicinarum innumerabilibus multo cum honore, secum faciendo solemnes rogationes ad omnipotentem Deum, versus eum invocato auxilio B. Mariæ Virg. omniumque Sanctorum suorum, ipsiusque divi Gregorii supplici & contrito corde pro conservatione & exsultatione ecclesiæ suæ, ipsiusque defensione ab infidelibus, & hæreticis, illorumque exstirpatione, ac pace & unitate Principum, & populorum Christiani nominis, ac suorum peccatorum venia ex ipsius gratia, & miseratione, eo summo Pont. conservato incolumi, ne conculcaretur, & ex humanis tolleretur à tabulato aulæ nuncupatæ Constantini ex palatio divi Petri, in quo resideret, constructo ex lateribus coctis & calce, opere testudineo, dum, postquam per ipsam aulam deambulasset aliquo temporis spacio, die vigesima septima Junii ipsam egressus fuisset, statim illud corruerit.

Et die septima Aprilis ex terræmotibus quassatis & dirutis multis ædificiis in Hollandia, Zelandia, & Brabantia, Antuerpiæ, & Brussellis; & in maritimis Normandiæ, & reliquæ Galliæ Celticæ, & Angliæ, ac ibi in navalibus apud Boloniam, & Gensoriacum, & Londinum, & alibi submersis multis navigiis aliquorum interitu. Et aere sereno ab æthere prolapso igne in campestria Angliæ, & longo, & lato spatio progresso per ea omnibus ibi repertis combustis. Et eodem mense in ipsamet regione producto in lucem infantulo absque capite cum rana rubeta ibidem. Et de mense Novembris alio ex vetula nato unica manu, octo pedibus, & ex eis uno humano, & aliis diversorum animalium, & cauda muris, & galea in capite. Et per ibi divitem avarum muliere vidua, & paupere, quæ ab eo petiisset eleemosynam, à se ignominiose expulsa, ipsius domo percussa fulgure, & cum ipso, ac tota ejus familia, & bonis, quæ ibi forent combustis, ex judicio omnipotentis Dei. Rex Hispaniæ ad comprimendum pertinaciam, & exstirpandum impiam doctrinam rebellium Rom. Ecclesiæ, & sibi ex Belgis, & Germanis transrhenanis adhuc debacchantibus in ecclesiasticos & catholicos earum regionum, ipsos occidendo, eorumque bona, domos, ac templa divina diripiendo, & vastando, simulachris, & reliquiis, ac sacramentis ibi divinis eversis, projectis, & pedibus conculcatis, & per illos intercepta Mechlinia, & ad ejus custodiam impositis Anglis eorum superstitionis, qui usi fuerint in ibi catholicos omni genere sævitiei, & dum occiderint omnes Moniales monasterii ibi Ordinis de observantia divæ Claræ, ex virtute omnipotentis Dei auditæ fuerunt noctis tempore celebrare officia divina in earum ecclesia. Et dum diruerint sacellum erectum in ecclesia ibi majori olim per B. Rambanum, sæpius conspecta fuit crux alba super eis fragmentis. Et dum voluerint diruere templum, & ædes ibi divi Celsi cultas per Religiosos Carmelitas Dominæ sanctæ Mariæ, viso brachio extento super ipso templo cum ense nudo, territi, ab ejus ruina destiterunt. Et Brussellis altare erecto in ibi ecclesia cathedrali, ad quod in tabernaculo aurato magnifico servarentur summo cum honore tres hostiæ sacratæ eucharistiæ Dominicæ, olim ereptæ è manibus nonnullorum Hebræorum, qui comperti fuerint in eas uti omni genere vituperii, sæpius everso, & statim instaurato, & viso integro, & circa illud ad prohibendum ad ipsum illorum aditum constructo muro ex lateribus coctis & calce, adversus



sus illos continuavit bellum ope nonnullorum ex ipsis sequentium partes suas, & ex Valensibus, Germanis, & Italis conductis ad ejus stipendium, multis copiis pedestrium & equestrium, Alexandro Farnesio, Principe Parmæ & Placentiæ, & nepote suo, ibi ejus vicario, & duce supremo, & illorum rectore Gulielmo Principe Aurentiorum. Et dum Oribigenses, Gruiligenses, Tronenses, & Frisii, Regi ipsi adhæsissent, de mense Februarii, ex eorum regionibus quibuscunque Hispanis equestribus & pedestribus egressis in Insubriam, & equestribus mox in Regnum Neapolitanum, & pedestribus illinc classe conductis in Hispaniam, & mox traductis in Insubriam, per rebelles obsessa Groninga in Frisia, Ludovico Nassovio, fratre Principis Aurentiorum, duce, & Regiis tendentibus ad ejus opem, cum ex illis circiter mille quinque centum equestres, & decem millia pedestrium occurrerint sub regulo Delanua, Gallico vicario Principis Aurentiorum, facto utrinque prælio profligati fuerunt, eis fere omnibus cæsis, & captivatis, & ex ipsis ducibus, & aliis optimatibus conductis in civitatem Montium Anoniæ ad Farnesium ibi residentem. Et regulus Calicis ex adhærentibus Regis ingressus municipium Brisii, sibi proditum per ibi incolas, quinque centum pedestribus, & secum consertis manibus per ibi milites ad præsidium, & per illos ex ipsis occisis circiter ter centum, reliquis captivatus fuit una cum rectore Donai, & aliis quatuor proceribus, quos secum habebat. Et per Montenses facta conjuratione in necem Farnesii, & in lucem prodita, multi ex illius complicibus carcerati, & ultimo supplicio affecti fuerunt de mense Julii. Et Comes Agamonius ex adhærentibus etiam Regis, dum esset in ejus oppido Innoi, & jaceret in lecto, eo oppido clam nocte occupato per rebelles, regulo Delanua etiam duce, una cum uxore & sorore captus, & ductus fuit Brussellas, & ibi carceratus. Alioque mox prælio commisso inter Regios & rebelles apud Brugiam, & rebellibus profligatis, ex illis multis quoque cæsis, ipse regulus Delanua illorum Dux multis aliis captivatus fuit. Et per Regios deinde obsessum fuit oppidum Delphi in Frisia, & de mense Augusti eo recepto Boschivium, & dum ex proditione intenderent capere Samarobrivam, nunc Cambraium Ambianorum, ea in lucem prodita, ex ipsius incolis ejus consciis captivatis quadraginta cum quinque ecclesiasticis, mox obsessa per Regios, Rex ipse Margaritam sororem, & matrem Farnesii vicarii sui, & olim rectricem pro Rege ibi populorum, illuc ex Italia transmisit ad exhortandum rebelles illos ad deponendum arma, & illorum impiam opinionem, & Rom. Ecclesiæ, & ipsi Regi obediendum, & per eos sibi electo protectore Alexandro Duce Alanzonii, & per eum ad opem Cambrai ex Gallis sibi adhærentibus bis destinatis copiis, & per Regios sibi occurrentes repulsis gravi illorum strage, & multorum cæde & captura, & mox per alios transmissos ibi obsessis data ope & annona. Et inter rebelles illos & Regios factis multis aliis præliis diverso Marte in Frisia, Zelandia, Artesia, Hanonia, Geldria, & Brabantia, multorum utrinque eorum quoque cæde & captura, ibi multis municipiis obsessis tum oppugnatis, tum expugnatis, & aliquibus ex eis direptis, Rex ipse ad tollendum ex humanis Principem Aurentiorum publicato edicto ejus nomine proposuit ingens præmium eum occidentibus, seu captivantibus, & se consignantibus Farnesio vicario suo, & ipse ad hæc evitanda, & se conservandum in Hollandiam regionem ei suppositam se recepit.

Et in Hybernia per ibi suppositos Reginæ Angliæ, & copias militum, quas illic habebat ad sui præsidium, & alios ibi sequentes partes Regis Hispaniæ, & copias per eum ad ipsorum opem transmissas, commissa etiam fuerunt nonnulla certamina diverso Marte, aliquorum interitu. Et Henrico Infante Lusitano, episcopo Eboracense, & Cardinale sanctiss. Rom. Ecclesiæ sub tit. Quatuor Coronatorum, & Rege Lusitaniæ Ulisponæ mortuo die ultima Januarii, qua etiam in lucem productus fuit, exhortatis prius, dum celebrarit illic in ecclesia cathedrali missam solemnem, ibi incolis, & aliis Lusitanis, habita ad eos illic congregatos facunda oratione per ipsum, ad accipiendum post ejus mortem in Regem suum Philippum ejus nepotem Regem Hispaniæ, cui magis, quam aliis spectaret, & conveniret ipsum regnum, cum natus foret ex Isabella sorore ejus Henrici, & Joannis fratris sui avi Sebastiani, ejus Henrici præcessoris, & habuisset uxorem Mariam filiam ipsiusmet Joannis, cujus filius quoque sui nominis habuisset uxorem Joannam sororem Philippi, ex qua natus fuisset Sebastianus, & Joannes ipse olim ibi Rex, & idem Henricus, & alii eorum fratres nati fuissent ex Emanuele, & Maria filia Ferdinandi Regis Aragoniæ, & sorore Joannæ matris Caroli V. Augusti patris Philippi. Et regnum ipsum esset membrum regni Asturiæ, & Legionis nunc Castiliæ juris Philippi, circiter annum millesimum decimum concessum sub feudo per Alphonsum VI. Castiliæ Regem Henrico Comiti Lotharingiæ, ei nupta Tiresia filia sua naturali ob operam fideliter & præclare per eum navatam secum militando, Gallis secum conductis adversus Saracenos, regnum ipsum occupantes, eo ex illorum manibus recuperato. Et Philippus ipse, cum & Regna Arragoniæ, Castiliæ, & reliqua Hispaniæ teneret, foret aliis quoque præponendus in ipso regno ob ejus potentiam, magnanimitatem, dignitatem, auctoritatem, & integritatem eximiam, & per eum Regem Hispaniæ, ut ipsum regnum haberet via juris, & absque armis, exquisitis & habitis consiliis à celeberrimis Jurisperitis ex Hispania, Italia, & Gallia, moram facientibus in ibi gymnasiis publicis, & etiam Romæ, Mediolani, & alibi ipsum regnum ei uti propinquiori masculo ipsi Regi defuncto, ut præfertur, spectare, & facta oblatione per ipsum ejus quinque rectoribus, ac primatibus, ac incolis, eum recipientibus in Regem suum, ipsis confirmandi privilegia immunitatum sibi concessarum per olim illic Reges, eisque permittendi regimen & administrationem rerum ibi publicarum, & ex eis idoneis concedendi dignitates, & proventus ibi ecclesiarum, & officia, & magistratus illic, & alibi, ac dandi ibi incolis grana, quibus indiguissent pro eorum victu, & quoscunque ex ipsis, qui adhuc forent captivi apud Numidas, ex eis, quos captivassent anno superiori tempore conflictus secum facti per Sebastianum eorum Regem exercitu suo, in quo obierit, ære suo proprio redimendi, ac multis aliis amplis conditionibus oblatis, & Joanne ex Catharina, filia Odovardi Ducis Bragantiæ, sorore Joannis Secundi Regis Lusitaniæ, & Don Antonio filio naturali Aloysii, ex filiis memorati Emanuelis Ducibus Bragantiæ, & prætendentibus regnum ipsum sibi spectare, eis confirmandi ipsum Ducatum, & alia Dominia, quæ ibi haberent, & alia multi redditus concedendi, & solvendi ipsi Don Antonio pecunias, quibus posset solvere æs alienum, quod haberet, & eis rectoribus, primatibus, & incolis, & Catharinæ, & Don Antonio datis multis dilationibus ad deliberandum super eis oblationibus, & Catharina transgressa in partes Regis, & per alios nullo sibi dato responso congruo, & per summum Pont. ad prohibendum, ne bellum inter eos ac Regem succederet, destinato Alexandro Riario Patriarcha Alexandrino, & S. Rom. Eccl. presbytero Cardinale sub tit. D. Sanctæ Mariæ in Ara cæli, ad Regem degentem ad limites Lusitaniæ in civi-

civitate Guadalupis, olim Cæciliæ Melinæ nuncupatæ, ut eum componeret cum Lusitanis, dum in regione ibi propinqua haberet exercitum equestrium & pedestrium sub cura & regimine Arnandi de Toleto Ducis Alvæ, ejus exercituum ducis supremi antiqui, ex Italis sub Petro Medicæo, cum quo forent multi proceres ac nobiles Rom. & Itali, & Germanis sub Com. Ludovico Lodronio, & Hispanis veteranis, quos habuisset ad præsidium Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, & Insubriæ, & ex aliis coactis sui stipendio, cum aliis adunatis per Duces, Marchiones, & Comites Hispaniæ, eorum proprio ære, & magno numero fossorum, lixarum, & calonum, & jumentorum, curruum, tormentorum bellicorum tam currulium, quam muralium, ac classe Sicula sub Fabritio Columna, eique mortuo substituto Prospero agnato suo, & Neapolitana sub Antonio Cardona, Ligustica sub Andrea Doria, & Hispana sub Alvaro Bassimano, regulo Sanctæ Crucis Hispano, in mari ibi finitimo, quibus regnum ipsum vendicaret, ubi sibi sponte recusassent illud dimittere, & dum cum Don Antonius esset in civitate Sanctæ Arenæ cum duobus ex eis rectoribus, ac Ferdinando à Frumento ex magistratibus summi Pont. & ejus nuncio apud Lusitanos, ac Alexandro Farnesio episcopo Parmæ, & ibi, ac Placentiæ Ducis, legato penes eosdem, & per ipsum in ecclesia illic majori celebrata missa solenni, in ea invocata gratia Sancti Spiritus, ex consensu eorum duorum rectorum sibi die decima nona Junii subripuerit titulum & coronam ipsius regni, & mox illinc nonnullis copiis militum, quas haberet, directo itinere Vlisponam metropolim ipsius regni, ut per ibi incolas Rex agnosceretur, & dum alii tres rectores aliis copiis militum ad ei resistendum illinc erupissent, ut secum armis concurrerent, & per eum ipsorum copiis adductis in sui votum, secum ingressus fuisset Ulisponam, ipsiusque tribus rectoribus ex fuga illinc prolapsis ad Regem, & ei adhærentibus, Rex ipse, per ipsum eo Don Antonio declarato rebelle suo, & proscripto à quibuscunque ejus regnis, & dominiis, & exploratis, & æquatis itineribus, quibus posset ipse exercitus transire tormentis bellicis in regnum ipsum Lusitaniæ, jussit Ducem Alvæ ipso exercitu, ac eis classibus illud ingredi in illum Don Antonium, & Lusitanos ejus partes sequentes, & Dux Alvæ, multis ex eo exercitu morbis contagiosis, ob intemperiem aeris causatis, vita functis, reliquis mari & terris ingressus ipsum regnum, & ex eo receptis multis civitatibus & oppidis, se ei permittentibus absque armis, direxisset iter suum versus Ulisponam, eique se appropinquasset, & Don Antonius aliquibus copiis militum illinc in ipsum exercitum erupisset, & facta utrinque aliqua pugna, nonnullorum cæde, repulsus in eam civitatem, pedem retulisset, & per Regios sequentes victoriam ipsius civitatis porta recepta, ibi incolæ diffisi viribus suis se Regi permiserunt, illinc ex fuga prolapso Don Antonio nonnullis ex ipsius copiis ad montes, & sylvas illius regionis, dimissa post se classe quadraginta duarum navium munita tormentis bellicis, eorumque materie, ac copia annonæ, & militibus, inter quas forent septem majores, super quarum singula erant quatuor centum milites ad earum custodiam, cum nonaginta duobus tormentis bellicis, & intercepta per Regios die vigesima quinta Augusti, aliquibus ex eis insequentibus ipsum Don Antonium, Rex ipse eos incolas recepit in sui gratiam & protectionem, sibi dimissis omnibus illorum bonis; & cum sæviret pestis Ulisponæ, ex cujus incolis illa quotidie multi occumberent, substitit in civitate ipsa Guadalupis, & illic non multo post oppressus infirmitate gravi ex ea laboravit usque ad mortem, & recepta valetudine per ipsum Anna Austriaca, ejus quarta uxor, infecta lentiginibus, ex illis & abortu duorum fœtuum periit die vigesima sexta Octobris, ex ea, quæ secum vixisset per decennium, superstitibus filiis Carolo annorum quinque, & Philippo annorum duorum, & Maria mensium octo, dum in lucem producta fuerit die quarta decima Februarii.

Et cum Don Antonius suorum acie se recepisset sex millia pedestrium, & sex centum equestrium in civitatem Portus, Albaretæ olim nuncupatæ, ex ea regione, Hispani, qui ipsum insequuti fuerint, illuc transiverunt, & inito certamine inter eos & ipsum Don Antonium, illiusque copias eis profligatis, & ipso ex fuga prolapso, paucis equestribus tantum comitato ad mare ibi propinquum, Rex ex Guadalupa suis purpuratis, & aliis, quos secum habebat, accessit die quinta Decembris in civitatem Elviræ, Elves nuncupatæ, ex insignioribus civitatibus Lusitaniæ, & per ibi incolas & alios Lusitanos, illuc profectos, receptus fuit multa cum pompa, & magno cum honore, & versus ipsum, & Carolum suum primogenitum, & Infantem, præstitum juramentum obedientiæ & fidelitatis congruum; & cum Don Antonius intellecta clementia, qua usus fuisset Rex in Lusitanos, amissa spe habendi copia auxiliares à Rege Gallorum, & Regina Angliæ, & aliis, à quibus sperabat, missis legatis ad Regem obtulisset se ei permittere, ipsum obtulit recipere in sui gratiam, & cum per Lusitanos nonnullis Hispanis occisis suspicatum fuerit, id processisse ex instigatione ipsius Don Antonii, intercedente tamen inter Lusitanos & Hispanos ipsos odio naturali immenso antiquitus, timuerit se Regi subjicere, Rex ipse ad ipsum tollendum ex humanis proposuit edictum publicum, quo ipsum capientibus, eique seu ejus magistratibus præsentantibus, & ubi voluerit resistere occidentibus, obtulit præmium.

Rodulphus Cæsar Cremæ oppidum, ex diœcesi & territorio antiquissimo Cremonensi, erexit in civitatem ad intercessionem & in gratiam Venetorum ei dominantium, dato ei Episcopo per summum Pont. Hieronymo Diedo ex ipsorum patritiis, sibi dimissis per episcopos Cremonensem, Placentinum, & Laudensem ex his, quæ habebant ex ejus agro, suppositoque ejus episcopatu archiepiscopatui Bononiensi mox erecto. Et Mediolani hora secunda noctis præcedentis diem Mercurii vigesimam primam Aprilis mortuo Antonio Guzamano Marchione Aymontis Hispano, & in universo statu Mediolani rectore, & in Italia capitaneo generali pro Rege Hispaniæ, per ipsum ei substitutus fuit Don Santius Gevarra de Padilia, ibi arcis præfectus; & ex Cardinalibus sanctissimæ Rom. Ecclesiæ decesserunt Archangelus de Blanchis, tit. S. Praxedis, ex vico Gambaloidi agri Viglebanensis, & ex Religiosis Ordinis Prædicatorum de observantia divi Dominici, & episcopus Theanensis, die decima octava Januarii, & Franciscus Alciatus, tit. D. sanctæ Mariæ in porticu, Mediolanensis, die vigesima mensis Aprilis, & Joannes Moronus Decanus, & episcopus Hostiensis, etiam Mediolanensis, circiter horam quintam noctis præcedentis diem vigesimam secundam mensis Decembris Romæ, & die penultima Augusti hora vigesima in domibus Abbatiæ propinquæ Taurino obiit Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ annorum quinquaginta trium ex febre contagiosa, superstite Carolo unico filio legitimo annorum decem & octo. Et de mensibus Julii & Augusti ob intemperiem aeris frigidi, ac caligines, & ventos vigentes mense Julio præter statum temporis, Romæ, Venetiis, Mediolani, & alibi in tota Italia, Gallia Transalpina, Hispania, & fere tota Europa infiniti oppressi fuerunt vehementi capitis gravedine cum febre, ac tussi, rheuma-

te, stomachi indispositione, & acerbitate, & nausea ex capite eorum flegmate frigido distillante, & nullo gustu cibi ac potus, ex quibus innumerabiles occubuerunt, & ex epidemia Genuæ, & in ejus regione, Taurini, Parisiis, Lugduni, Nicææ, & multis aliis vicis Galliæ Narbonensis, innumeri alii defecerunt. Nicolaus Sfondratus, Præsul Cremonæ, in ecclesia ibi cathedrali die Jovis decima Augusti, & duobus diebus sequentibus, habuit Synodum cum Archipresbytero, Archidiacono, Decano, Præposito, Primicerio, Cimiliarcha, canonicis, & mansonariis ipsius ecclesiæ, & aliis Archipresbyteris, præpositis, & rectoribus ecclesiarum ipsius civitatis, & suæ Diœcesis, in qua lectis per Joannem Baptistam Gadium, unum ex ipsis canonicis, coram aliis ibi congregatis decretis, constitutionibus summi Pont. sanctiss. Rom. Ecclesiæ, ac decretis Synodorum Tridenti, & hujus Provinciæ Mediolanens. hactenus conditis ad ipsam synodum facientibus, ordinatum fuit ea esse servanda, ac electi fuerunt Judices delegandi à Sede Apostolica in causis ecclesiasticis in ipsa civitate agitandis, & examinatores provehendorum ad sacros ordines, & dignitates, ac beneficia ecclesiasticorum, ac testes synodales, & facta alia ad conservandum eorum mores, & ritus, ac honestatem, & decorum sacerdotalem. Et Cremonæ hæc mirabilia contigerunt: nam inter Moniales D. sanctæ Mariæ de Columba, Ordinis Cistercienfium, degentes in ibi ædibus, & ecclesia divi Thomæ exsistens Aurelia de Navarolis ex incolis ipsius civitatis, dum esset annorum circiter novem arte humana & opera diabolica, sibi dato fasciculo violarum, fascinata, & postquam ægrotarit per biennium continuum oppressa à Spiritu maligno, & dum ipsam valde infestaret, exorcismis illo represso, ingressa monasterium ipsarum Monialium, & dum earum religionem intenderet profiteri, rursus oppressa ab illo spiritu, & dum exorcismis adhibitis iterum repressus cessarit ab ejus molestia per annos circiter quinque, mox singulo anno per ipsum vexata, & gravius hoc anno tormentata fuit ejus manibus, brachiis, pedibus, facie, genis, capite, labris, oris, ac lingua acubus acutis perforatis, ipsaque lingua impedita, ejusque ore obturato, sermone prohibito, ac esu & potu sibi interdiu prohibitis ex ipsis acubus, quibus ipsa membra infixerat ab eis extractis nonaginta, & in ejus uterum intruso colubro, qui ejus cor ac stomachum continuatim corroderet, omnemque cibum, quem susciperet, sibi datum pro eleemosyna devoraret, gutture & pedibus vinculis alligatis, ipsaque sæpe percussa lapidibus, ejusque nodis septem, ac dorso sinistræ manus, medietateve brachii, & genu ab ea parte excoriatis, ejusque corde soffocato, ac membris ipsis cruciatis, ac stomacho corroso, compulsa morari sub dio in locis humidis, & super solo noctis tempore, & etiam diei, ex ore ipsius per tres hebdomadas continuas ejectis ex ipsis acubus, clavis, & massulis ferreis, nucibus, nucleis integris persicorum, fœno, & canna, convolutis crinibus muliebribus ac plumis diversarum avium, seminibus coriandri, ac picæ, cum tribus orbiculis ovorum gallinaceorum, in quorum uno fuerit etiam de seminibus coriandri, & in alio de capillis cum claviculis ferreis, & modulo cordis fabricato die tertia Maji, & solemni Inventionis sanctissimæ Crucis, cui affixum fuit corpus Dominicum, ipsaque valde cruciata, cum tentata per eum ad deserendum religionem Christianam, illique adhærendum, & se obligandum scriptura ejus sanguine facta, id noluerit facere, dum ei non adessent Sacerdotes, qui illum dæmonem orationibus divinis & exorcismis reprimerent, quibus illum coegerunt die vigesima tertia Octobris sibi pandere multas fascinationes, quas ad ei nocendum paratas habebat in camera, in qua moram faciebat, & ad ipsam liberandam ab eo colubro, eo ex ventre ipsius extracto, & asportato, eisque fascinationibus repertis, & combustis, deinde non fuit molestata, & tot sibi tormenta per illum illata constanti & invicto animo sustinuit, roborata ope & gratia D. N. Jesu Christi, ad exemplum reliquorum suorum fidelium, quos nunquam deserit.

Et hora decima septima diei Dominicæ septimi mensis Julii suborto nimbo gravi ventorum impetu, ac strepitu tonitruum, & fulguribus, unoque eorum percussa arce sanctæ Crucis ejusdem civitatis ad partem Occidentalem, & pulvere sulphureo exposito in camera ibi constructa sub fornice, pro defensione ipsius arcis, accenso eversa fuit ipsa camera cum aliis locis, & mœniis ibi, & ad partem Septentrionalem constructis, oleo olivarum, & ab ardendo caseo, & orisio, & aliis illic reservatis pro usu & esu militum destinatorum ad custodiam ipsius arcis, consumptis, ex eis militibus, & aliis ibi repertis à ruina eorum ædificiorum eversorum conculcatis, & ex ipsis mortuis octo Hispanis, & duobus Theutonicis, inter quos fuit eorum chirurgus, cum decem mulieribus ex illorum uxoribus, & ancillis, & pueris, & puellis viginti eorum filiis, & multis aliis debilitatis summo omnium Cremonensium stupore ac timore. Et circa meridiem diei Martis vigesimæ primæ mensis Junii cecidit in municipio Vitellianæ diœcesis Cremonensis, & ejus, ac locorum circumvicinorum agris, grando, ex qua aliqua grana ponderata reperta fuerunt esse unciarum viginti octo, & fracti fuerunt imbrices, quibus tegebantur eorum domus, & occisi fuerunt multi ex ibi incolis, & multi animantes tam domestici, quam silvestres, & multæ exstirpatæ arbores, & ibi, & in agro Parmense, fructibus pendentibus illatum fuit grave damnum. Et circa finem mensis Maji visæ fuerunt in aere frequentes turmæ papilionum volare ab Ortu & Septentrione versus Occasum, & mox illinc redire. Et in vico Stratellæ agri Papiensis inter passeres innumerabiles ibi congregatos commisso certamine, ex eis infiniti perierunt. Et in agris Trivisii, & Fori Julii, multi apparuerunt lupi, ex quibus aliqui sævierunt in nonnullos pueros, & impuberes ex ibi incolis. Et ad principium mensis Julii conspecta fuit in aere stella lucidissima. Et die Dominica sexta mensis Augusti, & Transfigurationis Dominicæ, Venetiis suborto quoque ibi turbine, multoque nimbo effuso gravi ventorum impetu, ac tonitruum strepitu, & fulguribus, ab eis percussæ fuerunt ædes Religiosorum ex Minoribus Conventualibus divi Francisci, & Carmelitanis Dominæ sanctæ Mariæ, & Montis Oliveti sub vocabulo divi Antonii. Et inter secundam & tertiam horam noctis præcedentis diem Veneris ultimam mensis Septemb. visus fuit ingens vapor igneus ab Ortu Solis se protendere versus Septentrionem, & mox diminutus duravit fere usque ad auroram subsistens in aere. Et in crepusculo noctis præcedentis diem Dominicam nonam Octobris conspecta fuit stella crinita, & mox alia de mense Decembris, quæ apparuerunt per multas noctes eis mensibus, ac de mense Januarii. Fuit annonæ mediocris redditus. Sigismundus Picenardus, excellens J. C. & ex Regiis Senatoribus in Dominio Insubrum, ex ulcere sibi causato in capite ex hac vita migravit die XXIII. Novemb. Mediolani, & illinc ejus corpus conductum fuit Cremonam patriam suam, & positum in sepulcro majorum suorum, exsistente in ecclesia monasterii Religiosorum Ordinis Præd. de observantia D. Dominici: & quem ob ejus præclaras virtutes, & multa beneficia per eum præstita ipsi patriæ suæ, concives sui horum memores valde honorarunt, ex eorum ære publico procurato ejus funere, & pro suffragio animæ suæ celebratis officiis divi-

divinis in ecclesia ibi Cathedrali, illic sibi erecto cenotaphio imaginario, & temporario, excelso instar pyramidis, opera fabrili & architectura insigni, quod circundatum fuit ab imo usque ad summum cereis accensis durantibus ipsis officiis, cum hac inscriptione:

SIGISMVNDI PICENARDI SENATORIS AMPLISSIMI TVTELA PRAESIDIOQVE ORBATA CIVITAS CREMONEN. QVAE EIVS CONSILIO, ET FIDE, TAM IN SENATV, QVAM APVD REGEM FVIT SEMPER ADIVTA, TOT COMMODIS AVCTA, TOTA NVNC MOERORE CONFECTA HVNC B VNICO ELOGIO PATREM PATRIAE FVISSE DECLARAT.

DECRETISQVE EI EXEQVIIS, POMPA, LAVDATIONE, HAC ETIAM SPECIE, ET DIGNITATE EIDEM ERECTO TABERNACVLO, QVASI MERITORVM SVORVM QVADAM CONSECRATIONE, VOLVIT CIVITAS PIETATEM ERGA DIVINVM ILLVM VIRVM, IN CIVIVM ANIMIS INCLVSAM, PVBLICE APVD OMNES ESSE TESTATAM.

C QVI CVM MAGNA VIR ESSET INTEGRITATE, ET INNOCENTIA, CVMQVE JVR. CIV. SCIENTIA, ATQVE OMNI PRVDENTIAE GENERE PRAESTARET, SVMMVM NON MODO DIGNITATIS IN SENATV, SED ETIAM GRATIAE APVD HISPAN. REGEM, LOCVM TENVIT.

AD QVANTVM VERO GLORIAE FASTIGIVM, BENEFICENTIA, HOSPITALITATE, MIRAQVE IN ADIVVANDIS OMNIBVS ALACRITATE, ILLE SE EXTVLERIT, TOTA LOQVATVR HAEC MOLES, D TOT COLVMNIS ERECTIS, TOT LVMINIBVS ACCENSIS, NOS LOQVI NON SINIT DOLOR.

In Piceno, Flaminia, & Liguria, & ad fines regionis Cremonensis, Laudensis, Bergomensis, Cremensis, Brixiensis, Mantuani, Mutinensis, & Rhegiensis, substitit ingens manus latronum sicariorum, & illinc exsulum nonnullorum ex ibi magnatibus auxilio fulta, contemptoque imperio illic Magistratuum, & suorum satellitum, ut aliqui ex exsulibus Piceni, & Flaminiæ, ac Liguriæ, tam audaces & impii fuerint, ut ausi fuerint irrumpere nonnulla ex E illic municipiis, in quibus habitarint eorum inimici, ipsosque invadere, & secum manus conserere, & aliquorum domos ab eis habitatas expugnare & diripere, & quoscunque in eis repertos occidere, ut ad illos exstirpandum opus fuerit summo Pontifici in eos destinare Alexandrum Sforciam in Picenum, & Petrum Donatum Cæsium in Flaminiam Bononiam Cardinales sanct. Rom. ecclesiæ, multa armatorum manu, & quorum opera & diligentia plurimis ex illis captivatis, & ultimo supplicio affectis, reliqui illinc territi aufugerunt. Et cum ex Cremonensibus, & populis finitimis, exsules & socii accesserint domos aliquas, easque depopulati sint, & F multos ex aliquorum suorum inimicorum mandato, & ab eis habito pretio occiderint, adversus illos ad eos quoque exstinguendum per Ducem & præfectos Reip. Venetorum, & Rectorem, & magistratus in statu Mediolanense pro Rege Hispaniæ, & Ducem Mantuæ, proposita fuerint publice edicta quibus concessum fuit præmium ex ære publico illos captivantibus, & consignantibus ibi Magistratibus, & ubi eis obstitissent, ipsos occidentibus.

A. C. 1581. Anno igitur Natalis Dominici 1581. Alexandro A Panigarola J. C. Mediolanense, & ex Senatoribus Regiis in statu Mediolani, Cremonæ prætore, Philippus Rex Hispaniæ die vigesima Aprilis, dum esset in civitate Tacadure, vulgo Thomare, Lusitaniæ, ibi ejus regni, & regionum sibi suppositarum fuit insignitus corona summo cum triumpho, ac gaudio, & consensu ibi incolarum, præter adhærentium Don Antonio, nuncupato Duci Bragantiæ, ejus æmulo, per aliquos ex illis occupatis insulis Terceriis, secus quas fit transitus ex Hispania in Indiam, & illinc reditus, eo profecto in Galliam & Angliam, ad ibi requirendum auxilium, quo recuperaret Regnum ipsum. Et Rex, limitata in statu suo Mediolanense auctoritate ibi Vicarii sui, sanxit illic ejusdem Senatum uti tantum posse in causis civilibus & criminalibus arbitrio suo juxta dispositionem Juris Civilis, constitutionum, & ordinum Imperialium, & suorum illuc litteris suis transmissis. Et factis induciis per triennium cum Turcarum Imperatore, interventu Alexandri Crucii Mediolanensis, penes illum nuncii sui Byzantii, ivit Ulisponem Metropolim Lusitaniæ, & dum resideret ibi in arce, per aliquos ex illis adhærentibus Don Antonii, ad tollendum ex humanis Regem ipsum, & quoscunque Hispanos, quos secum haberet, illic invisos, facta fovea subterranea, ab ædibus monasterii ibi Religiosorum D. sanctæ Mariæ Gratiarum Ordinis Heremitarum divi Augustini, penetrante in ipsam arcem, ei monasterio propinquam, & impleta pulvere sulphureo, accendendo ad arcem ipsam subvertendam, & paratis nonnullis copiis militum, qui Hispanos, & alios, quos secum haberet, invaderent, & obtruncarent, & ex gratia omnipotentis Dei hac conjuratione Regi, dum ivisset in ecclesiam ipsam, ut ibi assisteret sacrificio venerabili missæ, patefacta per mulierem vetulam sibi porrectis litteris, in quibus hæc omnia exposita erant, mox eis lectis quæsitam, & nec inventam, Priorem & Vicarium eorum Religiosorum, & multos alios conscios, & complices illius impii facinoris carcerari jussit, & de illis ultimum supplicium assumi, multis aliis illinc ex fuga prolapsis ad eum Don Antonium, & in alias regiones; & destinatis copiis militaribus ad recuperandas Insulas Terzerias, & per illarum occupatores illinc prælio repulsis, jussit per alias copias, quas habebat in Flandria, & regionibus circumvicinis, ejus dominio spectantibus, interim continuari bellum adversus illic rebelles suos, & obsessa urbe Samarobriva Ambianorum per eos, ipsique data ope & annona, eis illinc expulsis per copias Gallicas, illuc transmissas per Herculem Ducem Alanzonii, à rebellibus vocatum in eorum protectorem & superiorem, invito Principe Aurentiorum, illorum Duce supremo, & Matthia Austriaco, Regis nepote, ipsorum rectore, illinc dimisso, & reverso Viennam Austriæ patriam suam, & per Regis copias mox obsessa, & sæpius oppugnata urbe Tornacensium, & compulsa in jus suum, ibi obsessis laborantibus inopia annonæ, & diffisis ope rebellium, se permittentibus die ultima Novembris Alexandro Farnesio, duci supremo earum copiarum, & in ipsis regionibus Vicario Regis, solutis per ibi incolas pro eorum & bonorum suorum redemptione aureis centum millibus pro stipendio ipsarum copiarum, & inde permissis militibus abire eorum armis & bonis præter eorum duces, & magistratus per rebelles, & Gallos cum Regis copiis commissis multis præliis, ad ipsas civitates obsessas, & alibi in illis regionibus, & utrinque multis occupatis, & nonnullis ex eis direptis, & aliquibus eversis, plurimorum cæde & captura, & aliquorum tentata occupatione, ex proditionibus in lucem perventis, & aliquibus earum complicibus captis, & ultimo supplicio affectis, & aliis, dum aufugerint, illinc pro-

ſcriptis, & per rebelles catholicis ex terris, per illos occupatis, expulſis, Alanzonio profecto in Angliam ad Iſabellam ibi Reginam, & ejus ſecum tractato connubio.

Rex ad cognoſcendum, & cenſendum, an Magiſtratus ſui in ſtatu Mediolanenſe poſt annum 1559. juſte in eorum officiis ſe geſſerint, ut illos, ubi comperti fuiſſent ea injuſte adminiſtraſſe, corrigeret, illuc ex Hiſpania tranſmiſit Aloyſium de Caſtilia ex ejus togatis, & judicibus ſupremis, ampliſſima auctoritate. Et Maria Auſtriaca Imperatrix, ejus ſoror ex Carolo V. Romanorum Imperatore, & relicta Maximiliani Secundi Cæſaris Rodulpho Secundo filio, etiam Cæſare, reverſo ad priſtinam ſanitatem, poſtquam laborarit diutius gravi infirmitate, vocata per Regem ad regimen filiarum ſuarum ex Vienna Auſtriæ Metropoli, & ſede Imperiali, de menſibus Septembris, Octobris, & Novembris, per Dominium Venetorum, Inſubriam, & Liguriam una cum Margarita ejus filia minori natu, comitata per Ferdinandum etiam filium, & Carolum cognatum ejuſdem ex Archiducibus Auſtriæ, ac plurimos proceres, nobiles, & equeſtres Auſtriacos, Boemos, Ungaros, Germanos, & Italos, ſibi quoque occurrentibus Carolo Borromæo præſule Mediolani, Ludovico Mandrucio Cardinalibus S. R. E. Eleonora cognata ſua, uxore Gulielmi Gonzagæ Ducis Mantuæ, Alphonſo Eſtenſe Duce Ferrariæ, Octavio Farneſio Duce Parmæ & Placentiæ, cum Raynutio nepote ex Alexandro filio, Santio de Avilla vicario Regis in Inſubria, legatis Ducum Sabaudiæ, Florentiæ, Urbini, Venetorum, ac civitatum, per quas, ſeu earum territoria, vel prope ipſas tranſivit, Nicolao Sfondrato, Epiſcopo Cremonæ, multis aliis prælatis, proceribus, nobilibus, copiis equeſtrium & pedeſtrium, earum præfectis & tribunis, ac popularibus multa cum pompa & lætitia acceſſit Genuam, & illinc in Hiſpaniam ſuper triremibus Andreæ Doriæ, præfecti claſſis Liguſticæ, una cum Ludovico Taberna epiſcopo Laudæ nuntio Apoſtolico, Scipione Simoneta Senatore Regio in dominio Inſubriæ, & pro eo regente electo apud Regem ipſum, mulier omnium prudentiſſima, clementiſſima, humillima, religioſiſſima, & dedita contemplationi divinæ, & operibus piis, & callens nedum idioma Hiſpanum, ſed Gallicum, Italicum, Germanum, & Auſtriacum.

Cæſar Picenardus, Cremonæ indigena, ſed ab ea, & toto ſtatu Mediolani capite proſcriptus, intendens Nicolaum Plaſium concivem, & inimicum ſuum, & quoſcunque alios domeſticos ſuos, & ſibi armis hærentes exſtinguere unico tempore actu improbo & impio, coacta aliqua armatorum manu, illis nocte intempeſta præcedente diem vigeſimam quintam menſis Januarii, & ſolemnitatis converſionis divi Pauli, trajecta fovea, & conſcenſo & deſcenſo vallo ipſius civitatis, ubi ejus mœnia corruerant, audacter ipſam irrupit, & properavit domum Plaſii ſatis amplam, & ſitam fere in medio civitatis inter duas ſtratas ab Ortu & Septentrione è regione eccleſiæ, & monaſterii Religioſorum Heremitarum divi Auguſtini de obſervantia, & aream ſpacioſam ab Occaſu, & turri lateritia præter baſim marmoream ab Ortu, ſed undique habente proſpectum, & ne impediretur exſequi id facinus abominabile ab illis propoſitum occupatis itineribus domi propinquis per aliquos ex illis, & aliis diſpoſitis circa ipſam, & per nonnullos ex ipſis dejectis ſacculis plenis pulvere ſulphureo ſecum portatis, & igne accenſis in cellas vinarias ſubterraneas domus conſtructas ſub fornice, per earum feneſtras correſpondentes alteri ſtratæ à Septentrione, ipſa fere tota demolita turri illæſa, inde Picenardo & ſociis, inſciis Plaſium abeſſe cum Lavinia Trecca uxore, ac fere omnibus eorum domeſticis, ex ſui bono fato, domi ſocrus ſuæ tunc defunctæ, Thoma de Magiſtris ac Marina muliere infami una ibi accumbentibus ab aliqua ejus materia oppreſſis, & exſtinctis, illinc incolumibus egreſſis civitatem, & conſcenſa navi, ad illorum fugam parata in alveo fluminis Padi civitati propinqui, per ipſum, & ad ejus partes inferiores, & extra ſtatum ipſum reverſis ſummo Cremonæ Magiſtratuum, & incolarum, & circumvicinorum, & aliorum ſtupore.

Superioribus annis inſtaurato palatio veteri Reipublicæ Cremonenſis, demolita ſcala habente gradus marmoreos, & alia lapidea erecta in loco commodiori, ad faciliorem adſcenſum & deſcenſum ipſius palatii, & in ejus parte ſuperiori conſtructis conſpicuis cameris, cum tabulatis ligneis, & pavimentis lateritiis, ac feneſtris, & ſpecularibus vitreis ad eas, & quibuſcunque aliis opportunis commoditatibus, & eleganti ædificio, eis cameris aſſignatis ſigillatim Reipub. Cremonenſis Conſultoribus, Decurionibus, Quæſtoribus, Cenſitoribus, Decoratoribus, Dictatoribus, Rationatoribus, & aliis officialibus ipſius Reip. & in inferiori ipſius parte aliis conſtructis, & aſſignatis Conſulibus Mercatorum ejuſdem civitatis, ejus palatii parte, in qua redditur jus, in ipſa civitate per Vicarium prætorium dimiſſa, hoc anno pro majori decore ipſius ejus muri interiores, & quibus area ipſius circundatur, fuerunt ornati pictura ad ortum Solis picto inſigni Sereniſſ. Regis Hiſpaniæ, & D. Noſtri, in quo comprehenſa ſunt inſignia quarumcunque regionum ejus Regimini, Protectioni, & Dominio ſuppoſitarum, & ad Occaſum inſigni ipſius civitatis, & ad Septentrionem pictis ſimulacris Cremonæ, & Herculis, ipſius civitatis auctoris, & ſuper ſcalam ipſam conſtructum tabulatum aſſideum, & prope, & extra ipſum palatium ad Meridiem ſtatutum forum lini venalis pro majori commoditate ipſorum venditorum, & emptorum. Nocte præcedente diem vigeſimam octavam menſis Aprilis Florentiæ, & in locis ibi propinquis viguerunt terræmotus, ex quibus multa ædificia corruerunt, gravi ibi incolarum metu. Locuſtæ innumerabiles irruperunt Andaluſiam regionem Hiſpaniæ, & ibi omnia viridia degentia in agris corruperunt de menſe Junii. Et eodem menſe in eccleſia divi Antonii Sarrenti, civitatis Campaniæ fælicis, apparuit imago D. N. Jeſu Chriſti cum luminibus accenſis ante eam. Hora circiter vigeſimam quartam diei vigeſimi ſexti menſis Julii vapor igneus viſus fuit in aere. Et in mane diei quinti decimi Auguſti, & Aſſumptionis ad æthera B. M. V. in municipio Aloletiburi propinquo Pragæ, metropoli Boemiæ, per leucas quatuor ſpatio horæ viſus fuit Sol valde ignitus & rubicundus cum duobus armatis à capite uſque ad pedes armis coloris nigri invicem propinquis converſa facie Occaſui, & cum utrinque aliquantulum manus conſeruiſſent progrediendo, ad ipſam partem evaneſcentibus, & mox uno induto hujuſmodi armis viſo cum capite, & humeris intus circulum Solis, & reliquo corpore ſubtus ipſum, & ejus Occaſui converſo, & ſuperventis nebulis offuſcato, & nec amplius viſo. Et in Thracia ex turbine ventorum multa ædificia corruerunt, & multæ arbores exſtirpatæ fuerunt. De menſe Septembris in Normandia & regionibus circumvicinis conſpectus fuit cometes, & in omni fere Italia viguit annonæ penuria. Antonius Trecchus, J. V. D. & Eccleſiæ collegiatæ ſanctæ Agathæ Præpoſitus, Canonicus eccleſiæ cathedralis Cremonæ, olim Pii V. ſummi Pont. à cubiculis, demum à Pont. Max. moderno creatus Protonotarius, Romæ obiit die nona Aprilis.

A. C. 1582.

Anno ſequente Cremonæ prætore conſtituto Alphonſo Lopezio, J. C. Hiſpano, & ex Regiis Senato-

natoribus in ſtatu Mediolani, eique mortuo die vigeſima tertia Martii Galeatio Brugora Mediolanenſe, etiam J. C. & ex eiſdem Sen. Gregorius XIII. Pont. Max. die vigeſima tertia Februarii approbavit, & juſſit typis imprimi, & publicari Romæ die prima menſis Martii, & ubique in orbe Chriſtiano, obſervari reſtitutionem, & correctionem, & inſtaurationem anni Solaris, æquati cum Lunari, opera, labore, & doctrina Ambroſii Lidii Vindelincenſis, excellentis olim Phyſici & Aſtronomi, commorantis Romæ, deductis decem diebus intermediantibus dies quartam & quintam decimam menſis Octobris præſentis anni, auctis ex curſu annuo nonnullorum minutorum ultra dies tercentum ſexaginta quinque, & horas quinque poſt annum tercenteſimum vigeſimum ſextum, quo facto Concilio œcumenico Nicææ in Bithynia tercentum ſexaginta octo epiſcoporum, & aliorum prælatorum, ex univerſis partibus regionum, religionis Chriſtianæ, ſtabilitus fuit ipſe annus, Calendario nunc edito, & compilato, & regulato, & approbato per multos alios Aſtronomos excellentes, quo annotati fuerunt dies, quibus glorioſiſſimum Paſcha Dominicum, & alia feſta mobilia, celebrari debeant ſingulo anno in futurum. Et aſſignavit Germanis, & Anglis, academicis Romæ ſtudentibus ſacræ Theologiæ, & aliis ſcientiis, & religioſis Jeſuitis, & aliis pauperibus viventibus in communione Romæ, & alibi pro eorum alimentis ex redditibus beneficiorum, quæ vacarint ob obitum nonnullorum prælatorum hoc anno occurſum. Et Bononiæ patriæ ſuæ epiſcopatum erexit in archiepiſcopatum, Gabriele Paleotto ejus concive, & epiſcopo, & Cardinale S. R. E. ſub tit. S. Martini in Montibus, procurante, ei ſuppoſitis epiſcopis Cerviæ, Imolæ, Mutinæ, Rhegii, Parmæ, & Placentiæ ex provincia Ravennatenſe, & Cremæ ex provincia Mediolanenſi.

Et Rodulphus Cæſar, aſſiſtentibus Ludovico Mandrutio, presbytero Cardinale tituli S. Honofrii legato, & Jo. Antonio Bonhomine epiſcopo Vercellenſe, Cremonenſe, nuntio penes eum ſanctiſſimæ Sedis Apoſtolicæ, habuit comitia Auguſtæ Vindelicorum cum præſulibus Moguntino, Treverenſe, & multis aliis, Duce Saxoniæ, Marchione Brandeburgenſe, & multis aliis Principibus, & legatis præſulis Coloniæ, & multorum aliorum Principum, & civitatum liberarum Germaniæ, & ab eis requiſivit & obtinuit pecunias, quibus poſſet ſolvere ſtipendium militibus, quos ei neceſſe foret habere ad præſidium & defenſionem Dominii ſui in Pannonia & Tranſilvania adverſus Turcas. Et multa in eis comitiis propoſita fuerunt, & pauca ſtabilita adverſantibus Rom. Eccleſiæ ibi congregatis inſtantibus per Cæſarem, & legatum, & alios catholicos illic coactos, illis & eorum ſequacibus permitti poſſe vivere juxta conſuetum & impium eorum arbitrium in religione Chriſtiana, & nec eo conceſſo illis improbantibus ſeptem ſacramenta eccleſiaſtica, eis diverſimode abutendo venerabile miſſæ ſacrificium, orationes, cerimonias, officia divina, jejunia, & alia pia opera, ſimulacra etiam divina B. Mariæ Virginis, & Sanctorum, & eorum, & B. M. Virg. invocationes, ſolemnitates, religiones, vota caſtitatis, & alia, auctoritatem ſummi Pont. Rom. ejuſque excommunicationes, interdicta, indulgentias à peccatis, expiationes animarum humanarum à pœnis purgatorii, mediantibus ſuffragiis miſſæ, orationum, & officiorum eccleſiaſticorum, eleemoſynarum, jejuniorum, & aliorum piorum operum, eo purgatorio denegato, una cum conſtitutionibus, decretis, & ordinibus S. Rom. Eccleſiæ, & per illorum ſequaces concitato tumultu Viennæ Auſtriæ metropoli, ejus ſedi, illuc ex Auguſta dimiſſis eis comitiis properavit, & trajiciendo per Danubium navigio, eo illius tenaci & profundo limo impedito, incidit in grave vitæ periculum, & cum applicuerit Viennam, ibi, & in ejus regione ſuborto gravi turbine ventorum à culmine palatii ejus reſidentiæ dejecto ſimulacro ferreo Aquilæ, inſigne Imperiali, & ibi infixo, & à tectis domorum tegulis etiam projectis, gravi ibi incolarum pavore & ſtupore. Et ipſe, & Ferdinandus, & Carolus patrui ſui catholici, ab Auſtria, & regionibus ſibi ſuppoſitis expulerunt hæreticos.

Et Dux Alanzonius, aſſentiente Henrico fratre, Rege Francorum facto, & inito tractatu cum Regina Angliæ in Regem Hiſpaniæ ad eum exſuendum dominio Flandriæ, & regionum ei unitarum, ex Anglia ope, ac navigio, & aliquibus copiis ipſius Reginæ trajecit, per Zelandiam, & illinc cum Gulielmo de Naſſau Principe Aurentiorum, & multis aliis proceribus Flamingis, eorumque ſociis rebellibus S. R. E. & Regis Hiſpaniæ, Antuerpiam acceſſit, eamque ingreſſus die vigeſima Februarii per ibi incolas, & multos alios ex illis rebellibus, ſecum confœderatos, multa cum pompa & lætitia fuit receptus, & per ipſos incolas, & alios Brabantinos, creatus eorum Dux, & aliorum protector & rector, ſolemniter depoſito ab illorum ſuperioritate Hiſpaniæ Rege, ejuſque titulo & inſignibus deletis, & Alanzonii appoſitis, & excuſſa pecunia aurea & argentea, habente ejus inſigne, ac nomen, & titulum, ejuſque Ducatus, ac ſuperioritatis, ea publice in foris, & viis ibi ſparſa, & per ipſum ſibi confirmatis privilegiis immunitatum, & aliorum, ſibi conceſſis per invictiſſimum Carolum V. Rom. Imperatorem, & alias olim Dominos ſuos. In crepuſculo noctis præcedentis diem ſeptimam Martii in Italia conſpectus fuit vapor igneus, à parte Occidentali, tendens verſus Septentrionalem per horas circiter ſex: & nocte ſequente in Gallia Belgica, & regionibus propinquis ſuborta gravi procella, ex ea ſubmerſa fuerunt multa navigia, & projecta ædificia, everſa turri eccleſiæ ſancti Michaelis Antuerpiæ, in cujus domibus hoſpitabatur Dux Alanzonius cum camino cameræ, in qua erat, multo ejus timore facta illinc per ipſum fuga, ejuſque inſignibus ſuper ibi porta pictis evulſis, & illinc aſportatis, & die ſequente viſis flammis igneis, & ſanguineis in aere per mediam horam, & aliis ſignis horribilibus ibi incolarum ingenti ſtupore, & timore, & malo mentis præſagio. Et in vico Vilaghæ Arragoniæ pulſavit campana Eccleſiæ à ſe ipſa diebus octava & nona; & verſus Occaſum & Aquilonem viſæ fuerunt nebulæ igneæ, & ſuper civitates Burgos, & Medinæ à Campo, & alias ibi propinquas, conſpectus cometes per dies quindecim. Et facto tractatu in necem Aurantii per Gaſparem Davaſtrum Hiſpanum Antuerpiæ, & in Flandria exercentem negotiatione multi valoris, & Joannem Troizenum ex Brugia Flandriæ Regi adhærentem, & ex ejus aulicis in Hiſpania, cum ibi miniſtris ipſius Regis, ejus nomine permiſſis Davaſtro aureis ſcutatis octuaginta millibus cum dignitate unius ex Equitibus Ordinis divi Jacobi in Compoſtellis in Galitia, annui redditus aureorum trium millium, & Troizeno aureis ſcutatis triginta millibus pro eorum præmio ſequuta morte Aurantii, & ad eum occidendum per Davaſtrum dato mandato Johanni de Zavaranis Cantabro, ſecum habitanti, & per eum ſuſcepto, Aurantius per ipſum in domibus eccleſiæ divi Michaelis Antuerpiæ, in quibus hoſpitabatur, receptis convivio die decima octava Martii Alanzonio, & proceribus, ac nobilibus Gallicis eum comitantibus, remanſit percuſſus unico ictu in faucibus penetrante, & exeunte extra collum, dentibus ibi exiſtentibus illinc excuſſis à pilulis ex ſclopo brevi à ſilice per Cantabrum eo ſclopo occultato ſub pallio, quo erat indutus, ingreſſum domos ipſas, & Aurantio factum propinquum diſploſo in eum legentem litteras fictas ſibi

sibi fraudulenter porrectas per Cantabrum, & per Aurantium, eisque, quæ erant clausæ, dissolutis, & per milites ad custodiam, & alios ibi degentes, Cantabro, dum illinc disploso sclopo aufugeret, statim intercepto, & occiso, & mox, cum suspicati fuissent, Alanzonium mandasse Cantabro, ut occideret Aurantium, in eum, & Gallos, qui erant secum, facto armis impetu, ut eos occiderent, sed sedati per Aurantium Alanzonio exgravato ab illa suspicione, eum & Gallos ipsos dimiserunt, per Davastrum per quinque dies, antequam hoc facinus committeretur, ab Antuerpia facto recessu, multa pecunia tum propria, tum ab aliis ibi negotiatoribus mutuo habita, in Frisiam ad nonnullos illic proceres Flandros sequentes partes Regias, & die, qua commissum fuit facinus, ad Farnesium Vicarium, & Ducem supremum exercitus Regis in eis regionibus, castrametantem apud Lovanium, ei denuntiatum mortem Aurantii, & per Farnesium transmissis legatis ad Bursolenses & Gandavenses, eos exhortatum, ut mortuo Aurantio redirent ad Regem, qui illos in gratiam suam recepisset, & per illos carceratis, & carceratis per Bursolenses ab eis ductis Antuerpiam ad Aurantium, & ex ejus ordine dimissis, & Gandavii ibi negotiorum gestore Davastri carcerato, & illinc conducto etiam Antuerpiam, & ibi etiam carcerato una cum sacerdote, cui Cantaber de recenti confessus fuerat peccata, & se proposuisse occidere Aurantium, & valde tormentatis, & ultimo supplicio affectis.

Et Farnesius parte exercitus Regis, & copiarum procerum ex eis regionibus, sequentium partes suas, obsedit per menses circiter tres, ac sæpius oppugnavit Odonardum, & ibi inter obsessos & obsidentes commissis multis præliis plurimorum cæde, ejus incolas sibi parere recusantes gravi penuria annonæ oppressos, & diffisos ope aliorum rebellium, compulit in jus Regis, & se ei permittentes recepit die nona Julii per illos, ne eorum bona diriperentur per obsidentes, soluto eis stipendio, quod promeruerant, inde dimissis militibus, qui erant ad eorum præsidium, ipsorum armis & bonis, exceptis illorum ducibus & rectore. Et cum Aurantius, dum aliquantulum convaluisset à vulnere ipsi illato, ut præfertur, una cum Alanzono, & aliquibus proceribus, & nobilibus Gallicis, & copiis militaribus se contulisset Rugiam civitatem Brabantiæ, illuc accessit Franciscus de Massa Italus, ex municipio Martinenghi agri Bergomensis, audax, & sagax, & ex primoribus militibus Regiis ab eorum castris, & aucupata amicitia filii secundi Com. olim Agamontis prope Aurantium degentis, & decapitato patre per ipsum suscepti, & educati, & valde dilecti, & Capitanei Salcedi Galli, & ex aulicis Alanzonii secum tractavit, ut Agamonius Aurantium ex humanis tolleret clam ei in cibo, seu potu, propinato veneno, occultato sub gemma annuli sibi per Massam dati, & Aurantio sublato ex humanis, Salcedus per eum & Gallos secum conjunctos, auctore regulo Brunomontio, etiam Gallo, inimico Alanzonii, in eum concitato tumultu, ipsum & Gallos sibi adhærentes occideret, ope etiam Regiorum sibi per Salcedum prodita Brugia, sed exspectata opportunitate ad eam exsequendum, in lucem ex inopinato pervento tractatu fuerunt carcerati Agamonius, Massa, & Salcedus, & nonnulli alii ipsius conscii, & Massa & Salcedus ultimo supplicio affecti una cum nonnullis ex illis carceratis.

Et Alanzonus copiis suis & rebellibus se accinxit ad bellum adversus Regios, ut ipsos ex eis regionibus expelleret. Et Rex Hispaniæ, ad illis resistendum, legiones Hispanorum, quas habebat in Sicilia, Calabria, Apulia, & regionibus circumvicinis sibi suppositis, jussit in Insubriam se transferre, & illinc una cum copiis Italorum ad sui stipendium conductorum, inter quos fuerunt circiter

A sex centum Cremonenses sub Hieronymo Oxio, Jo. Angelo Galarato, & Roberto Guazono tribunis militum, etiam Cremonensibus, transire in Flandriam, & ibi reliquis ejus copiis uniri, & inter eos omnes, cum quibus etiam fuerunt multi proceres, & nob. Rom. & Itali voluntarii, & copias Alanzoni, & rebelles commissis multis præliis, plurimorum cæde & captura, utrinque ibi multis interceptis municipiis, & aliquibus ex eis tum direptis, tum eversis, & aliis tentatis capere ex proditionibus in lucem proditis, & earum aliquibus complicibus captivatis, & ultimo supplicio affectis,
B rebellibus perseverantibus in illorum impietate adversus templa, & sacramenta divina, ac ecclesiasticos, & catholicos, & eorum bona.

Et Antonius, nuncupatus Dux Bragantiæ, sed prior Ceratæ, dum anno præcedente nonnullis navibus & militibus se ex Lusitania proripuerit in Galliam Transalpinam, & ibi in Normandiam, ejusque mari substiterit, cumque sequuti fuerint multi Lusitani ex suis adhærentibus, & ibi-Rege, & Regina Angliæ conventis ab eis requisiverit auxilium, quo redire posset in Lusitaniam, ejusque regnum, ex quo assereret se armis expulsum fuisse per Regem Hispaniæ, & sibi illud spectare, ipsis-
C que clam auxiliantibus, ac Galliæ Rege permittente ibi conscriptis militibus sex millibus sub Philippo Strotio Italo, duce impigerrimo, cum quo fuerint multi ex regulis, proceribus, & nobilibus Gallis, ac coacta & munita classe navium viginti octo majorum, & triginta minorum, annona & materie bellica, & super ea impositis eis militibus, regulis, proceribus, & nobilibus, intendens vendicare ipsum regnum una cum navigiis onustis auro, argento, unionibus, & aliis immensi pretii, quæ veherentur ex India in Lusitaniam, eis occurrendo, ipsaque intercipiendo, & in jus suum convertendo, de mense Junii ex Gallia trajecit in Hispaniam, & nonnullis ibi depopulatis irrupit die quarta decima Julii Insulam Sancti Michaelis ipsius re-
D gni, & ibi expositis ab eis navibus ex ipsis militibus circiter tribus millibus, & dum illis occurrissent circiter sex centum quinquaginta Hispani, qui erant ad ejus præsidium super undecim navibus, & utrinque commisso prælio eis profligatis, ex ipsis navibus septem dissipatis, ibi civitatem occupavit, & diripi jussit, & dum intenderet expugnare ejus arcem, in qua ipsius civitatis rector, & reliqui milites, & eorum duces se receperant, & ad ipsorum auxilium supervenisset Alvarus Basimanus, Marchio Sanctæ Crucis, rector alterius classis Hispanæ viginti octo navibus onerariis, & quinque actuariis, inter quas fuerunt duæ præaltæ nuncupatæ Galeo-
E ni, ex triginta una, super quibus forent ex Hispanis veteranis, & tironibus, & Germanis, & Italis, inter quos fuit Mondinarius Armenulfus, tribunus militum Cremonensis, circiter quinque millia cum equitibus ducentum Hispanis, & die vigesima secunda, & sequente, utraque classis se accinxisset ad pugnam per Antonianam, sibi sole & vento opportunis facto, inani impetu in Hispanam, & etiam die sequuta, & repulsa per Hispanam, & die subsequuta vento converso, & alia die facto invicem certamine, & nocte præcedente facto recessu duabus navibus per Don Antonium, ab ejus classe,
F ipsa succubuit, & dissipata remansit, ex illa submersis nonnullis navibus vi tormentorum in eas exoneratorum cum militibus circiter tercentum, qui erant super eis, & nonnullis aliis interceptis, & tum combustis, tum profundatis, & reliquis fuga elapsis, & ex earum militibus occisis aliis circiter mille ducentum, cum illorum duce supremo, & ex ipsis regulis & proceribus Gallis viginti quatuor, & aliis nobilibus quinquaginta & uno, & militibus gregariis, & nautis circiter tercentum captis, & ex

A ex jussu Marchionis regulis, proceribus, & nobilibus decapitatis, & aliis majoribus annis decem & septem furcis laqueo suspensis, & ex navibus, quae aufugerant, una deprehensa & intercepta in regione Galitiae, super qua forent multi Lusitani, qui fuerunt conducti Ulisponam, & ibi quoque decapitati, ex Hispana classe desideratis circiter ducentum viginti quatuor, & vulneratis quinque centum quinquaginta, & per reliquos recepta ipsa civitate cum insula, & ibi captivatis quoque multis aliis, ex eis Antonianis, illic repertis, & ductis etiam Ulisponam per Marchionem multo cum triumpho, & gaudio. Et Don Antonius navibus, quae sibi superfuerant, ad insulas Terzerias profectus, & illinc in- B cursatis fretis Lusitaniae & Hispaniae, & multa praeda illic facta, ea & ipsis navigiis rediit in Galliam. Et illinc de mense Decembris superventis ad subsidium Alanzonii circiter duodecim millibus pedestribus, & quinque centum equestribus, ex illis nonnullae turmae & cohortes noctu properarunt ad castrum Antoenni, illudque circumdatum foveis, & munitum vallis, & aggeribus terrenis, & arce clam ingressi fuerunt ibi incolis assentientibus, & auxiliantibus, eis, & aliis fere omnibus illarum regionum incolis odio prosequentibus Regios, & Hieronymus Oxius Cremonensis, & in militia multum versatus, & ex tribunis Regis pedestrium Ita- C lorum in eisdem regionibus, dum foret ejus cohorte Cremonensium, & altera Mediolanensium ad custodiam ipsius Castri, per Farnesium vicarium Regium in ipsismet regionibus, prohibendo illinc dare annonam Antverpiensibus, fuit captivatus per duos Gallos ex ipsis, & cum uterque contenderet eum habere captivum, per alterum indignatum sica confossus, & occisus fuit, & paucis ex eis cohortibus fuga elapsis, & desideratis, Fabius Ala etiam Cremonensis ejus vicarius, & signifer, & alii se receperunt in arcem, & in ea obsessi per hostes, diffisi viribus suis, & ope Regiorum, se illis permiserunt, & pro eorum redemptione soluta pecunia jux- D ta eorum vires ac statum dimissi fuerunt, & mox per Regios obsessum fuit Castrum ipsum diutius, & compulsum in eorum potestatem.

Et Rex Hispaniae, Didaco, & Carolo ejus filio annorum septem die vigesima sexta Novembris mortuo, ex morbo variolarum, quo etiam Philippus alter filius annorum circiter quatuor laboravit usque ad extremum. Et in Hispania, & Venetiis, & alibi innumerabiles decesserunt; & per Lusitanos incolas ei Philippo praestito juramento fidelitatis, jussit ex ejus magnanimitate ac clementia naturali publicari Ulisponae, & in toto regno Lusitaniae, edictum, quo ipsis rebellibus obtulit veniam, multosque ex E illis ad ipsum reversis recepit in sui gratiam. Julianus, ex nobili & vetusta gente Mariana prognatus, acutissimi vir ingenii, Physicus, Philosophus, Astronomus, & Medicus excellens atque perceleber, è vivis excessit a. d. VI. Cal. Mart. maximo sane nostrae civitatis dolore, in qua medicinam maxima cum laude exercuerat. Ob virtutem suam atque doctrinam insignem evocatus ille fuit in Ticinense, sive Papiense Gymnasium, ibique satis ampla percepit annua, & primam in Logica cathedram obtinuit honorificentissime, multosque per annos usque ad mortem suam publice docuit. Eadem gens Mariana Franciscum quoque produxit, qui & ipse Physicus F fuit & Philosophus admodum illustris, & ob doctrinae praestantiam itidem in collegium Medicorum, quod est Papiae, cooptatus est, quo in Gymnasio per viginti continuos annos Logicam, Physicam, & Metaphysicam publice docuit. Sed cum deinde haec urbs a Gallis obsideretur anno epochae Christianae MDXXVII. Piranum in Istriam abiit, pacto honestissimo salario, ibique sequenti anno MDXXVIII. vitam cum morte commutavit. Cadaver ejus ab Joanne Baptista fratre in patriam est urbem translatum, ibique conditum in communi gentis Marianae sepulcro, quod est in primo monasterii S. Dominici Claustro, addita sequenti Inscriptione, marmori incisa:

FRANCISCVS MARIANVS ART. ET MEDICINAE DOCT. IN COLLEGIVM PHYSICORVM CREMONAE, ET PAPIAE COOPTATVS PRIMVM IN TICINENSI GYMNASIO LOGICEN, PHYSICEN, ET METAPHYSICEN ANN. XX. PVBLICE LEGIT, DEINDE EA VRBE A GALLIS OBSESSA PIRANVM YSTRIAE OPTIMA CONDITIONE ACCERSITVS, MEDICINAM EGREGIE EXERCENS OBIIT ANN. M. D. XXVIII. TRANSLATVSQVE A JO. BAPTISTA FRATRE IN COM. FAMILIAE SEPVLCRO IACET. F. B. M. M. D.

Ex eadem quoque familia fuit Angelus, qui ex re militari magnam sibi gloriam comparavit, maxime in Anglia, ubi pergratus & acceptissimus fuit Catholicae reginae Mariae, & in nobilium ordinem cooptatus est, qui periscelidem pro insigni habet, quae apud Anglos dignitas est non vulgaris. Sed deinde, cum Angli se obedientiae & imperio S. Ecclesiae subduxissent, in patriam rediit, & post mortem Joannis Ludovici Trecci legatus sive praefectus cohortis militaris nobilium Alexandro Gonciaga duce factus est.

Ludovicus Aimus, urbis nostrae praeclarus & illustris Jurisconsultus, ab Serenissimo rege nostro Catholico ornatus est dignitate Senatoria, & Mediolanum profectus est, ibique in amplissimum hunc ordinem adscriptus & inauguratus a. d. IV. Cal. Apr. Nimirum illud quasi proprium & familiare est nobili genti Aimae, ut viros illa ferat in Jurisprudentia excellentes. Ita temporibus antiquioribus floruerunt Joannes, Balthasarus, & Marcus Antonius, Jurisconsulti celeberrimi. Nostra autem aetate clarissimus eodem studio fuit Ludovici, quem diximus, pater Melchior, qui adeo caram habuit patriam, ut, illam ne relinquere haberet opus, nunquam ullum munus aut dignitatem accipere voluerit, quae variis ex locis ipsi offerebantur. Decessit ille summo nostrae civitatis dolore anno MDLXX. & sepultus est in S. Bartholomaei templo Fratrum Carmelitanorum, ubi filii ejus hoc parenti elogium marmori insculptum posuerunt:

MELCHIORI AIMO I. C. CLARISSIMO, QVI OB EGREGIAS EIVS VIRTVTES, ET SINGVLAREM IN PATRIAM PIETATEM, NON MINORI CIVIBVS SVIS COMMODO, ET ORNAMENTO FVIT, QVAM IOANNES, BALTHASAR, ET M. ANTONIVS EIVS MAIORES, QVI CVM IN IVRE CIVILI EXCELLERENT, SVAE VTILITATEM PVBLICAM PRAEFERENTES, NOMINIS SVI MEMORIAM RELIQVERVNT. LVDOVICVS I. C. VINCENTIVS PHYSICVS, IO. PAVLVS, ET IO. BAPTISTA FILII PATRI CARISSIMO, ET B. M. MOESTISS. PP. VIXIT ANNOS LXX. P. M. OBIIT PRID. ID. SEPTEMBRIS M. D. LXX.

Et circiter horam vesperarum diei primae Maji, & divorum Jacobi & Philippi Apostolorum, in regione vicus Galegii suppositae civitati Palamos regionis Gotholandiae emersit nubes longa & lata, in qua fuerunt innumerabiles formae daemonum horribiles instar ferocium hominum, leonum, luporum, canum, & aliorum quadrupedum, ac corvorum, & aliorum volatilium coloris nigri, & cum religiosi & alii ibi incolae territi cum signo Crucis se con-

congregarint in cœmeterio illic ecclesiæ, & prolatis frustra ad ea fuganda hymnis, orationibus, & psalmis divinis ad id idoneis, Præpositus ipsius Ecclesiæ venerabili Sacramento Corporis Dominici in tabernaculo adscendisset turrim ejus ecclesiæ, virtute ipsius Sacramenti pleræque ex eis corruerunt in ibi stagnum aquarum, ex quo exivit flamma ignea instar turris fetoris maximi, & insupportabilis usque ad nubem, & ad eam descendentibus, & illinc descendentibus illis animalibus, & inter ea volitante ave inusitatæ magnitudinis, & speciei nunquam visæ valde feroci, & tunc suborto ingenti turbine ventorum, quo exstirpatæ fuerunt multæ arbores etiam proceræ, & combusta ibi vinea, & subsequuto nimbo copioso, ex nube, quæ evanuerit gravi terrore, & stupore eorum incolarum, & aliorum circumvicinorum, & malo omine ex eis visis captato, ad perniciem eorum, & aliorum ipsius regionis, & totius Hispaniæ. Et die vigesima nona & undecima Julii Venetiis suborto turbine ventorum cum tonitrubus, & fulguribus, & uno eorum percussa turre ibi sublimiore, & multis in locis diruta nonnullis ædificiis ei propinquis, & prope eam in foro ibi publico facta fovea lata, longa, & profunda in loco, in quem corruerat fulgur, eructavit vapor fumo immensi fetoris, & cum ipsum pati non possent ei propinqui, ad eum prohibendum & exstinguendum obturata terreno per ibi incolas ob id attonitos, illudque in sinistrum omen interpretrantibus, etiam horis vesperarum diei vigesimi secundi mensis Julii, & solemnitatis divæ Magdalenæ, ex vehemente procella etiam suborta in freto, eis, & Clodiæ propinquo submersis quampluribus navigiis cum nautis ad centum triginta quinque, & bonis super eis exsistentibus. Et Puteolis in Calabria fuerunt terræmotus. Et die tertia civitas Fridugæ Carinthiæ ex incendio accidentali fere tota remansit combusta. In Illyrio, & Pragæ Boemiæ, & in Rhætia, & regione Elvetiorum ibi propinqua, & Byzantii sæviit pestis. Annonæ fuit mediocris redditus. Et ex Cremonensibus celeberrimis Fabius Galaratus Cremonensis, ex Equitibus divi Stephani Pisarum, juvenis impigerrimus, & qui sæpius audacter triremi, cujus erat rector, prælio congressus cum piratis infidelibus ex Africa cursitantibus, & diripientibus littora maritima Italiæ, illos fudit, ac delevit, ex hac vita migravit dimissa sui ob id posteris fama perenne, & etiam decesserunt Jo. Baptista Cambius insignis Sculptor, ac presbyter Vincentius Victiolus litteris Latinis eruditus, ex municipio Casalis majoris, & ibi archipresbyter divi Stephani.

A. C. 1583. Anno sequuto die decima septima Januarii Carolo Aragonio, Duce Terræ Novæ Siculo, constituto vicario, & rectore Regio in statu Mediolanense, & Galeatio Brugora adhuc Cremonæ prætore, Dux Alanzonius, cum proposuisset eis copiis ex Gallia ad sui subsidium appulsis in Flandriam, ut præfertur, eam, ac omnes regiones ei unitas, sibi & posteris suis subjicere, sublato ex humanis Principe Aurentiorum ei resistente, ipsis fere omnibus ibi incolis adhærentibus, ut id exsequeretur absque tumultu, ordinavit ipsarum copiarum haberi delectum prope Antuerpiam, & missis nuntiis ad Aurantium eum vocavit, ut se adiret, & interesset ei delectui, & cum Aurantius præsagus mali recusasset hæc facere, se excusando esse valetudinarium, & sinistra laborare corporis sui dispositione, annixus fuit eis copiis Antuerpiam irrumpere, armisque repellere à portis ipsius milites per Antuerpienses, ad earum, & Antuerpiæ custodiam impositos, & Antuerpienses cum cognovissent copias ipsas velle eorum bona diripere, arreptis armis una cum eis militibus, se illis opposuerunt, & secum consertis manibus ipsos illinc repulerunt, plurimis utrinque occisis, sed pluribus ex Gallis, inter quos fuerunt multi reguli, proceres, ac nobiles, & etiam captivati, dimissis post se multis vexillis & signis, per Antuerpienses interceptis, & humi per ipsam civitatem ignominiose tractis, & Alanzonius, dum reliquis pedem referret, bis cecidit in aquis, & fuit in periculo, ne submergeretur, equo, super quo erat, obruto, & per Brusolenses, Rugenses, & Gandavenses non fuit receptus, per Gandavenses, eis insignibus quoque laceratis, & mox sibi in auxilium destinatis per Reginam Angliæ militibus navigio, missis nuntiis ad Aurantium, & ei adhærentes, tentavit se cum eis componere, & Farnesius Vicarius Regis, missis aliis ad eos nuntiis, ipsos exhortatus fuit redire ad Regem, qui eis veniam dedisset, ipsosque permisisset vivere in religione Christiana juxta eorum votum, modo id non fecissent publice.

Rex Hispaniæ ex Lusitania dimissa sub regimine Alberti Austriaci Diaconi Card. S. R. E. nepotis, ac sororii sui, ac congruo præsidio militum rediit, & die vigesima octava mensis Martii aere turbulento, & frigido, & ab eo effluxo sæpius grandine, & sole offuscato, flantibus vehementibus ventis applicuit Madritum, regni Toletani civitatem, solitam ibi sedem ipsius, ibi occurrente Antonio Porenotto, Granvelano cognominato, episcopo Cardinale Sabinense illic Rectore suo ingenti numero ibi incolarum, ac Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Regulis, proceribus, equitibus, nobilibus, ac magistratibus fere totius Hispaniæ eum comitantibus summa cum lætitia, & pompa, inter quos fuit Petrus Medicæus heros Hetruscus cum nonnullis aliis Italis, nullo ducto triumpho, ita jubente ipso Rege, illic recepto, & per eum nonnullis ibi factis negotiis, triduo sequente illinc abiit ad vicum Escuriatarum ibi vicinum, & illic ingressus ædes Regias valde magnificas cum templo egregio culto per religiosos Carmelitanos B. Mariæ Virg. ibi celebravit Pascha D. N. J. Christi, tunc propinquum quieti deditus. Et reversus Madritum ad principium mensis Maji, ibi multos Principes & nobiles insignivit dignitate equestri velleris aurei, juxta ordinem in Burgundia institutum per Philippum ibi Ducem, patrem Caroli soceri Maximiliani, primi Cæsaris Austriaci, mortuo Carolo, per eum ducta uxore Maria ejus unica filia & hærede, & pro qua Maximilianus habuit ex Burgundia Ducatum, & ex reliquo dominio Caroli Flandriam, & alias regiones ei vicinas ex Gallia Belgica, & Germania inferiori, & perventas cum Ducatu in Philippum Maximiliani filium ex ipsa Maria, & patrem Caroli V. Rom. Imperatoris, & mox in eum Carolum, & successive in ipsum Regem ejus unigenitum legitimum. Et ex jussu ipsius fere omnibus triremibus, navibus onerariis, & aliis navigiis tam majoribus, quam minoribus classium suarum Hispaniæ, Lusitaniæ, & Italiæ, inter quas erant quatuor triremes præaltæ, coactis in portu Ulisponæ, & munitis annona, & materie, ac tormentis bellicis, & remigibus necessariis, & super eis impositis duodecim millibus pedestribus Hispanis, Lusitanis, Germanis, & aliquibus Italis, & earum constituto præfecto Alvaro Bazano Marchione S. Crucis, cum quo fuerunt multi alii Marchiones, Duces, Comites, Equites, Nobiles, ac Proceres Hispani, & Lusitani, & Hieronymus ex Ill. Com. Lodroni, rector Germanorum, & Mondinarius Armenulphus tribunus Cremonensis, destinavit ipsum eis, ad recipiendas Insulas Tercerias, & alias novem ei propinquas, situatas in Oceano occidentali ultra Hiberniam, & distantes à continenti per milliaria circiter octo centum, & olim per nonnullos Lusitanos navibus appulsos, ad eas incognitas, recepras, & suppositas eorum tunc Regi, ejusque successoribus in Regno Lusitaniæ, & per Don Antonium,

nium, nuncupatum Ducem Bragantiæ, extorrem Lusitanum, & ob regnum Lusitaniæ æmulum Hispaniæ ipsius Regis, occupatas, ad prohibendum illac transitum necessarium ejus navium ex Hispania in regiones Indiæ ei subjectas, & illinc onustarum ibi auro, argento, unionibus, & aliis immensi pretii in Hispaniam fere singulo anno, & die vigesima tertia Julii ipsis appulsis ad vicum divi Sebastiani earum insularum, ad quarum præsidium forent ex Gallis circiter tria millia, & ex Lusitanis, & aliis nationibus, circiter quatuor millia quinque centum, Gallorum supremo Duce Regulo Carteni, & ibi Vicario Don Antonii Emanuele de Silva Equite Lusitano, & erectis vallis, & septem propugnaculis, & munitis tormentis bellicis, & per Marchionem, & ejus consultores rei bellicæ, ac magistratus, & Duces suos peritos militares, & multos ex prænominatis proceribus ea die, & duobus sequentibus, perspecto & considerato situ Insulæ Terceriæ, & aggere ejus civitatis, ac propugnaculorum, vallorum, & locorum magis debilium, & opportunorum, ad faciliorem eorum expugnationem, ac tentata etiam earum insularum receptione absque armis, oblata venia Regis earum custodibus, & incolis, & per illos valde animatos ad eas defendendas audacter recusata, & ex ipsis navibus egressis in litus propinquum Trinceriæ multis copiis militum, qui erant super eis, & ea Insula mari & terris per ipsos biduo oppugnata, & inter obsessos & obsidentes viriliter consertis manibus, & ex eis multis occisis & vulneratis, utrinque exoneratis tormentis bellicis, & ultima die per obsessos Regiis ei secundo vento dimissa civitate, & per Regios recepta, & depopulata, & per obsessos, diffisos eas insulas posse tueri, ac ad earum subsidium adversus Regios habere copias militares à Don Antonio, die ultima Julii Regiis dimissa ipsa, & mox aliis una cum armis, vexillis, ac tormentis bellicis, navigiis, & aliis bonis alicujus valoris, & Gallis, eorum vestimentis, & bonis, quæ potuerint asportare, triremibus regiis transmissis in eorum patriam, dimissis penes Marchionem ex eorum ordinariis tribunis quatuor & uno, ex majoribus obsidibus, donec ad eum transmissæ fuissent ipsæ triremes. Et Emanuele Silva, Vicario Don Antonii, & duobus ex ejus primoribus captivatis & decapitatis, & decem ex ea Insula laqueo suspensis, ex jussu Marchionis, & reliquis per eum data venia, & permissis habitare in eis insulis, eisque munitis annona & congruo præsidio militum, aliis & nautis, qui sibi superfuerunt, conscensa classe, ea summo cum triumpho rediit ipse Marchio Ulisponam.

Et Rex copiis militaribus, quas habebat ad præsidium Flandriæ, & regionum circumvicinarum Dominii sui, ex Gallia Belgica, & Germania inferiori sub Alexandro Farnesio ibi suo Vicario, & Duce supremo prosequuto bello, auxilio illic procerum partes suas sequentium, adversus ibi rebelles, & utrinque multis municipiis receptis, & aliquibus ex eis direptis & eversis, & aliquibus depopulatis, & nonnullorum tentata clam receptione, & multis commissis præliis, plurimorum cæde & captura, in quibus sæpius prævaluerint copiæ Regiæ, & Gallis cum Duce Alanzonio eorum ductore exosis rebellibus popularibus, recusantibus Alanzonio subesse, reversis in Galliam, per eas copias Regias receptis nonnullis civitatibus maritimis, & municipiis terrestribus occupatis per rebelles, illos valde repressit & debilitavit. Et ex mente consultorum suorum in re militari jussit in ejus regno Neapolitano, & statu Mediolanense conscribi decem millia pedestrium, & duci in Hispaniam Petro Medicæo ex filiis Cosmæ, olim Magni Ducis Florentiæ, constituto duce supremo, & Antonius Oscasalis, ex primoribus tribunis Regis, Italorum pedestrium conscriptorum in statu Mediolanense fuit rector, & præfectus unius ex ipsorum cohortibus, & Julius Fabagrossa ex tribunis veteranis Regis Italorum, filius Marci Antonii etiam ex tribunis veteranis Francisci Sfortiæ Secundi Ducis Mediolani, & Cæsarianis alius cohortis, & alius Jo. Petrus Marianus Cremonenses, & eis omnibus cohortibus pedestrium, ex Italia classe Ligustica Regis trajectis in Hispaniam Tarraconensem, datis stativis juxta ibi littora maritima regionis Condestanorum Oscasalis periit, & sepultus fuit in civitate Alonis, vulgo *Alicantes*, & Fabagrossa Cathaginis de mense Octobris oppressi febri cum multis aliis Cremonensibus ex eis cohortibus mortuis ob qualitatem aeris illius regionis, cui ipsi non assueti erant. Et etiam ex Cremonensibus Petrus Zignanus, valde peritus in re militari, & quod sequens vestigia Jo. Antonii patris, ab adolescentia usque ad senectutem exercuit militiam equestrem, & multorum insignium ductorum turmarum equestrium fuit Locumtenens tam sub memorato Sfortia, quam Carolo V. Romanorum Imperatore, & Philippo filio Rege Hispaniæ, Sfortiæ successoribus in Ducatu ipso, & sæpe in præliis pro ipsis habitis tam in Italia, quam extra Italiam, cum eorum hostibus pugnando viriliter se gessit, multis illatis & receptis vulneribus obiit die octava Aprilis.

Et Julianus Marianus, excellens Physicus, Astronomus, & Mathematicus, & qui ob ejus summam doctrinam in ipsis scientiis publico stipendio æris ærarii Regii publice in gymnasio Ticinensi legit, docuit, & interpretatus fuit Dialecticam per multos annos, decessit die vigesima prima Februarii, dimisso sui apud multos desiderio. Et Bartholomæus de Scalve, literis Latinis eruditus, per eum ad plene instruendum in religione Christiana, & vero Dei cultu, homines compositis Meditatione spirituali Latino sermone, & pueros norma laudabili materno sermone, & qui venerabilis omnium doctissimi Hieronymi Vidæ etiam Cremonensis, præsulis civitatis Albæ, Marchionatus Montisferrati in Gallia Subalpina fuit scriba, & per eum ob ipsam virtutem & probos mores valde dilectus, & mox Conservator Ordinum Reip. patriæ suæ, ex qua dum se transtulerit in ipsam civitatem Albæ, una cum Antonia de Cagnolis uxore illic oriunda, ibi vitam deseruit mortalem die ultima Septembris. Et Maria, filia Philippi Regis ex Anna Austriaca ejus quarta uxore, annorum trium Madriti eodem mense vitam cum morte commutavit. Nicolaus Sfondratus, præsul Cremonæ, in ecclesia ibi Cathedrali diebus prima, & secunda Septembris habuit secundam Synodum solemnem totius Cleri ei suppositi ex ipsa civitate, & ejus diœcesi, in qua lectis decretis conditis in Synodo sexta Provinciali mense Majo anni præcedentis, celebrata Mediolani, per ipsam fuerunt ea probata, & recepta, & electi Judices, quibus committendæ erunt causæ ecclesiasticæ à Sede Apostolica ex urbe in ipsa civitate, & Examinatores promovendorum ad sacerdotia, & beneficia ecclesiastica, & Testes Synodales ex ipso clero idonei, eis Examinatoribus additis tamen quatuor Religiosis. Gregorius Pont. Max. Rom. hoc anno, & annis superioribus, mortuis aliquot Cardinalibus sanctissimæ Rom. Ecclesiæ superstitibus addidit die duodecima Decembris Jo. Antonium Fachinettum, Patriarcham Hierusalem, & Albertum Bolognetum, Episcopum Messanæ compatriotas suos, Jo. Baptistam Castaneum, olim Archiepiscopum Rosani Rom. Alexandrum Medicæum civem, & Archiepiscopum Hispanensem, Hispanum, Franciscum de Gioiosa, Archiepiscopum Narbonensem, Matthæum Contarellum Cænomanum, Sedis Apostolicæ Datarium, Carolum Borbonium, electum Archiepiscopum Rothomagensem, Gallos, Michaelem Turrianum, Episcopum Cenetensem, Utinensem,


sem, Julium Cananium, Episcopum Adriensem, Augustinum Valerium, Episcopum Veronæ, Venetum, Antonium Mariam de Salviatis, olim Episcopum Sancti Pepuli, Florentinum, Vincentium Laurum, Tropiensem, Episcopum Montis Regalis, Calabrum, Philippum Spinulam, Episcopum Nolanum, Genuensem, Scipionem Lancelottum, ex reverendissimis Auditoribus Apostolicis causarum sacri palatii, etiam Romanum, Georgium Rutinaldum, Episcopum Vilnensem, Polonum, Simonem de Aragona, ex filiis Caroli Ducis Terræ novæ, Vicarii Regii in statu Mediolanense, Franciscum Sfortiam, ex Illustrissimis Com. Sanctæ Floris, & Nicolaum Sfondratum, [ejus imaginem, ex Ant. Campi *Hist. Mediol.* desumptam, in æs incisam hic apponi curavimus] Episcopum patriæ nostræ Cremonæ, ipsius ac totius Diœcesis suæ incolarum ingenti gaudio, & cujus pater Franciscus, excellens in V. J. D. & Orator fuit, & ex Reverendissimis Cardinalibus S. Rom. E. & Episcopus Cremonæ patriæ suæ, & majorum suorum, & antea ex Senatoribus Duc. mox Cæsareis in hoc statu Mediolanense, & deinde Rector Senarum.


Tanta fuit turba, ex Insubria, Liguria, Latio, & Piceno, & regionibus circumvicinis, latronum, & inde exsulum, ut per illos nonnullis in itinere, & propriis habitationibus, spoliatis pecunia, & aliis rebus, quas penes se habere eos comperissent, & ex ibi illorum hostibus occisis, ut ab illorum impetu eas regiones, earumque incolas, & viatores liberandum, & ipsos exstirpandum, proposito edicto publice ex ordine illic Superiorum & Rectorum, concessa venia, oblatoque præmio illos occidentibus, seu capientibus, & præsentantibus illic Magistratibus, plurimi ex illis tum fuerint occisi, tum capti, & præsentati eis Magistratibus, ipsorumque jussu ultimo supplicio affecti, & cum ex eis, qui illos captivarint, seu occiderint, fuerint multi ex illis exsulibus, ob delicta, pro quibus erant exsules, sibi facta legitima remissione per offensos, fuerunt liberati ab ipsis, & eorum patriæ restituti, & reliqui exsules, & latrones ob id territi alio aufugerunt. In vico Tavernellarum Galliæ Subalpinæ versus montes Cherii in principio mensis Martii aere sereno conspectæ fuerunt duæ nebulæ, habentes simulacrum instar duorum galerorum insimul conjunctorum, auditusque strepitus tonitruum instar tormentorum bellicorum, & super ædes & ecclesiam monasterii D. Sanctæ Mariæ de Campanea, cultas per religiosos Capucinos Ordinis divi Francisci, audita suavis melodia sonorum & cantuum musicalium. Et die nona Aprilis spatio trium horarum Norimbergæ, & in regione ibi finitima Germaniæ, conspectus fuit arcus cœlestis tribus solibus in eo, ipsius medio magis lucido, & se protendente extra arcum ipsum, & super eum duobus arcubus invicem annexis. Ex segetibus, & leguminibus maturis pendentibus in agris, finitimis Pragæ metropoli Boemiæ, spatio passuum circiter viginti millium illic sæviente peste, non percussis à grandine, nec flantibus ventis aere sereno, ex illius uredine, & caliginibus frequentibus vigentibus grana fere omnia deciderunt, & in sinistrum transiverunt prodigiose gravi ibi incolarum stupore, timore, dolore, ac damno. Florentiæ de mense Septembris sus peperit monstrum suæ speciei tribus capitibus, uno scilicet ore suillo, alio bubonis, & alio barbacanis, & acie oculorum ardenti, quod fuit cibatum, donec vixit farina siliginea aquis liquefacta. Eodem mense ex terræmotu in Armenia, & Syria, multa ædificia tam privata, quam publica, una cum mesquitis Mahumetis, corruerunt, quibus multi ibi incolæ oppressi tum perierunt, tum debilitati fuerunt. Et Parisiis in Gallia Transalpina in aere multo strepitu audito visa fuerunt simulacra instar acierum armatorum invicem concurrere. Et in Lotharingia auditæ fuerunt cam-

A panæ à seipsis pulsare, ac auditus fuit infans plorare in ventre matris ex eo prægnantis. Byzantii in Thracia, Viennæ in Austria, Pragæ in Boemia, Lugduni & Parisiis in Gallia Transalpina, & in aliquibus pagis Elvetiorum, & Rhætorum, Carnia, & Carniola, & locis circumvicinis, ex dira & inevitabili peste plurimi, & plerique ex nimia gravedine capitis, exstincti remanserunt, & fuit mediocris redditus granorum, & fœni, & vini, & pomorum multa copia.

Cremonenses originarii, & coloni Rom. dum ipsis, eorumque Imperatoribus paruerint, & postquam se in libertatem erexerint, & in ea perseveraverint, & semetipsos gubernarint, ac postea, eorumque Principes multa præclara gesserunt facinora, & ex quibus C. B Octaviano Augusto Rom. Imperatore Romæ cognitus fuit Q. Varus vates facundissimus, coætaneus A. Tibulli, P. Vir. Maronis, & Q. Flacci Horatii, etiam poetarum facundissimorum, & cujus judicio acutissimo eorum poemata elegantissima supposuerunt, & plurimi alii insignes tum sanctitate, tum religione, tum armis, tum toga, tum literis, tum in quibuscunque scientiis, & artibus claruerunt, de quibus, & ipsis facinoribus in hoc meo Compendio non retuli, cum de eis non compererim fuisse scriptum per aliquos Auctores celebres.

Et Cremona est in plaga Occidentali, & climate C septimo, & regione salubri, & se protendit oblique in longitudinem à Meridie, ubi pro ejus egressu & ingressu sunt portæ Padi, & Mosiæ, ad Septentrionem, ubi habet portam divi Lucæ, & in latitudine ab Ortu, ubi habet portas Novam, & Omnium Sanctorum, ad Occasum spatio passuum circiter bis mille quinque centum circundata pro parte mœniis, & pro parte aggeribus, & vallis, ac foveis, & propugnaculo ante eam ad Ortum è regione portæ olim sancti Michaelis inter portas Novam, & Omnium Sanctorum, circumsepto muro constructo ex lateribus coctis & calce, & arce ad Septentrionem, in qua civitate sunt Ecclesiæ Major cum Baptisterio, parochia- D les triginta sex, ex quibus sunt novem & alia dicata divæ Agathæ collegiata insignitæ tit. præpositura, & alia dicata divo Silvestro tit. Prioratus, & alia dicata divo Antonio tit. Præceptoriæ, & alia divo Joanni, cujus sit administrator unus ex reverendis Equitibus Hierosolymitanis, oratora decem & septem, monasteria Religiosorum totidem. Et in suburbiis ipsius civitatis divi Rochi Servorum D. Sanctæ Mariæ, Capucinorum Ordinis divi Francisci, sancti Sigismundi Ordinis Heremitarum divi Hieronymi de observantia, & prope ipsam per mille passus in constrata Buscheti D. Sanctæ Mariæ, & congregationis per beatum Petrum de Pisiis in ejus diœcesi inchoa- E ti, & in vico Cavæ sanctæ Mariæ Magdalenæ Ordinis Cistercensium divi Bernardi de Claravalle, & reverendarum Monialium intra civitatem sub titulis Corporis Dominici, divæ Claræ, D. Sanctæ Mariæ de Pace Ordinis sororum de pœnitentia divæ Claræ, seu divi Francisci, & divæ Monichæ Ordinis divi Augustini, & Annunciationis B. M. V. Ordinis divi Hieronymi, & divi Benedicti, & divæ Marthæ Regularium Ordinis etiam divi Benedicti omnium de observantia, & divorum Jo. Baptistæ, Quiritii, & Vallis viridis, Ordinis ejusdem, & S. Mariæ in Cistellis, & Colombæ Ordinis etiam Cistercensium divi Bernardi omnium Conventualium. Et ex quibus con- F ventus Monialium B. M. Virg. Vallis viridis inchoavit circiter annum millesimum ducentesimum ab ortu Dominico in vico Jovis Aræ, diœcesis Cremonensis, adolescentula ibi nominata Gentia, cæca à nativitate, illuminata mirabiliter per omnipotentem Deum ad intercessionem prælibatæ M. Virg. dum foret in sacello illic ei dicato, dimissa per matrem illuc prope in agris colligentem spicas segetum, & ex monitu B. M. V. notificato hoc miraculo per eam Sicardo Caselano, tunc episcopo Cremonæ, ejus ope, ac






FORMA EXTERIOR MAJORIS, ſive CATHEDRALIS TEMPLI CREMONENSIS







NICOLAVS SFONDRATVS,
Cardinalis et Episcopus Cremonensis,
francisci Cardin. fil.






Forma exterior Baptisterii Cremonensis.
CO. CR.



Ichnographia Baptisterii.
Meridies.
Oriens.
Occidens.
Septentrio.




Ichnographia ejusdem Turris









ac opera, & eleemosynis aliquorum Christi fidelium constructis in vico ipso ecclesia & domibus instar monasterii, sub titulo divi Laurentii, easque ipsa Gentia una cum aliis mulieribus viginti quinque ingressa, & ibi secum facta earum Abbatissa inita professione religionis Christi sub regula divi Benedicti. Et anno 1213. die duodecima Octobris per ipsum Sicardum ei monasterio unito hospitale sancti Nicolai, ex ordine ipsius erecto penes Dugale Murbassi proximum ipsi civitati, & dotato per Friscam filiam Federici Suevi Ænobarbi nuncupati Imperatoris Rom. die quintadecima Julii 1193. pro exsequutione legati facti per eam in ejus ultimo testamento, condito in ipsa civitate diei quintadecima Septembris 1188. & confirmato ipso conventu die undecima Octobris 1216. per Homobonum tunc episcopum ejusdem civitatis, & Sicardi successorem, & die quintadecima Julii anni prædicti 1213. per Innocentium Tertium Anagninum tunc summum Pont. & die vigesima Januarii 1217. per Honorium ejus successorem approbato. Et die prima Martii per eum Homobonum ipsi conventui unita ecclesia divi Thomæ Apostoli, erecta in vico Lerni suburbiorum ipsius civitatis, presbytero Joanne tunc beneficiato ipsius assentiente, eique per ipsum, & ejus sororem, omnibus bonis suis dimissis, ipsa Abbatissa & Moniales ex eo vico Jovis Aræ se contulerunt habitatum in domos ipsius ecclesiæ, ea concessione etiam confirmata per ipsum episcopum die duodecima Augusti 1244. Et die quintadecima Maji per Innocentium Quartum Genuensem ex familia Flisca, etiam tunc sum. Pont. approbato eodem conventu. Et anno 1380. eidem unito per Petrum de Capellis patritium Venetum, tunc episcopum ipsius civitatis, alio monasterio constructo sub titulo divi Andreæ in vico ab ejus nomine nuncupato in eadem diœcesi, eodemque anno die septima Martii per Agapetum legatum Apostolicum, dum esset Papiæ, Urbano Sexto Neapolitano summo Pont. & mox per multos alios summos Pont. etiam eo conventu approbato. Et anno 1419. per Constantium Fondulum, tunc Cremonæ Episcopum, facta concessione ecclesiæ, & domorum Sanctissimæ Trinitatis, constructarum in parochia divi Petri de Pado ejusdem civitatis die vigesima tertia Februarii eis Monialibus, eaque confirmata die septima Decembris 1437. Helena de Cipellis, tunc Abbatissa earum Monialium, una cum eis se contulit ex eo vico Lerni habitatum in eas domos Sanctissimæ Trinitatis. Et anno 1516. Hieronymo Trivisano patritio Veneto, episcopo ejusdem civitatis, & Abbatissa earum Monialium Elisabeth etiam de Cipellis, ipsis per eas nonnullis domibus cum ecclesia nuncupatis Vallis viridis, & habitatis per duas Moniales Ordinis de observantia divi Augustini, se contulerunt habitatum in eas domos Vallis viridis, Julio de Rupere tunc summo Pont. assentiente, & per Nicolaum Sfondratum, modernum Episcopum ejusdem civitatis, eis Monialibus adjudicatis ecclesiis & domibus Monialium divæ Annæ ejusdem Ordinis, constructis in parochia D. Sanctæ Mariæ novæ, quæ defecissent, ac aliis bonis, ac unitis Monialibus monasterii D. S. Mariæ Angelorum, residentibus in terra Zibelli memoratæ diœcesis, & per Carolum Borromæum, Cardinalem S. Rom. E. tit. sanctæ Praxedis, & Archiepiscopum Mediolani anno 1575. visitato clero ejusdem civitatis Cremonæ, ejusdemque diœcesis unitis Monialibus monasterii D. S. Mariæ de Laureto cum domibus ipsius monasterii, constructis in parochia divæ Agathæ ipsiusmet civitatis, earumque bonis, cum commode non possent habitare in ipsis domibus Vallis viridis, nec prope ipsas forent aliquæ domus vendendæ, empta per eas, ipsarum Abbatissa Prudentia Persichella, excelsa domo à Paulo & Bartholomæo fratribus de Fodris, in ipsam iverunt habitatum. Est etiam in hac nostra civitate Collegium illustre, ex quo, tanquam ex equo Trojano, subinde viri prodierunt, non tantum in Jurisprudentia, sed & in qualibet alia præclara scientia excellentissimi. Et quoniam patrum nostrorum memoria, & adeo nostro quoque ævo, nonnulli suæ eruditionis excellentia multum illustraverunt hanc patriam suam, officio meo deesse mihi viderer, si eorum nullam facerem mentionem, cum id nusquam alibi præstitum sit à nobis. Igitur perceleber inter illos fuit Joannes Franciscus, ex nobili & vetusta Valvassorum stirpe, quæ hodie vulgo ab omnibus Argentarum familia vocatur. Hic multis varios ad Principes legationibus honorificentissime functus est pro patria sua, quam & servavit ille tum temporis, cum bellorum motibus ea premeretur undique, & maxime à Gallis, qui eam diripuissent, nisi hujus honorati civis eloquentia fuissent mitigati. Decessit ille non sine dolore nostræ civitatis anno MDXXVIII. & sepultus est in templo S. Dominici, hac ipsius tumulo inscriptione addita:

D. O. M.
IO. FRANCISCO VALVASSORI ARGENT.
I. C. IVSTITIA, FIDE, PIETATE, CAETERISQVE ANIMI VIRTVTIBVS CLARISSIMO. REGNAVIT IN IVDICIIS, PATRIAM A GALLIS SERVAVIT, DOMI OMNIBVS MVNERIBVS, FORIS LEGATIONIBVS AD REGES EGREGIE FVNCTVS EST, DIFFICILIBVS REIP. TEMPORIBVS INTEMPESTIVE DECESSIT. IO. GALEATIVS FRATER OPT. ATQVE B. M. POS. VIX. ANN. XLVIII. M. XI. OBIIT VII. ID. SEPTEMB. M. D. XXVIII.

Iisdem quoque temporibus floruit Stephanus Sfondratus, qui paulo ante prædictum Argentam defunctus est, & ipse quoque in eodem S. Dominici templo conditus, cujus ad sepulcrum hic titulus comparet:

M. D. XX. APR. XII. HAEC STEPHANI SFONDRATI I. C. AMPLECTITVR OH QVANTI LVMINIS VRNA CAPAX. VIX. ANN. LII.

Et in ipsa civitate adsunt quoque Hospitale Majus, nuncupatum Pietatis, Mendicantium, Verecundorum, Orphanorum, Orphanarum, Mulierum conversarum à vita impudica ad vitam pudicam, divi Antonii, ipsorum del Affaitate, & de Marianis, & Leprosorum extra portam novam sub vocabulo divi Lazari, Consortium B. M. Virg. cujus consortiales congregantur in ecclesia monasterii divi Francisci, & Consortium ejusdem Rosarii, cujus consortiales congregantur in ecclesia divi Dominici, & Consortium divi Homoboni, & multa alia in multis ex ipsis ecclesiis, ac Societates, & Confraternitates, & multa alia loca pia, quorum redditus distribuuntur in usus pauperum, & alios pios, per eorum rectores, ac Turris omnium totius orbis altissima, [quam, ex Ant. Campi *Hist. Mediol.* æri incisam hic exhibemus] & multæ aliæ lateritiæ ad ipsas ecclesias, & in aliis diversis partibus ipsius civitatis tum acutæ, tum quadratæ in earum summitate, Palatium Episcopale, & aliud Reip. & aliud, in quo resident Prætor, ejusque Vicarius, ac Judex criminalium, & aliud Mag. Equitum olim, & nunc J. Conf. & aliud Mercatorum ad forum divæ Agathæ, & multæ aliæ domus excelsæ ibi incolarum, & forum majus, & capitanei, & piscarium, & lini venalis, & forum boum, & multæ aliæ plateæ ante ipsius ecclesias, & alibi, & viæ latæ, & multi horti, ac multa viridaria.

Et Cremonellæ aquæductus, super quo descendente ab euripo publico ipsius civitatis sunt molendina tam intra, quam extra, & juxta ipsam civita-


tem. Et cujus territorium, in quo non sunt montes, nec loca sylvestria, est fertilissimum, & abundat granis, vino, uvis, pomis, oleribus, laticiniis, melle, lino, lana, fœno, & lignis, & multis aliis, quæ sunt ad esum & usum hominis viventis, equis, ovibus, & aliis animalibus domesticis, & ad plagas Septentrionalem & Orientalem circundatur Ollio flumine, ipsum, & agros Brixiensem & Mantuanum interlabente, unde per euripum derivantur aquæ, quibus irrigatur major pars ipsius, ac flumine Abduæ, ipsum ac agrum Laudensem dividente à plaga Occidentali, & intersecatur à Serio torrente descendente à montibus Bergomensibus, ac flumine Padi confluente prope ipsam civitatem, & per cujus alveum illuc undique fere conducuntur omnes merces ac res, ac confluunt populi; eique territorio à plaga Occidentali adhærent agri Laudenses, & Placentini, à Septentrionali Bergomenses, & Brixienses, ab Orientali Mantuani, & à Meridionali etiam Placentini; & ex eo territorio non comprehenso in statu Mediolanense, & ultra Padum sunt occupata per Parmenses, & ejus Ducatui unita nonnulli sunt anni oppida, & loca insignia Buxetum, ac Monticellum de Unginis, ex dominio Illustriss. Marchionis Sfortiæ Palavicini, & Gibellum cum Rivoalto ex dominio Illust. Com. Julii Rangoni, & Guardastallum, olim ex agro Mutinense, concessum Cremonensibus per Ludovicum Bavarum Imp. & perventum in Illustriss. Ferdinandum Gonzagam ex emptione facta per Illustriss. Ferdinandum, avum suum, superioribus annis ab Illustr. Ludovica Taurella. Et citra Padum ad fines agri Cremonensis, & Mantuani, Vitelliana, olim juris Cavalcoboum Nob. Cremonensium, & Gadiolum comprehensa in Ducatu Mantuæ, & Sabloneta, olim de Persico Nob. etiam Cremonensium, Bozulum, Cividate, & Riparolum, ex dominio Illustriss. Ducis Vespasiani Gonzagæ, & vicus Insulæ, olim juris Dovariensium, etiam Nob. Cremonensium, & ab eis nuncupatus, & sancti Martini ab Aggere, dominii Illust. D. Pirri, & Fratrum de Gonzaga, & Vescovati, ex dominio Illust. D. Com. Nicolai, & nepotum de Gambara, & ab eorum antecessoribus emptus ab Illustriss. de Gonzaga, & olim juris episcopii Cremonæ, & datus in permutationem pro vico Jovis Aræ pervento in Illust. Philippinum Gonzagam, & Principibus Mantuæ, pro dote Annæ filiæ Nicolai unigeniti Bosii, una cum aliis bonis, quæ erant juris ejusdem Bosii, & per eum possessis in territorio Cremonense, tam ultra, quam citra Padum. Et in agro Cremonense, nunc status Mediolani, exstant Casale majus, & Castrumleonis, ex feudo Illustriss. Don Alfonsi Davali, & Calvatonum, Platina, & Spineta, ex feudo Magnifici Alfonsi Gastaldi proceris Neapolitani, & Castrum Dudonis, ex feudo Reverendi, & nob. Com. Jo. Clementis, & fratrum de Schitiis, vicus sancti Joannis in Cruce, ex feudo Illust. Com. Ludovici de Carminate, nuncupati de Bergaminis, Casteletum nob. Com. de Ponzonibus, Vidizetum, olim totum nob. de Amatis Cremonensium, Piscarolum, & Grontardum, ex feudo Mag. Com. de Marino Genuensium, & Consortum, Bordolanum, & Robechum, ex feudo Mag. Com. del Maino Nob. Mediolanensium, Soresina, ex feudo Mag. Com. Camilli de Barbobus, Rumenenghum, & Grumellum, ex feudo Mag. Com. Ludovici Affaitate, Covum, & Antiniate, ex feudo Illust. Cornelii Bentivolii, Soncinum, ex feudo Illust. Com. Maximiliani Stampæ Nob. etiam Mediolanens. & Tucengum juris feudalis Magn. DD. de Casteletis, Formigaria, & Cornaletum, ex feudo Mag. de Trivulcio Nob. etiam Mediolanensium, & Curia Nob. de Cavalcabobus, ex feudo Illust. Francisci Sfortiæ, Castrum Novum Buccæ Abduæ, juris feudalis Magn. Com. Jo. Baptistæ Stanghæ, & Machastruma illorum de Bibaaquis Nob. Ferrariensium, ac Fontanella.

Et ex familiis Cremonensium aliquæ sunt originariæ, sed raræ, & aliquæ processerunt à Romanis, ex urbe Cremonam bis transmissis habitatum, & aliquæ à militibus eorum veteranis sub Cajo Julio Cæsare, quibus Cajus Octavianus ejus pronepos, & successor in Imperio, pro præmio eorum militiæ concessit fundos tunc ibi incolarum sibi infensorum, plerisque illinc expulsis, quia receptarant Mar. Antonium Proconsulem Rom. expulsum à Mutina, quam exercitu obsederat, dum in ea foret copiis Decimus Brutus, ex interfectoribus Caji Julii Cæsaris, per Marcum Antonium ejus exercitu facto conflictu cum Au. Hircio, G. Pansa Consulibus tunc Rom. & C. Octaviano, & eorum copiis, quibus opitulari volebant Bruto, ejusque Mar. Antonii exercitu fuso, ipsoque prolapso Cremonam. Et nonnullæ à Gothis & Longobardis, dum ei, & fere totæ Italiæ dominati fuerint, & multæ à Gallis, & Francis, & Germanis, dum una cum Carolo Magno Imperatore Romano, & ejus successoribus Gallis, & Germanis in ipso Imperio, & aliis ducibus Gallis, & Germanis in Italiam descenderint, & etiam multæ à Mediolanensibus, Papiensibus, Laudensibus, Bergomensibus, Brixiensibus, Mutinensibus, Mantuanis, & aliis populis Italiæ, & aliunde, dum illuc se receperint, & sedes suas ibi firmarint, cum etiam ex Cremonensibus multæ aliæ alio abierint, & substiterint, & nonnullæ familiæ, quæ aliunde Cremonam accesserunt, assumpserunt cognomen à civitatibus, oppidis, vicis, & pagis, unde abierint, & aliquæ à nominibus patrum eorum, quæ illuc se receperint, & aliquæ à semetipsis cum eorum insignibus ex suo proprio capite, & nonnullæ aliæ ab earum exercitio, & aliæ ab aliquo aliorum facinore.

Et cum plerique ex Cremonensibus fuerint, & sint industrii, & ingenii acutissimi, nonnulli ex eis ad esum lautum hominum excogitarunt, & præpararunt farcimen ex carne suilla, seu bovina, minutatim incisa, & mixta pulvere piperis, seu gingiberi, cinnamomi, canellæ, & aliorum aromatum, & imposita, & alligata in eorum intestinis, & mox igne in aqua coctum, seu tostum, & mensis impositum, & per ibi convivas comestum. Et alii ad indumentum humanum excogitarunt, & laborarunt tegumentum, nuncupatum *pignolatum*, & *valissium* ex filo lini & bombycis contextum, & pro aliqua parte tinctum ex succo pulveris herbæ gualdi collecti, & præparati. Et aliud, nuncupatum *farziarum*, contextum ex stamine, seu filo lanarum ovium, & tinctum in diversos colores. Et aliud vulgo *Mezulanorum*, contextum in filo lanarum & lini, tincto, ut præfertur. Et aliud ad opperimentum, sub vocabulo *coziorum*, contextum ex filo pilaminis bubali, & aliorum diversorum quadrupedum domesticorum. Et alii excogitarunt & fabricarunt ex ære subtili arte cultellos valde egregios, firmos, ac stabiles, & qui ex ipsa civitate conducuntur, & afferuntur ad diversas partes orbis ad usum ibi incolarum, magno lucro Cremonensium, qui eos præpararint, ac præparari fecerint.


Et ex Cremonensibus nunc sunt venerandi Prælati, celeberrimi litteris, & bonis moribus, & dignitatibus Jo. Antonius Bonhomus, Præsul Vercellarum, & nunc nuntius Apostolicus penes Rodulphum Cæsarem; & Ludovicus Ripa J. C. & Auditor Illustriss. Jacobi Boncompagni Præfecti arcis Adrianæ, & Ducis Sorræ; Jo. Maria Capella, ex Religiosis Ordinis Servorum D. S. Mariæ de observantia, eximius Theologus, & qui in ea scientia multa erudite composuit, ex quibus pleraque sunt typis impressa; Ludovicus nominatus Jacobus Antonius, ex familia antiqua & honorata Stanga Cremonense, & ex venerabilibus Religiosis Ordinis


Præ-





TABULA TERRITORII ET DIOECESIS CREMONENSIS CUM CONFINIIS SUIS.
BERGAMASCHA.
CREMA.
BRESANA
MANTOVANA.
CREMONESE
PIACENTINA.
PARMESANA
BRESCIA
CREMA
CREMONA
MANTOA
PIACENZA
PARMA
Oglio Fl.
Po Fl.
Adda Fl.
Serio Fl.
Soncino
Castelleone
Pizzighettone Fortezza
Casal Maggiore
Sabioneda
Busseto
Fiorenzuola
Guastalla
Luzzara
Brisello
Colorno
Asola
Canneto
Marcaria
Borgo Forte
Quinzana
Ponte Vico
Orci novi
Codogno
Caorso
Milliaria Italica, quorum 60 in uno Gradu.
5
10
15
P. vander Aa. Exc. Lugd. Batav. cum Privil.





Prædicatorum de obſervantia divi Dominici, celeberrimus Vates, & Hiſtoriographus, compoſitis per eum multis carminibus Latino ſermone, & etiam materno, & Hetruſco, & erudito opere de cognominibus familiarum patriæ ſuæ, & aliarum fere omnium civitatum, & oppidorum receptis ab omnipotente Deo, Angelis, cœlis, aſtris, elementis, arboribus, herbis, gentibus, provinciis, civitatibus, oppidis, vicis, & pagis, necnon & animantibus tam terreſtribus, quam volatilibus, & aquaticis, ab hominibus, membris propriis, nominibus, moribus, vitiis, ſcientiis, artibus, artificiis, officiis, gradibus, & dignitatibus, & nec impreſſis, ex mente ſuperiorum ſuorum. Et dum per multos annos moram habuerit Neapoli, illuc evocatus per Illuſt. Diomedem Vincentium Caraffam, primum Ducem Metulanenſium, ob memoratam hujus Stangæ doctrinam, per eum Ducem, necnon & ibi Præſulem, ac prælatos, proceres, & alios doctos habitus in ſummo honore & pretio. Et qui Mediolani, dum ibi eſſet anno partus Virginei nobis ſalutiferi 1541. annorum viginti trium per invictiſſimum Carolum V. Auſtriacum Rom. Imperatorem, illic tunc degentem, & ei præſentatum per memoratum illuſtr. Caraffam, & excell. Alfonſum Davalum Marchionem Vaſti & Piſcariæ, ibi, & in univerſo ejus ſtatu moderatorem, pro ipſo invictiſſ. Imperatore, & edoctum de ipſius Stangæ memoratis ſcientiis inſignitus fuit publice corona laurea poetica. Hier. Burgius, Abbas inter Canonicos regulares, peritus in literis Græcis, Hebraicis, & Latinis, Medicinæ & Philoſophiæ doctor, & quolibet ſcientiarum genere ornatus. Joſephus Niger, cognominatus Motella, ſcriba à ſecretis, ſeu computiſta ſacroſancti Collegii Reverendiſſimorum Card. S. Rom. Eccleſiæ. Conſtantius Porta, ex Religioſis Ordinis Minorum Conventualium divi Franciſci, excellens muſicus. Mar. Antonius Amidanus J. C. & Abbas Abbatiæ omnium Sanctorum Cremonæ, & reſidens in civitate Laude, pro vener. ejus epiſcopo Ludovico Taberna nuntio Apoſtolico penes Sereniſſimum Regem Hiſpaniæ; Ferandus Bonettus, eruditus litteris Latinis & Hebraicis, Eccleſiæ divi Vincentii, Joſephus Olivus Eccleſiæ divi Michaelis, Chriſtophorus Brumanus J. C. Eccleſiæ Sanctæ Luciæ parochialium præpoſiti, & Nicolaus Scribonius, ex Canonicis Ecc. collegiatæ divæ Agathæ ejuſdem civitatis; Antonius Marius Caballus, ex municipio Caſalis Majoris, Vicarius Epiſcopalis in ipſamet civitate; Julius Feroldus, ex municipio Sablonetæ, qui compoſuit eleganti ſermone materno *Annalia Venetorum* ab eorum urbis initio uſque ad annum 1487. Et ex Rever. Equitibus Hieroſolymitanis reſidentibus in Inſula Melitæ, inter Numidiam & Siciliam Inſulam, Jo. Baptiſta Ripa, & Jo. Baptiſta de Summo, & Jacobus Capredonus. Et divi Stephani reſidentes Piſis in Hetruria Aloyſius, & Annibal Dovariæ, & ex quibus Aloyſius etiam ſit ex inſignibus ductoribus turmarum equeſtrium Franciſci Medicæi, Magni Ducis Florentiæ, & ex prudentibus Conſultoribus in re bellica Regis Hiſpaniæ. Et Prælatis Eccleſiæ Cathedralis ejuſdemmet civitatis Jo. Jacobus de Aribertis Archipresbyter, Horatius de Trechis Archidiaconus, Julius de Brinis Cantor, Flavius de Flocchis J. C. Decanus, Jo. Antonius de Schitiis Præpoſitus, Com. Jo. Galeatius Ponzonus J. V. D. Primicerius, Julius de Cazanigo Cimeliarcha, Bonus de Lamo Theſaurarius, Cæſar de Sfondratis Prior, & Rev. Canonici Hieronymus, & Nicolaus patruus, & nepos de Amidanis, Joſeph de Burgo, Bartholomæus de Ugolanis, Alexander Schichinellus J. V. D. Vida Piſenattus, Petrus de Ripariis, Antonius Maria de Guazonibus, Pet. Antonius de Lanzonibus nuncupatus de Tolentinis, Orpheus de

A Motaris, Dionyſius Somentius etiam J. V. D. Alexander de Guazonibus, etiam J. V. D. Antonius de Riziis, litteris Latinis valde eruditus, Jo. Antonius de Honoratis excellens Theologus, & Camillus de Brinis. Et inſignes J. V. Doct. Paulus Æmilius Regius, Jo. Petrus, & Homobonus patruus, & nepos de Offredis, Jo. Franciſcus Perſichellus, Jo. Baptiſta Bonettus, Johannes Botta, Antonius Maria Paveſius, Jo. Baptiſta, & Franciſcus de Cautiis, Comes Pet. Martyr Ponzionus, & Ludovicus Aymus, ex Illuſtr. Senatoribus Regiis in hoc ſtatu Mediolani, Alexander Schichinellus Canonicus, ut præfertur, Jo. Jacobus Turreſinus, antiquitatum B Cremonenſium diligens ſcrutator, & peritus, Ludovicus Magius, Hieronymus Putheus eques, & Com. Palatinus, Jo. Baptiſta Goldonius, Sigiſmundus Foſſa, Jo. Clemens Schitius Eccleſiaſticus, & Protonotarius Apoſtolicus, & ex feudatariis Regiis, Jo. Baptiſta Laudius, Hieronymus Fondulus, Franciſcus Tinctus, Vincentius Maynoldus, Jo. Baptiſta Picenardus, Petrus, & Jo. Petrus Ænobarbi, Julius Bagarottus, Antonius Beleſellus, Julius Turrianus, Jacobus Maynoldus Galaratus filius inſignis etiam J. C. Jo. Baptiſtæ Maynoldi, & Hiſtoriographus excellens, & qui compoſuit opus elegans Latino ſermone de Regnis, & Dominiis, Titulis, & Dignitatibus Sereniſſ. Regis Hiſpaniæ, C Vincentius Hoſcaſalis, Ordaurus Maynoldus, Jo. Bap. Sucius, Claudius Burgius, & Horatius Riparius. Et excellentes Artium & Medicinæ Doctores, Jo. Baptiſta Machaneus quondam Hieronymi, etiam Artium & Medicinæ Doct. Thomas Somentius, Franciſcus, & Hieronymus pater, & filius de Paulis nuncupati de Tarteſiis, Hieronymus Maynoldus, Cæſar Chizolus, Auguſtinus Pelitius, Iſidorus Picenardus quond. Jo. Baptiſtæ etiam Artium & Medicinæ doctoris, Sebaſtianus Berſanus, Benedictus de Comitibus, Sigiſmundus Brumanus degens in urbe, Vincentius de Aymis, Vincentius Bagarottus, Gulielmus Lupus, & Horatius Pa- D ternus. Et periti in arte Chirurgiæ, Franciſcus de Albergonibus, nuncupatus Batalia, & Benedictus de Machis. Et inſignes in re militari, Jo. Baptiſta Summus, & Carolus Ciria, ex Vice-Præfectis turmarum equeſtrium Italorum, Cæſar Trechus, ex Vexilliferis unius earum, Gaſpar Oxius, olim etiam Vice-Præfectus unius ex ipſis Turmis, Nicolaus Burgius, Jo. Baptiſta & Thomas fratres de Perſichello, Jo. Baptiſta & Gabriel fratres de Mutio, Vincentius Drizona, Jo. Jacobus Gonzaga, etiam ex Rev. Equitibus divi Stephani, Jo. Angelus Galaratus, Jo. Petrus Marianus, & Gaſpar Strata, tribuni cohortium pedeſtrium etiam Italorum Regis Hi- E ſpaniæ. Et celebres Rhetores, Grammatici, & litteris humanitatis eruditi, Franciſcus Zava, cujus duo *Epiſtolarum*, *Orationum*, & *Carminum* volumina jampridem edita leguntur, & qui, dum litteris ſæpe à Cremenſibus evocatus, tandem honeſtæ conditioni à triumviris ibi precibus expugnatus ceſſerit, quinquennio, quo ſecum conveniſſet, vix peracto, eis dimiſſis ingenti ſui deſiderio relicto apud ipſos omnes, in patriam, ne Cremonenſes ſuos omnino deſtituiſſe videretur, non multo ante illius adventum presbytero Rolando Cavagnino, clariſſimo etiam Rhetore, ac literis Grammaticalibus, & Humanitatis valde erudito, eaſque publice ac ære F communi ipſius Reip. ibi docente, & legente in ſui locum proximis comitiis illic Decurionum voce, & decreto ipſum munus honorarium illic civium ſuorum decore & utilitate ſuſtinet, & Matthæus Cattaneus ex Caſtroleonis, & qui dum annorum circiter quinque ex morbo variolarum amiſerit aciem oculorum, & Baptiſta de Doſenna presbyter ſecularis, & grammaticalibus, & litteris humanitatis eruditus, avunculus ſuus ei legerit multa opera aucto-

ctorum, qui de ipsis scientiis scripserint, ex earum quotidiana lectione & intelligentia eas adeo commendavit & tenuit memoriæ, ut ipsas cum ad ætatem perfectam pervenerit, publice Cremonæ, & alibi docuerit, ac doceat miro stupore audientium & discipulorum, ex quibus multos eis erudivit. Romanus de Burgo, Alexander Lamus, & Cæsar Porta nullis secundi in pangendis rhythmis vulgaribus. Sofonisba Angusola, quam ob ejus miram scientiam picturæ & musices valde dilexit Elisabeth Valesia, tertia uxor Serenissimi Regis Hispaniæ, ut ibi penes eam se continuerit usque ad ipsius mortem, & dum decederet ejus filias sibi commendavit. Jo. Baptista Raymundus, clarissimus Mathematicus, ex patre Cremonense natus, & educatus Neapoli, & Romæ cognitus. Antonius de Campo, egregius pictor, per eum picta affabre tabula de situ Cremonæ patriæ suæ, & meæ, & totius ejus territorii antiqui citra & ultra flumen Padi secus eam labentis, & citra flumina Ollii & Abduæ, juxta ipsum territorium confluentia, ex eo insignibus oppidis & vicis, in ea tabula seriatim annotatis, ac composito opere materna lingua de principio & etiam situ ipsius civitatis, ejusque templi majoris, & aliorum templorum, & sacellorum divinorum, & monasteriorum, & de corporibus, ac membris, & reliquiis Sanctorum, quæ asserventur in eis, hospitalibus, confraternitatibus, societatibus, ac consortiis, baptisterio, turre eminentiori, & aliis turribus, ædibus sublimibus, palatiis, plateis, viis, arce, portis, mœniis, vallis, aggeribus, foveis, & aliis memorabilibus, & juris, insignibus, præsulibus, & dominis, pictis multorum ex eis simulacris, & ad amussim sculptis in eo opere una cum Carroccio [cujus icon habetur sup. col. 1289.] pro Cremon. & alii populi Galliæ Cisalpinæ, dum essent nulli subjecti, usi fuerunt in bellis, quæ invicem, & eorum factiones diversimode gesserunt diligenter, & ad amussim, & summus Pont. sibi data notitia de ipsa ejus doctrina pingendi & sculpendi, ipsum insignivit dignitate equestri Sedis Apostolicæ absque emolumento.

Et Respublica Cremonensium regitur consilio & auctoritate centum quinquaginta legitime electorum, & approbatorum per eorum supremum Principem, & inter quos sunt multi J. C. aliqui milites, & plurimi ex eorum primoribus, & ditioribus, & alii mediocris conditionis, & mercatores, & ex quibus centum quinquaginta, duodecim singulo mense præsunt regimini, ipsorumque centum quinquaginta munus durat donec vixerint, & aliquibus ex eis mortuis per reliquos datis suffragiis, & plerisque favorabilibus aliis surrogatis, & approbatis per Vicarium Reg. in statu Mediolanense, & singulo anno ante Cal. Januarias ex ipsis centum quinquaginta, per ipsos datis suffragiis, ut præfertur, electis per biennium Regulatore Ordinum cum duobus Dictatoribus ex hon. Collegio Notariorum ipsius civitatis, & Commissario, & sex Conservatoribus Patrimonii ipsius Reipub. quibus sint duo Rationatores, qui annis proximis fuerint Dictatores, & etiam Commissario & aliis sex ad conservationem, & instaurationem, ac decorem stratarum tam civitatis, quam ejus territorii, & pontium super eis constructorum, & aliis duobus palatiorum ejusdem Reip. & per annum aliis sex officialibus cum Vicario Provisionum J. C. ad providendum, ut ea, quæ venduntur ad esum & usum incolarum ipsius civitatis, ejusque territorii ibidem vendantur pretio, pondere, & mensura justis, & condecentibus, & nec per eorum venditores, & aliquos negociatores, opifices, & artifices ibidem in eis venditionibus, & negociationibus, artificiis, & artibus committantur fraudes, & Oratore etiam J. C. qui biennio pro Republica ipsa resideat Mediolani penes Ill. Vicarium, & Excelsum Senatum, Mag. Quæstores, & alios Magistratus Regios ibi degentes, & ex eis Consiliariis, & quibuscunque aliis civibus Cremonensibus tamen circonspectis, & idoneis per biennium tribus præfectis Fabricæ Ecclesiæ Cathedralis ejusdem civitatis, & tribus Protectoribus carceratorum miserabilium, ac Commissario, & aliis sex ad conservationem Navigii publici ejusdem civitatis, & aliorum Aquæductuum tendentium ad irrigationem majoris partis agrorum ipsius territorii, & aliis sex, ac Commissario ad conservationem & instaurationem Aggerum constructorum adversus impetus fluminis Ollii & Abduæ, territorium ipsum circumlabentium, & Padi, & aliorum torrentium, & Dugalium illud territorium interlabentium, ne ibi agri, eorumque fructus ab illis inundentur, & suffocentur eis torrentibus, & Dugalibus excavatis & expurgatis congruis temporibus, & pontibus super eis constructis instauratis, & aliis constructis, & ad quodlibet eorum officiorum electo J. C. & per Regentes mensis Decembris uno ex Notariis ducentum octuaginta ejusdem Collegii, & ex eis idoneis octo per biennium ad examinandum testes producendos per collitigantes in causis ordinariis, & civilibus, coram ibi jusdicentibus vertentibus, ex quibus unus confidens eorum collitigantium incumbat ipsi examini. Et per annum ad regimen hospitalis ibi Pietatis, inter quos sint quatuor J. C. & ex eis sexdecim quatuor singulis tribus mensibus præsint ipsi regimini cum Conservatore ordinum ejusdem hospitalis, & duobus Notariis etiam memorati collegii.

Residentibus in ea civitate nomine Sereniss. Regis Hispaniæ, ac Ducis Mediolani, & Domini ipsius civitatis, viro militari ad regimen, & custodiam ipsius civitatis, & ibi arcis, & etiam per biennium Prætore, ex Senatoribus ejusdem Regis J. C. ad dicendum jus ibi incolis in causis civilibus, & criminalibus, & etiam ad ipsum regimen, cum duobus etiam J. C. secum conductis, uno ad dicendum jus in causis civilibus, & altero in causis criminalibus, ac Referendario in causis datiariis, & ærarii Regis, & Commissario taxarum equorum mortuorum ejusdem territorii in causis eorum onerum, & ambobus togæ brevis, & nomine Reverendiss. ibi Episcopi ejus Vicario etiam J. C. ad dicendum jus ibi in causis Ecclesiasticis, & nomine Mercatorum, ac negotiatorum, & opificum, & artificum, tribus ex eis electis Consulibus ad dicendum jus in causis, & negotiis ipsis mercantilibus, singulis sex mensibus. Et ex Mag. Decurionibus, & optimatibus Cremonensibus conservatoribus Patrimonii publici ipsius civitatis Homobono Offredo J. C. Petro Francisco Hoscasale, Johanne Schitio, Romano Burgio, Jo. Baptista Rastello, Hieronymo Foliata, & Commissario Carolo Ponzono. Conservatoribus Victuarium Francisco Cautio J. C. Vicario Provisionum, Thoma Ripa, Rocco Flameno, Antonio de Magistris, Carolo de Paterno, Pet. Aloysio Foliata, & Mercurio Manara. Protectoribus carceratorum Claudio Burgio J. C. Jo. Baptista Sfondrato, & Carolo Cambiago. Præfectis Fabricæ Ecclesiæ cathedralis Jacobo Maynoldo Galarato J. C. Antonio Piscio, & Octaviano Canturio, ex quorum ordine, ac sumptu ipsius Fabricæ constructa multa fuerunt ad perpetuum ornamentum ipsius Ecclesiæ, eo Canturio filio Jo. Francisci unius ex Decurionibus ejusdem civitatis ex familia antiqua, ac notabili, & ex qua anno 1138. fuit ex Canonicis ibi ecclesiæ cathedralis Adamus, & annis 1158. & 1163. fuerunt ex Consulibus Cremonæ, dum nulli supposita foret, Ambrosiottus, & Acerbus, deinde insequutus est Otho, qui vixit anno Domini circiter 1240. Conservatoribus Navigii & Aquæductuum, labentium per territorium Cremonense, ad irrigationem ma-

majoris partis ipsius, Julio Turriano J. C. Vincentio Stanga, Johanne Schitio, Antonio Piscio, Jo. Petro de Alla, Jacobo Bagarotto, & Commissario Ludovico Bonetto. Decoratoribus Jo. Baptista Sucio J. C. Vincentio Stanga, Maximiliano Piscio, Jo. Georgio Dato, Petro Fodrio, & Com. Ludovico Affaytato. Et Conservatoribus Palatiorum ipsius civitatis Jo. Francisco Summo, & Eliseo Botta. Et Conservatoribus Aggerum adversus flumina, & Dugalia labentia in idem territorium, Vincentio Maynoldo J. C. Jo. Baptista Persichello Capit. Carolo Schinchinello, Carolo, & Maximiliano ambobus de Madiis, & Jo. Andrea Bonetto, & Commissario Panevino de Panevinis. Et Conservatoribus Hospitalium Pietatis Jo. Baptista Cautio J. C. Hieronymo Putheo J. C. Equ. & Com. Petro Barbovo, & Jo. Baptista Sucio etiam J. C. Gabriele Mutio Capit. Paulo Botta Cap. & Carolo Cella, Jo. Francisco Capellano, Jo. Andrea Bonetto, & Jo. Georgio Dato, Gulpheramo de Gulpheramis, Eliseo Botta, & Franc. Bonsio, Pet. Aloysio Schaccha-

A baroccio, Bernardino Turriano, & Nicolao Regio. Et Conservatore ordinum ipsius civitatis Cæsare Pollitio. Thesaurario Jo. Andrea Bonetto. Et Oratore in civitate Mediolani Francisco Tincto etiam J. C. Et ad tollendum omne schisma, & sedandum aliquorum nimiam arrogantiam, prætendentium se scire ea, quæ nesciunt, & habere ea, quæ non habent, nec habere possunt, viderer rationem, & aliquibus darem causam invehendi in nomen, & hoc Compendium meum, in eo invitus apposui nomina, & cognomina quorumcunque Ecclesiasticorum, J. C. Physicorum, & Magistratuum ipsius civitatis, & cum præposuerim J. Conf. Physicis,

B reservata controversia inter eos vigente ob eorum præcedentiam, & cum huic Compendio apposuerim finem summo meo sumptu, & labore, gratias infinitas ago omnipotenti Deo, qui me interim conservarit, & quem rogo, ut ex sui gratia me conservet ab omni peccato, & quibuscunque invidis, & malignis.

F I N I S.

---

[1] TAVOLA DE CASTELLI, VILLE, E TERRE FEUDALI DEL CONTADO, E DIOCESI DI CREMONA, E PRIMA DEL CONTADO CREMONESE.



PER CHE non uscisse così ignudo questo disegno del Contado, Territorio, e Diocesi di Cremona, l'hò voluto accompagnare con la seguente Tavola de'Castelli, e Terre infeudate così alla medesima Città, come ad altri Signori, i quali hora le posseggono; Ne hò voluto tralasciare di dire, che'l circuito di questa Diocesi s'estende circa ducento miglia; Il Contado ubidiente, che concorre unitamente à pagare i carichi alla Camera Regia, e Ducale, contiene CCLXIII. Terre grosse, & ville, che si chiamano Commune, & cinque altre ve ne sono, che si chiamano separate, cioè Picighitone, Soncino, Casalmaggiore, Castellione, e Fontanella; In tutto questo Contado ubidiente, e separato si ritrovano un miglione, seicento, sette mila, e novecento trentaotto pertiche, e quattro tavole di terre lavorabili, le quali sono compartite a dette Commune; Contiene etiandio il Paese della Calzana, che è esente da tutti i carichi, & vi sono pertiche quarant'una mila seicento novantasei, & tavole quattordeci di terre, come ne appare nel Libro di Giovannino Muccio Agrimensore publico di Cremona. Nell'istesso Contado sono cinque luoghi sottoposti in Spirituale al Vescovo di Bergamo, cioè Paderno, Fengo, Farfengo, Luignano, & Ossolaro, e perche forsi un giorno mi verra l'occasione di parlarne più diffusamente, per hora non ne dirò altro: ma metterò solamente le Terre Feudali, che sono le seguenti.

DELLA COMMUNITA DI CREMONA.

Casalmorano.
Castelletto Cellano.
Dossi de'Frati.
Viticeto.
Gurada.

D'ALFONSO MARCHESE DEL VASTO.

Casalmaggiore Terra nobile, & grossa.
Castellione Terra cinta de mura con una Rocca.

DI MASSIMIGLIANO STAMPA MARCHESE.

Soncino nobiliss. Castello.
Rivolta Secca Castello.

DI FILIPPO MARCHESE, ET HIPPOLITO FRATELLI CONTI DEL MAINO.

GASPARE CONTE DEL MAINO.

Azzanello.
Borgo novo de Capelli.
Barzaniga.
Bordolano.
Campagnola.
Cignone.
Corte de Cortesi.
Robecco.
S. Martino in Beliseto.

DI LODOVICO AFFAITATO CONTE.

Romanengo, ove è una assai bella Rocca.
Fiesco.
Crumello.
Salvirola.
Casalecchio di sopra.
Ronco Todeschino.

DI LODOVICO BERGAMINO CONTE.

S. Giovanni in Croce, Terra grossa.
Gussola.
Gattarolo Capellino.
Recorsano.
Solarolo Rainero.
Tornada.
Breda Guazzona.
Bellona.
Cà di Pedroni.
Cà de Bonavoglia.
Cà d'Andrea.
Casa nova de gli Offredi.
Caprile.

1 Hancce Tabulam ex Ant. Campi *Hist. Cremon.* hic adjecimus, ut & res notabiles, inscriptiones, effigies illustrium Virorum, quas per totum Opus suis locis inseruimus.

Derovere.
Martignana.
DI PAOLO SFONDRATO BARONE.
Trigolo Terra grossa.
DI GIO. GALEAZZO PONZONE CONTE, PRIMICERIO DI CREMONA, DOTTORE, ET PROTONOT. APOST.
PIETRO MARTIRE SENATORE, HORA REGENTE DELLO STATO DI MILANO PRESSO S. M. CATHOLICA.
NICOLO, SIGISMONDO FRATELLI CONTI PONZONI, ET ANTONIO PONZONE CONTE.
Il Castelletto de Ponzoni.
Scandolara ripa di Pò.
Ravera.
S. Martino del Laco.
S. Lorenzo Aroldi.
Cornale.
Cà de Soresini.
Casalorcio.
Caruberto.
Casalecchio.
Villa de Talamazzi.
S. Faustino.
DI VINCENZO GONZAGA PRINCIPE DI MANTOVA.
DI NICOLO GAMBARA CONTE.
DI SCIPIONE, ANNIBALE, GIO. FRANCESCO, ET LUCRETIO FRATELLI DE GAMBARA CONTI.
Vescovato.
DI GIO. BATTISTA STANGA CONTE.
Castel nuovo bocca d'Adda.
DI GIO. CLEMENTE DOTTORE, ET PROTONOTARIO APOSTOLICO, BERNARDINO, RAFAELLO, CARLO, ET LODOVICO FRATELLI DI SCHIZZI.
Castel Didone.
DI CAMILLO BARBVO.
Soresina Terra grossissima, ove sono meglio di xv. mila anime.
DI GIO. BATTISTA CASTALDO.
Piadena.
Calvatone.
Drizzona.
Castel Franco.
Colombarolo.
S. Giacomo dell'Oppio.
S. Paolo ripa d'Ollio.
Voltido.
DI GIO. BATTISTA DE MARINI.
Scandolara ripa d'Ollio.
Bina nuova.
DI ERMES BENTIVOGLIO.
Covo Castello.
DI CORNELIO, E FRATELLI BENTIVOGLI.
Antignate.
DI VINCENZO SECCO.
CESARE, CAMILLO, GEORGIO, ET MASSIMIGLIANO FRATELLI DE SECCHI.
SOCINO DOTTOR DI LEGGE, ET MARC' ANTONIO FRATELLI DE SECCHI DI ARAGONA, E MOLTI ALTRI DELL'ISTESSA FAMIGLIA DE SECCHI.
Calzo.
TERRE FEVDALI DELLA DIOCESI DI CREMONA NEL MILANESE.
DI MVTIO SFORZA MARCHESE.
Caravaggio nobiliss. Castello cinto di mura.
Misano. Vidalengo.
Calvisano. Cassirate.
Arzago.
DI GIROLAMO BONELLO MARCHESE, NIPOTE DI PIO V. DI S. MEM. E FRATELLO DEL CARDINALE ALESSANDRINO.
Cassano.
DE SIGNORI VISCONTI.
Brignano.
DI RINALDO D'ADDA.
Pandino.
TERRE FEVDALI DELLA DIOCESI DI CREMONA NEL PARMIGIANO OLTRE IL PO.
DI SFORZA MARCHESE PALLAVICINO.
Bussèto Città per privilegio di Papa Paolo Terzo, & di Carlo V. Imper.
S. Agata. Mercore.
Cignone. Bresano.
Vidalengo. Frascarvolo.
Soarza. Bastida.
S. Rocco. Castelvetro.
S. Andrea.
DEL SVDETTO SFORZA, ET DI MICHELE CASALE.
Monticelli Terra grossa con la Rocca.
DEL SUDETTO MICHELE CASALE.
Olza.
Fogorale. S. Giuliano.
Castelletto. S. Pietro.
DI GIVLIO RANGONE MARCHESE.
Gibello Castello.
Pieve d'Altavilla.
Reggazzuola.
Stagno.
S. Croce.
CASTELLI, E TERRE FEVDALI DELLA DIOCESI DI CREMONA NEL MANTOVANO.
DI GUGLIELMO GONZAGA DUCA DI MANTOVA.
Viadana Terra popolata, che si si può agguagliare al alcuna Città d'Italia.
Cavallara.
Cogozzo.
Cigognara.
S. Martino.
S. Matteo.
Portiolo.
Coreggio verde.
Cazzuolo Castello.
Belforte.
Dossolo.
DI VESPASIANO GONZAGA DVCA DI SABIONEDA.
Sabioneda Fortezza belliss.
Bozzolo Terra nobile con una bellissima Rocca.
Rivarolo di fuori.
Breda. Cividale.
Ponterra. Comesazzo.
DI SCIPIONE, E FERRANTE FRATELLI GONZAGHI.
S. Martino dell'Argine.
Isola Dovaresa.
DI GIVLIO CESARE GONZAGA.
Pomponesco.
TERRE FEVDALI DELLA DIOCESI DI CREMONA NEL BRESCIANO OLTRE L'OLLIO.
DI GIVLIO, VENCISLAO, E MALATESTA MARTINENGHI CONTI.
Vrago.

F I N I S.




VMBERTI LOCATI,

P L A C E N T I N I,

D E

PLACENTINAE VRBIS ORIGINE, SVCCESSV, ET LAVDIBVS,

S E R I O S A   N A R R A T I O.



ILLVSTRI, AC REVERENDO DOMINO,

D. CHRISTOPHORO
COMITI SCOTO,
ET REFERENDARIO APOSTOLICO,

VMBERTVS LOCATVS,
PLACENTINVS,

S. P. D.



XPALLESCENS facies, & quem mundum muliebrem vocarunt Antiqui, minus decens corporis cultus, atque cui innitatur haud neglectæ conditionis vir, familiariumque concomitantium turba, quatuor hæc, illustris ac mi observandissime CHRISTOPHORE, in publicum ire, nobiliorem mulierem impedire cum noverimus, mirum non est, si jamdudum Augustæ huic nostræ Placentiæ adversis hactenus repressæ fortunis latebras exuere non licuit. Nosti enim hinc factionum contentionibus versatam, & depravatam, Civium discordiis informem olim redditam, & hinc inde variis exhaustam casibus inanissimam, fere nullis adauctam præsidiis, nulloque suffultam patrocinio conspectum subterfugisse. At nunc meliori probe spei restituta, & sereniori collustrata fulgore, Octavii Farnesii innixa, atque protecta præsidio, quia egressum tentat. Adsis, rogo, & una cum Nicolao, Carolo, & Paulo Æmilio germanis, ac tota illustri Scotorum familia, quam vestrum studiosissimam semper & uberrimam nostis, in publicum nunc prodire volentem, illam conhonestantes, tueamini.

ISIDORI PICENARDI,
MEDICI PHYSICI CREMON.

IN LAVDEM

VMBERTI LOCATI,
PLACENTINI,

EXASTICON.

DET *tibi perpetuas,* VMBERTE, *Placentia laudes,*
Semper & exsultet Nomine læta tuo.
Tu nanque antiquæ repetis primordia gentis,
Quam sit Marte potens, consilioque gravis.
Semideam memoras prolem, facta inclyta narras:
Magnus es hac patria, magnus & eloquio.

EJUSDEM DISTICHON.

Νίκας ὄφρα Λόκατ᾽ ἄνδρον, πάτριόν τε τρόπαιον
Συντάτῃ, τιθέσαι σοὶ χάριν ευθα πατρίς.

VMBER-

VMBERTI LOCATI,
PLACENTINI,
DE
PLACENTINAE VRBIS
ORIGINE, SVCCESSV,
ET LAVDIBVS,
SERIOSA NARRATIO.

ZARDINVS, LOCATVS, ET LILIATA, INTERLOCVTORES.



ALVERE te jubeo, Locate mi colende, quid agitur? C

Loc. Ecquid? nosti jam, & me percunctaris? sed salvus & tu sis, Zardine mi; adventumque tuum fortunet Deus Opt. Max. mihi opportunum & pergratum.

Zar. Ergo hac etiam hora studiosis infesta (licet te & studio, rebusque gravibus apprime intentum semper noverim) studes & maceraris?

Loc. Illius Ennii nequaquam immemor, *ocio, qui uti nescit, plus negocii habet, quam cum est negocium in negocio*, hic omnes meas curas locavi. D

Zar. Sed quid post te (citra utriusque offensam) Liliatam illam intueor? suspicarer sane quid te indignum, nisi tuam & vitæ & animi integritatem nossem, perspectamque haberem. Sed quid (si dici licet, & fas est) hîc negocii habet?

Loc. Tua quippe longe falsus sum oratione; alio enim hanc sententiam directurum te existimabam.

Zar. Nil te viro prudenti, & integro unquam alienum novi: tamen jam sexagenarium minus hujusmodi consortio egere putabam.

Loc. Recte quidem sentis, si Elysiis me non delectari colloquiis censeas, & æqui bonique Liliatam consulas. E

Zar. Quid autem ad hoc mutuum vos & tacitum colloquium, velut ad mysterium, pellexit?

Loc. Mutuus inter nos amor. Sed ne tantum primo Liliatæ cum sene speciem mireris: nam plurimum hæc distat à μονωδίοις, altiusque nescio quid explicat, quo factum est, ut naturæ ductu, eoque, qui Genutium Cippum exsulare induxit, affectu huc eam mecum seduxerim.

Zar. Scotica sane responsione uteris, minusque de re me clarum facis. Sed Liliatæ hujusce quæso (si licet) nomen edicito. F

Loc. Adest ipsa minime sermonis expers: de se ipsa loquatur.

Lil. Hei.

Zar. Neutri quidem vestrum molestus esse vellem, minusque à vestris vos seriis, & colloquiis, gravibusque negociis avocare.

Loc. Immo pergratum nobis feceris, si hic nobiscum paulisper commoraberis: sed mirum, quia Liliatam, quam in dies vides, & tantopere observas, non noveris. Age autem tu, Liliata, te Zardino nostro indices.

Lil. Puderet quidem de me loqui, nisi utrunque vestrum jam inde fere à primis incunabulis novissem.

Zar. Quid altius hæc repetit?

Lil. Ego illa tot casibus acta, & ærumnis & calamitatibus fere pessundata, toties direpta, afflicta, exhausta, & demum flagris pene, cladibusque ad interitum affecta, quæ te & seniorem hunc jamdudum alui & educavi, nomine olim Trivia, ac Valeria, mox Augusta, & Placentia, nunc vero jure quodam meo Liliatæ nomen mihi vendicare possum.

Zar. O festum diem, quo te cum seniore nunc inveni; de te jamdiu audire satagebam. Sed à quo potius, quam à te ipsa exoptem? & quamobrem incommodis illis agitatam, & à quibus ea tuleris, mihi velim, dicas.

Lil. Hei mihi! infandum mihi prope jubes renovare dolorem; namque animus meminisse horret, luctuque refugit; sed, cum tantus amor moveat te, & cura remordet, expediam paucis. Jam inde à secundo, tertioque Gallorum in Italiam transitu, & miseriis, & calamitatibus objecta & obnoxia fui, exhausto mihi primo à Gallis sanguine, mox Gothorum iniqua direptione expilata, Longobardis vi sede deturbata fui. Post Germanorum imperio vix surrepta, medullis jam prope exhaustis Vicecomitibus subacta, & Sfortianis dudum infeliciter succubui; & civium importunioribus factionibus iterum atque iterum eviscerata, vix tantillum mihi spiritus & vocis superfuit.

Zar. Incommode quidem tecum & prave actum est, (ut asseris) multis tamen te decoratam insigniis & ornamentis audio.

Lil. Siquidem (ut audisti) ea hinc inde tuli: jacentem tamen, & pene silvestrem equum in campum à Latinis è collibus traductam erexere primo Romani, Barbarisque hinc expulsis, ac deducta bis colonia illustravere. Pontificibus deinde illis rerum dominis & vallo, & aggere munita, mox turritis mœnibus circumvallata, plurimis privatim mihi, civibusque meis irrogatis legibus foveor & illustror.

Zar. Hoc mirabar quod te ab omnibus pessundatam, ab ipsis tantum Romanis illustratam cum dixeris, nil mali ab eis te passam recordaris.

Lil. Utique ni forte lupæ eorum forsan altricis insignibus dum cives meos honestare putarunt, ejus belluæ tantilla aviditate illos affecerint.

Zar. At quid Liliata hoc pallium gestas? vel unde tibi vendicasti?

LIL. An modo adhuc florentem liliis fragrantemque Farnesiorum domum nosti? Quod vides, ignoras? Hæc me liliato induit pallio, meque cunctis nunc immunem perturbationibus & liberam virenti hoc lilio fragrantem servat, fovet, & hostibus procul abactis Octavio Principe pace plusquam octaviana munitam tutatur & illustrat.

ZAR. Jam te propemodum cæteris feliciorem admiror & gaudeo; sed unde tot tibi venerunt ornamenta & insignia?

LIL. Jam te admodum mei studiosum video: sed ne diutius tot te detineam verbis, cætera sub hoc pallio legas.

QVIA de Placentinorum, eorumque civitatis vetustate quanto magis convenire, tanto de ejusdem urbis nomine & conditoribus dissentire Chronicorum indagatores invenimus, operæ pretium duximus, quo posteri de utroque reddantur certiores, etsi lepore minus redolenti, breviori tamen eloquio, quæ de tam observanda re apud dignitate præditos auctores invenimus, in unum colligere. Titi siquidem Livii, Polybii, Pædiani, Taciti, Blondi, Platinæ, Ricobaldi, Corii, Bentii, & Ripaltæ lychnos secuti, Scoticos errores cautius vitare curabimus. Et primo teste Ricobaldo Ferrariense cum jam per annos fere centum triginta diversis sub Regibus Orientales, qui Indi primo, mox à quo suis in sacrificiis plurimum utebantur thure (ii pro Deo ignem habebant) Tusci à vicinis nominati fuerunt, auream aliàs Padanam vallem possedissent, à supervenientibus Italorum profugorum & Gallorum copiis (ad trecenta namque hominum millia horum exercitus adscendebat) vi armorum coacti in illam Italiæ partem, quæ nunc Hetruria dicitur, ultra Apenninum se retraxerunt. De his Titus Livius *lib.* I. *quintæ Decad. Eam gentem*, inquit, *traditur fama, dulcedine frugum, maximaque vini nova tum voluptate captam, Alpes transisse, agrosque ab Hetruscis ante cultos possedisse, & invexisse in Galliam vinum illiciendæ gentis causa.* Et post pauca: *Equidem haud abnuerim Clusium Gallos ab Arunte, seu quo alio Gallo, adductos, sed eos, qui oppugnaverunt Clusium, non fuisse, qui primi Alpes transierunt.* Hæc Titus Livius. Galli igitur potiti victoria à se occupatam regionem tria in Regna diviserunt, quorum Melampus cum tenuisset primum ejus caput, Melampium à nomine proprio nominavit, Mediolanum post dictum.

Secundum Regnum, quod ex Trivirensi Gallia oriundum erat, Triverius cum obtinuisset ultra Padum amœnissima in planicie civitatem exstruens, illam simul cum prope labente fluvio Triviam ex suo nomine syncopate vocari jussit; hæc Placentia infra nominabitur.

Tertium Regnum Adrianus juxta maris superi littora tenens urbem fundavit, Adriamque ex suo nomine cum appellasset, sinui quoque illi nomen indidit.

Audientes autem ex quorum semine Tusci traxerant originem reliqui Orientales, suos valle Padana expulsos ingenti cum armatorum multitudine in Italiam acti Gallos dominio dejiciunt, humilioribusque cum priorum incolarum reliquiis intactis Duces, & ejus gentis Primores vel occidunt, vel in fugam vertunt. Mœnibus deinde urbium à Gallis constructarum penitus demolitis novas novis nominibus insignitas urbes erigunt. Horum Rex Mezentius Tuscis, Liguribus, Picentibus, & Alemanis sibi colligatis per annos quadraginta, quibus regnavit, Gallos taliter est insecutus, ut ne ad suos, qui ad Italiam vini ardore semper inhiabant, qui citra montes remanserant, accessus haberent, asperrimis in locis quamplures Arces erexit. Eo mortuo, qui successerant in regno, ejus septem filii sibi ipsis diademata imponentes, in septem ex pri-

A moribus civitatibus regnaverunt, fueruntque Aquilegia, Adria, Brixia, Mediolanum, Trivia, Rhenia, & Ravenna. Quorum Principum nomina dicta sunt Amirdac, Phasel, Leud, Malmen, Bulzac, Regath, & Pharphar.

POST multum vero temporis fama Italicarum discordiarum inter Padanos maxime & Tuscos ortarum, Gallos iterum in Italiam attraxit. Per Taurinos enim saltusque Juliæ Alpis transcenderunt, (ait Titus Livius) fusisque acie Tuscis haud procul Ticino fl. consederunt. Horum Dux Bellovesus fuit. Pado deinde ratibus trajecto non He[...] [T]uscos modo, sed etiam Umbros agro pellunt; intra Apenninum tamen

B sese tenuere. Bojus horum Regulus in dextera Padi fl. Regni sedem sibi constituens ex suo nomine Boicam Galliam regionem vocari voluit.

Anno quinquagesimo septimo post Æneæ senioris mortem Æneas junior, aliàs Sylvius, maximo cum belli apparatu Patavium profectus de expugnanda superiori parte vallis Padanæ cum Antenoris successoribus optime convenit; acceptoque ab eis suffragio improvisos Gallos aggreditur, ac eorum Regibus expugnatis Mediolano potitur, trajectisque Pado copiis, quæ nunc Placentia dicitur, tum ad montium radices sitam Triviam, ubi Trivia fl. finem facit, secus Padum fl. transtulit, at-

C que ob loci complacentiam, non Triviam amplius, sed Placentiam eam vocari voluit. Et, quo nova civitas habitatore citius abundaret, quos potuit ex dispersorum reliquiis hinc inde revocatis urbem colere jussit. Regnavitque per successores suos usque ad Brenni Galli adventum.

QVI à Placentulo Trojano Dehelboræ Israelitarum Judicis tempore Placentiam fundatam asserit Bentius Alexandrinus, vero tanto minus adhærere videretur, quanto inter Trojæ ruinam, ipsamque Dehelboram annos circiter centum quinquaginta intercessisse pro certo habetur; tot annis enim Dehelbora Trojæ destructionem præcessit. Minus er-

D rare videntur, qui à loco, ubi primo sita dicebatur Valeriam illam appellatam fuisse autumant, cum locus ipse idem nomen nostris etiam temporibus retineat; nam ab exteris Trivia, ab incolis Aboriginibus Valeria dici potuit. Augustæ nomen ab Augusto Duce illam sortitam fuisse aliqui dicunt. Nos autem auctoribus innixi, qui à fonte quodam Augustam eam nominatam asserunt, opinamur ab augurali fonte, juxta quem translata fuit, illam id nominis obtinuisse; Ethnicorum enim moris fuit etiam in fontibus ab avium volatu, sive garritu, suscipere auguria, sicque ab auguriis Augusta dicta præsumitur. Cætera ejus Vrbis, si quæ invenian-

E tur, nomina fictitia & fabulosa videntur.

An. ab Urbe condita trecentesimo sexagesimo quarto, vel circa, Galli maximo cum exercitu Brenno Duce in Italiam irruentes totam Vallem Padanam tertio occupaverunt, fugatisque qui ex Trojanorum sanguine descenderant Ducibus, Galliam Cisalpinam eam regionem vocari voluerunt; nec montium finibus contenti superato Apennino Tusciam invaserunt, ibique Senas construxerunt. Hi sunt, qui fusis ad Aliam fl. Romanorum copiis Romam profecti Urbem incenderunt. Hæc Ricobaldus Ferrariensis de origine urbium Italiæ. Horum Gallorum dominio per annos circiter centum

F sexaginta octo fuit subjecta Placentia.

An. ab Urbe condita quingentesimo trigesimo secundo M. Cl. Marcello, & Gn. Cornelio Consulibus, subactis reliquis Italiæ partibus Marcellus ultra Apenninum copias duxit, trajectoque Pado fl. cum Gallis conflixit; quo in prælio interfectis ex hostibus cum Viridomaro eorum Rege triginta millibus, superiorem Vallis Padanæ partem obtinuit. Nam ejus Regionis Galli fere omnes, deditis cum Mediolano eorum capite oppidis omnibus, Romanorum

norum præsidium receperunt; Marcellus primis habitatoribus Romam missis novas colonias ultra citraque misit.

An. igitur ab Urbe condita quingentesimo trigesimo quinto M. Livio, & L. Æmilio Paulo Consulibus, teste Livio *lib.* I. *Dec.* III. Placentia, & Cremona coloniæ deductæ fuerunt, sed secundum Asconium Pædianum P. Cornelio Scipione patre Africani, & T. Sempronio Longo Coss. *Video*, inquit Asconius, *in Annalibus eorum, qui Punicum bellum secundum scripserunt, tradi, Placentiam coloniam deductam prid. Kal. Januarii, primo anno ejus belli P. Cornelio Scipione patre Africani, & T. Sempronio Longo Coss. Neque illud dici potest, sic eam coloniam esse deductam, quemadmodum post plures ætates Cn. Pompejus Strabo pater Pompeji Magni Transpadanas colonias deduxerit; Pompejus enim non novis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod cæteræ Latinæ coloniæ, id est, ut petendi magistratus gratia Civitatem Romanam adipiscerentur. Placentiam autem sex millia hominum novi coloni deducti sunt, in quibus equites deducendi fuit causa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant. Deduxerunt Triumviri P. Cornelius Asina, P. Papirius Maso, Cn. Pompejus, sive C. Cornelius Scipio, eamque coloniam, quinquagesimam tertiam deductam esse invenimus.* Hæc Asconius in *Oratione in Pisonem.* De hac colonia ait Polybius *lib.* III. *Hist.* suntque verba Tit. Livii ubi supra: *Dum Romæ scribuntur milites, classisque, & commeatus, ac cætera ad transfretationem necessaria parantur, omni studio ad perficiendas colonias incumbunt, quas circa Padum in Gallia nuper inchoaverant, jam ædificata erant oppida, oppidanis, ut intra triginta dierum spatium adessent, mandata decreta singulis coloniis sex millia hominum. Quæ citra Padum ædificata Placentia, quæ ultra Cremona appellata. Eam rem graviter & iniquo animo ferentes Boji, nec veterum irarum immemores, ubi Carthaginiensium adventum habuerunt, à Romanis defecere, dimissis obsidibus, quos superiori bello, sicuti memoravimus, dederant, arreptis armis, & ad id ipsum sollicitatis Insubribus tantum tumultum in agrum supradictis coloniis assignatum fecerunt, ut perterrita omnis multitudo una cum Triumviris Romanorum, qui ad dividendos agros venerant, diffisi mœnibus Placentiæ Mutinam confugerint.*

An. proximo P. Cornelio, & T. Sempronio Coss. quo tutius Annibali resisterent, Romani mira celeritate cum vicino Emporio Placentiam vallo & aggere muniri mandarunt, teste Cornelio Tacito *libro* XIX. de Cremona sic dicente.

An. ducentesimo octuagesimo sexto à primordio sui condita erat, T. Sempronio, & P. Cornelio Coss. ingruente in Italiam Annibale propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes; sunt qui dicant propugnaculum hoc murum à Pado fl. ad montes continuatum fuisse, & pro argumento habent incolæ nonnulla eodem tramite inventa fundamenta. Munita ergo propugnaculis Placentia Gn. Scipioni ad Ticinum ab Annibale fuso refugium fuit, Tit. Liv. *lib.* I. *Dec.* III. sic dicente; itaque proxima nocte jussis militibus vasa silentio colligere, castra à Ticino mota festinatumque ad Padum est, ut ratibus, quibus junxerat flumen, nondum resolutis sine tumultu atque insectatione hostis copias trajiceret. Prius Placentiam pervenere quam satis sciret Annibal ab Ticino profectos; quod enim inter Trebiam, Padumque agri est, Galli tunc incolebant, ait Tit. Livius ubi supra. Quicquid autem Romanorum virium cum utroque Consule Annibali oppositum ad Placentiam erat, aut illis copiis defendi posse Romanum Imperium, aut spem nullam esse aliam satis declarabat. Cæterum nec hiberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus passim Numidis equitibus, & quæ his

A impeditiora erant, Celtibus †, Lusitanisque. Omnes igitur clausi undique commeatus erant, nisi qua Pado naves subveherent. Emporium prope Placentiam fuit, & opere valido, & magno munitum præsidio; ejus castelli oppugnandi spe cum equitibus ac levi armatura profectus Annibal cum primum in celando incepto ad effectum spei habuisset, Emporium noctu adortus Annibal (ait Livius) non fefellit vigiles, repente tantus clamor est sublatus, ut Placentiæ quoque audiretur; mane cum equitatu Consul affuit, jussis quadrato agmine legionibus sequi; pugnatum est, &, quia Annibal saucius pugna excessit, pavore hostibus
B injecto defensum est præsidium. Paucos post dies vix dum satis procurato vulnere ad Vicumvias * ire pergit oppugnandas; id Emporium à Romanis Gallico bello fuerat munitum, inde locum frequentaverant accolæ mixti undique ex finitis † populis. Hujus generis multitudo fama tam impigre defensi ad Placentiam præsidii accensa armis arreptis obviam Annibali procedit, & cum ex altera parte nihil præter inconditam turbam esset, in altera, & Dux militi, & Duci fidens miles, ad triginta quinque millia hominum à paucis cæsa fuerunt. Postero die facta deditione præsidium Punicum intra mœnia acceperunt; mox jussi arma
C tradere, cum dicto paruissent omne inhumanæ superbiæ exemplum in miseros editum est, hæc Tit. Livius ubi supra.

Ab Annibale ad Trebiam fusi duo consulares exercitus, Scipio alter Consulum tacito agmine Placentiam exercitum perduxit, inde Pado trajectus Cremonam, ne duorum exercituum hibernis una colonia premeretur; ad prima Veris signa profectus ex hibernis (ait Tit. Liv.) in Hetruriam transiturus Annibal ab nivibus, glacie, & pluvia impeditus digresso Apennino retro ad Placentiam castra movit, & ad decem millia progressus novo cum Consule congreditur; pugna raro ulla
D magis sæva, & cum utriusque partis pernicie clarior fuisset, si extendi à die in longum spatium quivisset; nox accensum ingentibus animis prælium diremit.

Anno ab Urbe condita quingentesimo quadragesimo septimo Asdrubali fortissime restitisse civitatem Placentiam certum est, Tit. Liv. *lib.* VII. *Dec.* III. sic dicente: cæterum quantum Asdrubali militum celeritas, expeditiorque transitus muneris contulit, tantum mora ad Placentiam, dum tam frustra obsidet, oppugnatque, sibi nocuit, nam & facilem expugnationem esse, & magnum se injecturum cæteris terrorem ejus Urbis
E excidio credebat.

An. proximo Placentini & Cremonenses Romam ad Senatum mittunt Legatos quærentes, agrum suum ab accolis Gallis incursari, ac vastari, magnamque partem colonorum suorum dilapsam, & in frequentes se urbes recepisse, agrum vastatum & desertum habere. Consules C. Manlio Prætori colonias ab hoste tueri jusso ex senatusconsulto edixerunt, ut qui cives Placentini, aut Cremonenses essent, ante certum diem in suas colonias reverterentur.

An. quingentesimo quinquagesimo quarto Galli Insubres, Cænomani, & Boji excitis Saliis, I-
F luatibus, & cæteris Ligusticis populis Amilcare Pœno Duce (de Asdrubalis exercitu in his locis hic substiterat) Placentiam invaserunt, & direpta Urbe, ac per iram magna ex parte incensa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinasque relictis, trajecto Pado ad diripiendam Cremonam pergunt, sed suo desiderio fraudati à jam de re

† Reponendum, *Celtiberis.*
* Alii legunt, *Victumvias.*
† Lege, *finitimis.*

certioribus factis Cremonensibus, & supervenientibus ex Hetruria Romanis fusi, triginta quinque millia ex suis desideraverunt. Ex Placentinis captivi ad duo millia liberorum capitum redditi coloniis, hæc Tit. Liv. *lib.* I. *Dec.* IV. ubi & addit, ex duabus coloniis, quæ velut claustra ad cohibendos Gallicos tumultus oppositæ fuissent, cum una direpta & incensa esset, trajectumque id incendium velut ex continentibus tectis in tam propinquam coloniam esset, quid tandem L. Furio Provinciæ Prætori faciendum ex senatusconsulto est demandatum.

An. ab Urbe condita quingentesimo quinquagesimo septimo Cn. Cornelio omnium consensu decretus triumphus, & Placentini, Cremonensesque addiderunt favorem Consuli gratias agentes, commemorantesque obsidione se esse ab eo liberatos, plerosque etiam, cum apud hostes essent, servitute exceptos.

Cn. Cornelius de Insubribus, Cænomanisque in magistratu triumphavit, multa signa militaria tulit, multa Gallica spolia captivis carpentis transvexit, multi nobiles Galli ante currum traducti, inter quos quidam Amilcarem Ducem Pœnorum fuisse auctores sunt; cæterum magis in se convertit oculos Cremonensium, Placentinorumque colonorum turba pileatorum currum sequentium.

An. quingentesimo quinquagesimo nono L. Valerius Flaccus Cos. superatis ad Lythanam sylvam Bojis octo millibus ex eis interfectis, reliquum æstatis circa Padum Placentiæ & Cremonæ habuit, restituitque, quæ in iisdem oppidis bello diruta fuerant, hæc Tit. Liv. *lib.* III. *Dec.* IV.

An. ab Urbe condita quingentesimo sexagesimo tertio Placentinorum & Cremonensium Legatos L. Aurunculeus Prætor in Senatum introduxit; iis querentibus inopiam colonorum, aliis belli casibus, aliis morbo assumptis, quosdam accolarum Gallorum reliquisse colonias, decrevit Senatus, ut in supplementum eorum sex millia familiarum conscriberentur, quæ in eas colonias dividerentur, crearenturque ad eos deducendos ab L. Aurunculeo. Triumviri creati sunt, M. Attilius Seranus, L. Valerius filius, & Flaccus, L. Valerius C. filius, hæc Tit. Liv. ubi supra. Placentinos Cicero de se bene meritos in *Orationibus* vocat, quod pro reditu suo cum tota Italia certaverint; nec ultra apud antiquiores ac fide dignos auctores de Placentina Urbe quicquam memoria dignum invenientes, quæ ex modernioribus accurate haurire laboravimus, paulatim nunc propinare curabimus.

QVOT annis autem Gallis, à quibus Trivia, seu Valeria constructa est, subjecta fuerit Placentia, penitus ignoratur: sub Orientalibus autem fuit annos centum & quinquaginta: sub Gallis secundo annos circiter centum: sub Latinis, à quibus translata Placentiaque vocata, annos sexcentos sexaginta: sub Gallis tertio annos centum sexaginta: sub Romana Repub. annos centum septuaginta tres.

Ab oppressione Reipub. Romanæ per Julium Cæsarem diversis sub Imperatoribus quievit Placentia, usque ad Othonis & Vitellii tempora. Qui autem hos præcesserunt, imperaverunt ut infra.

C. Julius Cæsar imperavit per annos quattuor Tyrannide computata mensibus septem.

Octavianus Augustus Imperator creatus imperavit annos sex & quinquaginta, cujus Imperii anno quadragesimo secundo JESVS CHRISTVS Dominus noster natus est, à qua nativitate de cætero annos computabimus.

An. igitur post Christi nativitatem quinto decimo Tiberius Imperator post Octavianum imperavit annos tres & viginti.

An. 38. Caligula post Tiberium imperavit ann. tres, menses decem, & dies novem.

A An. 42. Claudius in Imperio succedens, imperavit annos tredecim, menses octo, dies 20.

An. 55. Nero Imperator creatus, imperavit annos quatuordecim.

An. 68. Galba Imperator factus, imperavit menses septem, & dies septem.

An. 70. Otho Salvius Neronis jam familiaris Galba per insidias interfecto inter tumultus & cædes Imperium occupat. Cum autem audisset Vitellium ab exercitu Imperatorem jam declaratum, se ei Imperii obtulit consortem; id cum non impetrasset, collectis undique copiis urbe egreditur, atque ad Brixillum ducit; inde ad Alpes B primum, mox circa Placentiam, deinde apud Castorem mediocriter, cum pugnasset, novissime apud Bebriacum fraude superatus tertio Imperii sui mense, & die quinto mortem sibi conscivit. Interim Spurina pro Othone Placentiam optimo cum milite tuebatur. Qui vero pro Vitellio rem agebat Cecinna Padum transgressus omnia consilia, curasque (ait Corn. Tacitus *lib.* XVIII.) in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit, sed primus dies impetu magis, quam veterani exercitus artibus transactus, aperti incautique muros subiere cibo vinoque prægraves. In eo certamine pulcherrimum Amphitheatri opus situm extra muros con- C flagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces, & gladios, ac missilem ignem in obsessos jacularentur, sive ab obsessis dum regerunt. Municipale vulgus pronum ad suspiciones fraude illata ignis alimenta credidit, à quibusdam è vicinis coloniis invidiæ æmulatione, quod nulla in Italia moles tam capax foret. Cæterum multo suorum cruore pulsus Cecinna, & nox parandis operibus assumpta. Vitelliani pluteos, cratesque, & vineas suffodiendis muris, protegendisque oppugnatoribus, Othoniani sudes, & immensas lapidum, ac plumbi, ærisque moles perfringendis operibus, obruendisque hostibus expediunt; utrinque pudor, utrin- D que gloria, & diversæ exhortationes: hinc legionum & Germanici exercitus robur: inde urbanæ militiæ & Prætoriarum cohortium decus attollentium. Illi ut segnem ac desidem, & Circo ac Theatris corruptum militem, hi peregrinum & externum increpabant: simul Othonem ac Vitellium celebrantes, culpantesque, uberioribus intenti * se probris, quam laudibus stimulabantur. Vix dum orto sole plena propugnatoribus †, fulgentes armis, virisque campi densum legionibus agmen, sparsa auxiliorum manus, altiora murorum sagittis aut saxis incessere, neglecta, aut ævo fluxa cominus aggredi; ingerunt desuper Othoniani pila, librato ma- E gis & certo ictu, truci & more patrio nudis corporibus super humeros scuta quatientium. Legionarius pluteis & cratibus tectus subruit muros, instruit aggerem, molitur portas: contra Prætoriani dispositos ad ipsum molares ingenti pondere ac fragore provolvunt: pars subeuntium obruti, pars confixi, & exsangues, aut laceri, cum augeret stragem trepidatio, eoque acrius è mœnibus vulnerarentur, rediere infracta partium fama. Et Cecinna fama & pudore cœptæ temere oppugnationis, ne irrisus ac vanus iisdem castris assideret, trajecto rursus Pado Cremonam petere intendit. Hæc Corn. Tacitus ubi supra. Vitellius igitur Imperio F potitus in omnem ingluviem, nequitiam, ac sævitiam prolapsus octavo Imperii sui mense, die quinto, superveniente Vespasiano captus, & religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo seminudus in forum tractus est: ibi stercore & cœno postquam est ludificatus, apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, demum unico cum fratre & filio in Tyberim projectus est. Placentia autem Ve-

* Restitue, *inter.*

† Vocabulum *mœnia* excidit.

spa-

ſpaſiano dedita ſub infra ſcriptis Imperatoribus optime quievit.

An. igitur poſt Chriſti adventum ſeptuageſimo Veſpaſianus interfecto Vitellio imperavit annos novem, menſes XI. & dies XXIV.

An. 80. Titus Veſpaſiani filius Imperator electus, imperavit ann. duos, menſes duos, dies XX.

An. 83. Domitianus Tito in Imperio ſuccedens, imperavit ann. XV. & dies VI.

An. 97. Nerva Imperator factus, imperavit annum unum, menſes quatuor, & dies novem.

An. 99. Trajanus Nervæ in Imperio ſuccedens, imperavit annos decem & novem, menſes IV. & dies XV.

An. 119. Adrianus Imperator electus, imperavit ann. XX. menſes X. & dies XXIX.

An. 139. Antoninus, cognomento Pius, Imperator electus, imperavit ann. duos & viginti, menſes ſeptem, & dies XXVI.

An. 162. Commodus & Marcus Antoninus fratres imperaverunt ann. decem & novem.

An. 183. L. Commodus Imperator creatus, imperavit ann. duodecim, menſes octo, & dies XV.

An. 194. Helvius Pertinax Imperator factus, imperavit menſes duos, dies XXVI.

An. 194. Severus Imperator electus, imperavit ann. XVII. menſes octo, & dies XXI.

An. 212. Caracalla Imperator electus, imperavit cum fratre annum unum, poſt mortem fratris ann. V. menſes tres, dies XXII. omnino imperavit ann. VI. menſes II. dies V.

An. 219. Macrinus factus Imperator, imperavit annum unum, menſes II. & dies III.

An. 220. eodem Marcus Aurelius Macrino in Imperio ſuccedens, imperavit ann. tres, menſes IX. dies IV.

An. 223. Alexander Imperator factus, imperavit ann. XIII. menſes VII. & dies XVII.

An. 236. Maximinus Imperator electus, imperavit ann. duos, menſes aliquot.

An. 239. Gordianus III. Imperator electus, imperavit annos ſex.

An. 245. Philippus Imperator creatus, imperavit annos quinque.

An. 250. Decius Imperator electus, imperavit per biennium, & menſes tres.

An. 252. Hoſtilianus Imperator factus, imperavit per duos annos.

An. 254. Valerianus & Galienus imperare cœperunt, infeliciterque imperaverunt ann. quindecim: nam horum ignavia ad declinationem Romanum Imperium impulit; Galieno nanque delitiis ac luxuriis Mediolanenſibus immerſo Tetricus in Galliis à militibus Imperator acclamatur: Romæ Decius, & Aſia Odenatus Imperii jura uſurparunt; Placentiaque à Germanis totam Italiam diripientibus haud mediocriter vexatur.

An. 269. Claudius, ejus nominis ſecundus, Imperator electus, imperavit annum unum, menſes X. & dies XV.

An. 271. Aurelianus Imperium adeptus, optime viriliterque imperavit ann. IV. menſ. XI. & dies VII.

An. 276. Tacitus Imperii ſui menſe ſexto, Florianus tertio occiditur.

An. 277. Probus Imperator electus, imperavit ann. quinque, & menſes quatuor.

An. 282. Carus Imperium adeptus, imperavit annum unum, & menſ. aliquot.

An. 284. Diocletianus Imperator creatus, imperavit ann. viginti; ſub hoc Imperatore immaniſſimo Placentina civitas macellum Chriſtianorum viſa eſt: nam (ut in ejus Urbis monimentis invenitur) quotquot Chriſtiani nominis profeſſores à Mutina ad Placentiam inventi, per ejus Imperato-
A ris ſicarios ad eam Urbem tracti eo, in quo Divæ Mariæ de Campania loco poſtea erectum fuit templum, decollati, ac in puteum, cujus in medio ejus templi veneratione digna adhuc exſtant veſtigia, projecti fuerunt.

An. 304. Diocletiano & Maximiano ſe Imperio abdicantibus Conſtantinus & Galienus † Imperatores facti imperaverunt ann. tres.

An. 307. Maxentius, & Maximianum patrem, & Diocletianum ad Imperii recuperationem induxit, quo in tumultu annorum undecim fuit interceſſio.

An. 322. Placentina Eccleſia Epiſcopum primum ab Euſebio Pontifice maximo, ex Roma Placentiam miſſum, Victorem nomine habuit. Hic per
B annos tres & quinquaginta ſibi creditam ſanctiſſime cum rexiſſet Eccleſiam, quod nunc ſancti Antonini dicitur, templum Divo Victori martyri erexit & conſecravit; nam & miraculis & prophetico ſpiritu claruit, in extremis nanque dum laboraret adſtantibus dixiſſe fertur, *poſt obitum meum in quod mihi paravi ſepulchrum me dignior eſt tumulandus*, quod rei probavit eventus: nam poſt aliquot annos (ut infra patebit) eo in tumulo per beatum Savinum Placentinum Epiſcopum Divi Antonini Martyris oſſa recondita fuerunt.

C An. 309. Conſtantinus Imperium adeptus, imperavit ann. triginta, ſub cujus Imperio cum tota Italia optime quievit Placentia.

An. 339. Conſtantius, Conſtans, & Conſtantinus diviſo Imperio unus alium inſequitur, tandem prævalens Conſtantius, imperavit ann. quatuor & viginti.

An. 359. & vigeſimo ſecundo imperii Conſtantii Damaſo Pontifice maximo ſedente Savinus, patria Romanus, Epiſcopus Placentinus electus, ſedit annos quinque & quadraginta. Hic extra mœnia civitatis monaſterium mirabili ſtructura ædificavit; cujus deſtructæ Eccleſiæ lapides & ligna poſtmo-
D dum per beatum Maurum Epiſcopum in baſilicam duodecim Apoſtolorum, nunc Sancti Raimundi, tranſlata fuerunt. Huic ſancto Epiſcopo Divi Antonini Martyris ſub Maximiano Imperatore paſſi jam longo tempore in puteo demerſum corpus revelatum cum fuiſſet, levavit, atque cum ſancti Victoris prædeceſſoris ſui corpore ſepelivit. Hæc Sanctorum reliquiæ anno 1563. inventæ, atque à clero & populo religioſiſſime adoratæ eodem in loco repoſitæ fuerunt.

An. 361. Julianus Apoſtata Imperium adeptus, imperavit per annos duos.

An. 363. Jovinianus Chriſtianiſſimus Imperator electus imperavit per menſes VII. & dies XXII.

E An. eodem Valentinianus Imperator creatus imperavit annos undecim, menſ. VIII. & dies XXII.

An. 365. Valens & Valentinianus ſimul imperaverunt ann. tres, menſ. IV. & dies XXVIII.

An. 375. Gratianus & Valentinianus ſimul imperaverunt annos ſex.

An. 379. Theodoſius Imperator factus imperavit ann. XVI. & dies XI.

An. 393. Arcadius & Honorius imperaverunt ſimul annos ſeptem.

An. 400. ſeptimo videlicet Imperii Arcadii & Honorii ab Innocentio Pontifice Maximo Maurus
F Lotharius Epiſcopus Placentinus confirmatus, ſedit annos novem & viginti, obiitque miraculis clarus, ſepultus in Eccleſia Divi Savini. Hic corpora beatorum Savini prædeceſſoris ſui, Euſebii, Donini, Victoris, Gelaſii, & Victoriæ in eadem Eccleſia ſepelivit. Per hæc tempora Gothis Alarico Rege totam Italiam vexantibus, Placentia pluſquam mediocriter afflicta fuit, ſed tandem conceſſa Gothis Aquitania, Italia quievit.

† Lege, *Galerius*.

An.

An. 430. Theodosius cum Honorio, hic in Occidente, alter in Oriente, imperavit ann. quatuordecim.

An. 444. qui in Imperio successit Constantius paucis diebus imperavit.

An. eodem Gothis Italiam vexantibus Valentinianus Imperator factus imperavit ann. xxx.

An. 450. Leone, ejus nominis primo, Pontifice Maximo sedente Florianus Episcopus Placentinus electus, Attila Italiam vexante, sedit annos novem.

An. 453. Maximianus, interfecto Valentiniano, Eudoxiaque Imperatrice violentis nuptiis sibi copulata conjugio, imperavit annos tres, quo ab Genserico interfecto Majorianus Imperator creatus imperavit annos tres.

An. 459. Anitus, patria Romanus, à Leone Pont. Max. Episcopus Placentinus creatus sedit ann. sex & viginti, sepultusque est in ecclesia sanctorum Victoris & Antonini. Hic (ut fertur) ab exercitu Imperator electus cum fuisset à Leone Imperatore Constantinopol. dejectus Episcopus Placentinus ordinatus fuit.

An. 461. Severianus Imperator electus, imperavit ann. tres. Hoc anno ab Alanis totam Cisalpinam Galliam vastantibus Placentia direpta fuit.

An. 467. Anthemius Imperator electus, Vandalis Italiam vexantibus, imperavit annos quinque & menses tres.

An. 472. Olybrius interfecto Anthemio per menses tres, & dies XIII. imperavit; cui successit Glycerius, qui & ipse annum unum, menses tres, & dies XXI. imperavit, biennio nanque variante fortuna horum Principum visæ sunt mutationes.

An. 475. Zenone Isaurico Constantinopoli imperante, Simplicio autem Pont. Max. sedente, Odoacer Herulorum Rex cum Turcilingorum & Scytharum multitudine Italiam occupat, Orestemque Augustuli, qui se pro Imperatore gerebat, patrem (Blondo teste) primo acie fusum, mox in Ticino obsessum, ac finaliter deditum, Placentiæ coram toto exercitu ense Regio obtruncari jussit: sub hoc Rege cum tota Italia fuit Placentina Civitas ann. quatuordecim.

An. 486. Odoacro regnante, & Simplicio Pont. Max. sedente, Placidus Episcopus Placentinus electus sedit ann. quinque & viginti, sepultusque est in ecclesia sanctorum Victoris & Antonini.

An. 494. ad expellendum ex Italia Odoacrum à Zenone Constantinop. Imperatore missus Theodoricus Ostrogothorum Rex Placentiam ad deditionem coegit, eamque tota cum Italia possedit per annos septem & triginta.

An. 511. Silvanus Episcopus Placentinus electus sedit annos unum & viginti, Symmacho Pont. Max. sedente, sepultusque est in ecclesia sanctorum Victoris & Antonini.

An. 529. Victiges Gothorum Rex creatus regnavit per annos quattuor, quo à Belisario pro Imperatore capto, & Constantinopolim transmisso, Heldelandum, Atalaricum, & Totilam, tres Gothorum Reges, uno anno civitas Placentina habuit. Horum tertius Totila dum pari feritate in totius Italiæ urbibus desævire contendit, Narses ab Imperatore Justiniano in Italiam missus maximam Galliæ Cisalpinæ partem recuperavit; & quas secum traxerat Longobardorum legiones, ut Placentinos ac Parmenses (hi in Gothorum fide perseverabant) infestarent, apud Brixillum locavit.

An. 533. Joannes Episcopus Placentinus electus, sedente Felice, ejus nominis tertio, Pont. Max. & Justiniano imperante, sedit ann. viginti, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. 552. Totila Gothorum Rege à Narsete interfecto, regnavit pro eo Tejas, fuitque Placentia

A sub hoc Rege usque ad ejus gentis recessum ex Italia per annos circiter decem.

An. 554. Seufredus, natione Germanus, sub Exarchatu Narsetis, Vigilio Pont. Max sedente, Placentinus Episcopus electus sedit annos sexdecim, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. 560. Gothis ex Italia expulsis, fuit Placent. Civitas sub Exarchatu Ravennate per annos sex.

An. 565. Justinus Junior Imperator electus imperavit ann. undecim. Hic uxore instante Narsetem ex Italia revocavit, Longinumque pro eo misit. Id ægre tulit Narses, suamque permaxime fovit indignationem ex verbo Augustæ dicentis, *non*
B *copias ducere, sed dividere pensas* (Eunuchus erat Narses) *& telas texere illum magis oportere.* Imperatrici cum talem se telam orditurum respondisset, qualem, dum viveret, ipsa deponere haud posset, relicta Roma Narses Neapolim pergit, ac inde cum eorum omnium pomorum parte, quorum ferax est Italia, ad Longobardos clam mittens nuncios illis suadet, ut desertis uliginosis Pannoniarum campis in omnibus bonis refertam Italiam protinus transmigrent. Longobardi, & pomorum suavitate allecti, & nunciorum promissis accensi ad transmigrandum dum se accingunt, Narses Romam reversus infra paucos dies fato concessit.

C An. 570. Sirus Episcopus Placentinus electus sedit ann. viginti, Joanne, ejus nominis tertio, in Petri cathedra sedente, imperante autem Justino, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. 571. Alboinus Longobardorum Rex Italiam ingressus, infra triennii spatium totam fere superiorem ejus partem occupavit, fuitque Placentia sub hoc Rege, suisque successoribus Longobardorum Regibus, usque ad Caroli Magni adventum, eisque tam miserabiliter servivit, ut etiam quandoque omnium frugum partem tertiam eorum exactoribus conferre cogeretur. Horum Regum series fuit, ut infra.

D Alboinus primus Longobardorum Rex, regnavit ann. XXXI. in Pannonia regnavit ann. XXVII. & mens. VI. in Italia vero ann. tres, menses VI.

An. 571. Clephis, secundus Longobardorum Rex, regnavit per ann. unum, mens. VI. Post ejus mortem per decennium diffidentibus de Rege eligendo Longobardis Placentia sub Zabzambatino Longobardo Mediolani Principe fuit subjecta. Per Duces enim divisi Longobardi de Rege convenire non potuerunt.

An. 590. Vindemialis, natione Sabaudiensis, Gregorio magno in Sede Petri sedente, ac Mauricio Imperatore, Episcopus Placentinus electus sedit annos triginta, sepultusque est in ecclesia Divi
E Antonini.

An. 593. Autharis à Longobardis Rex electus regnavit ann. quinque, menses septem.

An. 598. Agilulphus Longobardorum Rex electus regnavit ann. XXI. Hoc anno sævissima peste laboratum est.

An. 621. Bonifacio Pont. Max. sedente Joannes Italus Episcopus Placentinus electus sedit ann. quatuordecim, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. proximo Adoaldus Longobardorum Rex creatus regnavit annos decem.

F An. 635. Arioaldus Longobardorum Rex electus regnavit ann. duodecim.

An. eodem Catharisinus Monachus, Gallus natione, Placentinus Episcopus electus, Severo Petri cathedram tenente, sedit ann. sex & triginta, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. proximo Rotharis Longobardorum regnum adeptus regnavit ann. quindecim, mens. quattuor.

An. 651. Rodoaldus Longobardorum Rex electus regnavit ann. quinque, & dies VII.

An.

An. 656. Aribertus Longobardorum Rex electus regnavit annos novem.

An. 661. Doninus, Patria Placentinus, à Vitelliano Pont. Max. Placentinus Episcopus ordinatus sedit annos XIV. sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. 666. Grimoaldus Longobardorum Rex electus regnavit annos novem: sub hoc Rege Lupus Foro-Julii Dux, cui, dum Romoaldo filio in Apulia laboranti succurreret, Grimoaldus regni curam commiserat, & regnum ipsum, & Placentiam plusquam mediocriter afflixit.

An. 675. Pertaritus Longobardorum Rex factus regnavit annos XVIII. solus annos VIII. cum filio Cuniberto annos decem.

An. proximo Cunibertus Longobardorum Rex electus regnavit annos duodecim.

An. 676. Florianus Episcopus Placentinus electus, Dono Pont. Max. sedente, annos novem & viginti sedit, ubi sepultus sit, nescitur.

An. 694. Luithbertus Longobardorum Rex creatus regnavit menses VIII.

An. 695. Ragumbertus Longobardorum Rex electus tantum per annum regnavit.

An. 696. Aribertus Junior Longobardorum Rex electus regnavit annos duodecim.

An. 718. Asprandus in eodem regno succedens regnavit tantum menses tres.

An. eodem Luithprandus Longobardorum Rex electus regnavit annos unum & triginta, menses septem.

An. proximo Placentinus nomine & patria Episcopus Placentinus electus, ac à Joanne, ejus nominis sexto, Pont. Max. confirmatus, sedit annos unum & viginti, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. 726. Joannes, patria Mediolanensis, in Episcopum Placentinum electus, atque à Gregorio, ejus nominis secundo, Pont. Max. confirmatus, sedit annos decem & septem, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. 749. Hildebrandus Longobardorum Rex electus sexto regni sui mense moritur. Cui anno eodem Rachis succedens regnavit annos quinque, menses VI. post Monachus factus regni juribus cessit.

An. 756. Aistulphus Longobardorum Rex factus regnavit annos VII.

An. 744. Andodardus, seu Andoardus Episcopus Placentinus electus, atque à Zacharia Pont. Max. confirmatus, sedit annos unum & viginti, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. 763. Desiderius, Longobardorum Rex electus ultimus, regnavit annos decem & octo, quo in Gallias per Carolum Magnum transmisso, ac Lugduni cum uxore & filiis exsulare coacto, tota Gallia Cisalpina dominium mutavit.

An. 764. Thomas Monachus Benedictinus electus Episcopus Placentinus, atque à Stephano, ejus nominis secundo, Pont. Max. confirmatus, sedit annos duodeviginti, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini.

An. igitur 779. Carolus Francorum Rex, ac Imperator, cognomento Magnus, devicto, capto, ac exsulare coacto Desiderio Longobardorum Rege, in Italia regnavit annos quindecim, mox ejus regni jura Pipino filio cessit.

An. 787. Desiderius, patria Placentinus, Episcopus Placentinus factus sedit annos decem & novem: nam instante Episcopi electione, cum & clerus, & populus tam orationibus, quam jejuniis se afflixisset, recluso cuidam beata Virgo apparens dixit; *Age, dic populo Placentino, ut mihi devotum Canzelarium in Episcopum sibi eligant; Et quis,* (inquit ille respondens) *Domina, est tuus iste Canzelarius?* Respondit illa ipsa, *est Desiderius.* Tum evigilans vir Senioribus urbis quod viderat, audieratque, aperuit. At illi diu quæsitum cum invenissent Desiderium, maximo cum omnium gaudio sibi in Episcopum ordinari petierunt, ac obtinuerunt. Ab Adriano ergo Pont. Max. Episcopus confirmatus Desiderius ann. decem & octo creditum sibi populum pavit, ac rexit. Mortuus autem sepelitur in, quam ipse paucos ante dies consecraverat, ecclesia Divi Joannis Euangelistæ.

An. 790. Pipinus Caroli Imperatoris filius in Italia regnare cœpit, regnavitque ann. tredecim.

An. 805. Maurus, ejus nominis secundus, post Desiderium Episcopus Placentinus electus, sedente Adriano Pont. Max. sedit ann. quinque & viginti, sepultus est in ecclesia sancti Ambrosii Ordinis sancti Benedicti.

Per hos dies, qui cum Carolo Magno ex Scotia in Italiam contra Desiderium Longobardorum Regem venisse dicitur Gulielmus Scotus adversa valetudine gravatus victoriosum Imperatorem in Gallias revertentem sequi cum nequivisset, Placentiæ remansit; sanitati autem restitutus malens Placentiæ quietius remanere, quam longissimi itineris ad patriam revertendo experiri pericula, quo sibi Placentinorum devinciret animos Antonii de Spectinis plusquam mediocris conditionis viri filiam sibi accepit uxorem, ex qua quamplures cum accepisset filios tam nobilissimæ familiæ ea in Civitate fecit principium.

An. 806. Bernardus, Pipini nepos, Rex Italiæ declaratus regnavit ann. novem. Hic cum Ludovici patrui, & Imperatoris, ut à Carolo avo mandatum acceperat, jussis parere proterve negaret, ab ipso Ludovico, & Regno, & vita privatur.

An. 814. per Jodonem de Lumello Comitem Palatinum (hic familiæ à Porta dicitur fuisse) juxta murum civitatis Placentiæ versus occidentem Divis Apostolis Simoni & Judæ erecta fuit ecclesia.

Ann. proximo Bernardo nepote capite punito Ludovicus Imperator Italiæ Regnum obtinuit, in quo quidem ann. sex & viginti regnavit. Hujus Imperatoris uxor Engilberga infra mœnia Placentiæ Divis Sixto & Agapeto martyribus cum Monialium monasterio erexit templum, in quo cum nonnullis sanctorum reliquiis ejusdem Divi Sixti martyris ac Pontificis à Paschali Pont. Max. sibi donatum corpus Ludovicus ipse uxori collocandum ex Roma Placentiam transmisit anno 822. vel circa. Hæc Engilberga dicitur lapideos pontes super Trebiam, Nuriam, & Ardam Placentinos fluvios exstruxisse; fidem auget adhuc in rusticorum ore perseverans urbem circa Trebiam, *Li ponti della Regina.*

An. 831. Podo, patria Placentinus, Gregorio, ejus nominis quarto, Pont. Max. sedente, Episcopus Placentinus electus sedit ann. triginta. Hic postquam nonnullas erexisset, dotassetque ecclesias, mortuus sepultus est in ecclesia Divi Petri in foro.

An. 840. Lotharius Imperator electus imperavit ann. quindecim. Placentiæ moritur, sepeliturque in ecclesia Divi Antonini.

An. 854. Gofredus Episcopus Placentinus electus, sedente Leone, ejus nominis quarto, Pont. Max. sedit ann. quinque, sepultusque fuit in ecclesia sancti Joannis Euangelistæ.

An. 856. Ludovicus, ejus nominis secundus, Imperator electus, imperavit ann. decem & novem.

An. 859. Julianus sedente Benedicto, ejus nominis tertio, Pont. Max. Episcopus Placentinus electus sedit ann. quattuor & triginta, sepultusque est in ecclesia Divi Joannis Euangelistæ.

An. 866. Divæ Martinæ è Roma Placentiam delatum

latum corpus Monialibus & Monasterio sancti Sixti dono datum est.

An. 868. per Dodonum Scotum Episcopum extra muros Placentiæ in Divæ Brigidæ honorem constructum fuit monasterium. Quo mortuo Ado & Constantius duo presbyteri pro ejus Episcopi anima ipsum monasterium cum suis proventibus dono dederunt Monialibus Divi Sixti.

Per hos dies haud longe extra Urbis mœnia Divi Antonini reædificata fuit ecclesia.

An. 876. Carolus, cognomento Calvus, Imperator electus post Ludovicum nepotem, imperavit annos sex.

An. 881. Carolus ejus nominis tertius, cognomento Simplex, Caroli secundi filius, à Joanne VIII. Pont. Max. Imperator coronatus, imperavit ann. XII.

An. proximo haud procul Placentia, quæ nunc sancti Alexandri dicitur Divo Laurentio erecta fuit ecclesia.

An. 891. Arnulphus Caroli Imperatoris & Formosi Pont. Max. favore Imperium adeptus, imperavit annos duodecim.

An. eodem Paulus, patria Mediolanensis, Formoso Pont. Max. sedente, Episcopus Placentinus electus sedit annos decem & novem, sepultusque est in ecclesia sancti Joannis Euangelistæ.

An. 899. Frontonius Bituticensis Archiepiscopus Placentiæ moritur, sepeliturque in Divi Sixti ecclesia juxta fontes.

An. 903. Ludovicus, ejus nominis tertius, Arnulphi filius, patri in imperio succedens, imperavit annos decem, ejusque ignavia à Francis ad Germanos Imperium decidit: nam, dum in Italia alii, alii in Galliis, & alii in Germania imperare niterentur, per annos circiter sex & quadraginta absque legitimo Imperatore Christiana Respub. infeliciter remansit: Ludovicus nanque cum Berengarium, qui in Italia imperare cœperat, uno prælio jam victum fugasset, altero prælio fusus ac captus, & lumine & Imperio privatur.

An. igitur 913. Berengarius ex Longobardorum stirpe, Foro-Julianorum Dux, superato Ludovico in Italia, imperavit annos quattuor. Et, quia in deligendo Imperatore concordia aberat, alii Berengarium hunc, alii Vuidonem Spoleti Ducem sequebantur; contra Vuidonem, quem Itali in Imperatorem elegerant, copias ducens Berengarius infra paucos dies superatum interfecit. Hic tandem Ungarorum suffragio elatus cum Romanos etiam lacessere cœpisset, Landi Pont. Max. prudentia, & Lamberti Vuidonis ab illo jam interfecti filii virtute superatus interficitur.

An. 917. Berengarius, ejus nominis secundus, in Italia imperare cœpit, imperavitque annos septem. Hic Imperii sui terminos extendere cupiens, (Cisalpinam enim tantum Galliam possidebat) Ungaros contra Hetruscos certis conditionibus sibi conjunxit; qui in Italiam venientes, posteaquam omni spreto fœdere ferro & igni cuncta fere consumpsissent, præda onusti, unde venerant, in Pannonias sunt reversi.

An. eodem Conradus Episcopus Placentinus, à Sergio, ejus nominis secundo, Pont. Max. confirmatus, sedit ann. quinque & viginti, sepultusque est in ecclesia sancti Joannis Euangelistæ. Hic sanctorum Victoris, Donini, Gelasii, & Peregrini corpora recondidit in ecclesia inferiore sancti Savini.

An. 922. Rodulphus Burgundiorum Rex in Italiam descendens Berengarium vi armorum ex Italia expulit, qui & imperavit per ann. quattuor; Berengarius autem, cum in Pannonias fugisset, Ungaros in Italiam iterum compulit, qui direptis Brixia, Mantua, Bergomo, & Papia cum nonnullis oppidis, etiam quod jam diripuerant Divi Sixti monasterium Placentiæ igni combusserunt.

An. 926. Hugo Comes Arelatensis ab Italis in Italiam vocatus contra Rodulphum, qui multo cum milite ex Germania descenderat, magno cum belli apparatu ex Galliis venit, fugatoque hoste, imperavit annos decem.

An. 932. Lotharius, ejus nominis secundus, in Italia regnavit ann. XVIII. cum patre XV. solus ann. III. Peste sub hoc Imperatore per totam Italiam laboratum est.

An. 935. Placentiæ per Adolindam Comitissam Divo Georgio erecta vel potius reparata fuit ecclesia.

An. proximo Henricus Bavarorum Dux, audiens Ungaros regionem Cispadanam Italiæ jam occupasse, maximo cum Germanorum exercitu Italiam ingressus signis collatis eos uno & altero prælio fudit, atque fugavit; nec diu ea lætus fuit victoria, qui infra paucos dies à Berengario, Berengarii primi ex filia nepote, citra omnem sanguinis effusionem Italiæ finibus excedere fuit coactus; maximis nanque cum Ungarorum copiis ex Pannoniis supervenerat Berengarius, expulsoque hoste Albertum filium Italiæ Regem, se ipsum autem Imperatorem declaravit, contra hunc ab Agapeto Pont. Max. vocatus Otho Henrici filius maximo cum militum numero in Italiam descendit, ac infra paucos dies patrem Imperio, filiumque Italiæ regno cedere coegit. Hic imperiali Diademate decoratus postquam Berengarium jam sibi Pont. Max. interventu reconciliatum Cisalpinæ Galliæ ac Flaminiæ præfecisset, in Germaniam est reversus. Tunc Berengarius Othonis timore solutus in Athonem ejus urbis dominum, qui nexu solutam (carcere illam mancipaverat Berengarius) Alumbam Lotharii relictam Othoni tradidisset uxorem, conversus Canosam obsidione cingit; hosti impar viribus Atho Othonis innititur suffragiis. Haud segniter rem egit Otho, maximis enim cum copiis Italiam repetens post multas hinc inde datas, acceptasque clades, patrem Constantinopolim, filium in Austriam fugere, ibique exsulare coegit. Regnaverat siquidem in Italia Berengarius cum Alberto filio ann. circiter undecim; sicque per Othonem restituta Italiæ pax sub ejus Imperio per ann. duo & viginti duravit.

An. 937. Guido, Monachus Cistercienfium, electus Episcopus Placentinus, sedente Leone, ejus nominis sexto, Pont. Max. sedit ann. decem & novem, sepultusque est in ecclesia Divi Savini.

An. eodem Placentiæ in honorem sepulchri Domini nostri Jesu Christi templum fuit constructum.

An. 944. Berengarius, qui supra, dum Imperatorem ageret, venit Placentiam, Placentini & Cremonensis agri confinia discrevit, terminosque posuit.

An. 956. Sigifredus Episcopus Placentinus electus, atque à Joanne Pont. Max. confirmatus, sedit ann. viginti, sepultusque est in ecclesia Divi Joannis Euangelistæ.

An. 962. Otho Imperator creatus imperavit annos decem & octo. Hic postquam Henricum Bavarorum Ducem, & Lotharium Francorum, Imperii rebelles optime domuisset, maximo cum exercitu descendit in Italiam, ibique aucto milite contra Constantium & Alexium Græcos Imperatores parum feliciter pugnavit. Sub hoc Imperatore Placentina Civitas quievit, ab eoque studii ac universitatis scientiarum profitendarum diplomate fuit decorata; si ejus Urbis jam vetustate corrosis scriptis fides adhibeatur.

An. 976. Bernardus Episcopus Placentinus electus, Benedicto, ejus nominis septimo, Pont. Max. sedente, sedit annos duos, sepultusque est in ecclesia Divi Joannis Euangelistæ.

An. 978. Bosius Episcopus Placentinus electus, sedente Benedicto, qui supra, sedit annos quattuor, sepultusque est in ecclesia Divi Joan. Euangelistæ.

An. proximo Otho Imperator decenti cum apparatu & pompa Placentiam ingressus decima sexta Novembris Lanfrancum, Opizo. Jacobum, Gerardum, & Ferum fratres de Bracifortis milites creavit, ac de Vicoviustino agri Placentini castello in perpetuum feudum eos investivit.

An. 982. Joannes, natione Græcus, Episcopus Placentinus electus, sedit annos quattuordecim. Hic in litteris suis Archiepiscopi nomen, dignitatemque cum sibi usurpasset, facto schismate à Crescentio Consule Romano in Antipapatu erectus, Joannes decimus octavus vocari voluit, seditque in suo pseudo-Papatu mensibus decem; nam Otho Imperator superveniens Crescentium capite punivit, Joannem vero oculis privari primo, mox etiam cæteris in membris mutilari jussit. Hic dum pro Pont. Max. se gereret Divæ Justinæ Virginis & Martyris corpus Placentinis civibus dono dedit, quod quidem corpus in Divi Joannis Euangelistæ templo primum reconditum, postmodum autem in ecclesia majori translatum fuit.

An. 994. Sigifredus, ejus nominis secundus, Episcopus Placentinus electus, Gregorio, ejus nominis quincto, Pont. Max. sedente, sedit annos duodeviginti, sepultusque est in ecclesia Divi Antonini. Hic nonnulla memoriæ digna fecit; inter quæ sunt, quod vetustate corrosum ac pene jam consumptum Divi Antonini templum restauravit, ac Divi Savini monasterium construxit.

An. 1004. pridie Kalendas Junii Antonio, Athoni, aliàs Burnengo, & Theodaldo de vico Vallecarii ab Henrico Imperatore, cum flumine Carrii usque ad Padi medium supra rivum Placentini agri castellum in feudum nobile concessum est.

An. 1009. Academia, & omnium bonarum artium studium ab Othone, ejus nominis tertio, Imperatore jam impetrato in Civitate Placentina sub Rogerio optimo legum interprete ac glossatore florere cœpit.

An. 1014. Nobilibus de Fontana Placentinis ab Henrico Imperatore capitaneatus diploma concessum fuit.

An. 1017. Conradus, Henrici ex filia nepos, Imperator electus maximo cum belli apparatu contra Helitprandum Angleriæ Marchionem in Italiam descendit, qui hostem Mediolani mœnibus se continentem perspiciens, potiundæ ejus urbis spe amissa, igne consumptis suburbiis Romam versus iter arripuit; inde Imperii corona à Benedicto Papa obtenta totum indignationis suæ furorem in Dalmatas & Ungaros vertit; hunc legimus monasterium sancti Pauli de Mediano Placent. agri, & divitiis, & privilegiis decorasse.

In hoc & sequenti anno per Europam, sed maxime in Italia, post famem pestis adeo desævit, ut major pars mortalium defecerit.

An. 1018. Petrus, Mediolanensis natione, à Benedicto, ejus nominis octavo, Episcopus Placentinus factus, sedit annos duodecim, sepultusque est in ecclesia Divi Joannis Euangelistæ.

An. 1031. Ricardus, natione Campanus, à Joanne ejus nominis Papa vigesimo Episcopus Placentinus ordinatus, sedit annos decem & septem, sepultusque fuit in ecclesia Divi Joannis Euangelistæ.

Circa hæc tempora ex Galliis revertens Innocentius ejus nominis Papa secundus, cum Lothario Imperatore contra Petrum Leonem Antipapam Placentiæ nonnullorum Episcoporum conventum habuit.

An. 1048. Juvo schismatis tempore factus Epi- A scopus Placentinus, sedit annos quattuor, sepultusque fuit in ecclesia Divi Joannis Euangelistæ.

An. 1050. Henricus ex electis ejus nominis tertius, ex coronatis vero secundus, Imperator electus, imperavit annos quatuor. Hic Imperator ægre ferens Ecclesiam schismate vexari in Italiam descendit, congregatoque in urbe Concilio Sylvestrum & Gregorium Pontifices schismaticos deponi, Clementemque, ejus nominis secundum, creari jussit, à quo accepto imperiali Diademate in Germaniam reversus est.

An. 1053. Guido Placentinus schismatis tempore Episcopus Placentinus ordinatus, sedit ann. B quinque, sepultusque fuit in ecclesia Divi Joannis Euangelistæ.

An. 1055. Henricus, ejus nominis tertius, Henrico patri in Imperio succedens, ann. octo & quadraginta imperavit; hic omnibus de se spem optimam primo dedit, mox in deterius labens Pontificem Max. summo odio persequi est visus.

An. 1058. Dionysius, patria Mediolanensis, Ecclesia schismate laborante, Episcopus Placentinus ordinatus, sedit ann. octo & viginti, & sepultus fuit in ecclesia Divi Joannis Euangelistæ; hic Pontifex, cum & doctissimus & ditissimus, Imperatorique gratissimus esset, Abbatiam sancti sepul- C chri dotavit.

Eodem anno à Papiensibus provocati Placentini manu armata contra eos profecti victoria sanguinolenta licet potiti sunt, præda onusti Placentini in urbem suam revertuntur.

An. 1063. Fames totam Italiam afflixit, quæ sævissimam pestem post se reliquit.

An. 1077. Mauricio, durante schismate, factus Episcopus Placentinus, sedit ann. quattuordecim, sepultusque in ecclesia Divæ Euphemiæ.

An. 1081. In vigilia Paschæ Placentina civitas ultra dimidium incendium accidentale & improvisum passa est.

D An. 1084. Prima Septembris apud Nigrinum Placentini cum Papiensibus armis jura sua defendere orsi victores cum evasissent, voto adstricti omnium Sanctorum ecclesiam ædificare cœperunt.

An. 1089. Ex pluviarum penuria tanta siccitas in agro Placentino fuit, ut non modo fluvii & fontes, sed & ipsi putei defecisse sint visi; propter id extracto ex sacrario Divæ Justinæ corpore, ac per clerum & populum cum hymnis & precibus facta processione, pluviæ impetratæ sunt.

An. eodem inter milites & populares orta discordia, populares urbe excedere coacti sunt; hi cum apud sancti Lazari Xenodochium tota die ex- E spectassent, bonis civibus intervenientibus, intra urbem recepti sunt.

An. 1091. Placentiæ Divæ Euphemiæ invento corpore ejus reædificata fuit ecclesia.

An. proximo Vindricus, natione Gallus, ab Urbano ejus nominis Papa secundo Episcopus Placentinus creatus, sedit annos decem.

An. 1093. Per Nobiles Pastorellos, Palastrellos & Secamelicas extra urbem suo cum monasterio Divo Marco erecta fuit ecclesia; & quia Vallis Umbrosæ Monachi eo in loco postmodum recepti diuque morati sunt, ab eisdem Divi Benedicti nomen præsumimus ecclesiam illam sortitam fuisse; fuit & nostris diebus Canonicorum Regularium, nunc ar- F ce clauditur.

An. 1099. Gilberti Ravennatis Archiepiscopi seditionibus cedere cupiens Urbanus Pont. Max. Placentiam venit, ubi quod Melphi jam incœperat translato Concilio, à Gregorio prædecessore suo in Henricum Imper. & Gilbertum factam exsecrationem confirmavit, pluraque ad Ecclesiæ reformationem spectantia ordinavit. Nec tacendum puto, cum in Divæ Mariæ, quod de Campania dicitur,

 tem-

templo solennia esset perfecturus, inchoataque præfatione pervenisset ad illud præfationis, *Dom. Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus*, statim superno Spiritu actus addidit, *& te in veneratione Beatæ Mariæ semper virginis*, &c. quam præfationem sanctus Pontifex, postmodum cæteris novem præfationibus addi voluit; ut manifeste habetur in Decretis, *dist.* LXX. C. *Sanctorum.* Eapropter dictus Pontifex, & parietibus, & actorum remissionibus locum ornavit. Jam Imperatoris jugum Placentini cives excusserant; ab altero namque, & altero Pontifice exsecrato Henrico, omnes fere Lombardiæ civitates spretis Imperii Rectoribus per Consules proprios regi cœperunt. Eo anno extra mœnia Placentiæ Divo Savino legimus erectam fuisse ecclesiam.

An. 1103. Addo Episcopus Placentinus à Paschali Papa creatus, sedit annos duodecim, & fuit sepultus in ecclesia Divæ Euphemiæ.

An. eodem, Henrico patre in carcere truso, Henricus, ejus nominis quartus, factus Imperator, imperavit annos quattuor & viginti. Hic Romam profectus, cum à Paschali Pont. Maximo Imperii coronam extorsisset potius quam impetrasset, Mediolanum perrexit, Andreamque Vicecomitem ejus & urbis, & regionis Principem constituit, anno videlicet Imperii sui XI.

An. 1107. Quam extra mœnia Placentiæ constructam Divo Savino supra diximus ecclesia fuit consecrata, in ejus priori altari infra scriptæ reconditæ fuerunt reliquiæ, & primo ipsius Divi Savini corpus, cum Ampulla Divi Antonini martyris sanguine plena, Divorumque Martini & Eusebii reliquiis, cum duabus Alabastrinis capsulis, aliaque capsula omnibus reliquiarum plenis; has omnes reliquias hoc anno videlicet 1563. vidimus, cum pro translatione earum reliquiarum præfatum altare frangeretur.

In altare Sancti Thomæ quattuor coronatorum, Divi Thomæ, & Divi Clementis reliquiæ fuerunt repositæ.

In altari Sancti Genesii, Divi Joannis Baptistæ, Divi Sigismundi, Divi Macarii Abbatis, & Divi Stephani protomartyris.

In altari Sanctæ Victoriæ ipsius Divæ Victoriæ ossa, cum Divarum Justinæ, Sabinæ & Mariæ Magdalenæ reliquiis.

An. eodem, quæ Divo Petro urbis totum patrimonium suum consecraverat Mathildis Comitissa Placentiæ diem suum clausit extremum; ejus cadaver in Divi Benedicti monasterium agri Mantuani delatum ibi sepelitur.

An. 1112. Monasterium Divi Sixti Placentiæ ejectis inde Monialibus nigrior amictus Divi Benedicti Monachis concessus fuit.

An. 1114. Bonizo Italus à Paschali Papa Episcopus Placentinus creatus, contra vitia & hæreses indefesse cum prædicaret, Pontificatus sui mense sexto ab illis de Vidalta, de Bardo, de Bonifacio, de Torricellis, & de Porta nova, apud ecclesiam Divi Donini super petram Aghinonum exoculatus extra civitatem turpiter ejectus fuit. Hic Cremonam ductus ibi moritur, sepultusque fuit in ecclesia Divi Laurentii, supra cujus sepulchrum infra scripta carmina insculpta leguntur:

Nobile depositum tibi clara Placentia gessit
Antistes Bonizo Christi pro nomine martyr.
Septima bis Julii hunc lux collegit in urna.

An. eodem Arduinus Placentinus, Abbas Sancti Savini, factus Episcopus Placentinus, sedit annos quadraginta, sepultusque fuit in ecclesia ipsius Sancti Savini.

An. 1119. Ex frigore intensissimo maxima omnium frugum secuta est sterilitas, & hanc pestis, quæ non hominum modo, sed rerum etiam, quadrupedum, & volucrum maximam partem absumpsit, & quod pejus legimus terræmotum quadraginta continuis diebus per totam Italiam fuisse.

An. proximo Gerardus è Porta Placentinus Potentinus Episcopus per Calistum Pontificem Maximum Sanctorum catalogo fuit adscriptus, cujus corpus Potentiæ in Apulia requiescit.

An. 1122. Ecclesiæ majoris Placentiæ fundamenta posita fuere, ut per infra scriptos versus patet, quæ leguntur in facie ipsius ecclesiæ supra portam, quæ est ad Meridiem:

Centum viceni duo Christi mille fuere
Anni, quum cœptum fuit hoc laudabile templum.

An. 1125. Ex hyemis asperitate maxima, & hominum, & animalium defecit multitudo, & quia illa non solum fructiferis arboribus, verum etiam frumentis, maxime nocuit, ingens secuta est fames.

An. 1127. Lotharius, ejus nominis tertius, Imperator electus annis tredecim imperavit. Hic cum Placentinis, qui ab sibi electis Consulibus regebantur, nihil habuit, quo anno Conradus, Fredentionis de Caverzago filius, quicquid in Caverzago castello juris habebat Consulibus Placentinis donavit, id propter ab hisdem de ipso castro investitus fuit.

An. 1130. Consules Placentini fuerunt Albertus Judex, & Bigarus è Porta, vel secundum alios Vicedominus Biguracanus.

An. 1131. Consules fuerunt Presbyter Fulgosius, & Reginaldus Surdus.

An. 1132. Consulibus Garimberto Mantegatio, Fulcone Advocato, & Gerardo Secamelica, Isemburdus, Ubertus, Russus, Rainerius, Laurentius, Jacobus Olglerius, & Guido de Casasco, de Celagava castro, Consulibus Placentinis donationem fecerunt. Idem fecerunt Atto & Albericus fratres de Fabrica receptis quattuor & viginti libris pro Speculo & Rarsio castris, de quibus postmodum fuerunt ab ipsis Consulibus investiti.

An. 1133. Consules fuerunt, qui fuerant anno superiori.

An. 1134. Consules fuerunt Presbyter Fulgosius, & Fulco Strictus.

An. 1135. Consulibus Garimberto Mantegatio, Fulcone Advocato, Alberico Vicedomino, & Reginaldo Surdo, circa civitatem fossæ cœptæ fuerunt.

An. 1136. Consules fuerunt Fulco Advocatus, & Albertus Vicedominus.

An. 1137. Gerardo de castro Arquato, & Raimundo Secamelica Consulibus homines de Sancta Margarita fidelitatem Placentinis Consulibus fecerunt; quo anno, cum Gandulfo Scarpa ejus loci Domino illi de Corticellis fidelitatem fecerunt. Nam deditione & jurium suorum cessione facta, tam pro se, quam pro filiis & posteris suis idem Gandulfus ab ipsis Consulibus investituram promeruit.

An. 1138. Bonizone de Andito, Fulcone Advocato, Gerardo Monciano Consulibus, Marcus de Pecoraria à Consulibus Placentinis in feudum perpetuum medietatem Montisalbi Turrim S. cum parte exteriori obtinuit; quo anno Burgum Sancti Donini à Placentinis destructum legimus.

An. 1139. Consulibus Jonatha Mantegatio, Nicolao de castro Arquato, & Uberto Fragato, ex Trebia fluvio in urbem aquæ derivatæ fuerunt; quo anno, qui dicebatur Carolo Magno militasse, vixisseque trecentos sexaginta annos, Joannes de temporibus diem suum clausit extremum.

An. 1140. Aroldo de Porta, & Cajo Clerico Consulibus, à quo cudendi monetas jus impetrarunt Placentini, Conradus, ejus nominis secundus, Imperator electus, imperavit annos duodecim; quo anno Burgus Sanctæ Brigidæ ab igne incerto pene totus consumptus est.

An. eodem, ut in Registro Communis Placentiæ legitur, Fulcus Reginaldus, & Ansaldus fratres

tres de Porta montem, super quo nunc castrum novum Tertiorum situm est, tunc Belmonte dictum, in perpetuum locaverunt. Successu deinde temporis Gulielmus de Porta cum mero ac mixto imperio à Frederico Imperatore locum in feudum obtinuit, ut est videri in semi corroso privilegio penes illos de Porta.

An. eodem homines de Salso Majori, quo facilius ab hostium incursionibus defenderentur, Placentinis sese submittentes in festo Sancti Martini singulis annis Consulibus Placentinis solidos decem offerre promiserunt; quo anno Consulibus Placentinis reconciliatus Gerardus de Cornazano eisdem fidelitatem fecit, promisitque in Civitate Placentiæ per tres menses tempore belli futuri omnino se habitaturum.

An. 1141. Homines Burgi, Vallis Tarri sex annorum fidelitatem Placentinis fecisse legimus: quo anno salva Imperatoris fidelitate cum Papiensibus convenerunt Placentini, ut contra hostes bis in anno sibi invicem succurrere, cæteraque amicorum suffragia præstare, tenerentur. Hujus anni Consules non invenimus.

An. 1142. Consules fuerunt Garimbertus Mantegatius, Presbyter Fulgosius, & Gerardus Secamelica.

An. 1143. Fuerunt Consules Jonathas Mantegatius, & Nicolaus de castro Arquato.

An. 1144. Consules fuerunt Garimbertus Mantegatius, Presbyter Fulgosius, & Albericus Vicedominus.

An. 1145. Consulibus Fulcone Advocato, & Opizone Filiodono, homines de Arena de Castro suo deditionem & fidelitatem Placentinis fecerunt; quo anno, Ubertus Palavicinus, Marchio, omnia, quæ in Parmensi agro citra Tarrum fluvium habebat, castella Placentinis Consulibus renunciavit, & tam ipse, quam dictorum castellorum homines Placentinis fidelitatem fecerunt. Præfatique Consules eidem ipsa castella in feudum perpetuum, tam pro se, quam pro filiis, & ab eo descendentibus concesserunt; de quibus omnibus dictus Marchio ipsis Placentinis Consulibus fidelitatem replicavit.

Eodem an. Gulielmus, & Opizo Marchiones Malaspinæ, cum Placentinis Consulibus convenerunt, ut infra: Nam prædicti Marchiones juribus, quæ in Complano castro habebant, Consulibus & Communi Placentiæ cesserunt, & tam ipsi, quam ejus castri homines dictis Consulibus fidelitatem fecerunt; qui quidem Consules eis expedire Curiam Felinæ promiserunt. Interim eo pro negotio libras centum quinquaginta deposuerunt; sicque utrinque medio juramento conventio firmata est.

An. 1146. Consules fuerunt Fulco Strictus, & Ubertus Fiagatus.

An. 1147. Rugerio Satirano, Reginaldo Porono, & Reginaldo Secamelica Consulibus, Eugenius ejus nominis Papa tertius Placentia transiens in Gallias ad Concilium iturus, quo inde reliquias extraheret Divi Sixti, altare frangi jussit.

An. 1148. Rosio Balbo, & Gerardo de Andito Consulibus sibi numeratis solidis viginti monetæ Placentinæ, Joannes Placentinus Episcopus omnibus, quæ in Montealbo habebat, juribus Placentinis Consulibus cessit.

An. 1149. Consulibus Fulcone Advocato, & Presbytero Fulgosio, inter Placentinos, qui Tabianum obsidebant, ex una, & Parmenses, & Cremonenses, ex altera pugnatum cum fuisset, victi fuere Placentini.

An. 1150. Fulcone Stricto, & Gerardo de Andito Consulibus cladis jam acceptæ haud immemores Placentini, manu armata ad Tabianum repente profecti, locum depopularunt primum, mox æquatis fossis domos etiam diruerunt. Nec hoc

A contenti in Parmenses lati Medesanam castellum diripuerunt; & ne à Cremonensibus ea in re impedirentur, quod eis abstulerant castrum novum in faucibus Abduæ restituerunt.

Eodem anno Gulielmus, & Opizo Marchiones Malaspinæ, Ubertum, & Albertum de Præduca pro se, & eorum masculis legitimis, ac descendentibus per feudum perpetuum de Arce Præducæ & Petrasilaria investiverunt.

An. 1151. Ubertus de Fontana, & Rogerius Vescontus Licacorvus Consules fuerunt.

An. 1152. Consulibus Albrico Mantegatio, Maltraverso, Foldo de Andito, Gerardo Cossadocha,
B & Ricardo Surdo, die tertia decima Julii, apud Placentiam horribilissima in aere apparuit columna, qua transibat cuncta consumans. Nam Divæ Mariæ de Campania turrim una cum tecto ecclesiæ Divæ Victoriæ, & vicinis nonnullorum pauperum domibus penitus destruxit. Deinde impetu plusquam vehementi ac tortuoso acta, in Pado flumine se involvit; signum vere eorum, quæ postea in Civitate Placentina malorum visa sunt. Nam eodem anno Fredericus Imperator jam factus, maximo cum belli apparatu in Italiam descendit, direptisque nonnullis Lombardiæ urbibus, Romam pro corona Imperiali obtinenda per agrum Placen-
C tinum cum proficisceretur, omnia dissipare videbatur; verum obtenta ab Adriano Pontifice Maximo corona, cum copias haud parum peste sibi diminutas perpendisset, relictis, qui Mediolani & Cremonæ obsidionem continuarent, militibus, cum cæteris in Germaniam reversus est.

An. 1154. Ribaldo de Carrio, Rosio Balbo, & Joanne Aghinono Consulibus, Ugo Placentinus ab Anastasio Papa Episcopus Placentinus ordinatus, sedit annos decem & novem, sepultus deinde in ecclesia Majori; alienasse dicitur castrum Arquatum, aliàs Episcopi Placentini.

An. 1155. Albertus Mantegatius, Gerardus de
D Andito, & Gerardus Cossadocha Consules fuerunt.

An. 1156. Ubertino Vicecomite, Rugerio, & Hieronymo de castro Arquato, & Ricardo Surdo Consulibus, à Rivo Divæ Brigidæ ad ecclesiam Divi Stephani suis cum turribus erectæ portæ, fossæque cavatæ fuerunt.

Hoc anno Placentinos Mediolanensibus colligatos legimus; quo etiam anno Nicolaus & Pizonus fratres Viridi, quæ in castro Viridi habebant, juribus cesserunt Placentinis. A quibus postmodum investiti de eodem castro feudum possederunt. Idem fecerunt eodem anno Ubertus & Bosius filii quondam Poltronelli Viridi de eodem numeratis sibi à
E Placentinis libris quinquaginta quinque monetæ Papiensis.

Anno eodem Nicolaus de Durberco receptis à Consulibus Placentinis centum quinque libris, ac singulis annis in Placentia duobus sextariis frumenti cessit juribus, quæ in castro Durberco, & loco Montisulmi habebat.

An. 1157. Fulco Strictus, Rosius Balbus, Presbyter Fulgosius, Fulco de Andito, & Ubertus Scorpiones, Consules fuerunt.

An. 1158. Oddo Novellus, Ubertus de Porta, Fulgosius de Fulgosiis, Bregognonus & Bernardus de Andito, Consules fuerunt.

F An. 1159. Uberto de Porta, & Uberto de Andito Consulibus Fredericus Imperator iterato in Italiam descendit, longaque obsidione, & nonnullorum Judæorum proditione, obtenta Mediolanensi civitate, eam diripiendam militi reliquit. Et captum Galvagnum Vicecomitem ejus urbis Principem catenis vinctum in Germaniam misit. Nec eo contentus totam urbem dirui ac penitus solo æquari jussit: Papiam inde profectus de obsidenda Placentia, cum Vercellensium, Novarensium,

Bergomatum, Cremonensium, & Laudensium Oratoribus, ac nonnullorum Germanorum Principibus sermonem habuit. De hoc certiores facti ex una, ex altera Mediolanensium calamitate territi Placentini, jamque de sibi colligatorum Brixiensium facta deditione securi. Et quod gravius eos premebat (ait Bernardinus Corrius) Cremonensium, Laudensium, & Papiensium inimicitiarum obliti minime de deditione ad Imperatorem Papiam Oratores mittere decreverunt. Missi ergo Papiam Oratores, atque Conrado Imperatoris socero interveniente in Divi Salvatoris ecclesia extra Papiam auditi, cum infra positis conditionibus de civitate Placentina deditionem fecerunt: *Primo, ut sex millia marchas argenti Imperatori numerarent; Secundo, ut omnibus turribus solo æquatis fossas etiam in planum reducerent; Tertio, ut Imperatoris nomine ejus urbis mittendum Rectorem reciperent.* Omnes has conditiones minus licet libenti animo acceptaverunt Placentini, exsecutionique mandarunt.

An. 1160. Consules fuerunt Paganus de Arcellis, Gulielmus Malvicinus, Rangonus de Campremoldo, Gualt. Vicedominus, Vbertus Vicedominus, Ardezonus, Bernardus Ficianus, & Lanfrancus de Abiaticis.

An. 1161. Gerardus de Andito, Gerardus de Cossadocha, Bosius Prædoverra Placentinus, Mantegallus Petronus Vicedominus, & Grimerius Viccecomes, Consules fuerunt, cum Arnaldo Barbarara Prætore Imp.

An. 1162. Consules fuerunt Ubertus de Fontana, Dragus Surdus, Gulielmus Secamelica, Albertus Mantegatius, & Rugerius Satiranus, cum Arnaldo Barbarara Imp. Prætore.

An. 1163. Consules fuerunt Gandulfus Clericus, Otto Malacorrigia, Bernardus Scorpionus, & Stephanus Licacorvus.

An. 1164. Qui per biennium in Civitate Placentina vices gesserat Imperatoris, Arnaldus Barbarara Germanus, in Germaniam reversurus à paucis, qui in urbe remanserant, civibus (Nobiliores enim exsulabant) undecim millia marchas argenti extorsit; nec eo contentus Thesauro ecclesiæ Divi Antonini direpto, cum libro Registri Communis Placentiæ, nonnulla ejus urbis privilegia in Germaniam fugiens secum portavit. Hujus anni Consules, si non inveniantur, haud est mirum; temporis forte calamitas Consulibus urbem carere coegit.

An. 1165. Post Arnaldi discessum Civitas per Consules iterum regi cœpit, hique fuerunt Arduinus Confanonerius, Gajus Clericus, Otto Malacorrigia, Fredericus Podisius, Uguzonus Bellatus, & Ugo Speronus. Hi (ait Blondus) cum Veronensibus, Brixiensibus, Bergomatibus & Mediolanensibus contra Imperatorem novam colligationem fecerunt. Invenimus tamen hoc anno Placentiam à suis militibus dissipatam, Nobiliores enim milites tunc vocabantur.

An. 1166. Consules fuerunt Oddo Novellus, Albertus de Andito, Grimerius Viccecomes, Bonizonus Belingerius, & Bernardus Ardicionus.

An. 1167. Consules fuerunt Gulielmus de Malaparte, Ubertus Pochaterra, Albertus de Andito, Bonamicus Scaratinus, & Salvus de Carimano.

An. 1168. Consules fuerunt Albertus Mantegatius, Albertus de Andito, Antoninus Fontana, Lanfrancus de Petralana, Atto Calvus, & Grimerius Viccecomes.

An. 1169. Guidoto Fontana, Bosio Malvicino, Joanne de Bonifacio, & Fulcone de Aghinonis Consulibus, è manibus Episcopi Bobiensis Zavatarellum castellum Placentini recuperarunt; quo anno nundinæ, seu feriæ Placentiæ fieri cœperunt, pro quibus expediendis, apud sanctum Sixtum, qui adhuc nomen fere retinet, locus fuit destinatus.

An. 1170. Tedaldum de Roncoveteri, Rigonum de Porta, Arnaldum de Arcellis, & Gulielmum Secamelicam, Civitas habuit Consules.

An. 1171. Ugo Speronus, Stephanus Licacorvus, Patronus Viccedominus, Lanfrancus de Abiaticis, Antoninus de Andito, & Antoninus de Porta, Consules fuere.

An. 1172. Consules fuerunt Fulcus de Pecoraria, Ardicionus Stracintonus, & Bregognonus Malvicinus.

An. 1173. Guidoto de Fontana, Bosio Balbo, Grimerio Vicecomite, Zenone Mantegatio, & Stephano Licacorvo Consulibus, qui è Frederici compedibus fugerat, Galvagnus Mediolanensium Princeps in Italiam revertitur, Mediolanensibusque hinc inde collectis, cum Emanuele Græco Imperatore suffragantibus Cremonensibus, Placentinis, ac Veronensibus suo loco Mediolanum restituit, Blondo teste, qui ait: *Sed dum hinc Fredericus parte una copiarum Anconam obsidet, inde exercitus sui pars altera in Hetruscos agit, Mediolanenses sociorum bello populorum, præsertim Cremonensium, Placentinorum, Veronensiumque auxilio urbem suam Mediolanum, ubi fuerat, estque nunc solito munitiorem reædificaverunt.* Quo anno etiam Bobienses in manibus Consulum Placentinorum, Placentiæ fidelitatem fecerunt.

An. eodem Theobaldus, patria Mediolanensis, sedente Alexandro Pont. Max. Episcopus Placentinus factus, sedit ann. decem & octo, sepultusque est in ecclesia cathedrali.

An. proximo Consulibus Arnaldo de Arcellis, Alberto Mantegatio, Alberto Sperono, Bregognono Licacorvo, & Fulco de Iniquitate, (ait Blondus) *Vix dum Fredericus in Germanis quieti suæ locum degere potuerat, quum Lombardi omnes quo Papiensibus, Terdonensibusque, & Monteferratensibus, quos solos Barbarossa in Lombardis amicos haberet, molestiæ inferri possent, apud Rovaretum locus Tanaro amni adjacens designatus est, ubi Mediolanenses, Placentini, & Cremonenses cura rei in seipsos suscepta urbem condidere, quam in Barbarossæ dedecus injuriamque, & ut loco major accederet auctoritas, de Pontificis nomine Alexandriam appellavere.*

An. eodem Placentiæ Divi Petri in foro ecclesia igne consumpta fuit.

An. 1175. Consules fuerunt Grimerius Viceccomes, Joannes de Bonifacio, Gulielmus de Carrio, Atto Malacorrigia, & Bosius de Puteo.

An. 1176. Ubertus Viccedominus, Stephanus Licacorvus, Gulielmus Bregognonus, Lanfrancus de Abiaticis, & Gerardus de castro Arquato, Consules fuere.

An. 1177. Consules fuerunt Malnepos, Guiscardus, Magianus, Gulielmus Licacorvus, Zeno Boccamatta, & Uldricus de castro Arquato, Nero Trigaciolla, & Bonizo Surdus.

An. 1178. Consules fuerunt Joannes de Bonifacio, Zeno Mantegatius, & Bonizo de Andito.

Anni sequentis Consules non invenimus.

An. 1180. Joanne de Bonifacio, Bregonzio Licacorvo, Uberto Vicedomino, Guarnerio Mantegacio, Opizone Aghinono, Fidentio, Uberti de Andito filio, & Lanfranco de Abiaticis, Consulibus, inter Abbatem monasterii Divi Savini & Consules civitatis conventum fuit, ut tam factorum, quam per ipsos Consules intra septa dicti monasterii faciendorum, molendinorum decem sint monasterii præfati, & decem ipsorum Consulum, & Communis Placentiæ; quo anno per sententiam Galdini, tunc Mediolanensium Episcopi, determinatum fuit, portum Padi fluvii apud Placentiam ad Commune Placentiæ pertinere, monasterium autem Divæ Juliæ civitatis Brixiæ singulis annis ab ipsis pro omni jure, quod in dicto portu prætendit habere, libras viginti Mediolanenses, vel quadraginta mezanorum.

Eo

Eodem anno Albertus, & Rolandus, cum Jacobo fratre de Monte Arzollo, de eo loco Consulibus Placentinis fidelitatem fecerunt, investituramque de eodem loco ab ipsis Consulibus meruerunt. Quo anno Armanus Comes de Bardis, cum Bonifacio sibi consanguineo de Monte Sidolo, donationem fecerunt Consulibus Placentinis, ab eisque tam pro se, quam pro filiis, & descendentibus infeudati fuere.

An. 1181. Consulibus Pagano de Arcellis, Joanne de Arcellis, Joanne Malvicino, Marino Surdo, Gulielmo de Andito, Petracio Sperono, & Bosio de Fontana, Placentini cum Florentinis sic convenerunt, ut pro quacunque tascha duodecim imperiales, pro torsello vero quattuor & viginti, videlicet, duo solidi pro pedagio, sive gabella solvantur. Quo anno cum Pontremulensibus de sibi invicem servanda fidelitate & amicitia apud Bardum castrum Placentini optime convenerunt.

Eodem anno, & cum Ferrariensibus de pedagio, & navium gabellis, seu guidagio convenerunt.

An. 1182. Consulibus Gulielmo Malaparte, Ruffino Transfatto, Uberto Scorpiono, Alberto Mantegatio, Odone Novello, & Domofolo de Fontana, Albertus, Armanus Pelliparius, & Gulielmus fratres de Guiterno, in manibus Consulum Placentinorum de manutenendo Gisaligio castello fideliter juraverunt.

An. 1183. Arduino Confanonerio, Nerrone Fugaciolla, Azone Vijustino, Zenone de castro Arquato, & Gerardo Ardiciono, Consulibus, pro firmanda, quæ inter Fredericum Imperatorem & Civitates Lombardiæ Constantiæ in Germania tractanda erat, pace, Placentini quattuor elegerunt Oratores, Gerardum videlicet Ardicionum, Jacobum Strictum, Armanum de Carrio, & Claponum Judicem; in quo anno, Gulielmo Astensi Episcopo interveniente, ac Imperatoris nuncio, in civitate Placentina pro dicta pace fienda omnium Lombardiæ, Flaminiæ, seu Romandiolæ, & Marchiæ civitatum Oratores, una cum ipsius Imperatoris, & Henrici Regis, ac dicti Frederici filii nunciis convenere; ubi & de nonnullis, quæ cum ipsis propter Pontremulenses habebant Cremonenses, cum Placentinis convenere.

Anno eodem Opizo Marchio Malaspinæ, ejusque filius Opizinus, Placentiæ in Palatio Communis in Consulum Placentinorum manibus jurejurando promiserunt, se per totam proxime futuram diem in manibus ab ipsis Consulibus mittendorum Nunciorum Dumgionum castellum, Arcemque Horemalæ fideliter consignaturos; castrum etiam Roncharolli legimus hoc anno erectum fuisse.

An. 1184. Grimerio Mantegatio, Pellaro Decacordo de Campremoldo, & Gulielmo Scorpiono Consulibus, Thedaldus Lavaniæ Comes in Valle Tarri in manibus Consulum Placentinorum fidelitatem fecit; idem fecerunt illi de Complano, videlicet Raincrius, Caciaguerra, & Sguacciavilla fratres de Complano, cum Ribaldo, & Zenone de Perpeno. Hos secuti sunt illi de Valle Tarri Porcacius, videlicet, de Russo, Albertus Pegolotus, Armanus, & Orandinus de Zelata. Idem in pleno consilio fecit & Obertus de Montedonico, & illi de Montarollo; Macenasius Claponus, & ipse numeratis sibi quattuor & viginti libris in manibus Consulum Placentinorum omnibus, quæ & in terris ei vicinis, & in turri sua habebat, juribus cessit.

An. 1185. Consulibus N. Malnepote, & Bosio Pellato, ex conventionibus in Constantiensi pace cum Imperatore conclusis pro Cremensi fabrica, haud mediocriter gravati Placentini, & cementarios, & fossores ad id opus mittere coacti fuere.

An. 1186. Arduino Confanonerio, Arnaldo Stricto, Guarnerio Mantegatio, Guidone de Mediano, & Ruffino de Pecoraria Consulibus, inter Placentinos & Marchiones Malaspinæ ex una, & homines de Petracurva ex alia, pax firmata est; & cum Papiensibus remissis sibi invicem damnis & injuriis in loco Bardoneziæ de pace optime convenerunt Placentini; idem & cum Mutinensibus hoc anno eos fecisse legimus.

An. 1187. Bregonzio Licacorvo, & Capono Corosio Consulibus, Rodulphus de Pecoraria, de Campremoldo, & de dimidio castri Montalbi ab ipsis Consulibus investituram promeruit; quo tempore per Thedaldum Episcopum Placentinum, & Offredum Episcopum Cremonensem, de quibus diu disputatum fuerat, inter Ozzam Placentinum & Suarzam Cremonensium fines discreti fuere.

An. 1188. Consulibus Bonjoanne Advocato, Conrado Sanguibeno, Julio de Vigolcino, Jordano de Bondono, & Aurico Carosio, Placentiæ in Palatio veteri, coram Petro Diano Cardinali in publico consilio, Monruellus, & Albertus fratres Marchiones Malaspinæ Consulibus Placentinis omnium, quæ in Valle Tarri habuerant, habebantque, jurium suorum eis per ipsos Consules numeratis libris quattuor millibus fecerunt cessionem.

Anno eodem Vianinum castrum per Gerardum & Albertum fratres Ardemanos Consulibus Placentinis venditum fuit.

De hujus anni notandis in Registro Communis Placentiæ invenimus, ut infra:

In nomine Domini. Amen. An. 1188. x. Kal. Septembr. in civitate Placentiæ in publica concione ante majorem ecclesiam congregata, præsente Domino Godefredo Comite de Lomello, Martino della Turre, Uberto de Landriano, Ottonobello Zindilario, qui sunt de civitate Mediolani; Domino Apozazio Advocato de Brixia, Bonapace, atque Desiderio Judice ejusdem civitatis Brixiæ; De Marchia interfuerunt præsentes Otto Judex, Gerardus de Calaono; De civitate Placentiæ erant præsentes in concione illa Albertus Mantegatius, Petrus Vicecomes, Opizo Novellus & Gulielmus Scorpius, Detesalve Advocatus de Bergamo, qui in colloquio tunc temporis Placentiæ facto vicem Rectoris obtinebat, concordia & voluntate Gulielmi de Losa, tunc Potestatis Bononiæ, & Rectoris, Lanfranci de Oldanis Rectoris Mediolani, Ubertini de Valezo Rectoris Veronæ, Attonis de Pagano Prætoris Mantuæ, & Rectoris, Jacobi de Fessore Rectoris Novariæ, Joannis Benedicti Vercellarum Rectoris, Rolandi Prazonarii Rectoris Mutinæ, Ugonis Voglerii Rectoris Rhegii, N. Luschi Rectoris Vincentiæ, Florii Judicis Rectoris Tarvisii, atque Mili de Brixia, qui omnes in jam dicta concione aderant; præcepit jam dictum Bononiæ, & illum Rhegii, & illum Parmæ, ut Parmam irent, & Parmensibus aperte Rectoribus præciperent, quatenus Veronæ usque ad proximum colloquium ibi statutum ante Rectores adessent parati attendere & obedire omnia præcepta, quæ Rectoribus eis fecerunt de facto Placentinorum; nec interim aliquo modo Placentinos offenderent per commune vel divisum per se, vel per alios, & quod non permitterent aliquos in offensione Placentinorum per suam terram, vel per suam forciam ire, & quod Consiliarii venirent jurare attendere totum, sicut supra dictum est. Et ibidem Detesalve præcepit Placentinis, ne infra hunc terminum Parmenses offenderent per commune, vel per divisum, per se, vel per alios, nec permitterent aliquos per suam terram, vel per suam fortiam in offensionem Parmensium ire. Statuit insuper voluntate Rectorum, quod Placentini simile juramentum Parmensibus facere debeant. Itemque jam dictus Detesalve concordia & voluntate illorum Rectorum præcepit Rectori Mantuæ, Veronæ, Tarvisii, atque Vincentiæ, ut Cremonam irent, & à parte Rectorum eis dicerent, quod Placentinos non offenderent, nec vetarent eos, eorum terra, vel aqua uti; & præcepit Rectori Mediolani, Novariæ, atque Vercellarum, ut denunciarent Papiensibus colloquium à Rectoribus Veronæ statutum, ad quod si vellent securiter venirent, & à par-

à parte Rectorum eis dicerent, ne Placentinos offenderent, nec eos, eorum terra, vel aqua uti prohiberent; quod si facerent, quisque Rectorum similiter vetabit Papiensibus sua; si vero Parmenses jam dicta præcepta plenarie non adimpleverint, dixit, quod Rectores eos in bannum mittent, & Placentinos adjuvabunt, & taliam militum facient ad dandum in adjutorio Placentinorum, & ibidem in continenti jam dictis testibus eadem concione existentibus, Bonapax de Brixia, concordia & voluntate ipsorum Rectorum ibi præsentium hoc idem dixit, & confirmavit, quod Detesalve dixerat. Hoc in Registro.

An. 1189. Opizone Novello, Guidone de Puteo, Arnaldo Stricto, Bernardo, & Gulielmo Scorpiono Consulibus, Henricus, ejus nominis quintus, Frederici filius, patri in Imperio succedens, imperavit ann. duodecim. Hic nullam à Placentinis habuit obedientiam; quo anno Bernardus Balbus de omni eo, & toto quod Placentina communitas, seu Respublica habet, & tenet, vel pro ipsa habetur, & tenetur, ac juste, vel injuste ab aliquo occupatur in castris, eorumque curiis, videlicet Oneto, Montarolo, Castelleto, Comphinto, & Casali Dolini, à Consulibus ipsis investitus fuit.

An. 1190. Consulibus Uberto de Bonifacio, Jacobo Mantegatio, & Alberto Nepote, Petro Diano, & Goffredo, Cardinalibus intervenientibus inter Parmenses, & Ubertum Malaspinam ex una, & inter Placentinos ex altera, pax perpetua firmata est.

An. 1191. Consulibus Fulco Radino, Antonio de Andito, & Uberto de Gnacio, numeratis Henrico Imperatori libris duabus millibus Placentini sub pignore acceperunt Burgum Sanctum Doninum; eodemque anno homines ejus loci fidelitatem sibi facere voluerunt.

An. 1192. Uldrico de castro Arquato, Ruffino Sperono, Rangono de Carrio, Opizone de Porta, & Jacobo Malacorrigia Consulibus, Kalendis Julii Consules Placentini instante Episcopi electione chorum majoris ecclesiæ ingressi contra Archidiaconum & Præpositum in hæc verba proruperunt: *Quoniam ad Episcopalem electionem intenditis, quæ jure populi consensu fieri debet; nos vice populi in hoc obtinentes, omnibus electionibus, & electioni Episcopi potissimum interesse debemus, & volumus, & pronunciationem Episcopi nobis scientibus & affirmantibus fieri volumus, quod si negaveritis Romanam Curiam appellamus, & ex parte Sedis Apostolicæ, ne ultra procedatis contradicimus.* Hæc ex Registro.

An. 1193. Fulcone de Iniquitate, & Nicolao Cossadocha Consulibus, pro expeditione Apula ducentas argenti marchas Henrico Imperatori Placentini obtulerunt; quo anno Gerardus, & Riciardus, ejus ex fratre nepos, de Montarzollo, cum Ugone & Rainerio fratribus, & ipsi de Montarzollo Madiis fidejussoribus, cum addito juramento, & sub pœna quingentarum librarum ipsum Montarzollum Castellum pro Placentina Republica conservare & defendere Consulibus ipsis promiserunt.

An. 1194. Joanne Malamena, & Gulielmo Scorpiono Consulibus, Monruellus & Gulielmus Marchiones Malaspinæ palatio Episcopali coram Placentino & Bobiensi Episcopis, & Consulibus supra dictis inter Placentinos & Pontremulenses percussa pacis fœdera servare promiserunt, ut in Registro Communis Placentiæ clarum est videre, ubi invenitur, ut infra: *Marchio Moncellus Malaspina in publica concione Placentiæ, ibi simul congregata juravit Cittadantiam Placentinis, sicut civis Placentinus, & fidelitatem Communis Placentiæ, per talia verba: Ego Marchio Monruellus juro Cittadantiam Placentinæ civitatis, sicut civis Placentinus, & fidelitatem Communis Placentiæ contra omnes homines salvis fidelitatibus Domini Imperatoris Henrici, & meorum anteriorum Dominorum, & salvis sacramentis, quibus teneor Papiensibus & Parmensibus.*

An. 1195. Albrico Vicedomino, Uberto Vicecomite, Rainerio Carrione, Reginaldo Surdo, & Uberto Scorpiono Consulibus, Albertus Marchio Malaspina vice sua, & Conradi ejus ex Opizone fratre nepotis pro ducentis quindecim sibi numeratis libris Placent. Consulibus, qui supra cessionem ac venditionem fecit de podio Grandulæ, & omnibus aliis podiis in dictæ Grandulæ Curia existentibus, ita quod nec prædictum, nec alium podium, nec aliquod castrum ædificari possit, neque levari ipsa Grandulæ Curia citra Placentinorum Consulum consensum.

An. 1196. Sub iisdem anni proximi præteriti Consulibus apud Cassagnollum Vallis Tidoni villam Placentini Burgum Novum ædificare cœperunt.

An. 1197. Gerardo de castro Arquato, Opizone de Porta, Alberico de Andito, Gerardo Stricto, & Antonino Stricto, Consulibus, seu Donnoni Burgenses in eorum ecclesia Placentinis fidelitatem iterarunt. Invenimus hoc anno Consules Placentinos pro conservatione ejus castelli, illis de Bargono ducentos pedites & equitem unum, ex quibus sexaginta ad minus cives Placentini essent, voluisse dare; sed Bertaldi cujusdam responsione repulsi à cœptis destiterunt: *Provideatur primum* (dicebat Bertaldus) *sub fidejussione de futuris damnis, victuque, ac vestitu Bargonensibus, mox milites mittantur.*

An. 1198. Fulcone Radino, Uberto Vicedomino, Opizone de Fontana, Homodeo Blanco, & Martino Surdo, Consulibus, Salsi majoris Consules Placentini in ecclesia Divi Prothasii, coram Placentinis Consulibus se de districtu & jurisdictione Placentinorum & de plebatu Canzelasii, nec de districtu Parmensi esse vel fuisse, neque Parmensibus unquam respondisse jurejurando professi sunt; fueruntque, ut in Registro reperitur, Marinus Liciorus, Ugo de Bucino, Nespolus de Paupere, Gerardus de Pico, Gerardus Garbatius, Andreas Donninus, Anselmus Porbilius, Petrus Vacarius, Joannes Ottonus de Fruna, Rolandus Sanctus, Gerardus Vinus, Bondies Burgatius, Gerardus Marinus, Ubertinus de Taviza, Petrus de Fenna, & Bondies Pozollus.

An. 1199. Consules non invenimus, qui quidem annus Placentinis infaustus fuit, qui Cremonensium auxilio fulti contra Parmenses pro recuperatione Burgi Sancti Donini profecti datis, acceptisque cladibus, re infecta, cum Placentiamque redirent, turrimque sancti Andreæ recuperare nixum faciunt ab supervenientibus, pro quibus servabatur turris, Cremonensibus in fugam versi fuere. Capti ea in clade cum Guidone Mandello Prætore sexcenti cives Placentini ex una, & quod pejus ex altera Papienses Burgum Novum Vallis Tidoni diripuerunt, ac igni combusserunt. Eodem anno apud sanctum Laurentium inter Cremonenses & Parmenses ex una, & Placentinos ex alia, pugnatum est, sed varia victoria. Circa finem anni, intervenientibus Mediolanensium & Brixiensium Oratoribus apud Cremam inter Parmenses, Pontremulenses, & Placentinos, pax firmata est.

An. 1200. Fulco Radino, Uberto Vicedomino, Petro Mantegatio, Gulielmo Surdo, & Rangono Surdo, Consulibus, inter Parmenses & Placentinos per Lotharium Imperatorem confinia discreta fuere; de quo anno sic invenitur in Registro Communis: *An. 1200. sex. Kal. Novembris in territorio Bobiensi, in quodam prato sub castro Crucis, per Placentinorum Legatos, ac Marchionum Malaspinarum, & Mediolanensium, eorumque adhærentium Oratores, videlicet, Comensium, Brixiensium, Laudensium, & Veronensium facta fuit pax, & colligatio contra omnes hostes, sed primo contra Papienses.*

An.

An. 1201. Cladis jam acceptæ memores Placentini Gulielmo Pusterla Mediolanensi eorum Prætore ac Duce, manu armata ad sanctum Andream repente profecti turrim ejus loci destruxerunt; inde contra Papienses, properantes Mediolanensium suffragio apud Negrinum cæsos, in fugam verterunt. Ex hostibus equites trecenti, totidemque pedites capti fuere. Quo anno novam fossam circa Placentiam ductam legimus, Consules non invenimus.

An. 1202. Uberto Vidalta, & Jacobo de castro Arquato Consulibus, Grimerius de Porta, Placentinus de castro Arquato, Episcopus Placentinus ordinatus, sedit annos tredecim. Hic secundo pontificatus sui anno una cum clero suo à civibus urbe expellitur, exsulavitque per triennium, quo populus Placentinus Divinis continue caruit. Causam non invenientes, renovatæ tunc Manichæorum hæreseos populum seductum id sceleris perpetrasse arbitramur; tandem optimis civibus intervenientibus in civitatem revocatus moritur, sepeliturque in ecclesia cathedrali.

Anno eodem Beatus Raimundus, vir magnæ hospitalitatis & sanctitatis, miraculis clarus, Placentiæ moritur.

Eodem anno in civitate Laudensi, Placentini cum Mediolanensibus & Papiensibus de pace optime convenerunt. Per hos dies Opizo, & Armanus Lavaniæ Comites juribus, quæ in Tersogno & Albereto se habere asserebant, Placentinis cesserunt.

An. 1203. Uberto de Porta, Jacobo Stricto, Uberto Gnoco, Joanne Podisco, & Ruffino de Carminiano, Consulibus, inter præfatos Consules, & presbyterum Alexandrum, ministrum ecclesiæ sancti Vitalis de Salso nomine & vice ipsius ecclesiæ, Domino Grimerio Placent. Episcopo, & Comite præsente, & consentiente, ac suam auctoritatem interponente, & præsente Domino Gulielmo Marchione, & majoris ecclesiæ Canonico, atque Gerardo Archipresbytero plebis de Clastigio dictæ ecclesiæ fratribus, & consentientibus talis conventio facta est, videlicet: *Quia idem presbyter Alexander fecit datum & concessionem, promissionem atque plenam licentiam dedit, Uberto de Porta recipienti nomine & vice Communis Placentiæ, circandi & cavandi puteos ad salem habendum necessarios faciendi, ubicunque in territorio Salsi, habendo, & tenendo Communi Placent. ipsos puteos, cum prædicto Communi medietatem expensarum, & ecclesiæ aliam medietatem, & earum.* Hæc ex Registro.

Anno eodem, cum omnibus juribus, quæ ab Episcopo Bobiensi ipse acceperat, Staderiam castellum per Antoninum de Andito Communi Placentiæ datum legimus.

An. 1204. Fulcus Radinus, & Franciscus de Fontana Consules fuerunt.

Annus insequens Arnaldum Strictum, Nicolaum de Andito, & Joannem de Fontana Consules habuit.

An. 1206. Consules fuerunt Joannes de Pado, Albertus Balbus, Gulielmus Nerrus, & Henricus de Monteacuto.

An. 1207. Consules fuerunt Ruffinus de Porta, & Cornelius de Fontana.

An. 1208. Consules non invenimus.

An. 1209. Gulielmo Pastorello, Manfredo Rondana, Gulielmo de Andito, Uberto de Bonifacio, & Petro Passacaldara, Consulibus, per Gislerium de Andito annuentibus Consulibus Placentinis Clavena castrum, pro dimidio id tantum possidebat Gislerius, muro circundari cœpit.

An. 1210. Consules non invenientes dicimus, quod Dudrano Marcellino Prætorem Placent. agente Otto Imperator pacificus, pacificeque Placentiam ingressus est. Quo anno, ut in Registro patet,

A per Dudranum Prætorem nonnulli juramento adstricti fassi sunt, ut infra: *Henricus, & Albertonus de Montearzollo castrum Montarzollum, nonnullaque terræ jugera in feudum à Placentinis se habuisse, habereque confessi sunt Rainerius, & Albertus de Montearzollo centum jugera terræ se habere in feudum à Placentinis propalarunt; Marchiones Malaspinæ tenent Felinum Venaurem, Curtem Felinæ, & Castrum de Lizo de Cornu.*

An. 1211. Joanne Malamena, & Leonardo Rozono de Carminiano Consulibus, Bobienses vi armorum à Placentinis ad fidelitatem faciendam iterum coacti fuere.

B An. 1212. Alberto Malnepote, & Alberto Bregognono Consulibus, iterum rebellantes, iterumque vi armorum ad deditionem coacti Bobienses Placentinis fidelitatem fecerunt. Hoc anno in Registro invenimus inter Placentinos, & Mediolanenses, ac Gulielmum, & Conradum Marchiones Malaspinas colligationem factam, cum juramento inimicitiæ inimicis, & amicitiæ amicis.

An. 1213. Alberto Secamelica, Uberto Guadio de Fontana, & Lombardo de Fontana, Consulibus, Mediolanensium auxilio Placentini, Parpanesium castellum Papiensibus abstulerunt.

An. 1214. vel circa, Frater Jacobus, Ordinis Præ-
C dicatorum, Episcopus Placentinus ordinatus, sedit annos duos, vel circa, qui prævalentibus in urbe hæreticis paucos, aut nullos, Episcopatus sui habere potuit proventus.

An. 1215. Consules non invenimus; legimus tamen per hos dies Bossonassum & Rovescallam castella à Placentinis fuisse destructa.

An. 1216. Gandulfo de Fontana, Petracio Passacaldaria, Jacobo Malongia, Savino Surdo, Alberto de Montedonico, Presbytero Caccia, & Rogerio de Bonifacio, Consulibus, colligati Mediolanensibus Placentini, maximam agri Papiensis partem rapinis, incendiis & homicidiis fœdaverunt.
D Quo anno etiam apud Pontenurium cum Cremonensibus variante fortuna pugnatum legimus.

An. 1217. Quo de sibi illatis injuriis vindictam sumerent Placentini cum eorum confœderatis, agrum Cremonensem ingressi direptionibus & incendiis vastabant. Tandem Lanfranco Buccabarlano Brixiensi ac Prætore Placentino interveniente æquis conditionibus cum Cremonensibus Placentini convenerunt. Inter Mediolanenses autem, Placentinos, & Papienses his conditionibus pax firmata est, videlicet: *Quod Papienses per decennium, Viglevanum, Placentini autem loca communia, videlicet Plebetam, Sanctum Martianum, Montemdonicum, Ulmum, &*
E *Monticellum possiderent.* Quo anno in Registro legimus illos de Tevilio, de Porcelasco, & de Tevigio, Consulibus Placentinis se submisisse.

Et quia in annis sequentibus nullos, vel paucos, Consules inveniemus, sat erit de solis Prætoribus seu Potestatibus memoriam facere, de quibus si duo, tres, seu plures ejusdem anni Prætores occurrerint, minus admirandum erit, si & temporum vicissitudines, & civium factiones considerabuntur.

Anno igitur 1218. Lanfranco Pontremulensi Prætore, grossiorem monetam cudere cœperunt Placentini. Quo anno, quæ de puteis, & quæ stratæ elevatæ dictæ, urbis portæ factæ fuerunt.

F An. 1219. Guidone Busto Mediolanensi, & post illum Guidone de Crema, Prætore, Mediolanensium auxilio ad Burgum Sanctum Doninum profecti Placentini direptum locum combusserunt; inde ad Bussetum lati capto loco tanta discordia vexari cœperunt, ut sine ordine Placentiam reversi, populus milites cum Guidone Prætore urbe expulerit, Guidonemque de Crema in Prætorem sibi elegerit.

An. 1220. Fulco, patria Placentinus, (monasterii sanctæ Euphemiæ Præpositus hic fuerat) Honorio,

rio, ejus nominis tertio, Pont. Max. sedente, Episcopus Placentinus ordinatus, sedit nonnullos menses; deinde translatus fuit ad Episcopatum Papiensem.

Anno eodem Vicedominus, ex nobilibus de Cossadochis, Episcopus Placentinus ordinatus sub Honorio, qui supra, & Gregorio, ejus nominis nono, sedit annos tredecim, sepultusque est in monasterio Columbæ. Tres hujus anni Placentinorum Prætores legimus, videlicet Græcum Fornarium, Gulielmum Bisutum, & Belingarium Mostagium. Contra milites ad Campremoldum egressus populus, cum non invenissent hostes, direpto loco præda onusti ad urbem reverti nituntur. De re facti certiores, qui per agrum vagabantur, milites eos insequuntur, captosque ex eis sexcentos, trecentos in castro Arquato, reliquos in Florentiola custodiendos ducunt. Tandem Sutino Coleono Cremonensi Prætore interveniente pacificantur, lætique omnes urbem ingrediuntur.

An. 1221. Sedatis civium animis Otto Mandellus Mediolanensis per Cardinalem Ostiensem Prætor Placent. mittitur. Populo minus gratus hic cum esset, Gulielmus de Andito Prætor eligitur; id ægre ferens Otto cum nobilioribus noctu Gulielmi domum aggreditur; qui rem præviderat Gulielmus, domumque armatis militibus stipaverat, optime se defendens ad diem pugnam protraxit; mane armatus populus ad domum properat, captumque, cum suis judicibus ac ministris, & ex militibus centum, Ottonem carceri mancipavit; verum infra horas paucas, cum è carcere fugisset Otto, optimis intervenientibus civibus, & cæteri liberantur; & tunc, quas à populo Placentino sub deposito receperant, mille marchas argenti, annuente Cardinali Mediolanenses restituerunt; Otto è carcere fugiens ad Canobium, ubi duo & sexaginta Placentini obsides servabantur, properavit, eosque sub arctiori carcere custodiri voluit; atque pro ipsorum liberatione mille sexcentas libras ab eis extorsit.

An. 1222. Gerardum de Dovaria Cremonensem, & Jacobum de Burgo Cremonensem, duos successive Prætores habuit civitas Placentina: quæ nec hoc anno seditionibus caruit; bonis tamen intervenientibus civibus pacata fuit. Per Morinum Communis Placent. Syndicum & Procuratorem Palavicino de Palavicinis, Marchioni, ejusque fratribus, ne, quam in Anguliano castello suo incœperant, fabricam prosequeretur, ex parte ipsius Communis inhibitum fuisse invenimus in Registro, ubi etiam legimus, ut infra: *In nomine Domini. Amen. Anno ab Incarnatione ejusdem Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, Ind. decima, die Lunæ, undecima Aprilis, in plebe Florentiola, coram Ribaldo de Carrio, Fulcone Bergognono, Pulcrono Rondano, Novellono de Porta, Joanne Surdo, Ugone de Malascuderio, & Joanne Capite agni, omnibus testibus rogatis, Dominicus Morinus Ambasciator Communis Cremonæ, nunc negotia Communis Placentiæ gerens, in præsentia & consensu Domini Petracii Advocatoris, & Domini Gandulfi Fulgosii, & Domini Ruffini Zanardi Ambasciatorum Communis Placentiæ, ex parte militum, & Domini Lanfranchi de Scoto, & Domini Gulielmi de Ziliano, ejusdem Communis Ambasciatorum ex parte populi denunciavit, & dixit Domino Palavicino Marchioni de Palavicinis, ut à modo ipse, nec fratres sui procedant in laborerio castri, sive loci, quod facere cœperant in monte Anguliani, & quod id totum quod factum erat super eodem monte à denunciatione; citra quam fecit Dominus Petrus de Olduinis, tunc Communis Cremonæ Ambasciator ad gerenda negotia præfati Communis Placentiæ, cum Ambasciatoribus ejusdem Communis ipsis Marchionibus penitus destruatur, & de eo, quod factum erat ante primam denunciationem, eo quod destrui debet à denunciatione, citra facto præcepit eidem Domino Palavicino, ut ipse & fratres sui in proximum tempus respondeant Communi Placent. & Communis negotia gerentibus*, &c.

An. 1223. Nigrum Marianum Cremonensem Prætorem habuere Placentini.

An. 1224. Placentiæ post valvas ecclesiæ majoris per Petrum de Vacario, & Garafallam, ac Joannem de Judeo, qui cum Gulielmo de Andito jam diu litigaverat, Joannes de Pradello crudeliter interficitur. De malefactoribus vindictam sumere dum nititur Ugo Angagnolla (Prætorem enim agebat) facta seditione, ac fractis carceribus per Gulielmum de Andito nexu soluti malefactores ipsi abire coguntur; ea indignitate læsi milites urbem egrediuntur, ac rapinis & direptionibus vacantes per agrum debacchantur; hos insecuti populares ad locum, quod *partitorium* dicitur, adoriuntur; nonnullisque interfectis, aliquot etiam eorum captivos in urbem traxerunt; infra paucos tamen dies Gnazeno Mediolanensi Prætore interveniente popularibus reconciliati milites in urbem revertuntur.

An. 1225. Tam à militibus, quam à popularibus Lombardus Guazarenus Cremonensis Communis Prætor eligitur. Hic antequam urbem ingrederetur apud Sanctum Christophorum primum, mox apud Sanctum Bonicum, ultimo etiam apud Potentianum, nonnullis diebus à militibus retinetur, causam tamen non invenimus.

An. 1226. Pluvino de Nichoardis Prætorem Placent. agente in Guatinam Ruscham Prætorem Mediolanensem, tam per milites, quam per populares de unione & pace compromissum fuit. Hic in platea majoris ecclesiæ capitulis, & pacis conditionibus solenniter publicatis, Gulielmum etiam de Andito omni noxa solutum declaravit.

An. 1227. Guidone de Landriano Mediolanensi Prætorem Placent. agente ab Abbate monasterii Sancti Petri in Cælo aureo Papiens. libris duabus millibus quadringentis Fombium castellum ultra Padum Placentini emerunt, & hoc in Registro Communis.

An. 1228. Abiaticus Marcellinus Placentinum Prætorem agebat, cum Opizo Malaspina nomine etiam & vice Conradi patrui sui Placentiæ in palatio Communis medio juramento Prætori ipsi & Consulibus promisit, tam in bello, quam alio in eventu præsto esse, & succurrere Communi, & Consulibus Placent. Prætor autem & Consules ex vi ejusdem juramenti promiserunt eundem Marchionem in similibus tueri & defendere; paucos post dies, quod promiserat Opizo Conradus patruus confirmavit.

Anno eodem die 28. Martii in ecclesia plebis Montarzolli Vallis Trebiæ, Albertus Bernardus, & Lantelmus fratres de Montarzollo fidelitate facta jurejurando promiserunt servare omnia, & singula Prætoris Placent. præcepta; quo anno Divæ Mariæ de Nazareth extra Placentiam ad meridiem ædificata fuit ecclesia.

Eodem anno invitis Pontremulensibus Codonnum ad Apennini radices per Placentinos acquisitum fuit.

An. 1229. Gulielmo Saporito Prætorem Placent. agente Bobienses in jam Placentini jurata fidelitate perseverare coacti fuerunt: omnes nanque ab quindecim ad septuaginta annos fidelitatis juramentum repetisse, reperimus.

An. 1230. Dum Raimundus Zagus Mediolanensis Placentinum Prætorem ageret, nonnulli hæretici ex Catarorum secta Placentiæ igne fuerunt consumpti; suis nanque meritis ita confidebant, quod peccatoribus pœnitentibus veniam dari posse negabant.

Anno eodem à Placentinis libris centum quinquaginta receptis omnem, quam agro Placent. habebat, juris-

jurisdictionem, & merum ac mixtum imperium ea conditione, ut singulis annis quadraginta libræ sibi ab eis numerarentur, Episcopus Bobien. Placentinis renunciavit; quo anno remissis sibi invicem injuriis Rhegienses cum Placentinis legimus optime convenisse.

An. 1231. Cum omnibus & singulis civibus præcepisset, ut arreptis armis ad domum Gulielmi de Andito illum sequerentur, Gofredus de Pirovallis Prætor Placentinus, instante ipso Gulielmo à prætura fuit absolutus, locoque ejus Fulcus de Andito, Tadus de Tadis, Clavellus Filiodonus, & Gandulfus Fulgosius quattuor urbis Rectores communiter electi fuerunt; horum auctoritas per biennium duravit.

An. 1233. Reipublicæ Placent. regendæ Provincia, tam à militibus, quam à popularibus Lanterino Mainerio demandata fuit; quo anno per Vicedomini Episcopi Placentini sententiam in Registro Communis legimus, *presbyterum Symonem Canonicum, & Syndicum monasterii, & ecclesiæ Sancti Petri in Cælo aureo Papiæ, sibi à Placentinis centum libris imperial. numeratis, eis finem fecisse de omni eo, quod nomine dicti monasterii illis petere posset, tam in spectantibus ad res Fombii, quam Sancti Floriani*, &c.

Anno eodem, mortuo Vicedomino in Episcopatu Placentino successit frater Egidius Ordinis Cisterciensium, qui omnibus gratissimus, sedit annos septem, sepultusque fuit in ecclesia Quarticiolæ, juxta altare.

Eodem anno, omnium civium discordiæ, seu differentiæ componendæ negotium fratri Leoni Ordinis Minorum compromissum fuit; hic viginti hinc & hinc à se electis jussit, ut amplexibus stricti invicem se oscularentur; mox æque divisis honorum titulis, Lanterinoque in prætura confirmato, omnium societatum colligationes dissolvit; militum tamen societates eodem anno reformatas legimus; domi nanque, & foris civibus infestissimus annus fuit; nam Arduinus Confanonerius Montem-Sanctum castellum occupavit ex una, ex altera, cum sibi adhærentibus, nonnullisque Cremonensibus, Gulielmus de Andito quosdam peregrinæ mentis milites Placentinos urbe extraxit, atque ad Rivergarium duxit. In urbe etiam dum in platea majoris ecclesiæ prædicaret Frater Rolandus de Cremona Ordinis Prædicat. ac de fide contra hæreticos vehementer disputaret, cum facinorosorum sicariorum turba accedentes hæretici eum loco dejecerunt. In tumultu illo, qui pro fide se opponere voluit divi Savini Monachus lethaliter vulneratus est; altera die jussu Episcopi ac Prætoris per milites capti nonnulli missi sunt ad Pontificem Maximum.

Anno eodem, Beltramus de Porta populo Prætor eligitur, milites autem Opizonem Malaspinam Ducem sibi præficiunt; contra hos ac Vallis Tarri incolas centum, cum ex militibus Cremonensibus, nonnullisque Placentinis, ducens Palavicinus Marchio, cum pugnasset, victor evasit, captosque quinque & quadraginta equites, & octoginta pedites, ac Placentiam ductos carceribus mancipavit; tum quo eam victoriam sibi gratiorem ostenderent Placentini, libras mille eidem numerari jusserunt. Hyemis asperitas hoc anno non fluviorum modo aquas, verum etiam intra vegetes vinum condensare est visa; & quia eo algore non tantum vineæ, ficulneæ, & oliveta, sed & nuceæ arbores omnes fere exsiccatæ fuerunt, arueruntque, maxima alimentorum penuria, & hanc sævissima pestis subsecuta est.

An. 1234. Beltramus de Porta primum, mox Berengarius Mastagius Prætorem egerunt; quo anno populus Placentinus militum Cremonensium suf-

A fragio, in quibus milites Plac. se retraxerant, Rivergarium & Pigazianum castella obsidentes, infra decimum septimum diem ad deditionem coegerunt, eosque sibi conciliatos in urbem reduxerunt; verum infra paucos dies cum familiis suis milites urbem iterum egressi ad Rivergarium se retraxerunt; tum populus apud sanctum Sixtum, renitente Conrado Malaspina eorum Prætore, electis Capitaneis duodecim, cum his qui urbem exierant militibus, jusserunt pacem procurari; tunc electi Duodecim loricati per urbem discurrentes jurejurando cives sibi
B colligebant; id ægre ferentes Conradus & Gulielmus de Andito una cum eorum familiis Cremonam perrexerunt; tunc qui rem tute agere cupiebant Duodecim electi, cum Cremonensibus, &, qui ad hoc Placentiam Legatos miserant, Papiensibus juramento à singulis iterum accepto in Joannem Pecorariam Cardinalem compromittunt; hic, militibus in urbem restitutis, omnibus communem Raicerum Zenum Venetum Prætorem dixit, ac institui procuravit, atque Gulielmum de Andito cum omnibus, qui secum Cremonam aufugerant, proscripsit, eorumque domos everti ac demoliri mandavit. Annus is erat trigesimus sextus supra millesimum ducentesimum.

C An. 1237. Henrico de Modœtia Prætore, Placentini Monticellum, & Casellas Padi combusserunt, conveneruntque supra ipsum Padum apud dictum Monticellum pontem erigere; quo anno in campo Feræ Carcassonus de Cremona, & Cerdonus de Mantua duo pugiles in agone contendentes, Carcassonus victor evasit.

An. 1238. Raicerius Placentiæ iterum Rector urbem ampliare cupiens, fossis per gyrum ductis, S. Lazari, S. Antonini, & Sancti Raimundi tres portas prioribus addi voluit; quo anno sibi ab Frederico Imperatore timentes Placentini, ne locus ab hoste occuparetur, Burgum novum igne consum-
D pserunt, castrumque crucis agri Bobiensis vi armorum ceperunt. Medianos etiam, & grossos valoris sex denariorum cudisse illos legimus.

An. 1239. Guifredo de Pirovallis Mediolan. Prætorem Placentinum agente, Papienses, Vercellenses, Novarienses, & Astenses, maximo cum belli apparatu terra & aquis ad pontem super Padum à Placentinis noviter erectum veniunt; & quo id opus facilius destruerent, jacto eodem in flumine super colligatis navibus novo ponte, magnam super alias naves lignorum struem erigunt, igneque supposito in Placentinorum pontem deji-
E ciunt; at in cymbis parati Placentini perticis & catenis ardentem machinam ad fauces Lambri usque impellunt, sicque suum pontem animosissime tutati sunt.

An. 1240. Azone de Pirovallis Prætore, Albertus de Prandonibus, patria Brixiensis, Episcopus Placentinus ordinatus, sedit annos unum & viginti, translatus inde ad Episcopatum Ferrariensem; vacat sedes per biennium. Hoc anno, Frederico contra Pontificem Maximum sæviente: *Et erat*, ait Blondus, *in Lombardia Gregorius Montelongus Pontificis Legatus, qui à Faventia Mediolanum usque quicquid urbium oppidorumque viæ impositum est Emiliæ in*
F *Pontificis Gregorii, & sociorum bello partibus continebat.*

An. 1241. Leonardus Vicecomes Prætorem egit; sub quo nil notandum legimus.

An. 1242. Manfredo Confanonerio Brixiensi Placentinum Prætorem agente, Innocentius, ejus nominis quartus, Pontifex Maximus universitatis literariæ studii Placentinis aliàs concessum Diploma amplioribus gratiis decoratum reddidit; quo anno Henricus, Frederici Imperatoris filius, cum copiis per agrum Placentinum transiens, cum nonnullis ejusdem agri locis Potentianum castellum igne consumpsit.

An. 1243. Henricus iterato agrum Placentinum vastavit. Famem hoc anno prævaluisse legimus, Conrado de Concisio Prætorem Placentinum agente.

Annus insequens Azonem de Pirovallis Prætorem secundo Placentini habuerunt.

An. 1245. Ottone Vicecomite Prætore Henricus, Friderici filius, adauctis in agro Cremonensi copiis, iterato in Placentinos irruens, & ad ejus urbis mœnia usque discurrens, etiam quod Sancti Spiritus dicitur hospitale combussit; spe namque obtinendæ urbis ab Alberto de Fontana sibi facta juxta mœnia etiam obequitabat; tandem ea spe delusum se perpendens inde recessit, Xenodochiique leprosorum campanam asportari jussit; quo anno Gerardum Anguisollam ducentis sexaginta libris, quæ in Salso majori civitas Placentina habebat, jura emisse legimus. Anni insequentes Rectores habuerunt,

An. 1246. Landulfum Crivellum Mediolanensem.

An. 1247. Manvellum de Madiis Brixiensem.

An. 1248. Lanterinum Peralmum Mediolanensem.

An. 1249. Paulum de Soresina Mediolanensem.

An. 1250. Matthæo de Corrigia Parmensi Prætorem agente, populus Placentinus milites urbe expulit, Ubertumque de Iniquitate novum Prætorem sibi creavit; & ne in agro milites longo fruerentur præsidio una cum Cremonensibus ad Rivergarium obsidendum, Uberto Palavicino Cremonensium Prætore Duce, pergunt: eo ad deditionem coacto, Fontanam, Raglium, & Carrium tria castra, infra biennium destruunt, penitusque demoliuntur; & Grimoaldo militum Prætore abrogato, Ubertus Palavicinus Placentiæ Prætor creatur; hic Guidone Scarso Papiensi Placentiæ Vicario relicto Cremonam revertitur; ibi ejus civitatis rebus suo nutu compositis Placentiam regreditur, atque Factionis Gibellinæ suffragio Rector perpetuus, ac Dominus Placentiæ eligitur, anno videlicet millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto.

An. 1251. Lanfrancus Grimaldus Genuensis primum, mox Ubertus de Iniquitate Prætores fuerunt.

An. 1252. Ferracanis Papiensis Prætorem Placentiæ dum ageret, cum Palavicino, principatum urbis ambiente, simultate laboravit; verum, ut in Registro invenimus, mediantibus Papiensibus Papiæ in consilio generali ejus civitatis, cum ipso Palavicino optime convenit.

An. 1253. Ubertus Palavicinus Prætor Placentinus factus, (ut jam diximus) Cremonam profectus, Guidonem Scarsum Vicarium reliquit.

An. 1254. Ubertus Palavicinus, ex Prætore Rector perpetuus ac Dominus Placentiæ creatus, Bernardum de Sesso Rhegiensem pro se Prætorem instituit. Hoc anno per Martinum quendam hospitale Casædei institutum legimus. Inter hujus anni notanda in Registro Communis Placentiæ invenimus, ut infra: *In nomine Domini. Amen. Anno ab Incarnatione ejusdem Dom. millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, Indictione duodecima, die lunæ, septima Maji, in camera privata Communis Placent. convocatis ibi Dominis Ottone de Nuptiis, & Nicolao Odono Ambasciatoribus Cremonæ, & Dominis Ugone Nechii, & Pergamo Gato Ambasciatore Parmæ, & Dominis Gualterio Zuccha Judice, & Vasallo de Concisio Ambasciatoribus Brixiæ, & Dominis Calvo Gobbo, & Salvo Bigulo Ambasciatoribus Placent. & Dominis Angherio Carminiano, & Ottone Clerico Ambasciatoribus Papiæ, & Dominis Gufredo de Arquato, & Laurentio de Pulvino Ambasciatoribus Terdonæ, & Dominis Laurentio de Azivollis, & Petro Bello de Pontecaralibus, civibus & sapientibus Bergami, occasione ordinandi & dicendi bonum statum, & utilitatem, & proficuum monetæ supra scriptarum civi-*

A *tatum; qui venerunt ad infra scriptam concordiam: In primis placuit eis, quod moneta grossa fiat, quæ valeat quilibet denarius grossus quattuor imperiales; item quod in qualibet marcha ipsarum monetarum sint quinque quarterii, & dimidium rami, & non plus, & sex unciæ, & duo quarterii, & dimidium argenti finis, & puri, & non minus; de quo argento qualibet civitas habeat assazium penes se. Item quod in qualibet marcha de Bergamo adscendant deductis denariis quattuordecim, solidi & tres denarii de denariis grossis sup. & adscendant in summa quinquaginta & septem solid. imper. ad rationem quattuor imper. pro uno*
B *quoque denario grosso ipsius monetæ; tali modo, quod nullus denarius sit in ipsa moneta grossa, qui sit ultra rationem quinquaginta & novem solid. in qualibet marcha; nec minus de quinquaginta & quinque solid. imper. in qualibet marcha ipsius monetæ. Ita quod simul coadunati & mixti sint, & cadant ad rationem quinquaginta & septem solid. ad rationem quattuor imper. pro qualibet marcha. Item liceat cuilibet ipsarum civitatum facere istam monetam grossam, si voluerit, & si noluerit, nihilominus teneatur qualibet ipsarum civitatum recipere & expendere dictam monetam prædicto modo factam. Item fiat moneta parva, & sit talis ipsa moneta, quod octo denarii parvi, qui dicuntur*
C *mediani, currant, & expendantur pro uno denario grosso superius nominato; & tali modo colligentur ad duodecim uncias, videlicet duas uncias & dimidium argenti puri, & non minus, & novem uncias rami, & non plus, & adscendant in illis duodecim solid. unciis quadraginta & septem, ita quod in istis denariis parvis non sit aliquis denarius levior ultra quinquaginta in qualibet uncia, ut supra.*

Inter Laudenses & Placentinos certis conditionibus per decennium legimus inducias intercessisse.

An. 1255. Pro Palavicino Azo de Gobbis Parmensis Prætorem Placent. egit.

An. 1256. Pro Palavicino Rolandus Manivertus
D Parmensis dum Prætorem ageret; annuente populo Palavicinus, omnibus Placentini agri destructis castellis, etiam Cremonæ dominio potitus est; nec his contentus Palavicinus, sed ad Brixiæ tyrannidem inhians, quo facilius eam civitatem sibi subjugaret, Ezelino de Romano nonnullarum Venetæ regionis civitatum tyranno colligatus adhæsit; huic per Fredericum Imperatorem, quod in Archivis Placentinis vidimus, amplissimum omnium bonorum suorum exemptionis privilegium fuit concessum; illumque ab Henrico, ejus nominis sexto, Imperatore in Diplomate Ubertino de Lando sub die 26. Aprilis an. 1313. Pisis concesso, sic incipien-
E te: *Imperialis clementiæ mansueta sinceritas, sacri Imperii Lombardiæ generalem Vicarium invenimus nominatum*, &c. *Interim*, ait Blondus, *impigriores fuere Parmenses patria extorres, qui Placentinorum allata populariter ope freti, iter ad recipiendam patriam sunt aggressi.*

An. 1257. Facta seditione per Albertum de Fontana, Gulielmus è Petra pro Palavicino Prætor una cum Ubertino de Lando Placentia ejicitur, ipseque Albertus Prætor eligitur. Ubertinus urbe expulsus Cavursium castellum occupavit, ac munivit, indeque Manfredo Regi Siciliæ militare cœpit, à
F quo etiam Venafriæ Comitatum in Apulia promeruit; Gibellinorum namque fautor Manfredus omnibus ejus Factionis Placentinis extorribus stipendia suppeditabat; eques libras tres, pedes solidos viginti singulo mense recipiebat.

Annus is erat millesimus ducentesimus quinquagesimus octavus, cum Luxiardi, & Vallis Tarri nobiliores Uberti Palavicini favore Burgum Vallis Tarri, qui in Placentinorum fide perseverabat, vi armorum obtinuerunt, & Palavicini Speculum castellum occupaverunt. Nec pigrior fuit Albricus de Gravago; hic namque quod ei per Placentinos abla-

ablatum fuerat, una cum fratre Gravago castello recuperato, inde cives Placentinos infestare non cessabat.

Hoc anno legimus Fombium castrum per Commune Placentiæ pro dimidio venditum fuisse Nicolao, & Oberto fratribus de Bagarotis precio librarum mille ducentarum septuaginta septem, & solidorum decem Placent.

An. 1259. Guiscardo de Petra Sancta Prætore Placent. contra extorres profecti Placentini cives à Palavicinis & Luxiardis apud Nucetum cæsi milites quinquaginta, pedites trecentos, signa militaria duo, & cum eorum tubis duos tubicines desideraverunt; quo anno supra Padum pontem erectum legimus.

Eodem anno per Philippum Fulgosium Episcopum Placent. & Ubertum Cagnolum Archidiaconum, cum Scotis & Mancasollis expulso Alberto de Fontana, Philippus ipse Placentinam præturam occupavit; quo facto Ubertinus de Lando cum Henrico & Guidone Palavicinis pacifice Placentiam ingrediuntur.

Annus insequens tumultuantibus civibus Bartolinum Tabernarium Parmensem, Castellanum Domini Guidonis Bononiens. Philippum Fulgosium Episcopum Placent. & Neapolinum è Turre Mediolan. quattuor Prætores civitas Placentina passa est.

An. 1261. Ubertus Palavicinus, recuperato principatu, cum nobili militum societate Placentiam ingressus Vicecomitem ex fratre nepotem urbis Prætorem creavit.

Anno proximo pro Palavicino Manfredo Lupo Prætorem Placent. agente, die vigesima Januarii, Uberti Palavicini jussu per solemne ac generale consilium Placent. conclusum ac sancitum fuit, Ubertinum de Lando Venafriæ Comitem habere, & colligere debere pedagium, guidagium, ac gabellam Clavenæ, ac Nuriæ fl. jusque dicendi potestatem in omnibus & singulis infra scribendarum villarum hominibus à quinque & viginti libris infra, proventumque eo ex officio obtinere pro quolibet bovum jugo frumenti sestarium unum, & ejus mensuræ medietatem pro singulo privato (*Bracentem* vocant nostrates) annis singulis; idque juris etiam in ejusdem Ubertini voluerunt transire successores. Villarum autem nomina sunt; villæ Roncharolli, Casellarum Padi, Sparaveriæ, Cavursii, Sancti Nazarii, Arsuræ, Monticellorum, Zuvenichii, Pulignani, & Sancti Petri in Cerrio.

An. 1263. Gandiono de Dovaria Prætorem Placent. agente Carolus Andegavensis, Provinciæ Narbonensis Comes, à Pontifice Max. utriusque Siciliæ Rex jam declaratus, fratris auxilio fultus (Ludovici Francorum Regis germanus erat) maximum pro regnis obtinendis exercitum parari jussit; hunc per Lombardiam Romam deducendum Comiti Flandriæ cum tradidisset armata classe ex Galliis Romam Pontificem alloquuturus ipse vectus est; ibi ipso cum Pontifice ac Patribus de re agenda habito consilio, ab se jam præparatas ex Galliis in Italiam accersit copias; has uti Cisalpinam Galliam ingressas intelligit, qui Placentiæ, Cremonæ, & Brixiæ dominio jam potitus fuerat Ubertus Palavicinus, milite undique contracto, quo eis iter præcluderetur, toto conatu resistere statuit; factus de re certior Carolus Guelphorum suffragio innititur, novoque Italorum habito delectu contra Palavicinum ad Capreolum agri Brixiensis castellum oppugnandum ire pergit; ibi pugnatum cum fuisset, Caroli miles victor evasit. Ea clade audita cives Brixienses contra Palavicinum se erexerunt; Franci autem collectis cæsorum spoliis, oppidoque in Palavicini contemptum everso, in Apuliam recto tramite properarunt. Hoc an. per Gandionum Prætorem pro Plac. legimus Fombium recuperatum.

Anno eodem videntes Placentini extorres totam fere Hetruriam, ac Italorum Principum maximam partem, cum Pontifice Maximo & Carolo Rege convenisse, intervenientibus Uberto de Ronchoveteri, ac Flamengo de Lando Palavicino, ut & ipse cum Ecclesia conveniret, suaserunt; nec durior ad id cum Cremonensibus se reddebat Palavicinus, sed de Dovaria dubitabat. Interim, Placentiæ facta seditione Bregognonus, Anguisciolla, & Albertus Buffa de Lando, cum armatis hominibus, alter ad Sanctum Antoninum, alter ad domum illorum de Buffis se retraxit; tunc cum Prætore Ubertinus de Lando maximam studiosorum sui nominis partem in platea majoris ecclesiæ reduxit; ubi postquam aliquantisper exspectassent, Ubertino ad ejus loci custodiam permanere jusso, Prætor multo cum milite, ac portæ Novæ populo contra Bregognonum processit, nonnullisque ex factiosorum societate interfectis, Bregognonum cum cæteris urbe expulit. Altera die, optima cum custodia ac militum Cremonensium societate Ubertus Palavicinus Placentiam ingressus, Buffam urbe expulit, & quotquot ex ejus societate potuit capi, ac Cremonam puniendos mitti jussit. Nec diu quievit civitas; nam qui exsulabat Albertus Fontana infra paucos dies maxima cum exsulum ac proscriptorum multitudine Placentiam ingressus Palavicinum exire coegit, & hoc est, quod invenitur in Registro, ubi dicitur: *In nomine Domini. Amen. Anno Domini 1263. Indict. septima, die Jovis, nono Novembris, Placent. coram castello Dulzano, Roberto de Ronchoveteri, Ubertino de Iniquitate, Gerardo Muto, Gerardo Vico de Andito, Gulielmo Cagnollo, & Jacobo de Gropallo testibus rogatis, cum Albertus de Fontana, tunc Potestas Placent. in pleno ac generali consilio*, &c. Hæc diximus, quia multi à multis ponuntur Prætores hujus anni, & sequentis. Parvi dispendii est visus Fontanæ ingressus; ex Cremona enim superveniens Legatus Apostolicus omnia pacata reddidit; qui cum Palavicinum ad cedendum principatui induxisset, Reginaldo Scoto Prætore Placentiæ relicto, ad Burgum Sanctum Doninum properavit. In hoc anno invenimus Placentinos duas Consiliariorum partes ad nutum Joannis Palastrelli, tertiam jussu Ubertini de Lando creasse.

Anno eodem, qui jam fuerat intrusus Philippus Fulgosius Episcopus Placentinus factus, sedente Urbano, ejus nominis quarto, Pont. Max. sedit annos septem & viginti; Mediolani moritur, sepeliturque in ecclesia Divi Eustorgii.

An. 1264. Conradum de Sancto Georgio Prætorem legimus.

An. 1265. & 1266. Lanterium de Paratico solum per mensem Prætorem Placent. egisse invenimus; confusa namque videbantur omnia; nam

An. 1267. Gerardinum de Dovaria pro Bosio de Dovaria per quattuor menses Placentiam rexisse legimus; cui successit Guidotus Archidiaconus de Cremona. Per hos dies ex Cremona Placentiam iterum reversus Apostolicus Legatus, quam cum Papiensibus & Cremonensium Oratoribus contra Pontificem Maximum perficere satagebat Ubertinus Landus colligationem dissolvit, ac penitus dissipavit; re aperta Ubertinus cum suis complicibus facta fuga in Bardi Arce sese recepit; hic namque in clade Apula à Carolo cæsus, Henrico, & Galvagno duobus filiis in Francorum captivitate relictis, Manfredo mortuo cum paucis, qui cladi superfuerant, Placentinis, obliquis itineribus Placentiam reverterat; tum Legati Apostolici jussu tam ipsius Ubertini, quam ejus complicum domos Placentini evertunt, & quod in urbis pomœrio consitum erat viridarium succidunt; illius insuper armenta, dum ad Senum castellum ducerentur, per illos de Florentiola direpta fuere; nec iis contenti

Placentini nonnulla Palavicini caſtella vi armorum capiunt ac diripiunt, direptaque demoliuntur. Legimus Adalbertum de Gamberto de Porta per hos dies pro Carolo Andegavenſi Placentiam rexiſſe, idque pro Eccleſia Carolum feciſſe pro certo putamus; nonnulla ſiquidem oppida pro ipſa Eccleſia illum recuperaſſe invenimus; ſicut de Gravago legitur in quibuſdam Notariorum ſcriptis.

An. 1268. Dum Caſſanus è Turre Mediolan. Placentiæ Prætorem ageret, Ubertinus de Lando Papiam ad Conradinum Suevum profectus; (hic pro regno paterno recuperando multo cum milite contra Carolum in Apuliam properabat) eidem facta fidelitate Comitatus Venafriæ, addito etiam Muriſii Comitatu, confirmationem reſtaurari obtinuit. Conradinus autem Papiæ reſtaurato milite per agrum Placentinum in Apuliam infeliciter deſcendit; à Carolo namque juſta acie fuſus capitur, ac capite punitur. Interim quo injuria & damnis Placentinos magis afficeret Ubertinus de Lando, quæ ad illam diem in eorum fide perſeveraverat Præſemonæ Arcem vi armorum cepit, & quotquot in ea invenit, interfici juſſit; ea Arce optimo præſidio munita ad Carpaneſium ducit, locumque vi armorum captum militi diripiendum reliquit; pedites ſexaginta, equiteſque duodecim ibi inventi ad Gravagum ducti fuere; eadem die, qui in Zavatarello erant, extorres Placentini ad Montemventanum ducenti locum diripiunt, direptumque igne conſumunt.

An. 1269. Arocho è Turre Mediolanenſi Placentinum Prætorem agente, Ubertus Palavicinus, jam diu principatu privatus, in caſtro Siſaligio à Placentinis & Parmenſibus obſeſſus infeliciter moritur; quo anno, Bardi Arcem obſeſſam deditam Placentinis legimus.

Anno proximo Luguro de Suvino Prætorem agente, Placentiæ inter Albertum de Fontana, & Joannem Palaſtrellum ortis diſcordiis, Antonii de Fontana filius interfectus invenitur; odium tamen ſimulato ſilentio operiebatur. Per hos etiam dies in Montanis inter Luxiardos & Fliſcos armis diſceptatum eſt: victores cum evaſiſſent Luxiardi, ex hoſtibus centum & ſexaginta interfectis, Albertum, Nicolaum, & Mazum de Fliſco, cum equitibus octoginta captos ſecum traxerunt; tandem fide data de Galvagno & Conradino, vel Henrico Mal. Ubertini de Lando filiis (in clade Apula hi capti fuerant) reſtituendis, datiſque obſidibus inter Fliſcos & Luxiardos pax firmatur. Fliſcorum timore ſolutus Ubertinus, & Zavatarello erumpens, Zeneurerum capit, diripit, ac igni comburit; indeque totam Vallem Tidoni infeſtare non deſinit; tum & Ubertino, & extorribus ipſis reſiſtere ſe haud poſſe cum perpendiſſent Placentini, aliis Regis Caſtellæ, aliis Caroli Andegavenſis patrocinio ſubeſſe cupientibus, illi de Scotis, cum cæteris mercatoribus (ait Chronica antiquior) vicerunt; ſicque per decennium Carolo Regi ſeſe ſubdiderunt; Robertus de Lavona à Carolo Rector Placentiam miſſus, omnibus extorribus redeundi in patriam ad menſem per edictum facta copia, primo Albertum, deinde de Gravago de Andito accivit, atque ad eum caſtrum ſibi reſignandum coegit, eidem cum Germano dividendis ſeptem millibus libris numeratis & aſſignatis.

A Balbis deinde Præduerianı, Præſeremonam, & Ozollam, à Manfredo de Ricciollo Arcem Variſii, ab Armano de Pexalla Agnellam, à Marchionibus Palavicinis Pelegrinum, & Belvedere, pro Placentinis obtinuit; Vicecomes tamen Palavicinus de pro Communi Placentiæ ipſis caſtris ſervandis, & cuſtodiendis, cum civibus optime convenit.

Paucos poſt dies pro Ubertino Lando, Luxiar- A di Gravagum iterum occupant; indeque cum extorribus Placentinis, ac ruſticorum Vallis Tarri multitudine contra eos, qui pro Carolo Bardi Arcem cuſtodiebant Picardos profecti cis pugnandi copiam faciunt; nec eam renuerunt Regii milites, ſicque pugnatum cum fuiſſet, victores evaſere Luxiardi; interfectis namque ſeptem & triginta, quinque & quinquaginta equites capti fuere; inter hos Placentini tres inventi ſunt.

Anno eodem Scarpi Nobiles de Vianino exemptionem & immunitatem ſuam à Communi Placent. obtinuerunt.

An. 1271. Conrado de Montemagno pro Rege B Prætore agente, Theobaldus Vicecomes, patria Placentinus, poſt Patrum longam diſcordiam abſens Pontifex Maximus electus, Gregoriuſque ejus nominis decimus vocatus, ſedit annos quattuor; hic Pontificatus ſui anno ſecundo pro Synodo celebranda in Gallias proficiſcens, octo cum Cardinalibus Placentia tranſivit; finitaque Synodo ex Galliis revertens, iterum Placentiam, indeque Peruſium, ubi & diem ſuum clauſit extremum, perrexit.

An. 1272. Sigimbaldus Cazelerius Piſtorienſis Prætorem Placent. egit.

An. 1273. Manfredus de Saxollo Prætorem egit C Placentinum.

An. 1274. Ruffinus de Puteo Alexandrinus Prætorem cum egiſſet Placentinum ante terminum ex ſeditione facta urbe expulſus fuit.

An. 1275. Bernardo Lanfredo Prætore, aperta, quam de tradenda Ubertino de Lando urbe fecerant, proditione, capti Gerardus de Ripapadi, Rubeus de Sancto Zenone, & Rugerius Ferrarius capite puniti fuerunt. Circa finem anni Placentinis reconciliatus Ubertinus de Lando pacifice Placentiam ingreditur, atque in publico palatio honorifice recipitur. Cazanimicum etiam de Cazanimicis hoc anno Placent. Prætorem legimus.

D Eodem anno longam poſt Imperii vacationem Rodulphus, Cornubiæ Comarchus, Imperator eligitur, imperavitque, licet non coronatus, annos viginti; hic comparandæ pecuniæ ſtudioſiſſimus, cum eſſet Lucenſibus, Florentinis, Genuenſibus, & Savonenſibus ob numeratam pecuniam libertate donatis, Scribam etiam in Italiam miſit, qui omnes, quibus vivendi, regendique Rempublicam placuiſſet libertas, dummodo numerarent civitates, ac populos liberos, exemptoſque declararet; huic Placentinos fidelitatem feciſſe in Regiſtro legimus, ut infra: *In nomine Domini. Amen. Anno ab Incarnatione ejuſdem Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo* E *quinto, Indictione quarta, die Jovis, decima Octobris; in domo Communis Placent. coram Dominis Guidone de Suzaria, Legum Profeſſore, Raimundo de Joculo Judice, & Aſſeſſore Domini Alberti Cazanimici Poteſtatis Placent. Gulielmo de Mazolino Judice præfati Poteſtatis, Aſpectato de Olivero ſocio ipſius Poteſtatis, Joanne de Balionibus Judice ipſius Domini Poteſtatis, & aliis quampluribus teſtibus, congregato conſilio generali Communis Placent. ſono campanæ voceque præconia, ſolito more de mandato Domino Cazanimici, Domini Alberti Cazanimici Poteſtatis Placent. præſente in eodem, Domino Juliano Archidiacono Judice, Domini Manarini de Manariis Capi-* F *taneis ſocietatis Mercatorum, & Paraticorum, convocatis in eodem conſilio Conſulibus dictæ ſocietatis, & ſocietatum populi Placent. ibidem lectis literis legationis vener. patris Domini Gulielmi Dei gratia Ferrarienſ. Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati; lectis etiam literis legationis ven. patris Domini Rodulfi Canzelarii Imperialis Aulæ, & fratris Beringarii Prioris hoſpitalis Hieroſolymitani per Alemaniam, &c. Illuſtr. viri Domini Henrici Comitis de Fuſtemberg, & monitione facta ibidem per eundem Dominum Legatum, Dom.*

Caza-

Cazanimico, Dom. Alberti Cazanimici Potestatis Placent. & Dom. Juliano Archidiacono Judici, & Vicario Dom. Manarini de Manariis Capitanei societatis Mercatorum, & Paraticorum civitatis Placent. & Consulibus dictæ societatis, necnon universis & singulis de ipso consilio, ut sacramentum fidelitatis facerent, præfatis Legatis serenissimi Domini Rodulfi Regis, in Imperatorem Roman. electi, petentibus sacramentum fidelitatis sibi fieri, vice & nomine Domini Regis prædicti; Dominus Cazanimicus, Domini Alberti Cazanimici Potestati supra scripti, & prædictus vice Capit. de consensu expresso, & Parabola expressa hominum de Placentia universorum & singulorum in dicto consilio tactis sacrosanctis Euangeliis corporaliter sacramentum fidelitatis fecerunt, juxta formam inferius denotatam, videlicet, quod præfati Potestas, & vice Capitaneus, & universi, & singuli in ipso consilio congregati erunt ab hac hora in antea fideles Romano Imperio, & Domino Rodulfo Illustr. Regi Romanorum semper Augusto; &, quod non erunt in facto, neque in consilio ubi præf. Dominus Rex perdat vitam, vel membrum, aut capiatur mala captione; consilium, quod per se, aut nuncios suos, seu literas eis crediturus est ipsis scientibus ad ejus damnum, seu præjudicium nulli pandent; si damnum ejus tractaturi sciverint, pro posse eorum impedient ne fiant, quod si per se impedire non potuerint, per nuncium, aut per literas ei significare curabunt, ut ad notitiam ejus perducatur; Imperium Romanum, & Regalia ejus, quæ habet ubicunque, & specialiter in Italia manutenebunt totis viribus, & defendent; ad defendendum, & manutenendum vero, quæ habet, seu tenet, adjutores erunt; officium eis commissum in Italia bene & fideliter exercebunt jura & jurisdictiones, & possessiones Rom. Imperii, quæ ubicunque consistere scient, revelabunt, & conservabunt; Nuncios præfati Domini Regis Rodulfi recipient, & fideliter ac benigne tractabunt; & omnia juraverunt, & promiserunt bona fide, & sine fraude, & dolo attendere & observare, tactis sacrosanctis Euangeliis, in omnibus, & per omnia, ut superius legitur, & continetur, &c.

An. 1276. Albertus Cazanimicus Cazanimici pater Prætorem Placent. egit.

An. 1277. Aloysius de Verona, & post eum Albertus de Fontana, Prætorem Placent. egit; quo anno maximam frumenti penuriam legimus.

An. 1278. Prætore Placent. Reginaldo de Cazeleriis Pistoriensi, sacra Divi Francisci ædes fundata fuit, Sancta Maria prius nominata.

An. 1279. Adelmatus Florent. Prætorem Placent. egit; quo anno, quæ tredecim pinnis consumebatur Divæ Mariæ de templo turris erecta fuit. Hoc anno, ut in Registro legitur, 20. Julii Papiæ in domo Potestatis per electos tam à Placentinis, videlicet Nicolaum de Ziliano, & Nigrum Rubeum de Vijustino, quam à Papiensibus, videlicet, Jacobum Tetavegiam, Rochum de Strata, Christinum Rampum, & Odonem parvum, de communi concordia conclusum fuit infra scripta loca, videlicet, Montedonicum, Sanctum Marcianum, Monticellum, Ulmum, & Plebetam esse & pertinere ad Placent. jurisdictionem; hoc idem per consilium generale ipsorum Papiensium confirmatum fuit.

An. 1280. Lazario de Lazariis Placent. Prætorem agente; qui per annos quattuordecim Francorum captivus fuerat Galvagnus Ubertini de Lando filius nexu solutus Placentiam applicuit, Reginaldique Scoti filiam sibi accepit uxorem.

An. 1281. Mense Majo dum Tibaldus de Brusatis Brixiensis Prætorem Placent. ageret, Palatium magnum Communis Placent. fundamentum accepit, in cujus fossa per cubitos sexdecim lapidea ara, cui insculptum erat, *Ara Bellonæ inventa dicitur;* de qua (ut in quibusdam Historiarum fragmentis legimus) post secundum bellum Punicum, Annibale per Romanos superato, ac Italia expulso, quod contra hostes Romanæ Reipub. viriliter semper restitissent Placentini, Bellona (ea Martis soror putabatur) ipsis pro tutelari data est; eam ob rem eo in loco ipsi Bellonæ ab Antiquis templum erectum creditur. Nec mirum si & invicem, & contra alios in arma citra difficultatem eriguntur Placentini.

Hoc anno, Carolus Andegavensis utrius Siciliæ Rex completo decennio, quo regendam Placentiam susceperat, ejus regimini cessit, ut in libro Registri patet fol. 499. ut infra: *In nomine Domini. Amen. Anno ab Incarnatione ejusdem Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, Indictione nona, die Lunæ, sextadecima Junii, sub logia Domini Thibaldi de Brusatis, Potestatis Placent. coram Dominis Alberto de Fontana, Guido Codeporco, Alberto Scoto, Rainaldo Saimbene, Monacho Fulgosio, Ricardo de Fontana, Palmerio Vicedomino, Uberto Nigro Vicecomite, Lanciloto Surdo, Gulielmo de Fontana, Uberto Lavandario, & Bonjoanne de Pontullo, ac Gufredo de Pegazano, testibus rogatis, congregato generali consilio Communis Placentiæ, sono campanæ, & voce præconis, sub loza hospitii ipsius Domini Potestatis, solito more convocatis ad illud Consulibus Paraticorum, & societatis populi civitatis ipsius de mandato suprascr. Domini Thibaldi de Brusatis Potestatis Communis & præsente & existente in dicto consilio Domino Gerardino de Buschetis Capitaneo societatis Mercatorum, & Paraticorum prædictorum, Balduinus de Anzillo Cur. in dicto generali consilio, & in præsentia & audientia fratris Petrolini, Prioris Fratrum, seu conventus Fratrum Prædicatorum de Placentia, fratris Philippini Codeporci, fratris Uberti Pighi, & fratris Pauli de Sancto Nicolao, de dicto Ordine Fratrum Prædicatorum, & fratris Philippi de Buschetis, Guardiani conventus Fratrum Minorum de dicta civitate, & fratris Paulini Bagaroti, fratris Alberti de Arcellis, & fratris Jacobini de Raglio, de dicto Ordine Fratrum Minorum, & fratris Antonini Vicarii, fratris Benverardi Thedaldi Prioris Fratrum, seu conventus Fratrum Eremitarum de Placent. & fratris Antolini de Verona, fratris Bassani, & fratris Benvenuti de Bononia de dicto Ordine Eremitarum; ex parte serenissimi Domini Caroli, Dei gratia Hierusalem & Siciliæ Regis porrexit, atque dedit Domino Opizoni Ceratæ de Alba, olim Clavario pro dicto Domino Rege in Placentia, literas sigillo ipsius Domini Regis, cum cera rubea sigillatas, apertas, sanas, & integras, non vitiatas, neque corruptas, in literis, neque in sigillo, & sine aliqua cancellatura, & cum fimbria, seu cartula scissa juxta sigillum ipsarum literarum, secundum consuetudinem Regalis Curiæ in sculptura, seu imagine, cujus sigilli est imago ipsius Domini Regis super equo, cum ense in manu ab uno latere, cum scriptura dicente, filius Regis Franciæ Andegaviæ, Provinciæ, Forcalqueræ, Tornad. Comes; & ab alio latere est ipsius Domini Regis imago, sedens in formam duorum leonum, cum ferula, seu Zilio in manu dextra, & cum pomo, cum cruce in manu sinistra, & cum scriptura dicente, Carolus Dei gratia Rex Hierusalem, Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ hanc formam continentes:* CAROLUS *Dei gratia Rex Hierusalem, Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, almæ Urbis Senator, Achajæ, Andegaviæ, Provinciæ, Forcalker, & Tornad. Comes, Opizoni Ceratæ de Alba Ærario Placentiæ fideli suo gratiam suam & bonam voluntatem, cum nos quaternos omnes, & scripta singula facta olim nostri in Placentia Dominii tempore, quo ibidem pro nobis de nostro mandato Ærarius exstitisti, quæ penes te sunt in camera civitatis ipsius Potestati & Capit. Placent. per te assignari volumus, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus statim receptis præsentibus quaternos, & scripta hujusmodi facta, in Placentia prædict.*

nostri

nostri dominii tempore, quæ penes te habes, vocatis sapientibus Placent. ipsis Potestati & Capitaneo in illorum sapientum præsentia studeas assignare, facturus fieri de assignatione hujusmodi scriptum publicum ad cautelam. Dat. apud urbem Veterem, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, tertia Junii, nona Ind. Regnorum nostrorum Hierusalem anno quinto, Siciliæ vero sexto decimo, de qua quidem præsentatione prædicti Domini Potestatis consilium & consiliarii viserunt, & rogaverunt me Notarium infra scriptum, ut omnes alios Notarios in dicto consilio existentes, plura ejusdem tenoris facere publica instrumenta.

Ego Raymundus Musinus Not. &c.

An. 1282. Bernardus de Lanfredis Lucensis, & post eum Garsindonius Lupicinus de Rhegio, Prætorem Placent. egerunt.

An. 1283. Guido de Corrigia Parmensis, & post eum Cervus Bovaterius Bononiensis, Prætorem Placent. egerunt; quo anno iterum inter cives Placentinos seditione contra Landenses orta ad Complanum obsidendum itur; inde, qui primum Ubertino Lando locum servabant Luxiardis ejectis, ad montem Arsitium ipsorum Luxiardorum castellum Placentini ducunt, captumque ac direptum comburunt. Dum ibi hæc agerentur, qui in Zavatarello pro eodem Ubertino erant facta irruptione Montempogium castellum capiunt ac diripiunt; vix cum præda in Zavatarellum reversi erant, cum Placentini equites, cum duarum portarum populo illos insequuti locum obsident, ac infra paucos dies vi armorum capiunt; Janotus quidam, qui ceteris præerat, aliis fugientibus, cum octo ibi inventis suspensus est.

Anno eodem intervenientibus Gulielmo de Papia, ac Alberto Scoto inter cives Placent. & Ubertinum pax refecta est; numeratis tamen ipsi Ubertino pro redemptione Palmerii Alberti de Fontana filii libris octoginta.

An. 1284. Bressanus de Salla Brixiensis primum, mox Decius Canzelerius, Prætores Placent. fuerunt.

An. 1285. Gerardus de Tornaquincis Florentinus, & post illum Albertus Trionus Brixiensis, Prætorem Placent. egerunt.

Annus insequens Ugonem de Corticella Parmensem, & Albertum Ugonum Brixiensem, Prætores Placent. habuit.

An. 1287. Ubertus Lupus de Soragna, & post illum Barifaldus Velongus Brixiensis, Prætores Placent. fuere.

An. 1288. Auricus de Modœtia, & post eum Conradus de Palatio Brixiensis, Prætorem Placent. egerunt.

An. 1289. Joanne de Simonpicininis de Bononia, & Jacobo de Jacobis de Perusio, Prætoribus, contra Papienses ad Arenam profecti Placentini re infecta domum redierunt.

An. 1290. Placentini Bartholomæum de Madiis Brixiensem, & post eum Gulielmum de Lambertinis Bononiensem Prætores habuerunt; quo anno contra Papienses, cum Cremonensibus ad Bardoruziam fluviolum Placentinum à Papiensi agro discriminantem, profecti Placentini, ibi cum nihil sperati intenti prosequi posse perpendissent, dimissis Cremonensibus revertuntur in urbem, atque Albertum Scotum, Alberto de Fontana ejus socero admittente, in protectorem perpetuum ac Dominum cum mero ac mixto imperio eligunt; hic primo principatus sui anno juxta plebem de Olubra castri sancti Joannis mœnia facere cœpit; quo anno Placentini Lazarollo castello destructo ad Zavatarellum ducunt, solutisque Ubertino de Lando, qui locum occupaverat, octo millibus libris castellum recuperant; atque eodem anno à Bobiensi E-

A piscopo ejus castelli investituram ac infeudationem perpetuam accipiunt.

An. 1291. Adulphus Nassi Comarchus post Rodulphum Imperator electus, ab Alberto Duce Austriæ justo agmine interficitur, Albertusque ipse Imperator eligitur. Hujus anni Placentini Prætores fuere Riciardus Ugonus Brixiensis, & post illum Bonifacius Pusterla Mediolanensis. Albertus Fontana extorris moritur, sed ubi haud legimus.

An. 1292. die x. Augusti illi de Monticellis versus Pap. Rolando de Canusio Prætori Placentino vice Communis Placent. fidelitatem fecerunt.

An. 1293. Nicolinus Cornificus Cremonensis,
B & post illum Ruffinus Guascus de Alexandria, Prætores Placent. fuerunt.

Annus 1294. Ruffinum Guaschum Alexandrinum Prætorem Placent. habuit.

An. 1295. Per Salvum Rozonum, Syndicum & Actorem Communis Placentiæ, homines de Rujino recepti fuerunt ad fidelitatem; quo anno Prætores Placent. fuere, Bonifacius Samaritanus Bononiensis, & post illum Ricardus Artimisius de Bononia.

An. 1296. Albericus Vicecomes Placent. Episcopatum Placentinum adeptus, sedit annos sex, inde translatus ad Episcopatum firmandum. Huic,
C qui anno eodem in Curia obiit, Raicerius Urbivetanus, Ordinis Cisterciensium, successit. Hujus anni Prætor fuit Petrus Tortus Alexandrinus.

An. 1297. Ogerio Merlano Placent. Prætore, in æstate grandines importunissimæ, in hieme altiores solito nives fuere.

An. 1298. Albertus Scotus in concives desævire cœpit; nam à Gabriele Guadagnabeno neutrius factionis viro florenorum quattuor millia jejuno stomacho extorsit: à Gabriele Dataro florenos mille, à Palmerio Anguisolla librarum tria millia, à Rolando Caupone libras quadringentas, à Clavello Roncharollo librarum quattuor millia, à Bernardo
D Mercallo libras quingentas, ab Odone Anguisolla libras trecentas, à quampluribus aliis pecunias haud paucas extorsit; Nobiles nonnullos pædore carceris consumi coegit; hic etiam Casædei locum, in quo ad ducenta fœni plaustra, frumenti autem & leguminum plusquam centum modia consumpta fuere, igne comburi jussit.

Huic Alberto Fombium castrum à Communi Placentino hoc anno venditum, in Registro legimus.

Anno eodem Ubertinus Landus diem suum clausit extremum.

An. 1299. Carnuto de Puteo Alexandrino, Præ-
E tore Placent. decem denariorum æs Placent. cusum fuit.

Annus insequens Gulielmum de Inviciatis Alexandrinum, & Bonifacium Samaritanum Bononiensem, successive duos Prætores habuit.

An. 1301. Francisco de Ghisileriis, & Bonifacio Samaritano Bononiensibus, Placentiæ Prætoribus, à Pont. Max. in Italiam tractus Carolus, Regis Francorum germanus, Romam iturus multo cum milite Placentiam venit.

An. proximo Prætoribus Francisco Ghisilerio, qui supra, & Pontio Picenardo de Cremona, Ugo de Pilotis, patria Placent. ac Prior S. Victoriæ,
F Bonifacio, ejus nominis octavo, Pont. Max. sedente, Episcopus Placent. electus, sedit annos decem & septem. Hic castrum Varsii cum castro S. Imenti commutavit cum Joanne Scoto, moritur Avenioni, ibique sepelitur.

Anno eodem Placentini, Cremonenses, Papienses, cum nonnullis Mediolanensium vicinorum oppidorum populis inito fœdere contra Mapheum Vicecomitem ejus urbis Principem, Albertum Scotum, tunc Placentiæ Dominum, copiarum Ducem

cem eligunt. Hic delectu habito, additisque sibi Turrianis extorribus, in agrum Mediolanensem ducit, vastatoque agro ad pacis conventiones petendas, deditionemque ipsam faciendam jam pene obsessos cives coegit; nam cum suis minus fideret Mapheus urbem cum copiis egreditur, Albertumque ad congressum invitat: nec mora, Mapheus, quam dextera tenebat, Alberto porrigens clavam, *Hac*, ait, *utere*, *ut libet;* postera die Mediolanum pacifice ingressus Albertus, dum de conditionibus pacis, deque Maphei principatus abrogatione, atque exsulum restitutione ageret, quorundam civium proditione ingressi Turriani Mapheum expellunt; tum, quo ejus fraudis ignarum se ostenderet, Albertus, Bernardino Scoto Praetore ibi relicto, Ducatui se abdicavit, Placentiamque sine mora revertit.

An. 1303. Franciscus Scotus Alberti filius cum armata adolescentium Placentinorum multitudine, quo & de Rolando Scoto sibi inimicissimo Praetorem Papiae tunc agente vindictam sumere videretur, & suam posset satiare ingluviem, citra Padum per agrum Papiensem hostiliter discurrens omnia foedabat, utque (quod pejus erat) inde annulos & aurum facilius extraheret, mulierum etiam digitos ac crines praecidi jubebat. Placentiam deinde reversus una cum Petro Mancasolla, ac nonnullis sicariis ad Confanoneriorum domus diripiendas perrexit; qua in combustione Barnabas Confanonerius ab ipsis Francisci sicariis interficitur. Hujus anni Simonem de Nazario Papiensi & Sigumbaldum de Burgo Cremonensem, Praetores legimus.

An. 1304. Pinacio de Sinazo Parmense, & Samaritano de Bononia Praetoribus, Papienses cum Mediolanensibus, additis sibi Novariensibus ac Vercellensibus, agrum Placentinum ingressi apud Fontanam quam plurima mala fecerunt ex una; ex altera Vicecomes Palavicinus occupata Bardi Arce Bobienses etiam ad se deficere induxit: id egit, ut circa finem anni orta in populo seditione Albertus Scotus una cum Francisco filio Parmam versus fugam arriperet, Turriani enim Placentiam ingressi ejus urbis principatum occupaverunt; dieque proxima cum exsulibus etiam Vicecomes ipse Palavicinus urbem intravit. Annus is erat 1305. Petro de Villata primum, mox Raymundo è Turre, Praetore Urbano.

Per hos dies relicta Italia Pontifex Maximus in Gallias Sedem transtulit.

An. 1306. Bifariam divisi Placentini, in Burgo illorum de Fontana, in platea majoris ecclesiae pars illorum de Lando, & de Fulgosiis ad arma concurrerunt, & cum tota die tumultuassent, altera die illi de Fontana excedere civitate sunt compulsi; quo anno Vigolenum castellum, in quo Petrus Mancasolla se cum nonnullis extorribus continebat, à populo Placentino destructum fuit; exsulibus tamen parsum est. Falchinum Cavalacium de Novaria, & Pinum Vernatium de Cremona, hoc anno invenimus Praetorem egisse.

Anno proximo Vicecomite Palavicino, & Lancilloto Anguisolla Abbatibus, seu Rectoribus Placentinae Civitatis, Albertus Scotus cum Fontanensibus Placentiam ingressus tam Palavicinum, quam Anguisollam, & Landos omnes fecit extorres, Guidonemque è Turre Protectorem ac Rectorem Placentinum in biennium eligi passus est; Guido autem Passarino è Turre Vicario relicto in Insubres est reversus. Legimus hoc anno Placentinos ad Rivergarium clade affectos, non à quibus.

An. 1308. Praetoribus, seu Rectoribus Placentinae Civitatis Thoma de Bernarigio de Mediolano, & Tigurta Palavicino inter ipsos Urbis Rectores ex una, & qui in Bobio se retraxerant, Vicecomitem Palavicinum, Ubertinum Senioris, Ubertini Landi ex filio nepotem, Lancillotum Anguisollam, & alios exsules ex alia, per Guidonem Turrianum, Arbinum Modicum duratura pax firmata est: proximo namque anno Placentini Alberto Scoto innixi, qui pro ipso Guidone Turriano Praetorem agebat, Tigurtam Palavicinum omnibus cum stipendiariis Placentia expulerunt, Albertumque Dominum ac Principem Placentiae salutaverunt. Per hos dies Placentinis extorribus colligati Mediolanenses, Papienses, Vercellenses, & Novarienses Duce Accio Vicecomite, cum civibus Placentinis pugnaturi ad Padum usque contendunt; verum in ejus fluminis trajectione semel & iterum frustra nixum cum fecissent, sibique supra pontem à civibus impigre resisti pluries experti cum fuissent, victoriae obtinendae spe omissa in pontem igne injecto ad Guardamilium se retraxerunt, ejusque loci turre destructa inde dilapsi sunt.

Annus is erat 1310. Praetoribus Guidone de Manfredis de Rhegio, & Thoma de Suzolla, Ubertinus de Lando, & Leonardus de Arcellis, cum Passarino Turriano locum Rivergarii occupaverunt. Jam Henrici Imperatoris nuntii Placentiam applicuerant, petitamque ab civibus fidelitatem obtinuerant, cum Albertus Scotus de conditionibus pacis, cum Ubertino Lando, & Leonardo de Arcellis, ac aliis extorribus optime conveniens dimidio honorum civilium eis concesso illos maxima cum hilaritate in urbem recepit. Verum die eadem in arma erecti totam urbem confundere sunt visi. Postera die, quae fuit decima octava Martii, cum Guelphis Albertus Scotus inde expulsus in castro Arquato sese recepit.



Hoc anno maximam Praetorum Placentiae mutationem legimus, nam Bernardus Madius Brixiensis per mensem tantum Praetorem egit.

Bassanus de Fisirata Laudensis, & Arnulphus frater per dies decem.

Richardinus autem de Languscha Papiensis per quattuor menses cum dimidio ea in dignitate permansit.

Post haec in Archivis Placentiae, & penes Jo. Franciscum Riccium invenimus, ut infra: *In nomine Domini. Amen. Anno 1310. die sexta mensis Septembris, convocato & congregato generali consilio Communis Placentiae sono campanae & voce praeconum in palatio ipsius Communis more solito de mandato Domini Alberti Confanonerii, Bernabovis de Lando, Leonardi de Arcellis, Bernardi Vicecomitis, & Ricardi Anguisollae Potestatum Placentiae, & Rectorum suo nomine, & vice, & nomine Domini Thedaldi de Carrio collegae ipsorum, in quo consilio dictus Bernabos de Lando suo nomine, & collegarum suorum proposuit, & elegi fecit infra scriptam provisionem factam per ipsos Dominos Potestates, & sapientes Placentiae heri in praesenti consilio, & coram Consiliariis in ipso consilio existentibus, cujus forma talis est:*

Providerunt, statuerunt, & ordinaverunt dicti Domini Potestates, & Rectores, &c. *& electi fuerunt per dictos Dominos Potestates, & sapientes, in Potestates Communis Placentiae nobiles viri Domini infra scripti, videlicet, nobilis Lancillotus Anguisolla, Albertinus Vicedominus, Ubertinus de Lando, & Leonardus de Arcellis, super quibus omnibus, & singulis dictus Dominus Bernabos suo nomine, & suorum sociorum, consilium postulavit, Dominus Ricardus de Arcellis Judex consuluit, qui super praedicta provisione, & proposita, & contentis in ea ita fiat, & procedatur ad plenum, ut in ipsis plenius continetur, & qui ipsi quattuor Potestates auctoritate praesentis consilii habeant omnem auctoritatem, facultatem, bayliam, merum & mixtum imperium in omnibus, & per omnia, & in his omnibus, & similibus, quae ad officium potestariae plene noscun-*

noscuntur pertinere, *tam super inquirendis maleficiis*, *quam civilibus*, &c. *non obstant*. &c.

Eodem anno fame laboratum est, frumentum solidis triginta, milium solidis viginti, melica solidis sexdecim vendebatur.

An. 1311. Invenimus Lambertum Cyprianum Florentinum pro Henrico Imperatore in Civitate Placentina Vicarium fuisse; sed eodem anno cum Gibellinis à Guelphorum factione expulsum fuisse; eodemque anno ipsorum Gibellinorum impulsu Albertum Scotum ex castro Arquato Placentiam venisse, Guelphosque inde expulisse, atque urbem pro Imperatore rexisse; extorres enim Guelphi in castro sancto Joanne, & Burgonovo se retraxerant: circa finem anni, cum de Henrici Imperatoris adventu in Italiam fama in dies magis augeretur, Albertus Scotus Ubertinum Landum una cum omnibus Gibellinis exsulare coegit; facta namque seditione acclamatum est per urbem, *moriantur Gibellini*, sicque cæteris fugientibus duodecim, inter quos Ubertus Taliavacha annorum septuaginta inventus est, fuerunt interfecti. Ubertinus autem Landus in Carminiano cum suis se recipiens ad Imperatoris adventum ibi permansit.

An. 1312. Henricus Imperator Italiam ingressus resistentibus Florentinis, & nixum haud mediocre contra eum facientibus Alexandrinis Papia potitur primum, mox, qui exsulabat, Vicecomitum suffragio Guidotum è Turre Mediolano expulit, urbemque ingressus omnibus fere totius Italiæ Oratoribus præsentibus, fidemque facientibus, corona ferrea ab ejus urbis Archiepiscopo est coronatus. Placentinam Civitatem legimus quamplures rectores hoc anno mutasse. Horum primus fuit Pet. de Menso Veronensis, Vicarius Imperatoris; hunc secutus est Joannes Quiricus de Parma, qui per mensem tantum duravit; post hunc Ubertus Crivellus quattuor & viginti dies, Landriscus Vicecomes per sex menses Vicarium egit Imperatoris; cui successit Mutius de Modœtia. Vicecomitum autem favorem secuti Joannem Galeatium ejusdem familiæ in Principem Placentini eligunt, Blondo dicente: *Ad Placentiam vero cum ducere pariter iratus pararet Henricus*, *Cardinale de Flisco intercedente*, *Placentini ejecto armis Alberto Scoto Guelphorum Duce contraria sentiente Imperialem Vicarium admiserunt*. Et Platina, *Cum perterriti*, ait, *Mantuani*, *Veronenses*, *Vicentini*, *Patavini*, *Tarvisini*, *& Veneti Henrici Imperatoris mandatis paruissent*, *Placentini quoque pulso Alberto Scoto Guelphorum Duce Imperatoris Præfectum susceperunt Albertum Crivellum Mediolanensem. Hic cum eam urbem quinque & viginti diebus pro Vicecomitibus rexisset*, *Landriscus Vicecomes successit*. Eo anno octavo Kal. Novembris Henricus Imperator acquisita in vallibus Tarri, & Ceni fl. per Ubertinum Landum Seniorem, ac ejus fratres, jura Ubertino Juniori confirmavit, & approbavit.

An. 1313. die 18. Maji pro Henrico Imperatore Galeatius Vicecomes Placentiam ingressus Ubertinum de Lando in urbem revocavit; verum cum & sibi, & civium saluti timeret, quo & tutiorem & quietiorem redderet civitatem, ex nobilioribus civibus quattuordecim Mediolanum relegavit, fueruntque Albertus Scotus, Franciscus Scotus Alberti filius, Bernardus Scotus, Reginaldus Confanonerius, Clavarianus de Fontana, Petrus de Spectinis, & Gerardus Barbarin. ex una, ex altera Ubertinus de Lando, Bernabos de Lando, Ubertus è Porta, Andriolus de Gravago, Manfredus Spelta, Princivallus Capitaneus, & Philippus de Carrio. Circa finem anni in divi Andreæ vigilia, cum Guelphæ Factionis extorribus Placentinis Papienses armata manu venerunt Placentiam, atque juxta, quæ stratæ levatæ dicitur, portam castra fixerunt; contra hos cum stipendiariis egressus Galeatius, omnes in fugam convertit, ex hostibus tamen quadringenti capti, vel interfecti fuere; ea egit res, ut in urbem cum victoria reversus Galeatius, Dominus ac Rector perpetuus Placentiæ ab omnibus sit acclamatus. Hic ejus portæ fracto ponte lapideo levatorium fieri constituit, & cum ab Guelphis extorribus sibi valde timeret, per fossas Civitatis aquarum sustentatoria (*clusas* vocant nostrates) fieri jussit: quo anno apud Pisas Henricus Imp. moritur; per hos dies Galeatius suam avaritiam cælare non valens in civium opes debacchari cœpit; nam violato Fratrum Prædicatorum sacrario ibi absconditos Placentinorum Thesauros inde asportavit, & quo magis suam satiaret ingluviem, quamplurima in Divi Sixti Monasterio recondita Scotorum, Claponum, & Confanoneriorum bona diripuit. Clerici & sacerdotes sanctæ Magdalenæ ab ipso spoliati, Potentiani locus, cum ipsa ab eodem direpta, ac penitus destructa fuere; additum est, à Nicolino Ziliano mille quadringentos aureos extorsit.

An. 1314. Paganino de Panego Bononiense Prætore Placentino, civibus infestissimum invenimus; nam, & domi, & foris tam à Tyranni sævitia, quam ab ipsorum civium seditionibus agitati innumerabilia damna passi sunt; Fombii enim castrum combustum, Casamdei destructam, Potentianum direptum, ac pene destructum, Passani & Varconasii loca penitus deserta, Placentinos apud Vijustinum magna clade affectos, & ut unico hæc concludamus verbo, omnia sub Galeatio bullire, atque de fumo in flammas, & de his ignem in immensum accendi videbantur. Hoc erat ejus Tyranni virtutis, quod ab illo empta æris tantum promissione solvebat. Quo anno cum Papiensibus convenientes Cremonenses, Parmenses, Alexandrini, Novarienses, & Vercellenses Duce Alberto Scoto cum Guelphis Placentinis Placentiam obsederunt; verum discordia vexati nono ejus obsidionis die Padi fluminis ponte incenso re infecta dilapsi sunt; nec dum recesserant hostes, cum facta irruptione cives, in quo illi se munierant, Burgum sancti Leonardi combusserunt.

Interim Verzusius de Lando in Valle Tidoni, quæ Arcellorum erat, arcem Olzisii occupavit.

Eodem anno contra Albertum Scotum accensus Galeatius ad castrum Arquatum ducit, ibique interfectis nonnullis, &, quod pejus visum est, vastato Monialium monasterio præda onustum, cum multis captivis militem suum in urbem reduxit; iterum atque iterum eo reversus messem vastat, molendinaque ac domus nonnullas destruit, atque igne consumit: tandem Tibaldo Casadeo Priore, & Albertacio Vicecomite intervenientibus nonnullorum dierum fiunt induciæ.

Anno eodem Paganinus Bononiensis ex Comitibus de Panego Prætor Placentinus diem clausit extremum; cujus corpus cum illius, qui per dies quindecim illum præcesserat, filii corpore tumulatum fuit in saxea arca, in ecclesia Divi Joannis in canalibus, facie locata juxta portam ipsius sacræ ædis, à dextris aliquantulum elevata, cui tale est incisum Epitaphium:

Quattuor & deni tricenis mille sub annis
Est inclusus Paganinus nomine dictus,
Nobilitate Comes de Panego, *& inclyta proles*,
Hostis prostrator, *largus virtutis amator*,
Ipse caput guerræ, *ac tota metuendus in urbe*,
Et secum genitus Cinellus nomine dictus.

Paganino in ejus anni Prætura successit Malchinardus de Panego nepos.

Eodem anno finitis induciis ad castrum Arquatum pugnatum est, fusisque ac interfectis multis, cum captivorum multitudine ac præda multa victores Placentini in urbem reversi sunt.

Eodem

Eodem anno per Verzusium de Lando Galeatii nomine, quod fuerat illorum de Ziliano, castrum Motæ captum fuit; quo etiam anno mortuo Ubertino de Lando Lanfredus frater ejus in Divi Antonii sacra æde per Galeatium Vicecomitem miles creatus est.

An. 1315. Brancaleone de Andalo Bononiense Placentiæ Prætore murus civitatis eo in loco, ubi campus feræ dicitur, factus est, & in loco, ubi Augustæ seu Auguralis fons fuisse dicitur, quod post Citadella dicta fuit, castrum ædificari cœptum est. Quo anno, cum Imperatoris electorum schisma Ludovicum Ducis Bavariæ germanum, ac Federicum Austriæ Ducem duos Imperatores genuisset, totam Christianam Rempub. seditionibus implevit. Quo anno Galeatio Fulgosio interveniente Guelphos cum Gibellinis Placentinis convenisse legimus.

An. 1316. Brancaleoni, qui supra, in Prætura Placentina successit Simon de Scaphis Parmensis, quo anno jussu Galeatii castri Arquati messes comburuntur, vineta & arbores succiduntur, molendinaque & rusticorum domus diruuntur: tandem Galeatio locus deditur, &, qui ipsum locum defendere nequiverat, Albertus Scotus in confinibus Cremæ ad mortem exsulare cogitur; obtentis igitur castro Arquato, & Valle Tidoni cum castro sancto Joanne, Facinus Bardi Comes, & Rolandus Viqueriæ Dominus ipsi Galeatio fidem fecerant. Hic extra mœnia urbis, qui misericordiæ dicebatur, vico dirui jusso, quo intra muros arcem erigeret, quamplurimas civium domos destrui jussit: magnam domum hospitalis sancti Joannis de Montali, & sanctæ Fidei sacram ædem etiam solo æquavit. Et quia auri fame instabilis erat, qui ad jam ab se proclamatas nundinas convenerant, mercatores capi, spoliari, & in carcere jussit trudi: post multiplicatas exactiones Leonardum de Arcellis ad perpetuos carceres damnavit, Thedaldum & Grimenium germanos Vicecomites in florenos mille auri mulctavit; totidemque à Manfredo ejus familiæ extorsit, à Jacobo Confanonerio florenos quadringentos, à Clavarino Mancasolla florenos quingentos, ab Uberto de Verizio libras quingentas, totidemque à Zanino de Complano, ab Aldigerio de Vigoleno, ejusque filio, & nepote, libras septingentas sub capitis pœna extorsit.

An. 1317. Præturam pro Galeatio Placentiæ egit Jacobus de Cornazano Parmensis.

Annus is erat 1318. cum Hilario Zocho Parmense Placentiæ Prætore Burgus novus Vallis Tidoni, in quo Leonardus de Arcellis se continebat, per mensem jam obsessus ad deditionem cogitur, atque Galeatii jussu diripitur, mœnibusque privatur.

An. 1319. Pocaterra de Cesena Prætore Placentiæ Bernardus ex nobilibus de Carrio Placentinus Episcopus ordinatus, sedit annos quindecim, Joanne, ejus nominis vigesimo secundo, Pont. Max. sedente, sepultusque est in ecclesia majori prope portam orientalem juxta altare Divæ Annæ. Et cessavit, seu vacavit Episcopatus annis octo, propter bella enim, & in dies ortas populorum totius Italiæ vexationes tuti non erant accessus.

An. 1320. Paganino Zocho de Parma Prætore Placentino, sibi rebelles compescere cupiens Galeatius apud Bardum eos aggreditur, fusosque, ac dissipatos cum reddidisset, captum Leonardum de Arcellis ad perpetuos damnavit carceres.

An. 1321. Pio Bosollo de Luca Prætore, Galeatius Vicecomes Caxalininum, Turranum, Vezollam, Carpanetum, Rezanum, Magnanum Laygueriam, & Zilianum agri Placentini castella dirui jussit.

Anno proximo Zardo de la Fontana Parmensi Prætore Placentiæ, Verzusio de Lando inde fugato, Galeatius Ripaltæ castrum dirui ac destrui voluit. Circa finem anni decima nona Decembris virorum trium millium Placentinorum consilio congregato in palatio magno in manibus ad hoc Placentiam missorum Oratorum Federico Imperatori fidelitatis juramentum firmatum est; verum octava posthac die, qui ab Galeatio proscriptus fuerat Verzusius de Lando trecentis cum Pontificis Maximi electis militibus ab Legato Apostolico obtentis, ex Astensi civitate per devia montium noctu Placentiam veniens in angulo portæ, quæ sanctæ Victoriæ dicebatur, facto foramine urbem ingreditur; indeque expulso Accio Galeatii Vicecomitis filio (aberat pater) civitatis principatum occupavit. Qui Gibellinus licet Guelphos tamen in urbem revocavit, hic à Pontifice Maximo Placentinæ urbis Rector confirmatus, Legato intra urbem eandem honorifice recepto, omnia, quæ abstulerat Galeatius, castella in Placentinorum potestatem redegit. Gibellini Placentia expulsi, ad Rivergarium cum se recepissent, ab Legato Apostolico fusi nonnullos ex suis desideraverunt: ea in clade Nicolaus & Rolandus de Lando, cum aliis centum capti fuere; quo anno, quod à Gibellinis recuperatum fuerat, castrum Seni à Placentinis direptum ac dirutum fuit.

An. 1323. Antonius Grillus Genuensis Placentiæ pro Ecclesia Prætorem egit, cui eodem anno successit Jacobinus Pontecarallus Brixiensis; quo anno Legatus trajectis Pado copiis Insubres aggreditur; his cum instructo agmine occurrisset Marcus Galeatii Vicecomitis germanus, pugnatum est, cladeque accepta Insubres intra urbem Mediolanensem sese receperunt. Laudenses etiam cum nonnullis oppidis expulso Vicecomitum milite Pontificis Maximi præsidium receperunt; idem & Terdonenses ex alia, & Alexandrini fecerunt.

An. 1324. Albertino de Cantulo Rhegiense primum, mox Passarino è Turre Mediolanense, Prætorem pro Ecclesia agentibus, numeratis libris octo millibus Manfredo Lando Placentini castrum Arquatum recuperaverunt. Quo anno Ubertus de Arcellis, & Jacobus Strictus duo Oratores à Placentinis electi de urbis deditione facienda plenissimo jure ad Pontificem Maximum missi fuere. Per hos dies Rolandus Scotus, cum Placentinis addito sibi Ecclesiæ suffragio, quod contra Cremonam in Padi ripa situm erat, castrum de Malamorte trecentis ex hostibus interfectis vi armorum cepit.

Annus insequens Andriasium Rubeum Parmensem pro Ecclesia Prætorem Placentiæ habuit.

An. 1326. Egidio Ugono de Brixia pro Ecclesia Prætorem Placentiæ agente, in Italiam à Pontifice Maximo contra Ludovicum Bavariæ Ducem vocatus Joannes Rex Boemiæ Placentiam venit, indeque ad Papiam obsidendam perrexit. Per hos dies sub protectione Ecclesiæ civitas Placentina reviviscere est visa, nam & urbis mœnia refecta, & civium domus restauratæ fuerunt.

Annus insequens Lanzam Guarassendum de Bononia, & post eum Rubeum de Rubeis de Parma Prætores habuit; quo anno Ludovicus Imperator, Manfredo Lando, & ex fratre Conrado nepotibus castrum, & locum Vallis Tarri, cum tota ipsa Valle Tarri, & castrum, & locum Bardi Vallis Ceni tota cum ipsa Valle in feudum, cum mero & mixto imperio dedit.

An. 1328. pro Ecclesia habuit Prætores Placentiæ Stephanum de Manolesso Venetum, & post eum Jordanum Savignanum de Mutina.

An. 1329. Joannes de Orabonis Imolensis, & post illum Azo Nonerius Brixiensis, pro Ecclesia fuere Prætores Placentini.

An. 1330. Fervium de Gavatiis Bononiensem, & post illum Unicornum de Papia, Prætores Placent. pro Ecclesia habuit.

An. 1331. Rodulphus Guarsendonus de Mutina pro Ecclesia Prætorem Placentiæ egit.

Anno proximo Franciscus de Parisiis de Alculo pro Ecclesia Prætor Placentiæ fuit.

An. 1333. per Fratres, qui Divi Augustini Heremitæ dicuntur, intra mœnia urbis Placentinæ Divo Laurentio erecta fuit ecclesia. Quo anno legimus Sirum de Surinis, & post eum Joannem de Puteo, pro Ecclesia Prætorem egisse.

Anno proximo duarum ecclesiarum Divæ Annæ videlicet, & Divæ Mariæ Carmelitarum jacta fuerunt fundamenta. Quo anno pro Ecclesia Prætores fuerunt Arnaldus Vacherius primum, mox Petrus Lambertus de Bononia.

An. 1335. Franciscus Scotus, Alberti filius, expulso inde Pontificis Maximi præsidio Placentiam occupat; suorumque Scotorum auxilio Fontanenses, & Fulgosios urbe expellit. Hi in castro Sancto Joanne, Burgo novo, Vezolla & Cagnono cum sese recepissent, fortunæ benigniorem adspectum præstolari disponunt. Sub hoc Francisco urbis Prætores legimus Federicum Cupellatum, Albertum de Casellis Placentinos, & Franciscum Tortum de Alexandria.

An. 1336. qui Vicecomitibus Olzisii arcem prodere voluisset, Calcagnus cum sociis post cruciatum forcipum in campo Feræ vivus defossus est.

Anno eodem Accius Vicecomes Mediolani Dominus collecto undique milite una cum extorribus Placentinis Placentiam obsidere statuit; trajectis igitur Pado copiis, ut ad Quarticiollam Monasterium applicuit, quod per David Scotum tenebatur, castrum Casaligium vi armorum obtinuit, atque destruxit: inde ad civitatem ducens eam fossis & vallo circumdedit: septimo ejus obsidionis mense, qui exsulabant, Dondatius Malvicinus, Lancillotus Anguisolla, cum Annibale, & Bernardo ejusdem familiæ per aquæ ductum urbis ingressum tentant; verum à vigilibus auditi dum regressum parant, Annibal occiditur, Dondatius autem cum reliquis, Bernardo in hostium manibus relicto, ad suos revertitur. Franciscus autem, cum in dies alimenta deficere militibus, & subsidia sperare ab aliquo haud posse perpenderet, certis sub conditionibus Accio de civitate deditionem fecit; nam in Placentinorum & Scotorum Archivis invenitur, ut infra: *In nomine Domini. Amen. Anno ab Incarnatione Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto, Indict. quinta, die sabbati, quarta decima Decembris, Placentiæ, in palatio Communis, in publico & generali consilio dicti Communis præsentibus sapientibus viris D. Leone de Diliario de Mediolano, Galvagno Ominio Mediolanensi, Joanne de Pigazano, Federico Cupellato Jure perito, Joanne de Strictis, civibus Placentinis,* &c. *vir nobilis, sapiens, ac discretus D. Jacobus de Cassio de Valdetarrio Placentinus arbiter, & arbitrator, & amicabilis compositor inter magnificum & excellentissimum D. D. Accionem Vicecomitem generalem Dominum Mediolani, Bergomi, Comi, Cremonæ, Laudæ, Vercellarum, & partis extrinsecæ Placentiæ ex una parte, & egregium militem Dominum Franciscum Scotum filium Alberti rectorem, & defensorem civitatis Placentiæ, & districtus suo nomine, & nomine, & vice Communis Placentiæ ex altera,* &c. *Volens D. arbiter finem ponere malis & partibus pacem dare,* &c. *sedendo,* &c. *Christi nomine invocato,* &c. *dixit, præcepit, mandavit, arbitratus fuit & sententiavit,* &c. *primo, secundo, tertio, & quarto. Item, quod dictus D. Azzo, sive Accius sit, & esse debeat Dominus, gubernator, liber, & generalis civitatis Placentiæ, & districtus ejus,* &c. *Item, quod magnificus vir Joannes de Flisco Lavaniæ Comes sit ejus Vicarius per duos annos continuos proxime futuros, cum mero & mixto Imperio, & omnimoda jurisdictione arbitratus fuit, & sententiavit. Item, quod ipse D. Franciscus habeat, teneat, & possideat* A *castrum Florentiolæ Placentinum, cum omnibus reditibus, & obventionibus suis, & cum omnibus pedagiis, & gabellis consuetis,* &c. *Item cum dignum sit & justum, quod, qui cedit dominio, remaneat liber, arbitratus fuit, & pronuntiavit dictus arbiter, quod dictus D. Franciscus Scotus, & filii, habitatores, & laboratores ipsorum continui ab angariis, & perangariis, & ab omnibus,* &c. *sint exempti,* &c. *Nec non ipsi, & omnes officiales Communis per ipsum D. Franciscum, vel ejus tempore deputati, & qui officia ab hinc retro habebunt, sint ab omnibus gestis & factionibus in Communi absoluti, nec possint per aliquos molestari,* &c.

B Pœniteat igitur mendacii Bernardinum Corrium, qui Franciscum Scotum Placentiam vendidisse scribit, nec precium ponit.

Anno eodem delectu habito Duce Fredulo itum est pro expugnatione castri Arenæ: ibi pugnatum cum esset, Placentini nonnullis ex suis desideratis in fugam vertuntur, Fredulus à civibus proditione suspectus carceri mancipatur.

An. 1337. Guiscardum Lanzam de Grumello Bergomensem Placentiæ Prætorem habuit.

An. 1338. Martino Aliprando de Mediolano Prætore Placentino Franciscus Scotus omnibus, quæ in Florentiola habebat, juribus Azzoni Vicecomiti renunciavit, in cujus recompensationem C super salinas Communis Placentiæ libras mille quingentas rehabuit. Item apud portam, quæ sancti Antonini dicebatur, Arcem fundaverat Vicecomes, cum ad concordiam reductos cives omnes in urbe continere nititur.

Annus insequens Gasparinum Crassum de Canturio Prætorem Placentinum habuit.

An. 1340. Bronzinus de Caimis Mediolanensis Prætorem Placentinum egit.

Annus insequens per sex menses Buselmum Mantegatium Mediolanensem, per reliquum anni Ramangum de Casali de Mediolano Prætorem Placentinum habuit.

D An. 1342. Othone Burro de Mediolano Prætore Placentino Rugerius Gazius patria Placentinus, sedente Benedicto, ejus nominis duodecimo, Pont. Max. Placentinus Episcopus ordinatus, sedit annos sexdecim, sepultusque in Ecclesia majori juxta altare sanctæ Agnetis. Quo anno Padus fluvius ultra viventium memoriam excrescens, & homines, & bestias sine numero una cum ejus fluvii pontis parte secum traxit.

Eodem anno castrum Arquatum ingressus Legatus Apostolicus à viris ejus loci coram Guidone Cimollo, Francisco Scoto, Leonardo de Arcellis & Gulielmo Roncarollo, atque Verzusio Lando nomine Ecclesiæ fidelitatis juramentum accepit. E

An. 1343. Joannes de Bexozolla Placentiæ Prætorem agens in libras octingentas ex minus justa administratione prædecessorem mulctavit. Quo anno infra duorum & quinquaginta dierum spatium pons Padi erectus fuit, cujus expensæ ad libras quinque millia quingentas adscenderunt. Pro refectione etiam pontis Trebiæ libræ septem millia octingentæ solutæ fuerunt.

An. 1344. Princivallum Gurverium Astensem Prætorem habuit.

An. 1345. Otholino Burro de Mediolano Placentiæ Prætore pestis per totam Lombardiam de- F sæviens, cum omnibus prægnantibus mortalium medietatem assumpsit.

Anno proximo, Joanne Bressano de Mediolano Placentiæ præturam agente, inter Pontificem Maximum & Vicecomites pax firmata est; dissidiis tamen laborabant Placentini; nam aliis infestus sua quisque servabat, ubi autem omnes infestissimi videbantur, & maxime Rotofredi Turris cum castris Calendaschi, sancti Himenti, Caursii, Basilicæ, Larzani, Bardoneziæ, Gragnani inferioris Carpaneti,

neti, Zenæ, Valconasii, Vezollæ, Rizzolli, & Diolli: per hos dies enim tot homicidia, direptiones, furta, adulteria, incendia, & sacrilegia perpetrabantur, ut relictis etiam domibus tot abierint, quod nec medietas mortalium in agro remanserint.

Annus insequens Joannem de Mandello Mediolanensem Prætorem habuit.

An. 1347. Arx in castro Arquato erecta, turrisque templi ejus loci citra ecclesiæ detrimentum Placentinis ad plenum satisfacientibus destructa fuit. Per hæc tempora platea major Placentiæ jussu principis fortificata est, publicoque ære civium, domus eo in loco inclusæ, emptæ, atque diruptæ.

An. 1348. Prætor Placentinus fuit Gaspar de Comitibus Mediolanensis, cui eodem anno successit Gentilinus de Suardis Bergomensis.

Annus proximus Antigollum Burrum, patria Mediolanensem, Prætorem Placentiæ habuit.

An. 1350. Prætorem Placentiæ agente Joanne de Casate Mediolanense, Joannes Vicecomes Mediolanensis Archiepiscopus, Luchino fratri in Insubriæ & Liguriæ principatu succedens, Placentiæ etiam dominium obtinuit, regnavitque pacifice per annos quinque.

An. 1351. Mapheus de Mandello Mediolanensis Prætorem egit Placentiæ, cui eodem anno successit Faustinus de Madiis de Brixia.

Annus insequens Otholinum Burrum Mediolanensem Placentiæ habuit Prætorem.

An. 1353. Joannes Torniellus Novariensis Prætorem Placentinum egit.

An. 1354. Blasius de Capellis Mediolanensis, & post illum Albertus Ancisæ Marchio Prætorem Placent. egit.

An. 1355. Joanne de Pirrovano Prætore Placentiæ ex turribus Palatii Communis Placentiæ una fulmine percussa adhuc monstrat vestigia. Quo anno, quinto nonas Maji, dum è Roma in Germaniam reverteretur coronatus Carolus, ejus nominis quartus, Imperator, Dondatio Malvicino, suisque successoribus, & hæredibus legitimis libere, & in feudum nobile in perpetuum, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate dedit jus in castro Sancto Joanne de Olubra, & in tota valle Tidoni, & in Torrente ipso.

Anno eodem ipse Dondatius ab eodem Imperatore ejus Consiliarius, & commensalis factus est.

An. 1356. Albertus Ruscha Comensis Placentiæ Prætorem egit, cui eodem anno successit Blasius Capellus de Mediolano.

Annus insequens Zanardum Pusterlam Prætorem habuit. Quo anno Joanni Vicecomiti, Galeatius, & Bernabos, ex Stephano fratre nepotes, his conditionibus successerunt, ut Laudem, Placentiam, Parmam, Cremonam, Bergomum, & Brixiam, Bernabos possideret; Papia vero, Como, Novaria, Vercellis, Terdona & Alexandria, Galeatius dominaretur; Mediolani principatu alternis annis uterque potiretur. Quo anno Ligæ exercitus per agrum Placentinum dissolutus pertransiit.

An. 1358. Francisco Burro Mediolanense Placentiæ Prætorem agente ad trium cubitorum altitudinem in agro Placentino nix adscendit. Quo anno Dondatius Malvicinus, ejusque filii, & descendentes Venetiarum cives ac Nobiles creati fuere; diploma penes Nebiani Marchionem esse vidimus.

An. 1359. Zanardo Pusterla secundo Prætore Placentino Petrus ex Marchionibus de Cochonate, Clemente, ejus nominis sexto, Pont. Max. sedente, Episcopus Placentinus electus sedit annos duodecim. Hic quamplura jocalia ecclesiæ suæ donavit, sepultusque est in ecclesia majori juxta altare Divæ Luciæ, quod ære proprio, & erexit, & dotavit.

Per hæc tempora pro Vicecomite contra Papien- A ses navali prælio pugnantes Placentini captis duobus hostium triremibus victores evaserunt.

An. 1360. Othino Mariliano Mediolanense Placentiæ Prætorem agente omnium ecclesiarum Placentinarum ejus anni proventum princeps iniquus à clero extorsit. Quo anno etiam peste sævissima laboratum est. Circa finem anni Bernardus Ricardi Anguisollæ filius miles, consiliarius, & equitum Galeatii Vicecomitis Dux Placentiæ moritur, sepeliturque in domo Fratrum Prædicatorum.

Eodem anno ad excavandas Arcis Papiensis fossas pro cubitis ducentis viginti quinque concurrere Placentini coacti fuere; quo anno in communi consilio Placent. libratis juribus Abbatis de Pulsano, B sive de Quarticiolla, conclusum fuit jura pontis Trebiæ ad dictum Abbatem pertinere, recipiendo à singulo pedite extrario denarium unum, ab equite autem duos, teneaturque ipse Abbas dictum pontem reficere.

Annus insequens Petrum de Mandello Mediolanensem Prætorem Placentiæ habuit.

An. 1362. Gerardus Bulgarus Vercellensis Prætorem Placentiæ egit.

Anno proximo dum Antonius Torniellus Novariensis Placentiæ Prætorem ageret, quæ Marchioni Montisferrati servierant, Anglorum copiæ, (ad decem millia eorum numerus adscendebat) quo Pi- C sanis militarent, per agrum Placentinum transierunt. Quo anno in castro Arquato populares nonnulli domum Ludovici & Uberti fratrum de Bagarottis ingressi magnam vini quantitatem effuderunt, direptisque ipsorum fratrum opibus ad publicos carceres cucurrerunt, reosque nexu solutos abire fecerunt, mox ablatis ab Judice ejus castri clavibus exactorem fiscalem etiam interfecerunt, indeque statim fugerunt.

Anno 1364. Carolo de Colato Trivisano Placentiæ Prætore, dum ex Papia Placentiam rediret, qui quarundam glarearum in confinibus Ripaltæ agri Placentini existentium occasione cum Francisco D Scoto litigaverat, Beltramus de Lando per eundem Franciscum, & complices interficitur. Ea egit res, ut, & Franciscus ipse proscriberetur, & ejus domus solo æquaretur. Ejus facinoris rei judicati fuerunt Gulielmus de Alegro, Joannes de Gazio, Petrus Arengus, & Franciscus de Zambrano.

Anno proximo per D. Episcopum Placentinum Divi Francisci ecclesia consecrata fuit, Prætorem agente Francisco de Zagis Pisano.

Annus insequens Prætorem habuit jam tertio Zanardum Pusterlam de Mediolano, qui eo in officio Placentiæ diem clausit extremum populo gratissi- E mus.

An. 1367. Matthæo de Mandello Prætore Placentiæ in vicinia Divi Nazarii stratæ levatæ jussu Principis pro stipendiariorum habitatione incœpta fuit Citadella, ac infra quinquennium maximis civium expensis finita, de qua vide Bernardinum Corrium in tertia parte *Historiæ Mediolanensis*, & in Archivis Placentiæ, in examine Francisci Duchi, penes Joann. Franciscum Riccium.

Anno proximo Pinanirum Vaidonum Tarvisinum Placentinum Prætorem legimus.

Annus is erat 1369. Guelpho Gualtero de Pisis Prætore Placentino, cum ea tritici penuria Placen- F tiæ fuit, ut à mense Januario ad Cal. Junias, qui septem solidis emi solebat, starius frumenti veniret solidis quadraginta, & amplius, fabæ autem, & viciæ solidis duobus & triginta. Eam ob rem panis gabella fuit ablata; talis penuriæ trium mensium pluviæ causa fuerunt.

An. 1370. Balzarollus de Badagio Prætor Placent. erat.

Anno proximo, Joanne de castro Bardo Prætore

Placentino pro impetranda pluvia, quod est in claustro Divæ Mariæ in cortina, Divi Antonini Martyris vetus sepulchrum apertum est, pluviæque per totum Placentinum agrum subsecutæ. Quo anno Joannes de Suzano Placentinus Ordinis Heremitarum Divi Augustini Artium, & Theologiæ Doctor insignis ac famosus diem clausit extremum.

An. 1372. Francisco de Zagiis Pisano Placentiæ Prætorem agente Franciscus de Castiliono prior Casædei, & Ubertus Zagus Placentinus Abbas sancti Joannis Baptistæ de Ravenna eliguntur Episcopi Placentini, sed ipsorum neuter ejus Episcopatus possessionem valens accipere, (bello enim & regionis tumultibus impediebantur) uterque sine Episcopatu moritur: vacat sedes annis quattuor, vel circa. Quo anno Galeatii Principis jussu (militiæ onus pro Bernabove fratre hic subibat) maximo cum civium dispendio ad obsidionem Astensem per Placentinos missi fuere mille quingenti milites, rusticive fossores; qua pro re à Clero Placentino duodecim millia florenorum auri extorta fuere. Tum Pontificis Maximi Legatus nonnullas equitum ac peditum turmas ex Bononia in agrum Placentinum mittens in Valle Tidoni hiemare jussit; disposuerat enim Pontifex ipse una cum Amadeo Sabaudiæ Comite, quo Vicecomitem ab Astensi obsidione averteret, ejus terras aggredi, & expugnare succedente Fortuna. Hi igitur Tidoni Valle occupata nuncios miserunt ad Burgum novum, quos vacuos, & rejectos, immo delusos, ut audierunt, eo profecti vi armorum locum ceperunt, ac dimissis tantum mulieribus viros omnes pro personali redemptione numerare coegerunt. Ea res tantum terroris vicinioribus terris incussit, ut de deditione citra omnem difficultatem cogitaverint. Tunc Gragnanum inferius, quod erat Honofrii, & Reginaldi fratrum de Scotis, castrum Motæ, quod erat Nicolini, & Gerardoni de Ziliano, castrum Gazollæ, quod erat Bartholomæi Dulciani, castrum Taveranghi, quod erat Petracini, & Palmarini fratrum de Mercallis, castrum montis Bolzoni, quod erat Joannis de castro novo, castrum Cainfangi, quod erat Joannis Malvicini de Fontana, castra Piolzani, Missani, Passani, Carrigii, Trevotii, Camprimoldi superioris, sancti Himenti, Calendaschi, & alia plurima deditionem fecerunt. Post hæc circumdederunt castrum Sanctum Joannem, sed de ejus expugnatione desperantes in agrum Papiensem transierunt; ibi nonnullis castris obtentis militem in hyberna dimittunt.

Anno proximo Prætore Francisco, qui supra, ex hybernis egressi Pontificis milites orientalem Placentini agri plagam adoriuntur, Vigolenumque, ac Pigatianum, & statum Momelianum, Larzanum, Cornelianum, & alia castella citra difficultatem obtinent: his peractis novo cum milite ex Bononia affuit Legatus, qui missis ad ea, quæ pro Vicecomite adhuc se tenebant, castella de deditione nuntiis, illi de castro Sancto Joanne clam ad eum defecerunt. Hi namque facta conjuratione contra Vicecomitem Prætorem arma assumunt, stipendiarios armis spoliant, & ipso etiam Prætore vulnerato Legatum accersunt, ac intra ejus loci portas, cum Ecclesiæ præsidio introducunt.

Per hos dies Bernabos Ubertini Landi filius ad Ripaltam castellum accessit, ingressusque Conradi de Lando domum, Petrum Zanardum de Lando una cum filio vocari jussit, fingensque alloqui illos interficit; mox ad ipsius Petri domum accedens, quo ejus sibi fateretur, exhiberetque bona, ejusdem Petri uxorem torqueri fecit.

Jam legimus relictis in agro Placentino, qui præsidia custodirent, cum copiis Bononiam reverterat, cum Vicecomes amissa castella recuperare cupiens multo cum milite Franciscum Estensem Ferrariæ

A extorrem ex Placentia ad Larzanum in confinibus Placentini & Papiensis agri misit. Eo in castello paucis cum rusticis circiter quinque & viginti erant ex Burgundia pedites. Hos expugnare altero & altero nixu cum nequivisset Franciscus, ex Vegiano & Vigoleno accersita rusticorum multitudine viarmorum præsidium cepit, interfectisque Ecclesiæ militibus castellum igne consumpsit: nec his contentus Franciscus æquatis solo mœnibus ex rusticis, quos in loco reperit, tres per alterum pedem suspendi jussit. Mox per agrum Placentinum discurrens, modo hoc, modo illud castellum oppugnare fingens, nullum ex præsidiis ecclesiasticis inclinare potuit. B Interim Sabaudiæ Comes in Vercellensi ac Novariensi agro Vicecomitem urgens Franciscum suo cum milite eo properare coegit. Nec silendum, dum Marsilius Bracifortis, qui aliàs Vicecomitis Vicarium egerat, Cornelianum castrum suum pro Ecclesia custodiret ab inopinato igne inde exire cogitur; cumque in Vijustini turre, quæ pro Ecclesia servabatur, se recepisset, ab illis de Sancto Georgio circundatur, atque infra paucos dies ad deditionem coactus capitur, & ad Sanctum Georgium ducitur; indeque Placentiam tractus extra portam, quæ Sancti Raymundi dicitur, laqueo suspenditur. Nonnulli ex his, qui Vigolenum castrum pro C Ecclesia servabant, ad castrum Sanctum Joannem pro suffragio impetrando missi à rusticis quibusdam capti, atque ad montem clarum ducti à Joanne Anguisolla inducuntur, ut eis assignandos milites tanquam ex castro Sancto Joanne obtentum suffragium ad Vigolenum secum ducant: id factum cum fuisset, castrum captum ac destructum fuit, Ruffinus & Stephanus duo Vicecomitis rebelles ibi inventi Placentiam transmittuntur, ac per alterum pedem ultra Padum fluvium suspenduntur.

Mense Junio ejus anni Vicecomes castrum Sanctum Joannem expugnare cupiens in Valle Tidoni Duce Jacobo Verme copias misit. Verum cum D se nihil proficere arbitraretur, (Dondatius enim Malvicinus pro Ecclesia locum omnibus cum Vallis Tidoni præsidiis defendebat) messes circum circa ea præsidia incendi ac consumi jussit: Vairascum namque tantum Vicecomitis miles defensoribus vacuum ceperat, ac igni combusserat; verum ab Joanne de Acuto, quem multo cum milite venturum perceperat, cum sibi timeret Vicecomes intra Placentiæ mœnia se recepit, &, quia unde militi exsolveret stipendia non habebat, Galeatius omnes ejus anni proventus tam à clero quam à populo extorqueri voluit.

Anno eodem Francisconus Confanonerius Leo- E nardo Dulciano inde expulso nonnullorum rusticorum suffragio castrum Zenæ occupavit, atque pro Ecclesia servavit. Circa finem anni Antonius & Rolandinus fratres de Mancasollis Daniono eorum consanguineo inde excluso Valconasium castellum pro Ecclesia occupaverunt; idem Raphaelem Dulcianum fecisse legimus, qui spreto Vicecomite Cavursium & Bardoneziam castella pro Pontifice Maximo conservare se ostendit; omnia namque in Placentino agro bullire videbantur. Nunc Ecclesiæ miles præsidia occupat, nunc Vicecomes ea recuperare dum nixum facit, messem comburit, diri- F pit opes, mœnia diruit, &, quos sibi hostes putat, mortales patibulo affigit. Nunc per agrum discurrens Sabaudiæ eques direptionibus, occisionibus, & incendiis omnia fœdat. Tunc sibi timens Vicecomes, quæ in duas partes dividebatur, intra videlicet, & extra urbis mœnia, Citadellam de Fudesta haud sine maximo civium detrimento fundari jussit.

Per hos dies Bartholomæus Dondatii Malvicini filius cum nonnullis electis militibus ex castro sancto Joanne in agrum Papiensem properans in mon-

montibus ſitam, quam Petram vocant, Arcem cum funiculeis ſcalis adſcendit, atque pro Eccleſia occupavit.

An. 1374. quo Lutherius de Ruſconibus Comenſis Placentiæ Prætorem agebat, menſe Majo Joannes de Acuto cum copiis eccleſiaſticis Placentiæ appropinquans inter Pletolas, Sanctum Bonicum, Quarticiollam, & Sanctum Antonium caſtra poſuit. Quo anno peſtis adeo invaluit, ut mortalium pars media ſit abſumpta: additum, & nebulæ tam importunæ, pluviæque fuerunt, quod in agris ſuperfluo humore corrupta meſſis, nec ſemina quidem reddiderit, quapropter inaudita fames eſt ſubſequuta.

Annus inſequens Lutherium, qui ſupra, Placentinum Prætorem habuit.

An. 1376. Spineta de Spinolis Genuenſis Placentiæ Prætorem agente Conradus de Georgiis Papienſis Abbas Sancti Bartholomæi de Papia, Epiſcopus Placentinus ordinatus Gregorio, ejus nominis undecimo, Pont. Max. ſedente, ſedit annos quattuordecim, ſepultuſque eſt in eccleſia majori juxta portam orientalem.

Annus inſequens Lutherium, qui ſupra, habuit Prætorem.

An. 1378. Prætor fuit Spineta de Spinolis Genuenſis.

An. 1379. Antonius Torniellus de Novaria.

An. 1380. Petrus Gutherius Aſtenſis.

An. 1381. Lutherius de Ruſconibus Comenſis.

An. 1382. Paganus de Aliprandis Mediolanenſis.

Per hæc tempora Galeatius Vicecomes, Joanne Galeatio filio relicto, diem clauſit extremum.

An. 1383. Prætorem egit Nicolinus Torniellus Novarienſis.

An. 1384. Prætor fuit Nicolinus, qui ſupra.

An. 1385. Andreas de Pepulis Bononienſis Prætor fuit.

An. 1386. Præpoſitus de Martinengo Prætorem egit.

An. 1387. Allcolus de Ruſconibus Cremonenſis Prætor fuit.

An. 1388. Joannes Garzonus Lucenſis Prætor fuit.

An. 1389. Rapheto de Raphetis Prætore Placentino Bernabos Vicecomes ſpreto Joanne Galeatio, ex Galeatio fratre nepote, Mediolani principatum ex toto ſibi vendicavit; nec pro injuria id accepiſſe diſſimulans Joannes Galeatius reliqua dominii parte ſe continebat. Hic cum adoleviſſet Francorum Regis, à quo etiam dotis titulo Comitatum Virtutum in Galliis receperat, filiam ſibi ducit uxorem. Ea mortua ipſius Bernabovis filiam, quo tutius, quod cogitaverat, faciliuſque perficeret, ſecundam ſibi deſponſat. Tandem ægre ferens Bernabovem Mediolanenſi principatu tandiu potiri, ſimulata religione ſacras ædes frequentare, piiſque, atque ſanctis operibus inſiſtere ſatagebat. Cum igitur ad ſacram Divæ Mariæ ædem, in colle Mediolano imminenti ſitam, ex voto ſe profecturum finxiſſet, decenti cum apparatu ex Papia Mediolanum ire pergit. Hic milite exutus, nilque mali ſuſpicatus, cum occurriſſet Bernabos duobus cum filiis ab Joannis Galeatii ſicariis captus in Arcem Trecianam ducitur: ibique ad mortem carceri mancipatur. Mediolanum ſubinde ingreſſus Joannes Galeatius omnium civium plauſu ejus urbis Princeps ac Dominus acclamatur. Ea deinde uſus eſt celeritate, ut omnium, quæ Bernabovis paruerant imperio, civitatum de fide præſtanda Oratores die poſtera affuerint, inter hos & Placentinæ Civitatis Oratores novum Principem recognoverunt.

Per hos dies Joannes Galeatius Vicecomes, Virtutum Comes, & Mediolani Princeps, Othonem, ſeu Othoninum Mandellum pro ſe ac filiis legitimis

A de Cavurſio agri Placentini caſtello, ac villis ad illud pertinentibus, inveſtivit, infeudavitque. Hic unus ex ipſius Joannis Galeatii ſtudioſiſſimus in Bernabovis captura in ejus, quo vehebatur, equi frenum manum primus injecit.

Anno eodem ab ipſo Joanne Galeatio Joannes Anguiſolla realem ac perſonalem tam pro ſe quam pro filiis in perpetuum promeruit exemptionem.

Idem, & ab eodem, eiſdem temporibus obtinuit Joannes Nicellus Nobilis Placentinus.

An. 1390. Guidone Vilmercato Prætore Placentino, Philippinus de Confanoneriis pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus, à Communi Placentiæ realem ac perſonalem in perpetuum duraturam obtinuit exemptionem.

B

Anno proximo Ludovico Viſtarino Prætore Placentino frater Gulielmus de Cantuaria, patria Cremonenſis, Ordinis Minorum, Epiſcopus Placentinus ordinatus, ſedit annos octo, vel circa, Bonifacio, ejus nominis nono, Pontificem Maximum agente; inde tranſlatus ad Epiſcopatum Papienſem.

Quo anno Galvagnus, & Manfredus Marchiones Palavicini, Pelegrinum, & Speculum, agri Placentini caſtella, à Joanne Galeatio Principe pro ſe, & filiis maſculis, & legitimis in feudum perpetuum obtinuerunt.

C Annus inſequens Jacobum Martinianum Peruſinum Prætorem Placentinum habuit.

An. 1393. Jacobus de Pigiis Prætorem Placentinum egit.

An. 1394. Ugolinus de Scorvignis Patavinus Præturam egit.

An. 1395. dum Petrus Guolandus Placentiæ Prætorem ageret, qui antea Comes Virtutum appellabatur Joannes Galeatius Vicecomes, Mediolani Dominus, haud modico ære Ducatus dignitatem ab Imperatore cum obtinuiſſet, maximo cum populi tripudio ejus dignitatis inſignia ſuſcepit.

Annus inſequens Antonium de Lagnello Piſanum D Placentiæ Prætorem habuit.

An. 1397. die 17. Februarii Bindacio de Benedictis Piſano Prætorem Placentiæ agente, Brazalinus & Philipponus fratres Marchiones Palavicini ab ipſo Joanne Galeatio Duce de Pelegrino, & Speculo caſtellis, cum mero ac mixto imperio, ac gladii poteſtate inveſtituram iterum impetraverunt.

Anno proximo Nicolinus de Benedictis Prætorem Placentiæ egit.

An. 1399. Jacobo Martiano Prætorem agente frater Petrus de Candia, Græcus natione, Ordinis Minorum, Placentinus Epiſcopus ordinatus ſedit annum cum dimidio: inde tranſlatus ad Epiſcopatum Novarienſem, poſtmodum ad Archiepiſcopa-E tum Mediolanenſem favore Principis Cardinalis, & tandem ſummus Pontifex creatus, Alexander, ejus nominis quintus, vocatus eſt. Hic moritur Pontificatus ſui menſe octavo, ſepeliturque Bononiæ in eccleſia Fratrum Minorum.

Anno eodem Academia, & omnium bonarum artium ſtudium, Joannis Galeatii Vicecomitis Mediolani Ducis privilegio Placent. tertio reſtauratur; in qua quidem Univerſitate principatum tenuit Bartholus Peruſinus, ut infra, & Doctorum tunc legentium ſeries, & eorum menſualia ſtipendia patebunt.

F An. 1400. Marſilio Pavizono de Alexandria Prætore Placentino Petrus de Maineriis, patria Mediolanenſis, Medicus Phyſicus Joannis Galeatii Ducis, Epiſcopus Placentinus ordinatus ſedit annos ſex, vel circa: Mediolani moritur, & in eccleſia Divæ Mariæ Heremitarum ſepelitur. Quo anno 17. Januarii Fratre Silveſtro de Senis regularis vitæ Franciſcano inſtante ad tollendas civium ſimultates ac factiones, viri ſeptem electi fuere, videlicet, Joannes de Cigallis Juris utriuſque, pariſque profeſſio-

fessionis Matthæus Todiscus, Lazarus à Porta, Joannes Scribanus, cum Ludovico Sixto de Burla artium ac Medicinæ Doctore, & Petro de Vezolla, ac Jacobo Marengo: & die 22. per præfatos confecta statuta publicata ab maxima populi parte approbata fuere; octo millia siquidem fuerunt, qui jurejurando ea observanda esse firmaverunt, confectoque per Joannem de Ronchoveteri inter Guelphos & Gibellinos de pace instrumento subsecuta est solennis processio.

Anno proximo Prætore Marsilio, qui supra, Divæ Mariæ novæ super Rivum prope sanctum Joannem in canalibus sacra ædes erecta fuit, nunc destructa est.

An. 1403. Mortuo Joanne Galeatio Mediolani Duce inter novi Ducis Consiliarios haud parva oritur seditio. Hæc vulgata foris Magnatum discordia egit, ut in civitate Cremonensi Ugolinus Cavalcabos excitata seditione ejus urbis Tyrannidem occupaverit. Laudenses & ipsi ejectis Gibellinis novum sibi Tyrannum crearunt Joannem Vincalem. Hos secuti in Legati Apostolici spe erecti Brixienses, Bergomenses, & Placentini à Duce sese evulserunt, turbata namque adeo erant omnia, ut nec quidem civitas ipsa Mediolanensis Principi pro voluntate pareret; Placentiam namque ob civiles factiones infra biennium octies direptam, ad eamque solitudinis miseriam redactam legimus, ut per eam transeuntes vix cauponem, seu, in quo reficerentur, diversorium invenirent. Nam ultra dicta Blondi Foroliviensis, quæ invenimus in examine cujusdam Francisci Duchi super nonnullis capitulis, reperimus, ut infra: *Respondit quod veritas fuit, & est publica vox, & fama, quod alias de dicto anno* 1403. *& de mense Martii, videlicet die quinta decima ipsius mensis, &, si male non recordor, quadam die sabbati hebdomadæ Lazari quondam magnificus Otho de Tertiis D. Cabrinus de Fondulis, D. Joannes de Vignate, & quamplures alii Capitanei armorum, & cum magna quantitate armigerûm tam peditum, quam equestrium, & rusticorum diversarum civitatum & locorum, intraverunt dictam civitatem Placentiæ, & posuerunt ad sacomanum illos de Squadra, illos de Anguisollis Placent. licet pauci fuerint publice clamando*, mora, mora i Modogesii. Hæc ex Archivis penes Joannem Franciscum Riccium: quæ sequuntur in quibusdam fragmentis invenimus. Vallum in Divi Sixti monasterio contra Citadellam alterum, alterum contra sancti Antonini Arcem exstruxerunt; verum cum urbem tueri non auderet, Duci restituit. Eam pro Duce ingressus Facinus Canis, & Citadellam, & arcem superiorem dolo cum obtinuisset, se ejus urbis Ducem proclamari jussit. Hic Joanne de Novo urbis Prætore creato cum Gibellinis ad debiliora aggerum ac mœnium loca reficienda instabat. Monasterium siquidem Divi Sixti dirui constituerat; verum bonorum Civium se opponens intercessio id facinus impedivit. Tandem cum Duci resistere se posse desperaret Facinus direptam exhaustamque urbem relinquens abiit. Tunc Philippi Vicecomitis promissionibus allectus Otho Tertius inter portam Cremonensem, & eam quæ sancti Lazari dicitur, fracto muro noctu urbem ingreditur, & tam Guelphos quam Gibellinos militi diripiendos exponit. Et cum hyems solito frigidior esset, destructis domibus milites tectorum ligna comburebant, urbem namque eruere, ac penitus destruere statuerat Otho, nisi cum stipendiario ære Jacobus Vermes cito affuisset. Nec his contentus Otho Placentiam suo cum milite egressus nulli parcendo agrum infestare non desinit.

Anno eodem convenientes Scoti, Landi, Fontanenses, & Fulgosii ad Ducissam, novumque Ducem, Mediolanum de postulandis, supplicandisque conventionibus Oratores mittunt petentes inter plu- A raab eis supplicata, ut exclusis, ac tanquam patriæ hostibus, proditoribusque ex urbe ejectis omnibus utriusque sexus Anguisollis per ipsos Scotos, Landos, Fontanenses, & Fulgosios tantum civitas Placentina regeretur. Ii omnia, præter Anguisollorum rem concernentia, quæ Joannis Aliprandi (Placentinorum Oratorum hic primus erat) judicio reservabantur, quæ petierant, cum impetrassent Placentiam revertuntur; hæc ex instrumento invento penes Joannem Franciscum Riccium: quæ sequuntur ex Bernardino Corrio habuimus; tum de re certiores facti Anguisollæ urbe relicta ad sua se retraxerunt castella; hos relictis, qui eam custodirent, in B urbe trecentis equitibus insecuti Galvagno Lando Duce Scoti cum cæteris civibus illorum castella tam infense oppugnare cœperunt, ut omnibus etiam illac transeuntibus agrum Placentinum redderent infestissimum; tum quo, & eam urbem quietiorem, & illius agrum omnibus tutiorem redderet Dux, quos in agro Bononiensi in hybernis habebat, ducentos cataphractos equites Placentiam properare jubet; hi Placentiam profecti, cum se ab Placentinis spretos, urbeque exclusos perpendissent, ad Pontenurium retrocedentes locum diripuerunt; & hoc est quod innuere videtur Corrius, cum dicit anno 1404. septima Januarii, opera & arte Guelphæ Factionis C à Duce defecisse Placentiam; & tunc ejus urbis Prætor, cum militum Præfecto in Arce, ubi cum Cornelio de Roma Nicolaus Crivellus erat, se receperunt, atque ad proximum mensem Maji usque illam optime servaverunt; Dux namque novo delectu habito ad eam urbem expugnandam misit: sicque vigesima prima Maji vi armorum Placentiam ingressi Vicecomitis milites diripiunt, ac (ut jam diximus) in solitudinis miseriam reducunt.

Interim Joannes-Maria Mediolani Dux carcere diu afflictam matrem veneno necat, deinde in alios etiam tam crudeliter desævire est visus, ut citra omnem causam plurimos interfici, nonnullos etiam D cives canibus lacerandos objici jusserit; & cum haud procul insania ejus vita ab omnibus propemodum risa fuisset, tandem sibi timentium domesticorum gladiis confossus est, anno principatus sui sexto.

An. 1404. Franciscus, & Joannes fratres de Scotis, à Joanne-Maria Mediolani Duce Comites creati, Franciscus Vigolenum, Joannes Agacianum castella, quæ jam possederant, cum mero ac mixto imperio, & gladii potestate, tam pro se, quam pro filiis legitimis, ac naturalibus in feudum perpetuum acceperunt.

An. 1405. Galvagnus de Lando pro se, & filiis E suis, cum omnibus, quæ prædecessores sui prius habuerunt, tam virtute olim factæ venditionis Ubertino Lando per Commune Placentiæ, quam etiam aliorum jurium, à Joanne-Maria Mediolani Duce castrum Complani, cum mero ac mixto imperio, ac etiam pro gladii potestate, & in perpetuum feudum accepit.

Anno eodem die 13. Septembris, idem Dux Bernabovi Lando, & ejus descendentibus masculis legitimis Vegianum, Comitissam, Valeriam, Casellas Padi, Roncharollum, sanctum Petrum in Cerio, Pulignanum, Sparaveriam, Pontemclavenæ, & sanctum Nazarium agri Placentini castella, cum F mero ac mixto imperio, & gladii potestate commisit regenda.

Eodem anno Castellatium castellum, cum mero ac mixto imperio, & gladii potestate Joanni, Antonii Cornazani Senensis filio, suisque filiis legitimis in nobile feudum à Joanne-Maria Duce Mediolani concessum est.

An. 1407. die 16. Aprilis Franciscus, & Joannes fratres de Scotis ab ipso Joanne-Maria Duce in feudum, cum mero & mixto imperio pro se, & suis filiis legi-

legitimis, & descendentibus, quod Boromei fuerat, qui à suis juribus deciderat, castrum Arquatum cum suis jurisdictionibus acceperunt.

An. eodem Branda de Castiliono, patria Mediolanensis, sub tribus simul sedentibus, imo Ecclesiam Dei scindentibus, schismaticis Pontificibus, sedit in Episcopatu Placentino annos quattuor, vel circa. Inde Cardinalis factus (ut tunc moris erat) Episcopatui cessit.

Per hos dies apud locum, qui dicitur *alla ca de*, agri Placentini Joannes Anguisolla Aleranum Episcopum Albensem Marchionis Montisferrati ad Pontificem maximum Oratorem spoliavit; ob quod facinus à Nicolao Pont. Max. & anathemate percussus, & à Divinis interdictus fuit: vide penes Joannem Franciscum Riccium.

An. 1408. Franciscus, & Antonius fratres Malvicini de Fontana ab Joanne-Maria Mediolani Duce Nebiani, Staderiæ, Zenevereti, Casariæ, & Vicibaroni, quæ pridem habuerant, locorum Marchiones, cum filiis legitimis, cum mero ac mixto imperio creati sunt.

An. eodem 25. Augusti Philippus de Arcellis Othoni de Tertiis adhærens inde expulso Jacobi Vermis præsidio Arcem Olzisii occupavit.

Circa finem anni Philippus-Maria Vicecomes, Joannis-Mariæ fratris, ac Mediolani Ducis morte percepta ex Papia optimo cum milite Mediolanum properans, quod turbulentissimum invenit, superatis iis, qui illud sibi arrogaverant, infra paucos dies dominium fraternum recuperavit. Et Placentia inter hos tumultus suis seditionibus vexata eidem Philippo tandem paruit. Quo anno invenimus ipsum Joannem-Mariam Ducem Trojam, aliàs Veratum, Montem Bisogum, Montemventanum Vallis Luretæ in Comitatum erexisse, ejusque Comitatus Martinum, & Antonium de Arcellis Nobiles Placentinos, eorumque filios legitimos, & naturales, cum mero ac mixto imperio, & gladii potestate Comites creavisse; id jurisdictionis Philippi Ducis diplomate eodem anno confirmatum legimus.

An. 1410. Joannes, ejus nominis vigesimus tertius, Pontifex Max. schismaticus, licet cum Sigismundo Imperatore Placentiæ conveniens de convocanda apud Constantiam Germaniæ generali Synodo optime stabilivit.

An. 1412. Frater Alexius de Sergio, patria Mediolanensis, Ordinis Minorum, Branda prædecessore suo interveniente, ex Episcopatu Gabiensi ad Episcopatum Placentinum translatus sub schismaticis Pontificibus sedit annos octo, sub veris post Concilium annos septem & quinquaginta; Cremonæ moritur, sed Placentiam delatus in ecclesia majori sepelitur.

An. eodem die 20. Septembris Vallis Tidoni agri Placentini, cum omnibus terris, castris, & villis in ea existentibus, videlicet castro sancto Joanne, Burgo novo, Puzano, Curano, Piolzano, Montebolzono, Sarmato, Mota, Tavernago, Saturano, Agatiano, Poasio, Lisignano, Missano, Rezanello, Fabiano, Cassetano, Vizano, Valciosa, Cantono, cum Buffaloria, ac territorio Frignani, Planellis, Traolajum, Sallam, Arcem Olzisii, cum tota Valle Pegorariæ, Arcellis, Castrum novum, Calendascum, Zilianum, Montalbum, Agazinum, cum turri de Rotofredo, cum eorum terris & territoriis suis Philippus-Maria Dux ad Comitatus dignitatem erexit, atque Philippum, & Bartholomæum fratres de Arcellis ejus Comitatus, cum mero ac mixto imperio, gladiique potestate Comites creavit, filiosque eorum legitimos in perpetuum ea in dignitate succedere declaravit.

An. eodem Philippus-Maria Dux Mediolani

A Manfredo Lando, quod ab Joan. Maria Duce Galvagno patri concessum fuerat, Ripaltæ dominium confirmavit.

An. 1414. Bernardonus Anguisolla pro se, suisque filiis legitimis, cum mero ac mixto imperio, & gladii potestate de castellis Ripæ, Montis sancti, & Grazani, cum eorum villis à Sigismundo Imperatore infeudatus fuit.

An. eodem die 20. Februarii per Sigismundum Imperatorem Albertus, & Petrus fratres Scoti eodem in diplomate Comites castri Arquati nominati de Florentiola castello, & ejus villis investiti ac infeudati sunt. Quo anno idem Albertus ab ipso Imperatore
B Duglesi & Vigoleni Comes dictus; factusque ejusdem Imperatoris Consiliarius omnium bonorum suorum exemptionem & immunitatem promeruit. Hic etiam Albertus ab eodem Imperatore castri Arquati, cum Valle Ardæ, & Valle Clavenæ à flumine ipsius Clavenæ ad Vigolenum, & Castrum novum Scotorum investituram promeruit, ut patet in Bulla Imperiali data Cremonæ die 12. Februarii an. 1414. in Archivis Scotorum.

An. qui supra, Philippus de Arcellis, Comes Vallis Tidoni, quod ejus sororem sibi desponsare (forte promiserat) noluisset Philippus Vicecomes
C Dux Mediolani, ei indignatus Sperono de Petra sancta interveniente Tyrannidem Placentiæ una cum Bartholomæo fratre hoc modo sibi usurpavit. Nam per muros Civitatis inter portam stratæ levatæ, & sanctæ Victoriæ, cum rusticorum multitudine Bartholomæum germanum cum intromisisset, rejectosque ab civibus intellexisset, Philippus multiplicato milite Civitatem aggreditur, vique armorum obtentam militi diripiendam exponit primum, mox cum se ejus Urbis Principem ac Dominum acclamari jussisset, ad nefanda, crudeliave animum vertit; alios namque obtruncat, alios vivos defodit, alios autem in puteos dat præ-
D cipites. Sarmatum Scotorum castellum capto prius Alberto ejus familiæ principali per insidias occupat. Montem Zilianorum, ac Gragnanum Scotorum expugnat, ac diripit. Vallem Nuriæ ingressus Nicellos urget, insequitur Anguisollas, nec aliquos quiescere finit; sed finem cito habuit iniquitas; duravit enim hujus Tyrannis menses circiter triginta. Ii fratres Bartholomæo de Bailanis Prætore Placentiæ relicto, Theodoro Montisferrati Marchioni, & Malatestæ adhærentes Philippum Ducem infestare cœperunt; sexcentis enim equitibus Bartholomæus, totidemque Philippus præerat: tandem apud Gavum Alexandrini agri castellum fusi, non
E capti, (ut Corrius ait) sed in fugam versi fuere, ut clarius infra patebit.

An. 1417. Ejecto inde Arcellorum præsidio Placentia per Philippum Ducem vi armorum recuperatur, militique diripienda exponitur: additum, quia Arcellis, qui Malatestæ Ariminensi se conjunxerant, resistere se posse desperabat Vicecomes, voce præconis mandat, ut infra duarum horarum spatium cives omnes Placentia excederent: sicque miseram civitatem per annos tres vacuam, ac penitus exhaustam, ita remansisse legimus, ut tres tantum in ea personæ, una videlicet in sancta Brigida, una in sancto Joanne in canalibus, tertia in
F sancto Francisco vix inventæ fuerint; in foro namque, & plateis urticæ, vepres, & cicutæ, ita succreverant, ut etiam magni viri staturam excederent. Vix Philippus Dux Placentia discesserat, cum Pandulphus Malatesta cum Philippo de Arcellis Urbem ingreditur, expugnataque ea, quæ apud sanctum Nazarium erat, Citadella, quæ valde pauca erant, bonis omnibus ad portarum, fenestrarumque postes, ac valvas usque, Civitates spoliat, indeque recedit.

An. proximo Philippus iterato Placentiam revertitur, &, quod residuum invenit, ad portarum cardines usque inde auferri jussit: nam tantillum quietis sub hoc Duce Civitas Placentina habere promeruit: castella insuper omnia, quæ prius possederat, quo & nobiliores sibi gratiores, & urbem exhaustam omnino redderet Philippus diversis in feudum perpetuo concessit. In etiam sancto Joanne Arcem eo tempore inexpugnabilem erigi fossaque profundissima circundari, cum jussisset, ex agro operarios, & etiam ex Vigoleno castello calcem & ligna pro eo opere Albertum Scotum conducere coactum legimus: id opus tribus annis anno 1422. perfectum invenimus, quo anno Antonium Raphaelem & Thobiam Othoni Mandelli filios de jam sibi per Joannem Galeatium concesso Cavursio castello, cum mero ac mixto imperio investivit.

Circa finem ejus anni Franciscus Carminiolla, generalis copiarum Ducalium rector, Burgum novum obsedit, captumque diripuit. Qui eo in loco erat Philippus de Arcellis noctu ad Venetos fugit; qui autem pro suffragio impetrando Genuam profectus fuerat Bartholomæus Philippi frater, cum Joanne nepote capti ante portam ejus castelli suspensi sunt.

An. 1425. Monasterium Divi Sixti per Monachos Observantiæ, & Congregarios sanctæ Justinæ reformatum est.

An. proximo, Antonio Cornazano, & ejus filiis in loco Aringhæ, & portarum introitus immunitas, & exemptio per ipsum Philippum Ducem concessa est.

An. 1438. Idem princeps Montemventanum castellum in Comitatum erigens ejus loci Bernardonis Anguisollæ filium Comitem creavit. Quo anno Placentiæ terræmotus fuit.

An. eodem Conradino Vicomercato mediante Philippus Dux, cum Comitatus dignitate, & mero ac mixto imperio Bartholomæum Joannis Anguisollæ filium super Montem clarum, Statum, & sanctum Damianum agri Placentini castella constituit.

Eodem anno die 3. Septembris ab eodem Duce super Coranum, & Vairascum, cum mero & mixto imperio, ac gladii potestate Lazaro Todischo jus collatum est.

An. 1439. Ab ipso Philippo Duce exiit edictum, quod, quotquot feuda, possessiones, vel officia ab eodem Principe obtinuerunt, omnium proventuum suorum medietatem infra dies quindecim, medietatemque infra dies triginta debeant persolvisse. Quo anno Joannes Anguisolla cum suis complicibus obsesso castello Spectino vallis Minæ damna haud modica ejus vallis incolis maxime intulit.

An. 1441. die 17. Octobris Joannes Franciscus de Vezolla Placentinus Conrado Vicomercato mediante, & pro se & pro filiis legitimis, cum mero & mixto imperio, & gladii potestate ab eodem Duce Comitatum Piolzani promeruit.

An. eodem ab ipso Philippo locus Montecochini, cum villa de Rosso medio Rolando Lampugnano cum mero ac mixto imperio, & gladii potestate collata fuerunt Bartholino de Nicellis; cui una cum Cabrino fratre realem & personalem exemptionem eidem Duci mille aureis numeratis concessam legimus, Vallemque Nuriæ sub ejus Principis protectione servatam.

An. 1441. Albertus Scotus per Philippum Ducem in feudum perpetuum & nobile, cum mero & mixto imperio, ac gladii potestate habuit Carpanetum, Sarmatum, Carrium, Moziam, Fontanam frigidam, eorumque pertinentia pro se, & filiis suis legitimis, & naturalibus: addita est per eundem Ducem ipsi Alberto & Villa Vicimarini anno videlicet proximo.

An. 1443. 27. Martii Bartholomæus Colco equitum Ducalium ductor non adspernendus maxima cum equitum & peditum copia contra rusticos exactionem taxarum equorum Ducalium negantes profectus in Vallem Nuriæ infra paucos dies multis ex suis desideratis, infectaque re, Placentiam rediit.

Die 11. Aprilis Alovisius Vermes ducentis cum equitibus, & octingentis peditibus Bononiam iturus Placentiam ingressus est.

Die 3. Maji in die videlicet Sanctæ Crucis hora tertia nix in magna quantitate in Civitate Placentiæ, & diœcesi descendit, arboresque ac vineas fructuum suorum spe privavit.

An. eodem nova Civitatis, nec cito finienda, perturbatio accidit; nam septima die Octobris hora diei tertia Fratres Regularis vitæ Ordinis Prædicatorum & majorum suorum, & Principis literarum munimine fulti conventum sancti Joannis in canalibus Placentiæ ingrediuntur, expulsisque inde Fratribus conventualibus, duobus tantum, videlicet fratre Antonio de Luna, & fratre Marco, exceptis, locum obtinent.

Die 22. Octobris Fratres conventuales introducti fuerunt in prædictum monasterium, jussique ibi manere, donec aliter ordinaretur.

Die 3. Decembris, qui ad hoc missi fuerant magister Joannes de Montenigro conventualium Provincialis, nonnullique Priores ejusdem Ordinis in favorem Fratrum vitæ Regularis contra Conventuales sententiam tulerunt, asserentes Fratres Observantiæ esse, & debere esse dominos totius conventus, alios vero non observantes posse ibi permanere expensis ipsius conventus, quoad fuerit eis per Superiores provisum.

Anno proximo die 11. Januarii, hora prima noctis Fratres conventuales, Fratres observantiæ verberibus & plagis etiam affectos extra conventum expulerunt.

Die 13. ex officialium Ducalium commissione capto prius Fratre Reginaldo Cartario, ac incarcerato pro restitutione Fratrum observantialium manu armata pugnatum est usque ad vesperam; dumque pugnaretur, & per tectum quoddam adscenderent, quidam frater Gulielmus de Gragnano armatus, jam in capite saucius, fracta, quam manu tenebat, lancea, è tecto in vicinum rivum cecidit: tandem dum tota die pugnassent, nec resistere valerent, ad conventiones ventum est. Post paucos autem dies spoliatum exhaustumque conventum Fratres Conventuales Fratribus Observantiæ reliquerunt.

Die 17. Februarii Fratres Observantiæ pacifice restituti fuerunt in conventu sancti Joannis, Conventuales cum strepitu omnes exierunt.

Die 30. Martii in aula Episcopali Placentiæ quamplures Religiosi, Nobiles, & Doctores convenerunt coram Episcopo & Commissario Ducali, & ibi multis hinc inde dictis & auditis, visis etiam literis Apostolicis, & Ducalibus cum rationibus utriusque partis confusi Conventuales abiere, Observantes autem magno cum gaudio domum rediere.

Die 10. Aprilis in die Veneris Sancti, prædicante in ecclesia sancti Joannis fratre Donato Observantiæ sancti Dominici, instantibus Conventualibus plures utriusque sexus in dictum conventum irruerunt, fractoque torcularis ostio claustrum sancti Alexii cum armis intraverunt, & ibi, non lapidibus tantum, sed etiam telis, & etiam balistis pugnatum cum fuisset, parum defuit, quin combureretur conventus; tandem pulsata campana, qui in platea majoris ecclesiæ prædica-

dicabat, D. Timotheus Canonicus populum ad Observantialium liberationem hortatur, sicque cum armata curia & turba Nobilium accedente ad locum Prætore fugerunt improbi, ex eis tamen capti nonnulli in sancti Antonini Arce per aliquot dies servati fuere.

An. 1445. die 20. Aprilis Fratres Conventuales Ordinis Prædicatorum Placentiæ vi armorum iterum expulerunt ex conventu Sancti Jo. Fratres de Observantia: & die 26. ejusdem mensis Fratres Observantiæ vigore literarum Ducalium fuerunt restituti in eodem conventu.

Anno eodem die 9. Octobris Fratres Conventuales ex conventu prædicto injuriis & verberibus affectos Fratres de Observantia iterum expulerunt.

An. 1446. die 2. Februarii Fratres Conventuales magnam in platea communi fecerunt unionem, additis sibi nonnullis discolis secularibus, perrexeruntque ad Divi Georgii ecclesiam, ubi tunc Fratres de Observantia se retraxerant, ut quosdam apprehenderent, ac carceribus manciparent, spe tamen sua fraudati fuerunt, optimis civibus intervenientibus.

Die 4. Februarii hora secunda noctis propter pericula vitanda, & Fratribus, &, qui eos in domo receperat, Lazaro à Porta imminentia, Franciscus Anguisolla ducentis cum armatis quattuor vitæ regularis Fratres ex ipsius Lazari ad Joannis Anguisollæ domum associavit.

Die prima Maji Fratres Reginaldus Cartarius, & Gulielmus Scurzanus ausu temerario ceperunt fratrem Thomam de Brixia Prædicatorem de Observantia intra portas plateæ communis, & cum nonnullis Gulielmo Banderna macellario favente ad conventum sancti Joannis secum traxissent, nisi à Curia Prætoris impediti fuissent.

An. 1447. Franciscus, & Jacobus fratres Nicolai Picinini filii tanquam Marchiones, ac Comites, Mediolanensisque communitatis conservatores Montis Canini, & Gragnani castella, cum villis Tuderti, Misani, Tranquillani, & Rezani, cum eorum pertinentiis in nobile & perpetuum feudum, cum mero & mixto imperio, ac gladii potestate dederunt Vinciguerræ de Arena tam pro se, quam pro filiis legitimis; Picininus enim, Philippo Duce vivente, castrum Arquatum, Florentiolam, Burgum novum, & quæ Arcellorum fuerant castella ab ipso Duce obtenta filiis reliquerat. Quo anno, Duce ipso mortuo, cum singulæ ejus principatus civitates, vel libertatem sibi vendicare niterentur, vel certis inniti Principibus viderentur, Placentini Lazarum à Porta Juris utriusque Doctorem, Ludovicum Burlam Artium & Medicinæ Professorem, Bartholomæum Malvicinum de Fontana, Franciscum de Russio, & Thomam Beraldum, quinque viros ad Civitatis regimen elegit primum, mox propter civium factiones, cum sibi timerent, quibus dedendi Venetis Civitatem pleniorem facultatem contulerunt, octo viros elegerunt, videlicet, Lazarum è Porta, Franciscum Artariam, Franciscum de Vezolla, Bartholomæum Malvicinum, Hieronymum de Lando, Bartholomæum de Fombio, Thomam Beraldum, & Julianum de Julianis. Hi trajecto Pado apud Casale Pusterlengorum Provisori exercitus Venetorum de Civitate deditionem fecerunt; ac Thadeum Estensem ipsius Venetorum exercitus Rectorem multo cum milite intra urbem secum retraxerunt. Id perpendens, qui Mediolanensium copiarum Ductor creatus fuerat, Franciscus Sfortia ex Cremonensi & Laudensi agro militem colligit primum, mox haud sine suorum maximo (Thadeus enim Placentiam egressus transitum impedire nitebatur) trajectis

A Pado copiis ordine, ut infra notato Placentiam milite cingit. Ab Oriente in suburbio peditum multitudinem, quibus haud procul equitum aciem statuit, eam, quæ Padum respicit, partem Carolo Gonzagæ commisit. Meridionalis autem plagæ, & Occidentis altera Francisco Picinino, altera Ludovico Vermi data est custodienda: & cum ab altero multum distaret, alter æquatis campis, qua hinc inde liber miles discurreret perviam, facilemque omnibus viam optime reddidit. Jam ejus urbis mœnia Francisci jussu pluribus in locis tormentorum Vulcanicorum ictibus aperta videbantur, obequitandoque è trina regione urbem

B aggredi militem cum hortaretur, statim, quo vehebatur, equus Vulcanici tormenti ictu percussus illum solo reddidit. Hunc sagittis obrutum videntes ex adolescentioribus duo & saluti, & recentiori equo restituerunt. Hinc, quæ remissa jam videbatur, pugna reviviscere, ardentiusque augeri cœpta est: novum siquidem expugnandi genus Franciscus adinvenit; cum enim ex illa, quæ flumen respicit, parte diuturniori pluvia in unum congestæ aquæ ita succrevissent, ut inde militibus repletas naves ad mœnia applicari possent, id efficit Franciscus, ut ejus muri defensores impedirentur: sicque trigesimo secundo ejus

C oppugnationis die circa solis declivium cedentibus defensoribus vi armorum ingressus Sfortianus miles Placentiam avidissime diripuit. Qui illam custodiendam, defendendamque susceperat, Thadeus Estensis, secundum aliquos, noctu Parmam, indeque Rhegium effugit. Corrius illum de arce superiori facta deditione Francisco adhæsisse affirmat. Qui in arce inferiori cum nonnullis sese receperat, Albertus Scotus altera die de se deditionem fecit Carolo Gonzagæ, quod in navibus ordinandis impeditus minus prædæ accepisset; qui ad eam diem se defenderunt in quadam turre inventi quingenti cives donati sunt;

D tandem ad militum discordiam tollendam omnes Placentini, eorumque bona, quadraginta continuis diebus militi præda fuere. Proscripti fuere Albertus Scotus cum filiis, Jacobus Ripalta, & Hector filius, Manfredus Landus, cum omnibus Complani & Bardi habitatoribus. Hi tamen per Franciscum postmodum restituti fuere.

Franciscus igitur Mediolanensium nomine magistratu Placentiæ ordinato in agrum Cremonensem copias reduxit.

An. proximo variis seditionibus iterum agitati Cives Placentini Joanne Anguisolla, & Manfredo Lando intervenientibus, qui à Mediolanensium

E obedientia jam defecerant Francisco Sfortiæ sese dediderunt. Hic ex agro Laudensi ubi contra Mediolanenses castra posuerat Placentiam profectus, ejus Civitatis claves, ut moris est, accepit. Postero die relicto ibi, qui sexcentis cum equitibus eam urbem custodiret, Thoma Tibaldo, in castra reversus est; fuitque Civitas Placentina sub Sfortianorum principatu per annos tres & quinquaginta.

An. eodem die 22. Novembris, quo eum sibi gratiorem redderet Franciscus Sfortia, quæ Verzusii de Lando jam fuerat, Ripaltam castellum cum centenaria Manfredo Lando, cum mero ac mixto

F imperio, & sibi, & filiis legitimis in feudum concessit.

An. 1449. Pro Picininis in Florentiola exsistens Angelus de Sancto Vitali inde cum hominibus ejus loci exiens, incisa turre locum Casædei igne consumpsit. Quo anno per Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem noviter creatum Lazarus de Arcellis, Manfredus Landus, Joannes Anguisolla, Antonellus Rubeus com. & Jacob. Palmanus Equites creati fuere.

An. 1450. ultimo Auguſti Petro, & filiis ex Palavicinis Marchionibus per Franciſcum Sfortiam reſtaurata fuerunt, quæ amiſſa ab eis dicebantur, Scipionis, Vallis plani, Coſtæ, & Iſolæ, montis colli jura, cum pleno mero ac mixto imperio, tam pro ſe, quam pro filiis legitimis, & naturalibus. Quo anno Placentiæ peſte laboratum eſt.

An. eodem Cavurſium caſtellum per Franciſcum Sfortiam Othoni Mandello, Raphaelis filio, cum mero ac mixto imperio, ac gladii poteſtate conceſſum fuit in feudum.

An. 1452. Placentiæ peſte ſæviſſima laboratum eſt.

An. proximo die 8. Maji Marcus, Bartholomæus, & Antonius fratres de Arcellis per Franciſcum Sfortiam Ducem confirmantur in feudum Comitatus Montiſventani.

An. eodem die 6. Junii quicquid Jacobo Palmano per Philippum Ducem infeudatum fuerat, cum mero ac mixto imperio, per Franciſcum Sfortiam reſtituitur. Quo anno per eundem Ducem Zanino, Bertolini de Nicellis filio, feudum Montochini confirmatum eſt.

An. 1453. Joannes Campeſius, patria Papienſis, Epiſcopus Placentinus ordinatus ſedit annos duos & viginti; Papiæ moritur, ſed Placentiam translatus in eccleſia majori ſepelitur.

An. eodem Lazarus à Porta à Franciſco Sfortia Duce confirmationem obtinuit ejus, qui ſuæ familiæ jamdiu fuerat uſus, cum Taberna in loco ubi Albarella dicitur ſupra Padum tenendi & continuandi portum.

An. 1457. die 7. Aprilis Padus maxima damna vicinis inferens ſupra modum excrevit.

An. proximo nives ultra hominum memoriam altiſſimas legimus.

An. 1459. novum Prætorem in urbis ingreſſum aſſociantes Jacobus Palmarius, & Antonius Malvicinus Equites ſe invicem intra portam ſtratæ levatæ ſuffoderunt.

An. 1461. Regno ſuo per Suldanum expulſa Regina Cypri ad ſocerum Sabaudiæ Ducem itura Placentiam venit.

An. proximo, Franciſco Sfortia Mediolani Duce morbo laborante Jacopinus Peliciarius de Vegiano, vulgo dictus *il Peloja*, cum Negrino de Sancto Andrea, & Biancho Granello, ac rusticorum montanorum agri Placentini multitudine in arma erecti ad urbem properant, atque, niſi eis gravaminum abolitio concedatur, clamando rebellionem minitantur. Hos Conradi Foliani virtus pacatos ad propria redire cum induxiſſet, Honofrii Auguiſollæ, & Tiberii Brandolini audacia iterum in arma concitatos nonnulla ejus agri caſtella occupare induxit. Contra hos multo cum milite miſſus Donatus de Mediolano infra paucos dies reddidit diſſipatos: ex ruſticis multi, inter quos fuerunt Bianchus Granellus, & Fornarinus eorum primarii, capti, ac patibulis affixi; Peloja laqueo ſe ſuſpendit; Joannes Galeatius Anguiſolla Honofrium fratrem ligatum Mediolanum ad Ducem miſit; Donatus captum Tiberium Mediolanum ſecum traxit, ac cum Honofrio perpetuo carceri mancipavit.

An. eodem Albertus Scotus, Vigoleni Comes, mortuus eſt, ac in ſibi ſuper quattuor columnas erecta arca fauſtiſſime ſepelitur.

An. 1465. Pons Padi renovatus fuit.

An. 1466. Franciſcus Sfortia Mediolani Dux paralyſi diſſolutus moritur, cui ea in dignitate ſuccedens Joannes Galeatius filius regnavit ann. novem, vel circa.

An. eodem juſſu Joannis Galeatii Ducis tam offenſiva, quam defenſiva arma omnia à civibus Placentinis in palatio communi collata fuere, atque infra quinque dies reſtituta. Quo anno Dux ipſe ſuum Placentiæ ingreſſum ſolenniſſima pompa fecit.

Anno, qui ſupra, voti compotes cives Placentini in platea eccleſiam Divæ Mariæ Servorum fundari juſſerunt. Quo anno ex Franciſcanis per miniſtrum ſuum Parma venienti peſte infecti, quamplurimi moriuntur.

An. 1469. Varſium agri Placentini caſtellum cum ſuis juribus per Joannem Galeatium Ducem Mediolani in feudum nobile & perpetuum, cum mero ac mixto imperio, & poteſtate gladii Triſtano, & Joanni fratribus de Scotis, corumque filiis legitimis, ac naturalibus conceſſum fuit.

An. 1471. Pridie Idus Martii adverſante Antonio Lunate Senatore, Alberto autem Ripalta Procuratore, ut difficulter, ita glorioſe, auctoritas conferendi doctrinæ inſignia in Civitate Placentia coram Senatu Mediolanenſi obtenta fuit.

An. proximo die 16. Maji Beſſarion, Nicænus Græcus, Cardinalis in Gallias ad Francorum Regem profecturus Placentiam intravit, receptuſque in Epiſcopio poſt prandium longam de Spiritu Sancto habuit diſputationem. Quo anno die 2. Junii, ex Saluciis veniens Herculis Ferrariæ Ducis mater à Placentinis honorifice recepta fuit.

An. eodem hoſpitali magno datum eſt principium; cujus rectores eliguntur tres, videlicet per Epiſcopum, & capitulum majoris eccleſiæ, atque Præpoſitum ſancti Antonini, quorum unus ſit clericus, tres per Antianos Communis Placentiæ, tres per Abbatem ſancti Savini, & ſancti Sixti, & Guardianum monaſterii Nazareth, nunc autem Campaniæ; duo per Conſules Mercatorum, & ut aliqui remanent de negocio inſtructi, quinque per Deputatos anni præcedentis. Quo etiam anno ſiccitas fuit maxima.

An. 1473. die 29. Martii Xiſton, Daciæ, Norvegiæ, Sclavoniæ, Sueviæ, & Gothorum Rex devotionis gratia Romam petens, Placentiam ingreſſus eſt.

An. proximo die 16. Maji Padus inundans animalia quamplurima abſumpſit.

An. 1475. Michael de Marliano civis Mediolanenſis ex Epiſcopatu Terdonenſi ad Epiſcopatum Placentinum tranſlatus eodem anno diem clauſit extremum. Hic nonnulla ſacriſtiæ majoris eccleſiæ reliquit, ac condonavit ornamenta.

An. eodem Sacromorus de Mendotiis, patria Mediolanenſis, Epiſcopus Placentinus ordinatus menſe ſui Epiſcopatus ſecundo tranſlatus fuit ad Epiſcopatum Parmenſem. Huic Fabricius Marlianus Mediolanenſis civis ſucceſſit; ex Terdonenſi enim Epiſcopatu ad Placentiam tranſlatus, ſedit annos duo de triginta: Mediolani moritur; indeque ejus cadaver Placentiam tranſlatum in eccleſia majori ſepelitur. Hic Epiſcopus caſtellum ſancti Himenti è manibus Nobilium de Arcellis ære proprio liberavit; Epiſcopales proventus citra alicujus offenſam auxit in duplo, & vetuſtate jam fere conſumptum Epiſcopale palatium reſtauravit, ipſiuſque eccleſiæ ornamenta ac libros renovandos curavit. Quo anno per Antianos Communis Placentiæ Albertus Ripalta, Jacobus de Caſollis de Rhegio, J. V. Doctores, Joannes-Maria Malvicinus Marchio, & Joannes-Franciſcus Anguiſolla Comes; quattuor viri ſuper reformatione conventus, & Fratrum Sancti Joannis in canalibus Placentiæ electi fuerunt, qui ejectis conventualibus reformatos introduxerunt.

Circa finem anni Mediolani in Divi Stephani die natali, ejuſque ſacra æde, dum miſſarum ſolennia celebrarentur Galeatius Maria Sfortia Dux Me-

Mediolani ab Joanne Andrea Lampugnano cive nobilissimo quattuordecim sicæ ictibus interficitur. Nec fugere præ turba, nec se occulere valens interfector innumeris statim confoditur vulneribus. Reliqui ea in conjuratione inventi minutissimas in partes concisi fuere. Eo in principatu Joannes Galeatio Mariæ patri successit, cujus tutelam aggressi, qui Galeatii jussu exsulabant, Ludovicus & Ascanius, ejus Galeatii fratres, novem annos nato nepoti Ducis nomen tantum relinquentes, cætera ejus dignitatis omnia propemodum occupaverunt. Cum adolevisset Joannes Galeatius Maria, Ferdinandus Apuliæ Rex, cujus ex Alphonso filio neptis huic desponsata erat, ut jam adulto nepoti principatum cederet Ludovico per Oratores insinuat. Hinc nigriores illæ grandinibus prægnantes genitæ nubes, à quibus totius Italiæ turbinis bellorumque procellæ postea descenderunt; vafer siquidem Ludovicus, quo sibi imminentem Ferdinandi potentiam minueret, nepotis rem ipso cum Rege verbis in longum protrahit ex una, ex altera uti ad sibi jure debitum Apuliæ Regnum descenderet recuperandum, Carolum Francorum Regem hortatur, sollicitat, ac, quo facilius in Italiam alliciat, commeatum promittit, ac profert. Nacta hac opportunitate Carolus novas copias prioribus addi, ac, quasi contra Othomanum Imperatorem profecturus, classem & omne belli apparatum disponi jussit.

An. 1476. Fratres Conventuales, aliàs sancti Joannis in canalibus, cum Fratribus sancti Francisci, & sancti Laurentii, additis sibi nonnullis plebejis, civibusque infimi generis, in ædibus cujusdam Vitalis armis & scalis ibi præparatis conventum ipsum sancti Joannis invadere, ac inde Fratres de Observantia expellere disponunt; verum aperta re Nobilium prudentia & arte taliter provisum fuit, ut nullum res sit sortita effectum.

Anno eod. Fratres Jesuati obtinuerunt locum & ecclesiam sancti Bartholomæi.

An. 1478. Locustarum innumeram multitudinem segetes devorantium pestis sævissima secuta est.

Per hos dies Placentiæ inaudita novitas accidit. Quidam, cujus nomen & cognomen honestatis causa silentio operire bonum judicamus, cum usurarius publicus teneretur, non sine populi derisione delatus est ad sepulchrum, sed à populo interdiu impediti clerici noctu illud sepeliunt; octavo die, quæ erat dies Pentecostes, post prandium undique supervenientes pueri, quos tota fere sequebatur Civitas, clamantes *Bajam, Bajam*, (sic vulgo cognominabatur avarus) ad ejus sepulchrum cucurrerunt, & quod lapicidæ malleis & sudibus (duo enim magni lapides superpositi erant) vix facere potuissent, digitis & baculis tantum pueri è vestigio perfecerunt; nam sepulchrum aperiunt, cadaver extrahunt, apprehensaque, qua cingebatur, fune per claustrum ad plateam trahunt; inde ad domum Commissarii Ducalis, cujus commensalis erat, ibique pluribus additis funibus per collum, per brachia, & per medium ad ejus domum trahunt, ibique coram uxore & filiis illudunt. Tandem *Bajam, Bajam* continuantes extra Civitatem tractum, & illusum apud Sanctum Spiritum nudum ad salicem cadaver suspendunt: nomen & cognomen vide in Chronica, quam habet Joseph Pastor.

An. 1481. Corpora Sanctorum Victoris, Domini, Gelasii, & Peregrini longo tempore latentia, inventa, Rufino de Lando Abbate sic ordinante, lacteo marmore clauduntur.

An. 1483. Guido Rubeus, cum Jacobo fratre, & Venetarum copiarum Provisore, relictis omnibus, quæ in Parmensi agro possidebant, castellis per planam, apertamque viam multo cum equitatu

A ad castrum Arquatum, inde ad Rustigatium, & demum in Vallem Nuriæ Joanne Lisio Nicello Duce pervenerunt; sed missis multo cum equitatu nonnullis peditum legionibus ad Vigolcionum Ludovicus Sfortia illos loco cedere coegit; nam Ludovicus in Parmensem agrum ducens Felinum Rubeorum castellum oppugnare adoritur.

Anno eodem die 28. Julii, Cardinalis, sancti Clementis Pontificis Maximi nepos, maxima cum pompa Placentiam ingressus, salutis recuperandæ gratia, ibi per aliquot menses moram traxit.

An. 1484. Manfredus Landus locum Ferrariarum Vallis Nuriæ, Arcemque ejus loci invitis

B Nicellis ab Atiate Ducali Consiliario emere ausus, dum locum obtinere nititur, facto impetu ejus vallis rustici furnorum folles incidunt, lacerantque malleos, & incudes destruunt, casas & stabula ferro & igne consumunt, omniaque fere ad ferrum calybemque purgandum necessaria instrumenta violenter inde exportant.

Die 16. Aprilis in die Veneris Sancti frater Petrus de Bergomo, & Theologus celeberrimus Ordinis Prædicatorum moritur.

Die 13. Maji ejus anni, Conrado Troili, & Hectoris Scotorum famulo à Manfredi Landi famulis per insidias interfecto, inter Casaligium &

C Ripaltum castella utriusque factionis factus est armatorum concursus, sed per Ducem accitis partium capitibus rumor visus est quiescere.

Hoc anno die 22. Maji, Monachi albi indumenti montis Oliveti nominati ab Alexandro Marliano Abbate locum Sancti Sepulchri Placentiæ obtinent. Quo anno peste laboravit Civitas, caritas subsecuta, frumenti starius solidis 38. carnis libra denariis quindecim, par pullorum parvorum solidis 6. fœni plaustrum libris 12. butyrum den. 20. emebatur, sicque bellum, pestis, & fames in memoria hominum non audita.

Per hæc tempora, cum Civitas aquarum penu-

D ria laboraret, nec prece, nec precio derivatas aquas ex Trebia in Urbem defluere sineret Manfredus Landus, per Ducis pœnalia præcepta ad id cum cogeretur, sicariis, & satellitibus, equitibusque quadraginta stipatus Placentiam ingreditur, civesque de sibi transmisso præcepto fastuose increpat. Interim per falsas literas Albertus Scotus Mediolanum ire cogitur, hunc Joannes, deinde Conradus Manfredi Landi filius, sequitur, tandem literarum falsitate per Ducem cognita Joannes Landus capite damnatur, Bartholomæi Scoti tamen interventu vitæ restituitur.

An. 1495. Joanne Galeatio Mariæ Papiæ mor-

E tuo Ludovicus Maria patruus in Ducatu successit. Quo anno Carolus Francorum Rex multo cum belli apparatu in Italiam descendens Placentiam ingreditur, declinavitque in palatio illorum de Landis. Die sexto inde discedens per Parmensem & Rhegiensem agrum in Apuliam contra Alphonsum Regem perrexit.

An. proximo Carolus Francorum Rex in Apulia cum exercitu revertens apud Glareolam agri Parmensis haud parva clade ab colligatis Italis afficitur. Joannis tamen Jacobi Trivultii virtute per agrum Placentinum ductus in Astensem civitatem, qui superfuerat militem reduxit: inde in Gallias

F profectus illatam sibi ab Italis Principibus injuriam contra Ludovicum Sfortiam vindicare disponit: morte tamen præventus, & belli apparatum, & cito complendum in Italiam descensum Ludovico Andegavensi genero reliquit.

Annus is erat nonagesimus nonus supra millesimum quadringentesimum, cum Franci maximo cum exercitu Obenigno, & Joanne Jacobo Trivultio Præfectis in Italiam descendentes Alexandriam occuparunt ex una, ex altera Antonius Landrianus

drianus Ludovici Sfortiæ archarius à Simone Hericone interficitur, æſque omne diripitur. Ea affectus Ludovicus jactura, cum & militem, & delectus habendi ſpem amiſiſſet, cum Aſcanio fratre, & Maximiliano, atque Franciſco duobus filiis ad Maximilianum Imperatorem in Germaniam profugit. Franci Mediolanum profecti intra paucos dies omnium ejus principatus Civitatum Oratores de deditione acceperunt, æreque corrupto Bernardino à Curte Præfecto eam, quæ ad Jovis portam ſita eſt, Mediolani Arcem obtinuerunt. Interim aliqui ex Placentinis Sfortiani nominis ſtudioſi in armis erecti, & Prætoris, & Gubernatoris domos diripiunt ex una, ex altera Petrus quidam Corſicæ nationis arrepto cum Sfortianis inſignibus vexillo clamare cœpit *Moro*, *Moro*, (id Ludovici Ducis cognomen erat) tum ſolita ira excandeſcentes Franci Gibellinorum domos comburere minantur, feciſſentque, niſi optimorum civium interventu pacati fuiſſent.

Anno proximo ab Mediolanenſibus ex Germania vocatus Ludovicus Sfortia multo cum Helvetiorum peditatu in Italiam revertitur, amiſſumque principatum infra paucos dies cum recuperaſſet, ab ipſis, quos ſecum traxerat, Helvetiis apud Novariam proditus Francis in Gallias captivus ducitur.

Anno eodem Aſcanius Sfortia Cardinalis Ludovici frater apud Ripaltam agri Placentini caſtellum ab Venetis captus Venetias ducitur, indeque Ludovico Francorum Regi in Gallias & ipſe ducendus traditur. Captis igitur duobus Sfortianis fratribus, nemine penitus contradicente, Francorum Rex Inſubrium Principatum infra paucos dies iterum recuperavit; fuitque Placentia Francis ſubjecta per annos duodecim, vel circa.

An. 1502. Senior quidam, cognomento *il Tartalia*, annorum octoginta duorum, qui per annos duos & quadraginta Herodianæ Dianæ ludum continuaverat, tanquam Hæreticus relapſus, & apoſtata à fide catholica per Inquiſitorem hæreticæ pravitatis traditus eſt brachio ſecularis Curiæ, ac in platea majoris eccleſiæ combuſtus. Quo anno, & infra notati pari conditione igni traditi ſunt, videlicet Longareta, cum duabus mulieribus de Caſaligio, Catherina de Complano cum ſene, qui per annos quinquaginta in hæreſibus perſeveraverat, Bertholinus de Caſadei, qui ad ludum cum Zochalis ibat, & Medico Corani fuſtigati ſunt.

An. 1504. in Placentinis montibus ruſticus quidam, cui nomen erat Berthole, cui & cum Paſchino genero plures filii latrocinandi arte peritiſſimi cum eſſent, neque nobilioribus, neque vilioribus parcens, quos aurum, argentum, frumenta, vinum, aliudve, quod ſibi proficuum judicaret, habere arbitraretur, ſicariis ſtipatus ſtatim adortus quicquid petebat vi & metu obtinebat, ferro etiam & igne cum omnia fœdaret de loco ad locum, cuiquam eis in montibus per plures annos aditus nullus tutus erat, etſi in dies capti furcis ſuſpenſi die ea multi fuiſſent, minui tamen illius facinoroſa ſocietas nunquam eſt viſa; tandem de vita cautus Mediolanum ad Regem proficiſcitur, ab eoque in domum propriam remiſſus mortuus eſt in pace.

An. 1506. pro peſte infectis extra mœnia Placentiæ ampliſſimum quadrato latere receptaculum conſtructum fuit; locus foſſa circundatus erat, cum eccleſia in medio quadri ſuper columnas undique aperta cameras quadraginta pro ſingulo latere continens.

An. 1512. Julii, ejus nominis ſecundi, Pont. Max. è Venetorum ſuffragiis Maximilianus Sfortia Ludovici jam Mediolani Ducis filius expulſis inde Francis Ducatum paternum recuperavit. Et quia inter eas, quas cum Pontifice ipſo habuerat, conventiones pro certa in militum ſtipendiis jam diſtractæ pecuniæ quantitate Placentiam & Parmam urbes eidem Romano Pontifici cedere promiſerat, Placentina Civitas ex eo anno ad annum uſque quingenteſimum quintum decimum ſupra milleſimum ſub Rom. Eccleſiæ patrocinio optime quievit. Eam ob rem Lazarus Malvicinus, Antonius Maria Scotus, Petrus Bernardinus Anguiſolla, & Camillus Landus quattuor Oratores de fidelitate præſtanda Romam ad Pont. Max. miſſi fuerunt. Et, qui ſcandalis intra urbem obviarent, quattuor cenſores hi creati fuerunt, Eraſmus Malvicinus, Joannes Anguiſolla, Gulielmus Scotus, & Manfredus Landus. Inſuper & quattuor aliis, ut ad urbem acceſſus eſſent ſecuriores, demandatum eſt, ut per agrum diſcurrentes liberas tutaſque conſervarent vias; hos voluerunt eſſe Albertum Malvicinum de Fontana, Albertum Scotum, Marcum Antonium de Lando, & Nicolaum Anguiſollam; qui tunc cum Oratoribus miſſus fuerat Bartholomæus Baraterius una cum Lazaro Malvicino equeſtrem dignitatem ſibi, Civibus autem immunitatem promeruit. Urbis Placentinæ pro Pontifice Maximo Joannes Guizardinus Bononienſis J. V. Doctor, Rector, & Gubernator primus ingreditur.

Circa finem anni die 29. Decembris Maximilianus Sfortia Placentiam ingreditur, indeque pro accipiendo principatu paterno Mediolanum properavit: quo recuperato Julii Pont. Max. inopinata mors nunciatur. Nec defuerunt ex Gibellinis aliqui, qui ad repetendam Placentiam adoleſcentis Principis animum accenderent. Reverſus igitur Placentiam, cum peditatu Hiſpano novis exactionibus, militumque expenſis tam cives, quam ruſticos infeſtare cœpit. Verum infra paucos dies Leonis Pont. Max. creatione percepta omnibus ejus Civitatis juribus Gubernatori Apoſtolico reſignatis Mediolanum revertitur.

Annus is erat 1513. Petrus Scotus, cognomento Buſius, quod ſuæ factionis (Guelphus enim erat) primatum ei denegatum fuiſſet, Gibellinis adhærens centum, & plus, cum ſicariis per urbem diſcurrebat, & quotquot ex Guelphis inveniebat, vel interficere, vel ſaltem in ignominioſam fugam convertere nitebatur. Etſi Albertus, Gulielmus, Paulus, Cæſar, Paris, & Antonius Maria Scoti, Giſellus Malaſpina, & Eraſmus Malvicinus, ac reliqui contrariæ factionis, cum armatis ſuis in domibus ſe continerent, homicidia tamen quamplurima in dies perpetrata inveniebantur; ad eam namque civium furor inſaniam adſcenderat, ut etiam ſacrarum ædium turres pro aggere, pro mole, & pro arce illis eſſent. Et cum ſuis odiis facere ſatis in urbe haud poſſe perpenderent, Civitatem exeuntes totum Placentinum agrum omnibus infeſtum reddiderunt. Tandem Thoma Campeſio urbis Gubernatore interveniente pax Civitati reſtitui viſa eſt. Interim ab Pontifice Maximo Placentiam miſſis militibus, cum Franciſco Braciforti capti nonnulli in carcerem truduntur; Antonius Malvicinus capite plexus eſt, multi autem fuga ſalutem ſibi quæſierunt. Per hos dies Hiſpani agrum Placentinum pluſquam mediocriter infeſtarunt.

An. 1514. Nicolaus Scotus equitum Venetorum ductor, dum obſeſſis Bergomenſibus ſuccurrere nititur, à Sfortianis captus, atque Mediolanum ductus, contra jus belli capite punitur. Per hos dies quietis impatiens Petrus Buſius tumultuario milite collecto, cum nonnullis vallis Nuriæ munitioribus locis Ferrerias Bertholini Nicelli caſtellum occupavit ex una, ex altera Claudius Landus, quod illorum de Arcellis fuerat, caſtrum Ronchi intravit; verum hi anathematis, proſcriptionis, & rebellionis pœnarum in jam emanato diplomate Apoſtolico comminatarum timore Placentiam ingreſſi

gressi in ab civibus conclusam pacem consentire coguntur; contra Malvicinos enim, & Nicellos, atque Gisellum Malaspinam omnem se rem habere dicebant.

Anno proximo, qui mortuo Ludovico in Francorum regno jam successerat, Franciscus Dux Engolimensis, maximo cum belli apparatu in Italiam ruens deditam Maximilianum Insubrum Ducem in Gallias misit, potitusque Ducatu etiam sibi ab Leone Pont. Max. in percusso fœdere promissam Placentiam obtinuit, possceditque per annos quinque, civibus intra, rusticis autem extra semper tumultuantibus. Penultima Decembris Bononiam pro alloquendo Pontifice Maximo profecturus Rex Placentiam ingreditur, atque in Paridis Scoti palatio honorifice recipitur. Interim Jacobus Vermes, cum nonnullis Placentinis extorribus, Nebiano direpto, quod erat Antonii Scoti, Languerram castellum comburit, Trevotium diripit, occupatoque Montalbo palatium ejus igne consumit ex una, ex altera Bernardinus Anguisolla Statum castellum occupat, Busiusque per agrum Placentinum discurrens direptionibus, homicidiis, & incendiis omnia fœdat. Tunc qui in Placentina Civitate Proregem agebat sibi, & urbi ab extorribus timens, panis, vini, ac molendinorum exemptionem voce præconis edixit, sicque gratiores sibi & Regi cives cum reddidisset, omnem exsulum timorem visus est exuere.

An. 1517. Qui Vermium bona à Rege dono acceperat Galeatius Sanseverinus (scutarius Regius is erat) post unam & alteram oppugnationem Arcis Olzisii Jacobum Vermem ad deditionem coegit; suis namque cum rebus quemque inde exire abireque permisit.

An. 1518. Vasinus Malabaila Nobilis Astensis Fabritio in Episcopatu Placentino succedens biennio sedit; per commutationem deinde ad Astensem translatus Placentinum Antonio Trivultio cessit. Quo anno Jacobus Sancta Columba, Francus natione, Placentiæ pro Rege Gubernator facinorosos nonnullos de medio tulit; quorum famosissimus fuit, qui cognominabatur *Tempestas*, extra portam stratæ levatæ suspensus. Annoque proximo ad Prædueriam Busii castellum oppugnandum pergens vi armorum obtento præsidio ibi inventos suspendio necavit. Busius noctu aufugerat.

An. 1520. Antonius Trivultius Mediolanensis Patritius adepto Episcopatu Placentino inter bellicos tumultus per biennium tantum supervixit; Cremonæ moritur; Mediolanumque delatus in patrum suorum sepulchro tumulatur.

Anno proximo Carolus Austrius Romanorum & Hispaniarum Rex de expellendis ex Italia Francis, cum Leone Pont. Max. fœdus iniit. Delectu igitur ab utroque habito, dum Parmam obsidere contendunt, qui Placentia exsulabant, Jacobus Anguisolla, & cui Busius cognomen erat, Petrus Scotus cum exterorum innumera multitudine per agrum Placentinum discurrentes, & feris rusticos, & intra urbis mœnia cives, ac Francos ipsos trepidare cogebant. Hi quo facilius in Placentiam haberent ingressum, de ejus urbis porta noctu sibi aperienda, cum Tameo quodam Tarvisino custode optime conveniunt. Verum aperta proditione, cum eis, qui noctu ad mœnia usque venerant, extorribus Tameus aufugit; missus siquidem multo cum equitatu ex Mediolano ad Urbis custodiam Hieronymus Trivultius una cum Cæsare Scoto intrepide rem agebant; hi namque Placentia multo cum milite egressi Busium in Stato castello circundant. Hic, ut erat cordatus, viriliter inde exiens viginti tantum ex suis desideratis per montium devia noctu aufugit. Franci Placentiam reversi captum Jo. Baptistam Zanardum ob inventas apud illum hostium literas capite puniunt. Dum Anguisollæ cum Busio in Montechiari & Vegiani locis exsulum copias reficiunt, augentque, Trivultius, quo tutius rem agere videretur, Placentiæ portas nobilioribus custodiendas distribuit; nam stratæ levatæ Paridi, & Gulielmo Alberto, & Gaspari Scotis sancti Raymundi; sancti Lazari, Cæsari ejusdem familiæ; Fudestæ Joanni Antonio de Apulia; Burgeti autem Francisco & Alexandro portas observandas commisit.

Interim Busius pilula plumbea in genu vulneratus Parmam curandus vehitur: ibi cum Prospero Columna pro Imperatore de obtinenda Placentia diu locutus nondum satis procurato vulnere cum Anguisollis, Jacobo Verme, Matthæo Beccaria Papiense, & Bartholomæo de Villaclara Brixiense, ac reliquis exsulibus in agrum Placentinum revertitur. Interim Placentiæ Petrus Franciscus Malvicinus, Christophorus Scotus, cognomento Mazzonus, ac tonsor quidam de proditione suspecti carcere clauduntur; Mazzonus Mediolanum ductus capite punitur, reliqui ære mulctati dimittuntur. Landi fere omnes ad Cymbros exsulare coguntur. Ejusdem anni circa horam sextam noctis quartæ mensis Augusti Placentiam adorti exsules, quæ sancti Raymundi dicitur, adhibito igne urbis portam succendunt. Tum qui pro statione erant custodes, ne hostibus urbis pateret ingressus, adhibitis lignis incendium in majus, remque in longum proferunt. Jam scalis muros adscenderant, clamoribusque urbem implebant hostes, cum cives, & pauci, qui aderant milites ex hostibus quinque interficiunt; ex defensoribus aliqui vulnerati fuerunt. Ad auroram res protracta cum fuisset, à quo territi ignorarunt etiam qui aderant, infecta re omnes in fugam vertuntur; sicque extorribus unde venerant ad montana fugientibus, & custodibus pari terrore perculsis ad propria dilapsis ad horam diei tertiam, & sine hoste, & sine custode ea urbis porta remansit. Tandem Agatiano ejus agri castello ab ipsis exsulibus vi armorum capto inter dividendum prædam Busius interficitur. Hujus morte facti animosiores Regii milites (Francis namque Busius tremebundus erat) urbe egrediuntur, factoque impetu versos in fugam exsules interficiunt, vel in jam ex continuatis pluviis alveum suum excedentem Nuriam fluvium impellunt; indeque cum nonnullis captivis, ac præda mediocri in civitatem revertuntur. Altera die iterum urbe egressi Regii milites apud Vicumvias, nunc vulgo *Vigoltionum*, ex hostibus centum occidunt, captosque aliquot in civitatem trahunt. Tandem, cum neque in militum numero & virtute, minusque in mœnium ejus urbis firmitate fiderent Franci, hostesque in dies augeri & appropinquare audirent, (jam enim cum Helvetiorum copiis Antonius Pucius Pistorii Episcopus Florentiolam applicuerat) relicta Placentia in Insubriam ad Odetum Proregem properarunt. Postero die Placentini cives, cum Gorro Gherro Fanensi Episcopo pacatum receperunt Romanæ Ecclesiæ præsidium.

An. 1522. Ad Scaramuciam Trivultium Antonii Episcopi fratrem Episcopatus Placentinus defertur. Hic cum Episcopatum ipsum per triennium jam possedisset, Catelano Trivultio ex fratre nepoti illius administrationem resignavit. Quo anno nova Divæ Mariæ de Campania sacra ædes fundata fuit: cujus primarium lapidem Petrus Recorda Episcopus Sebastensis, & Suffraganeus Episcopi Placentini solenniter imposuit.

Circa finem anni die 18. Decembris mortuo Palavicino de Palavicinis ejus castelli domino Gorrus Placentiæ Gubernator castrum sanctum Joannem pro Ecclesia præoccupavit, sed per Arcem intromissi

missi milites Hispani, & Ecclesiæ præsidium interficiunt, & castellum diripiunt.

An. 1525. Catelanus Trivultius, Mediolanensis Patricius, Episcopus Placentinus factus, sedit annos quinque & triginta, sepultus Mediolani in patrum suorum sepulchro.

Annus is erat 1527. cum pro Ecclesia urbem Placentinam ab Cæsarianis obsessam tueretur Guido Rangonius aggere & vallo primus eam urbem cingere cœpit, quam secuti formam Pontificum Legati ad eam, quæ nunc relucet, deduxerunt perfectionem; duabus igitur ex partibus obsessa civitas haud mediocriter premebatur; ad Nuriam namque Germanorum cohortes, ad Trebiam autem fluvios Italorum & Hispanorum Duces castra posuerant, hinc direptiones, inde incursiones in dies cum fierent, ipsis etiam viatoribus præclusa itinera reddebantur. Eo in agro cum toto exercitu postquam hiemasset, nec expugnandæ civitatis spem aliquam haberet, cui summa rerum demandata erat, Carolus Borbonius vastato agro (ad nongentas vaccas secum traxisse fertur) Antonio Leva quattuor cum Germanorum, totidemque Hispanorum cohortibus in Insubriam redire jusso per Parmensem, Rhegiensem, ac Mutinensem agros Romam contra Pontificem Max. properavit.

An. 1529. Pontifici Maximo jam reconciliatus Carolus Cæsar, quo Imperii corona ab ipso ornari mereretur ex Hispania Genuam trajecit, inde Placentiam parvo cum militum numero pergens, ut & Pontifici ipsi ad eum excipiendum Bononiam ituro, & Italiæ Principibus de communi concordia cogitandi, deliberandique spatium daret, ibi hiemavit. Quo anno Kal. Septembris hora quartadecima Bartholomæus Ferratinus pro Clemente, ejus nominis septimo, Pont. Max. eam Urbem regens Placentiæ Civitatis cingendæ novos muros auspicatus Bartholomæum Pandolam, Vincentium Vitalem Cives Placentinos, & tertium Petrum Franciscum Viterbiensem architectos adhibuit. Itaque novis mœnibus, & fossis, novisque propugnaculis egregiis, cum inexpugnabili arce firmata octangularisque, ut infra patet, formata Placentia. Hic addatur picta Civitas.

An. 1536. Ex Neapoli revertens Carolus Imperator maximo cum exercitu per agrum Placentinum pacifice transivit.

Per hos dies ex Venetiis ad Mirandulam se conferens Guido Rangonius, cum Cagnino Gonzaga, ac Cæsare Fulgosio militem pro Francorum Rege undique contrahit, reductisque ad justam exercitus formam copiis, additoque sibi nonnullis cum militibus Petro Strocio per agrum Parmensem & Placentinum justis itineribus Genuam ducunt.

An. 1539. Paulus, ejus nominis tertius, Pontifex Maximus pro communi Christianorum concordia Nicæam ad Francorum Regem proficiscens Placentiæ Joannem Andream Pusterlam, Petrum Mariam Paverum, Jo. Paulum, & Joseph de Casate Equites creavit.

An. 1542. die 3. Sept. Locustarum infinita copia ex partibus orientalibus in Italiam venit, ita ut herbas virentes, messesque omnes minutas, ubi morabantur, eroderent, ac adurerent; quod non sine infausto præsagio universo orbi fuit; Dei tamen ope, hieme superveniente omnes interiere.

An. 1543. Paulus Farnesius Pont. Max. ad Buxetum agri Placent. castellum cum Carolo V. Imperat. longum sermonem habuit.

An. 1544. Petrus Strocius, & Ludovicus Ursinus Petiliani Comes undique contracto milite apud Mirandulam copias reducunt, & cum ad justi exercitus formam reduxissent trajecto Pado fl. per agrum Cremonensem stationes pro libito fa-
A
ciunt. Inde in Insubrem cum tentassent transitum everso tramite ad Placentiam ea coguntur celeritate, ut, nisi eis Petrus Loysius Farnesius, copiarum Ecclesiæ tunc præfectus, navigiis succurrisset, in Padum fluvium ab superveniente cum copiis Cæsarianis Daulo coacti fuissent. Per Placentinum igitur agrum in Papienses colles Cæsarianum equitatum fugitando cum evasissent, justis itineribus in agrum Terdonensem descendunt; ibi ab hostibus ad pugnam coacti victores primum, mox victi fuerunt.

Anno eodem, qui ducentis tantum cum militibus suorum cladem aufugerat, Petrus Strocius re-
B
fectis copiis ex Mirandula per Rhegiensem & Parmensem agrum ad Taurum fluvium duxit, inde per Placentinum sicut disposuerat agrum ducere ab Sfortia Palavicino armis prohibitus non sine suorum ingenti labore per ejus fluvii vallem Apennini juga adscendere, atque per Ligusticos saltus ad Francos in Taurinos gressum dirigere cogitur. Ab Augustino tamen Lando commeatum habuisse audivimus. Quo anno, quæ Sancti Antonini castellum dicebatur, Arx superior Pauli, ejus nominis tertii, Pont. Max. accedente consensu per cives destructa fuit. Et, quæ tredecim pinnis pulcherrime fastigiabatur, Turris ecclesiæ Sanctæ
C
M. de Templo hoc anno una eademque die ictu fulguris bis tacta, cum ruinam minaretur, ad duas partes fuit excisa.

An. 1545. decima nona Augusti, hora sexta decima, Petrus Loysius Farnesius Pauli, ejus nominis tertii, Pont. Max. filius Placentiæ & Parmæ Dux acclamatur, atque à Bernardino à Barba Casalensi Episcopo pro Pontifice ea in causa, Marino Grimano Cardinali Legato Apostolico, & Catelano Trivultio Episcopo Placentino præsentibus, in ecclesia cathedrali Placentiæ coram clero & populo Sfortia de Sfortiis ex sorore nepos, ipsius Ducis gerens vices, Ducalibus insigniis deco-
D
ratur.

Anno proximo Petrus Loysius Placentiæ Dux circum circa Canonicorum Regularium Divi Augustini monasterium Arcem ædificare, molibusque eam munire cœpit, & quo opus citius perficeretur, collectis ex omni agro Placentino rusticis, eorum tria millia onera gestantium trecentis cæmentariis ministrare voluit, eaque celeritate & solicitudine uti est visus, ut ad eam molem trium mensium spacium opus reduxerit, quod posset cum antiquioribus Romanorum exstructionibus comparari. Ea operis celeritas in suspicionem haud mediocrem primarios ejus Civitatis induxit. Qua-
E
propter Augustinus Landus, Joannes Anguisolla, Hieronymus, & Camillus fratres Palavicini, & Joannes Loysius Confanonerius, cum nonnullis ex nobilioribus ejus urbis facta conjuratione ipsum Petrum Loysium Placentiæ in secretiori ejus camera decimo Septembris, hora quintadecima, an. 1547. jamjam pransum interficiunt. Ejus rei fama ex Arce veteri, aliàs Citadella, in qua facinus perpetratum erat, in urbem delata populum in arma erexit, ac, quem mortuum ignorabat, Ducis liberationem ad Arcem ipsam attraxit. Conjurati, cum *Ducem*, *Ducem* acclamantis populi voces sedare non possent, suspensum per funem ad
F
fenestram Ducis cadaver ostendunt primum, mox, quo totius populi continuatum clamorem citius quiescere facerent, in præceps demittunt. Tunc cæteris audacior unus, quo de re alios certiores redderet, ad jam dejectum cadaver descendit, atque illius effigiem diligenter inspectans, illud veri Ducis corpus cæteris affirmavit. De re facti certiores Placentini ad propria redierunt; milites, qui in Civitate erant in unum conglobati, in novam Arcem sese receperunt. Tunc & populi, & mi-

militum timore soluti, in quod cum Cæsarianis convenerant, conjurati tormento Vulcanico faciunt signum. Nec segnius ex Cremona affuit suffragium: eadem siquidem die, hora licet tardiuscula, nonnullis cum equitibus advenit peditum multitudo, sicque altera die citra omnem strepitum optimis cum conditionibus (per decennium enim exactionum levamen civibus concessit) Ferandus Gonzaga pro-Imperator eam urbem pro Cæsare recepit. Interim qui in novam Arcem sese receperant milites, cum & alimentis, & omni prorsus carerent defensionis apparatu, à Civibus libere dimissi structo agmine Parmam profecti sunt. Hoc mali inter plura eo in tumultu passa est civitas, quod Archivi, in quibus ejus urbis cum totius agri dimensionibus scripta servabantur, à quibus impune hucusque dicere non licuit, igni consumpti fuere.

Hoc anno, qui observantiali titulo decorantur, Fratres Minores Divæ Mariæ de Campania locum ad habitandum obtinuerunt. Quo anno etiam Philippus Caroli Imperatoris filius Placentiam venit, cui mira arte elaboratam Placentiæ effigiem argenteam Placentini Cives obtulere.

An. proximo, qui ex cœnobio, quod in Arce nunc includitur, ejecti fuerunt D. August. Canonici Regulares Placentiæ in via lata sub ipsius sancti Augustini titulo novum, amplissimumque fundaverunt monasterium.

An. 1549. Padus ex nimio gelu congelatus homines & currus sustinebat.

An. 1555. Christophoro Madrucio Cardinali, ac pro Philippo Austrio Hispaniarum Rege Insubriam regente, & Cosmo Medice Florentino Duce intervenientibus Octavius Farnesius Cæsari reconciliatus maximo cum ejus urbis tripudio Placentiæ dominium recuperavit, in Arce tamen Hispanorum præsidio perseverante.

An. 1557. Octavio Principe favente per hæreticæ pravitatis Inquisitorem Placentiæ diligentiori inquisitione facta circiter triginta hæretici, suspecti vero quamplurimi inventi fuere. Horum fuga arrepta tanquam contumaces ac obstinati condemnantur aliqui, reliqui hæresibus abjuratis ad misericordiam recepti inter pœnitentes connumerati sunt.

An. 1560. Bernardinus Scotus, patria Sabinus de Manliano, Episcopatus Placentini administrationem nactus (Cardinalis erat) sedit annis . . . . .

Anno eodem Margarita Austria Farnesii Octavii Farnesii Placentiæ Ducis uxor eo in loco, ubi, quæ Citadella dicebatur, Arx sita erat, miræ magnificentiæ Palatium fundari ac exstrui jussit.

An. 1562. Inaudita terræ siccitas in agro Placentino fuit; à mense namque Februario ad medium Octobris, & inde ad finem anni perduravit; id propter omnes fere, & urbis, & agri putei, ac fontes exsiccari sunt visi. Et, quod pejus, frumenti ac leguminum omnium subsecuta est penuria. Ea occasione nonnullorum avarorum sitis, eorumque auri sacra fames adeo accendi est visa, ut nondum paleis excussi tritici starius, vel sextarius, aureo nummo venierit. Et cum ob id jussu Principis omnium alimentorum facta fuisset descriptio, & ex describentium infidelitate, & ex consignantium Civium maliciosa aviditate tam in Civitate quam in agro vix pro anni dimidio alimenta inventa fuere. Id perpendentes, qui rem ita se habere putabant, Civitatis Rectores alio se vertere disponunt. Hi igitur, ære haud modico sub usuris accepto, non tritici modo, sed & siliginis, ac diversi generis leguminum maximam quantitatem ex Taurinis agris navigio cum vexissent, eos, qui tenacissime prius absconderant frumenta, proferre, ac vilius solito vendere citra vim coegerunt; factumque est, (ô cæca avaritiæ fatuitas!)

A ut, quod prius aureo nummo vix emi poterat, dimidio post venderetur. Iterata autem alimentorum descriptione tantum frumenti in Urbe Placentina inventum est, ut per menses quindecim, & ultra, grano proprio abundantissime Civitas suos posset pascere Cives. Emptum granum, quia superfluum inventum est, modo infra notato dispenditum fuit.

Et primo, Civibus urbem incolentibus, & in ea liberatis, frumenti sextarios octo millia centum septuaginta tres.

Secundo, ab omni communi separatis sanctorum Antonii, & Lazari hospitalibus devotis frumenti B sextarios centum sexaginta unus.

Tertio, Nobilibus Nicellis civibus forariis frumenti sextarios sexaginta.

Quarto, diversis agri Placentini Communibus frumenti sextarios quingentos quadraginta tres; siliginis tria millia quinquaginta; fabarum quadringentos triginta sex; milii centum triginta quattuor.

Quinto, Pistoribus urbis frumenti sextarios quinque millia quattuor.

Sexto, Dominis feudatariis, forariis, frumenti sextarios quingentos.

Neque tam utili onere se immunes clerici passi C sunt: nam qui presbyteri vulgo appellantur clerici seculares duo mille quadringentas, claustrales autem mille quadringentas nonaginta quinque libras voluntarie numeraverunt; Mendicantibus parsum est.

Annus insequens demptis pomis omnium frugum fertilis abundantissimusque fuit.

Circa finem ejusdem anni, octavo videlicet Kal. Jan. ad Philippum Hispaniarum Regem eorum minorem avunculum in Hispanias profecturi Hernestus & Rodulphus, Maximiliani Boemorum Regis filii, Placentiam ingrediuntur, atque ab Octavio Duce maximo, cum totius ejus urbis populi tri- D pudio accepti Arenariis Circensibusque ludis per triduum honorantur.

ZARDINVS & LILIATA.

ZAR. In his, quæ multa quidem, sed enudata minusque enucleatâ mihi visa, sub hoc tuo liliato pallio perlegi, hoc unum offendi, quod non, uti reliquæ solent urbes, in nobiles, sed in milites, popularesque bifariam cives tuos diviseris.

LIL. Factum scies, si hominum ex Socratis sententia in animæ & corporis optima temperie, pecudum vero in bono, validoque corporum habitu, E nobilitatem sitam cognoveris.

ZAR. Imo, & ex Democratis dictis novi hominum nobilitatem sola in morum bonitate perfixam, sed, qui ea splenduerint, perpaucos agnovi.

LIL. Quin potius hac fulgentes luce quamplures noscuntur ignoti.

ZAR. Ænigmate confundor; edissere (rogo) si ignoti quomodo noscuntur?

LIL. Est nobilitas, quæ sola est & unica virtus, est & gentilitia. Priores ignoti diu Nobiles vix tandem noscuntur. Posterioris, quæ ex militia, malitiave ortum habet, cultores citius faciliusque emergunt: & hæc quidem ex effuso, & utinam F hostium tantum, cruore, & publico præmio comprobatur. Hinc apud Romanos tot coronarum genera, Civilium, Muralium, Obsidionalium, Navalium, tot militaria dona, Armillæ, Hastæ, Phaleræ, Torques, Annuli, Statuæ, Imagines, nata sunt, quibus gentilitia nobilitas auspicatur. Apud Carthaginenses tot donabantur annuli, quot interfecissent præliis. Iberi tot circa sepulchrum erigebantur obelisci, quot ille interfecisset ex inimicis. Apud Scythas in celebri convivio iis tantum circum-

latam pateram accipere licitum erat, qui hostem occidissent. Apud Macedones lex erat, qui nullum hostem interemissent, capistro cingi in opprobrium ignobilitatis. Apud Germaniæ populos neminem uxorem ducere licebat, qui non prius caput interfecti hostis ad Regem detulisset. Hanc nobilitatem si à primis unguibus exploremus, ipsam nil aliud, quam robustam improbitatem esse inveniemus, dignitatemque non nisi scelere acquisitam: nam Adam duos filios habuit, in quibus humana familia bivium fecit, videlicet in Abel plebis, in Cain Nobilium, qui cum secundum carnem crudelis & superbus esset, de more persequens eum, qui secundum spiritum humilis erat, interfecit Abel: sed reparata fuit plebeja familia in Seth tertio Adæ filio. Ipse itaque Cain parricidio fratris primus militiæ & gentilitiæ nobilitati initium dedit, confidensque in propriis viribus, spretis etiam Dei Opt. Max. & naturæ legibus, primus condidit urbes, constituit Imperium, ac creatos à Deo liberos homines opprimere cœpit; donec & illi contempto Dei Judicio, & corrupta omni carne, promiscua libidine inquinati genuerunt Gigantes, *viros famosos*, ait Scriptura; hi opprimebant inopes, extollentes se latrociniis, & celebrantes nomina sua, imponentes ea regionibus, & urbibus, & montibus, & fluminibus, & mari, & aquis. Atque hæc sunt illa antiquissima & primæva nobilitatis munia, hæ virtutes, hæc ingenia, quibus in hunc usque diem ipsa ornatur nobilitas, cujus architectus pater ille gigantum, quos delevit Dominus in diluvio aquarum, uno solo reservato Noe viro justo in generationibus Seth; cui cum tres essent filii, Sem, Japhet, & Cham, utque illi instaurato post Diluvium seculo priscorum gigantum exemplo etiam urbes conderent, & Regna constituerent, nobilitatis gentilitiæ exstiterunt artifices, robustæ videlicet improbitatis, impatientiæ, potentiæ, malitiæ, violentiæ, oppressionis, venationis, luxus, pompæ, & vanitatis, similiumque nobilitatis stemmatum, quæ Noe filii huic impresserunt, è quorum numero Cham, eo quod cæterorum esset nequissimus, primam & super omnia Regna dominatricem monarchiam promeruit. Ipse genuit Nembroth, quem Scriptura describit *potentem in terra, & robustum venatorem coram Domino.* Hic ædificavit Babylonem illam magnam & linguarum confusioni initium fuit, tradiditque regnandi disciplinam, nobilitatumque gradus, honores, dignitates, officia, imaginesque decrevit. Exinde in plebem leges sancitæ, introducta servitus, & exactiones, à populo conscripti exercitus, gestaque crudelia bella. Hanc gentilitiam nobilitatem cum his, quæ à millenario satellitum, sicariorumque numero familiis militares tunc dicebantur, Palavicinorum, Scotorum, Landorum, & Arcellorum, Ubertus, Albertus, Franciscus, Ubertinus, Philippus, & Bartholomæus sibi erexerunt.

QUAM autem virtutis nobilitatem supra nominavimus ex antiquioribus etiam Scripturis ortum habuisse invenimus; Jacob namque duodecim filios cum genuisset, quem mortuum jamdiu fleverat, Joseph filium ex servili mancipio solenni Ægyptiorum ritu Nobilem ab Pharaone creatum audivit: in ejus enim præmium, testimoniumque virtutis atque præscientiæ, posuit Rex annulum in manu ejus, & torquem in collo ejus. Similis per omnia nobilitandi mos erat apud Persas & Chaldæos, sicuti de Mardochæo & Daniele legimus. Inde in hunc usque diem hæc creandorum Nobilium consuetudo permansit apud Reges & Principes, à quibus alii virtute, alii pecunia, alii facinoribus hanc nobilitatem commeruerunt: ex nostratibus tales fuerunt, quem Blondus Flavius scribit patrem L. Pisonis, qui fuit Julii Cæsaris socer, & bello Marsico faciendis armis præfuisse, Dondatius Malvicinus, qui ab Urbano, ejus nominis quinto, Pont. Max. & à Carolo, ejus nominis quarto, Roman. Rege, amplissimis gratiis nobilitatus fuit. Franciscus & Antonius fratres ejusdem familiæ à Joanne-Maria Mediolani Duce Marchiones creati. Albertus, ejus nominis secundus, ex Scotis à Sigismundo Imper. Comes castri Arquati, & Vigoleni. Franciscus & Joannes fratres ejusdem familiæ à Joanne-Maria Mediolani Duce alter Vigoleni, alter Agatiani Comites facti. Ex Landis, cum nepotibus Manfredus Vallis Tarri, & Ceni à Ludovico Imperat. creatus Dominus nobilitatem posteris suis promeruit. Galvagnus etiam ejusdem familiæ à Joanne-Maria Mediolani Duce Complani Comitatum promeruit. Ex Anguisollis Bernardus à Ludovico Romanorum Rege talem promeruit nobilitatem. Lancillottus autem, Joannes, & alii haud pauci ipsius familiæ à diversis Principibus eandem dignitatem obtinuerunt. Ex Arcellis Philippus, & Bartholomæus una cum Martino, Antonio, & altero Bartholomæo Montisventani Comitibus. Ex Nicellorum familia Zaninus, & Bartholinus. Ex illis de Vezolla Joan. Franciscus. Ex Cornazanis Antonius, & Joannes. Ex Vicedominis Philippus, cujus virtute (Blondus testatur) Parmenses Federici Imper. exercitum urbem suam obsidentem fuderunt, atque fugarunt. Ex Bracifortis Lanfrancus, Opizo, Jacobus, & Gerardus ab Othone Imper. Equites, ac milites creati. Ex Palavicinis fuerunt Galvagnus, Manfredusque fratres, multique ejus familiæ ab diversis Principibus illustrati.

ZAR. Justiores igitur prioribus fuere juniores.

LIL. Si boni seniores, secundi meliores, tertiique, & hujus ætatis quarti, & quinti optimi forte dici possent.

ZAR. Hujus nostræ recentioris ætatis sunt-ne, qui in armis potissimum & se, & eorum familias illustrare sint visi?

LIL. Nicolaus ex Scotis Equestris Ordinis Venetis militans, & ejusdem nominis ipsius ex Paulo fratre nepos equitum Ducalium rector, Cæsar Francorum equitum haud mediocris opinionis Ductor, Albertus, & Troilus fratres, & horum ex Alexandro fratre nepos Lucretius, Venetarum Turmarum Duces egregii, Carolusque peditum Ducalium Ductor. Ex Landis Claudius cum equitum, tum peditum Cæsareanorum Dux egregius, &, qui de illo optime sperantes morte præventus mœstissimos reliquit, Manfredus junior. Ex Anguisollis uno tantum nævo notatus Joannes, & domi, & foris insignis. Ex Nicellis Joannes pater, Albertusque filius; hic in Galliis pro Pontifice Maximo, ille pro Cæsare in Germania contra hæreticos pugnans vitam reliquit. Petrus Franciscus, & ipse Nicellus, peditum Ductor optimus. Claruerunt Antonius Mentuatus, & cum aliis mediocris nobilitatis Ventura Gazius peditum Duces strenuissimi, ac Antonius Morsellus, Joannesque Antonius Quajalegnus.

ZAR. At qui noscantur ignoti adhuc mihi supersunt.

LIL. Nobilioribus qui negotiis insudant ignoti primum despectique videntur, mox, & ante aliquando, & post mortem clariores, illustrioresque videntur emergere: exemplo sunt Theobaldus Vicecomes, qui ob ejus merita etiam absens Pontifex Maximus creatus, Gregorius, ejus nominis decimus, vocatus est.

Vicedominus de Vicedominis Aquilegiensis Patriarcha, & Cardinalis.

Petrus Dianus Cardinalis.

Ottobonus Robertus Episcopus Patavinus, mox Patriarcha Aquilegiensis.

Ge-

Gerardus à Porta Episcopus Potentinus à Calixto Pont. Max. an. 1119. Sanctorum catalogo adscriptus.

Adde Doninum, Placentinum, Podonem, Guidonem Arduinum, Grimenium à Porta, Vicedominum de Cossadochis, Fulconem, Ægidium, Philippum Fulgosium, Albericum Vicedominum, Ugonem de Pilotis, Bernardum de Carrio, & Rugerium de Gaziis, omnes, & Placentinos, & Episcopos Placentinos.

Nec silentio operiendi sunt hujus ætatis viri Camillus Mentuatus Episcopus Satrianus, Fabius Cupellatus Episcopus Lacedoniensis, Cornelius Mussus Archiepiscopus Bitontinus, & Julius Magnanus Episcopus Calvensis, omnibus (citra offensam) prioris temporis Ecclesiæ Prælatis merito comparandi.

CLARVERVNT ET IN JVRE FORI
EX ANTIQVIORIBVS.

T. TINCHA Orator, cujus meminit Cicero in *Bruto*, & *pro Murana*, Placentinus, & Pileus Bagarottus glossatores, Bagarottus de Bagarottis, Philippus Caxolla, Lazarus à Porta, Matthæus, Albertus, & Antonius de Ripalta, Apollonius Blancus, Gulielmus de Saliceto, Albertus de Ferrariis, Antonius Dominicus Melinguerra, Bartholomæus Baraterius, & Joan. Franciscus Ponzenibius. Horum omnium haud spernenda scripta aliqua inveniuntur. Nec minoris considerationis fuerunt, suntque, qui eis successerunt, Daniel Vijustinus, ejusque filii Julius, & Alexander, Alexander Ruinagia, Joannes Cigalla, Joan. Franciscus Marussus, Barnabas à Puteo, Julius Cupellatus, & qui adhuc supersunt Danesius Filiodonus, Joseph Zanardus, Joan. Baptista Ponzenibius, Gabriel Bocabarillus, Petrus Franciscus Mancasolla, Franciscus Baraterius, Marcellus Marazanus, Federicus, & Christophorus Scoti, Albertus de Via, Petrus Antonius Anguisolla, & Petrus Antonius Petra, ac Hieronymus Mentuatus.

IN ARTIBVS, ET MEDICINA
CLARVERVNT.

GEORGIVS Valla, Gulielmus de Saliceto, Albertus de Salso, Lazarus Datarus, Petrus Antonius Rusticus, Joannes Cremascus, Petrus Antonius, & Antoninus fratres de Fasolis, Jacobus Mentuatus, &, qui suis se operibus laudant, nunc viventes.

ZAR. Et qui seculo abdicarunt se cuculati num splendoris quid tibi afferre potuerunt?

LIL. Imo, duplici enim gloria, domi videlicet & foris, me exornare contendunt.

ZAR. Omnes-ne? an perpauci?

LIL. Omnes quidem minime, cum haud desint, qui faustum fausto calcent, & qui medio ostendantur digito; verum non desunt, qui, & me, & eorum familias, sectasve suis lucubrationibus illustrent.

ZAR. Nam qui Regularium titulo insigniuntur Canonici possunt-ne Galateam Thetidemque amare?

LIL. Etiam, altera enim alteri confert stante æquilibrio.

ZAR. Nobilium Xenodochium apud nos horum cœnobium dicitur.

LIL. Et Nobilium, & popularium modo literis moribusque mediocriter ornentur, nec Cescon habitent, adolescentum tutissimum est asylum.

ZAR. Quid tibi decoris lineati isti attulerunt?

LIL. Hoc mihi honoris ex his agnosco, quod

A ex urbanis nobilioribusque familiis excerptos Polemones quamplures reddiderunt. Ex Scotis Jacobum Antonium Abbatem, ac prædicatorem eximium, qui & Placentini Monasterii proventus haud mediocriter adauxit, & nonnullorum Monasteriorum adeptione gavisus est. Post hunc ejusdem familiæ Cornelium Archangelum, Gasparem, & Petrum tam regimine, quam concionibus aptissimos effecerunt.

Ex Nicellorum domo Aurelium, qui ejus consortii decies, & amplius, Rectorem generalem egit, & Albam (Rochetum vocant) in ejus Imperatoris coronatione Federico porrexit: alterumque
B ejusdem nominis haud adspernendum Prælatum. Ex antiquissimis Bardi Comitibus Galdinum habuit, qui Rector quinquies cum fuisset, Lateranensemque canoniam recuperasset, quam Tremitanam vocant, Diomedeam Insulam acquisivit. Ex Confanoneriis Gabrielem Abbatem, ac Visitatorem, cum Timotheo divini verbi concionatore, Ex Landorum familia Theodosium Prælatum, Valeriumque prædicatorem. Ex Arcellis Hieronymum, & Deodatum Abbates, ac prædicatores eximios. Ex Vicedominis Gabrielem, & Bartholomæum Abbates, & generales Rectores. Ex Barateriis fuit Leonardus. Ex Malaspinis Petrus Abbas:
C & Adeodatus Abbas fuit ex eis de Puteo. Ex Arditionibus, aliàs Calvis, fuerunt Joannes Poeta, & Gabriel prædicator, Abbasque, optimi regiminis. Fuit & inter cæteros famosissimus ille Calixtus Furnarius, qui ob singularem doctrinam, dicendique facundiam, totius Italiæ contra hæreticos Inquisitionis officium promeruit. Hunc facundia non impar, regimine prudentior, fælicius sequitur Thodosius Burla. Nec desunt quamplures alii ejus professionis utraque sufficientia pollentes; inter quos eminet Marcus Antonius ille Bagarottus, qui bis Rectorem generalem egit, totiesque Visitator, novi ac amplissimi Monasterii Placentini
D fundator & erector fuit, atque per annos duodecim illud jam regens adolescentum multitudinem ad ejus religionis habitum, cum receperit Mæcenatem taliter se exhibuit, ut Catonem esse non desierit.

ZAR. Nigrioris amiculi Monachi quid tibi claritatis conferre valuerunt?

LIL. Ex horum nigro amictu, morificataque conversatione optimus, suavissimusque semper exhaluit nidor sanctitatis: nam ex horum classe fuerunt Petrus de Vegiis Monasterii Placentini reformator, Isidorus Scorticatus, Andreas Fontana, Michael de Gaziis, Hieronymus de Rebuf-
E fis, Marcus Zilianus, Zacharias, & Bernardus de Bagarottis, Thomas de Guadagnabenis, Paulus de Cigallis, Hieronymus Licacorvus, Thomas, & Antonius de Ripalta, omnes quidem Abbates, Isidorus autem, & Hieronymus præfuerunt omnibus.

ZAR. Odiosi tamen civibus.

LIL. Quia melior vicina seges.

ZAR. Franciscani centrales tui num & ipsi quid splendoris tibi attulerunt?

LIL. Neque tertii, neque quarti doctrinis pollent, concionandique, ac docendi gratia cives meos honestare videntur.

F ZAR. Ex iis emerserunt-ne aliqui?

LIL. Etiam plures: nam Paulus Barianus, Jacobus Roncharollus, Augustinus Macerata, Aloysius Aghinonus, Hieronymus Rubeus, & Hilarion, omnes Artium, & Theologiæ Professores celeberrimi evaserunt. Nec eis cedere videntur, qui adhuc haud sine honore vitam ducunt, Cornelius Mussus Archiepiscopus Bitontinus, Julius Magnanus Episcopus Calvensis, Lucius Anguisolla Regens Bononiensis, ac Hieronymus Medices divi-

divinarum Literarum civibus meis interpres, cum Mauritio Cercolo, & Modesto Bonadeo Sacræ Theologiæ Professoribus.

ZAR. Qui Divi Augustini Heremitæ dicuntur quid tecum habent, habueruntve honoris?

LIL. Calluerunt literas priores, moresque coluerunt. Nec ignorantia laborant Moderni: nam Joannes de Suzano eorum Cœnobii fundator inter omnes sui temporis literarum cultores celeberrimus est habitus. Claruerunt post eum Joannes de Mediis capitibus, Lactantius Marzolinus, Apollinaris, Ambrosiusque utraque scientia pollentes. Est & Philippus pro Divo habitus: supersunt etiam Benedictus, Petrus, & Cornelius suis virtutibus de se optime loquentes.

ZAR. De Dominicanis aveo, sed non à civibus audire.

LIL. Quamobrem?

ZAR. De eis obloquuntur.

LIL. A puro pura defluit aqua, sed quid eis objicitur?

ZAR. Pomarios Hercules illos asserentes torve intueri videntur.

LIL. Omnes-ne?

ZAR. Quamplures.

LIL. Quæ puris amabilis, ægris oculis ac lippis lux est odiosa.

ZAR. Inquire, accire, subtiliusque scrutare quam liceat, & quod absurdius à quibusdam Malvanum à secretis eos habere dicitur.

LIL. Qui curari negligit ægrotus Medicum odit, abhorretque pharmacum. Sed quid cum cæteris, qui Malvano utitur Hæresium Inquisitor?

ZAR. Amictus idem unusque omnibus ejus familiæ cum sit, ultra crepidam considerans vulgus pares putat omnes. Sed habuerunt, habent-ne, & ii suos illustres?

LIL. Habuerunt, habentque nonnullos, plurimosque habuissent, nisi hinc literarum acquirendarum labor, hinc, quæ non habet unde suum paupertas pascat, amorem nobilium adolescentum ab eorum cœtu animos arceret.

ZAR. Vi-ne forte utuntur ad ipsas literas acquirendas, docendasve?

LIL. Utique cum suis comprofessoribus, quibus, vim licet appellent, grata est vis ista, cæteros libere docent.

ZAR. Extrarios etiam suis in Gymnasiis admittunt?

LIL. Imo, & citra coactitiam mercedem semper (ut dici solet) in cydonis domo aliquis.

ZAR. Quas ii profitentur, docentve literas?

LIL. Et earum, quas liberales vocare solemus, Artium, & Divinarum rerum Theoremata.

ZAR. Cercopum cœtum mihi describere videris, perarduum quippe est eorum negotium.

LIL. Sed nil nisi ardua vincunt: per hæc namque ex Ziliana domo Aimericus ille, & doctrina, & morum sanctitate insignis, ad totius ejus religionis apicem, generalatumque adscendit. Paulus insuper, & ipse Placentinus, totius Reformatorum conventuum congregationis generalis Vicarius evasit; Thomas Radinus Thodiscus violenta literarum manu ad sacri Palatii magisterium pervenit; Vincentius à Villa Regens Bononiensis; Vincentius Baraterius, Marcus Roncarollus, Nicolaus, & ejus ex fratre nepos, Thomas Ripalta, cum Angelo Gibellino, Dominico Luchesio, ac Joseph Orabono Theologi omnes celebratione dignissime evaserunt. Nec fumo aliquo obnubilari potest fumus ille Bartholomæus Armillæ Aureæ, & compendiosioris in Divi Pauli, & canonicas Epistolas expositionis auctor, qui cum divini verbi concionatorem, & Hæresium Inquisitorem diu egisset, nonnulla etiam poemata post se reliquit. Nec horum inferior judicandus est, qui totius Apuliæ ac Calabriæ contra hæreticam pravitatem Commissarium Apostolicum nunc agit, Valerius Malvicinus.

DE VNIVERSITATE SCIENTIARVM, ET STVDIO CIVITATIS PLACENTINAE.

ZAR. Cum sub pallio tuo legerim omnium bonarum artium studium in te aliàs floruisse, de re clarior fieri cupio quo tempore, quibusve sub Doctoribus hujusmodi in te floruerint Gymnasia.

LIL. Nono supra millesimum anno ab Othone, ejus nominis tertio, Romanorum Rege favoribus fulta omnium scientiarum studiis florere cœpi. Quo tempore etiam Rugerius acutissimus legum interpres jus mecum profitebatur: at armorum strepitibus per aliquos annos intermissa quadragesimo secundo supra millesimum ducentesimum Innocentii, ejus nominis quarti, privilegio eadem studia repetita fuere. Anno autem millesimo trecentesimo nonagesimo octavo per Joannis Galeatii Vicecomitis Mediolani Ducis primi Diploma tam Othonis, quam Innocentii gratiæ ac immunitates restauratæ, auctæque fuerunt, atque studium tertio in me erectum, imo evectum cum fuerit, qui bonas artes profiteri, docereque videbantur, Doctoribus, atque Lectoribus de stipendiis provisum fuit, ut infra:

Nam Philippo de Bargis Professori Theologo pro lectura Theologica singulo mense assignatum fuit stipendium librarum sex, solidorum tredecim, & denariorum quattuor, videlicet l. 6. f. 13. d. 4.

Francisco de Giliis pro lectura Decretorum	l. 13.	f. 6.	d.
Francisco de Castiliono pro eadem lectura	l. 8.	f.	d.
Gualtrino de Tatiis legenti Decretales ordinarie	l. 26.	f. 3.	d.
Ambrosio de Ferandis legenti ut supra	l. 5.	f. 6.	d.
Thadeolo de Vicomercato legenti Decretales extrordinarie	l. 33.	f. 6.	d.
Antonio de Tussignano legenti Decretales ut supra	l. 26.	f. 13.	d.
Bellano de Strata legenti Sextum & Clementinas ordinarie	l. 10.	f. 13.	d.
Leonardo de Gratiis legenti ut supra ordinarie	l. 5.	f. 6.	d.
Rodulpho de Vellate legenti ut supra extraordinarie	l. 5.	f. 6.	d.
Joanni de Cicadis legenti ut supra extraordinarie	l. 8.	f.	d.
Baldo de Perusio legenti Codicem ordinarie	l. 164.	f.	d.
Christophoro de Castiliono legenti Codicem ut supra	l. 53.	f.	d.
Christophoro de Meletis legenti Codicem extraordinarie	l. 53.	f.	d.
Raphaeli de Fulgosiis legenti Codicem extraordinarie	l. 26.	f.	d.
Signorino de Homadeis legenti Infortiatum ordinarie	l. 40.	f.	d.
Jacobo de Jolanis legenti ut supra	l. 66.	f.	d.
Ambrosio de Bocilis legenti Infortiatum extraordinarie	l. 13.	f.	d.
Mapheolo de Seregino legenti ut supra	l. 8.	f.	d.
Columbo de Bobio legenti ut supra	l. 8.	f.	d.
Raphaeli de Raimundis legenti ut supra	l. 13.	f. 6.	d. 8.
Isnaldo de Sicleriis legenti ff. vet.	l. 8.	f.	d.
Joanni de Anguisollis legenti ut supra	l. 4.	f.	d.
Petro de Nicellis legenti ut supra	l. 4.	f.	d.

Anto-

Antonio de Barateriis legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Gaſparino de Caponibus legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Georgio de Pinarollo legenti Digeſt. vet. extraordinarie l. 4. ſ. d.
Todiſco de Fuſariis legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Gabrieli de Arcellis legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Uberto de Sicilia legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Joanni de Variſio legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Bartholomæo de Lando legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Comiti de Oleariis legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Baptiſtæ de Jacob legenti ut ſupra l. 10. ſ. 13. d. 4.
Petro de Suardis legenti Infortiatum l. 13. ſ. 8. d. 8.
Bobio de Peruſio legenti ut ſupra l. 66. ſ. d.
Marſilio de Sancta Sophia legenti Phyſicam ordinarie computata penſione domus l. 170. ſ. 6. d. 8.
Lanineo de Sartirana legenti Practicam ordinarie l. 26. ſ. 13. d. 4.
Antonio Cermiſiono legenti Phyſicam ordinarie l. 13. ſ. 6. d. 8.
Jacobo de Martignonis legenti Phyſicam extrardinarie l. 6. ſ. 13. d. 4.
Stephano de Soregno legenti ut ſupra l. 6. ſ. d.
Matthæo de Vitudino legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Joanni Franciſco de Balbis legenti ut ſupra l 4. ſ. d.
Luchino de Petra Sancta legenti ut ſupra l. 17. ſ. 6. d. 8.
Uberto de Suciis legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Danieli de Sancta Sophia legenti ut ſupra l. 16. ſ. d.
Joanni de Colis legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Betino de Cremona legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Gulielmo de Ponte Corono legenti ut ſupra l. 11. ſ. d.
Franciſco de Strapaciatis legenti Practicam l. 13. ſ. 6. d. 8.
Luchino de Bellicullis legenti ut ſupra l. 6. ſ. 13. d. 4.
Bernardo de Magnanis legenti Practicam extraordinarie l. 8. ſ. d.
Blaſio de Parma legenti Philoſophiam Moralem, Naturalem, & Aſtrologiam l. 26. ſ. 13. d. 4.
Joanni de Cathelonia legenti Aſtrologiam l. 13. ſ. d.
Blaſio de Ponte Corono legenti Philoſophiam Ariſtotelis l. 8. ſ. d.
Ugoni de Senis legenti Philoſophiam Ariſtotelis ut ſupra l. 6. ſ. 13. d. 4.
Betino de Biſcoſiis legenti ut ſupra l. 6. ſ. 13. d. 4.
Joanni de Cremona legenti auctores l. 17. ſ. 6. d. 8.
Philippo de Rhegio legenti Dantem & auctores l. 5. ſ. 6. d. 8.
Franciſco de Criſpis legenti Aſtrologiam l. 6. ſ. 13. d. 4.
Joanni de Pelegrino legenti Practicam l. 4. ſ. d.
Antonio de Abbatibus legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Antonio de Reſtis legenti Phyſicam l. 4. ſ. d.
Stephano de Oſena legenti ut ſupra l. 4. ſ. d.
Joanni de Cypro legenti ut ſupra l. 8. ſ. d.
Joanni de Bonfiliis, & Ambroſio de Monte generalibus bidellis ſtudii l. 8. ſ. 6. d. 8.
Joanni de Mirandula olim Artiſtarum & Medicorum pro lectura Senecæ l. 4. ſ. d.
Joanni de Cremona Doctori Grammaticæ, Logicæ, Rhetoricæ, & Philoſophiæ l. 17. ſ. 6. d. 8.
Gulielmo de Ponte Corono legenti Chirurgiam l. 11. ſ. d.
Antonio de Curte legenti Notariam. l. 8. ſ. d.

Horum laboribus diverſis annis, & temporibus talia ſubminiſtrabantur ſtipendia.

ZAR. At nunc literarum ſtudia vilitant Cives.

LIL. Et Juno, & Venus, eſt in cauſa, Marſque glorioſus.

ZAR. Sunt-ne ſaltem aliqua in priſcorum ſtudiorum veſtigia?

LIL. Solos apud Dominicanos bonarum artium veſtigii tantillum remanſit; ſemper enim & comprofeſſores, & ex propoſito citra (ut jam diximus) lucri fugiendam aviditatem extrarios inſtruendo eorum Gymnaſia omnibus patuerunt.

ZAR. Audivi illos, & nunc idem facere, ſed qui, quoſve doceant exploratum non habeo.

LIL. Thomas, & Dominicus, hic Lucheſius, ille Ripalta, ſinguli duas lectiones Philoſophiæ videlicet, & Logicæ aliis, tertiam vero Theologiæ alter, alter Philoſophiæ ſuis Cuculatis declarat.

ZAR. Lineatos etiam Canonicos intellexi hujuſmodi palæſtram ſubiiſſe.

LIL. A certis annis belle cœperunt, ſed lutum, niſi tundatur, non fit urceus.

ZAR. Et inter Cives ſunt-ne prioris Gymnaſii aliqua veſtigia?

LIL. Equidem, ſed corrugata, imo eroſa ſic, ut corrupta videantur; Franciſco de Via Inſtitutam legenti namque libræ ducentæ, Hieronymo Medici Minoritano pro ſacra lectione libræ centum tantum ſingulo anno numerantur, tertius pro lectura Ciceroniana Antonius Bendinellus Lucenſis ſingulis annis recipit aureos nummos ducentos triginta.

DE CIVIUM DIGNITATIBUS.

ZAR. Cum tot dignitatum gradus inter cives tuos ſub pallio legerim, à quibus in eos, hæc nobilitatum genera primo emanarint ſcire exoptarem.

LIL. Cum ſuperato, ac cum uxore, & filiis in Gallias tranſmiſſo Deſiderio Longobardorum Rege, Carolus cognomento Magnus Placentiam veniſſet, accitis, qui pro Eccleſia Longobardis reſtiterant, nobilioribus Placentinis, alios Marchiones, alios Comites, alios Vicecomites, alios Valvaſores, alios autem milites, & quoſdam vexillarios creavit. Marchiones antiqui ſunt Palavicini, & Malaſpinæ; poſteriores autem Fontanenſes; iique dividuntur in Malvicinos, Arcellos, Zagnos, de Pavarano, de Antiquo, de Rocha, de Taſſeria, de Paveris, de Banduchis, de Gravonibus, de Præaſtilia, de Pochaterra, & de Strinatis.

Sunt & Comites, quorum antiquiores familiæ fuerunt illi de Vidalta, de Bardo, de Montecucho, de Bonifacio, qui omnes una domus, unaque familia, unam portantes inſignem, illis de Montecucho exceptis, qui Aquilam ſuperaddiderunt. Sunt & Comites de Mirabello à Comitibus de Lumello deſcendentes, & Comites de Ruvigotio. Comites Palatini ſunt ex Vicedominis, quorum domus continet Gaffios, Boſſos, Coſſadochas, Roncharollos, Clericos, Occhidibovos, & de Surexio.

Comites moderniores sunt ex Scotis, Landis, Anguisollis, Arcellis, de Vezolla, de Todischis, & Vermes.

Capitanei sunt ex illis de Carrio, de Valdeclavena, & de Vegiano, atque de Fontana.

Valvasores sunt nobiles de Castro novo.

Militares domus sunt (ut jam diximus) Fontanenses, Fulgosii, Anguisollæ, Spetini, Sagimbeni, Dulciani, Carrii, Confanonerii, Vicedomini, Cagnolli, Vidaltæ, Vicecomites, Palastrelli, de Presbytero, Licacorvi, Stricti, Surdi, Bracifortes, Valtidoni, de Porta, Filiodoni, Ronchoveteri, Mazzaforrati, & Scoti, atque Landi; Landorum familia in se amplectitur Ruzinentos, Vulpes, Zanardos, Cherubinos, Vintannos, Guchinnos, Lamonicas, Barbarossas, Ferrarios, de sancto Damiano, de Centenario, de Fabrica, de Salla, de Gravago, Bussos, & Marazanos.

ZAR. Et unde horum nomina dignitatum traxerunt originem?

LIL. Ab officiis primum, mox in feudum transierunt: sed ne ex arena (ut dici solet) funiculum nectere videamur, ex Alciato nota, feudum benivolam, liberamque rei immobilis, vel æquipollentis esse concessionem, cum utilis dominii translatione, sub fidelitate, servitiorumque honestorum exhibitione, retenta proprietate. Feudorum aliud Regale, ut Marchiæ, Ducatus, Comitatus, & id genus: aliud non Regale, ut quod ab inferioribus à Principe recognoscitur, vel si à Rege confertur, est tamen extra dignitatem.

Secunda sectio est, quod feudorum aliud nobile, aliud ignobile. Nobile est, quod possessorem suum nobilitat, vel eum, qui prius erat, nobilem ostendit. Ignobile est, quod à minimis Valvasoribus, vel etiam à plebe paganis, id est, privatis, in feudum conceditur, quod aliter Burgense nominatur.

Tertia erit, quod feudorum aliud rectum & purum, aliud improprium & impurum.

Quarta feudorum aliud reale, aliud personale.

Quinta feudorum aliud ecclesiasticum, aliud seculare.

Sexta feudorum aliud masculinum, aliud fœmininum.

Septima feudorum aliud antiquum, seu paternum, aliud novum.

Octava feudum paternum aliud ab antiquis cognatis, aliud à patre acquisitum. Cæteræ feudorum sectiones ad has reduci possunt; quæ res autem in feudum dari possunt.

Nota, quod quæ non sunt in commercio, ut sunt res sacræ religiosæ, atque publicis usibus dicatæ, & breviter quæ alienari non possunt, in feudum neque dari possunt.

Quæ autem commerciales sunt in feudum optime dari possunt, suntque in quadruplici differentia, scil. quædam soli, id est, terræ, quædam solo adhærentes, quædam immobiles, & quædam sunt mobiles, quæ nunquam dantur in feudum, quia rectum dominium non potest remanere apud dominum, quia consumitur usu.

QVI FEVDVM DARE, VEL CONFERRE, VEL ACCIPERE POSSINT.

Solus Romanus Princeps feuda Regalia, ut sunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, & id genus confert, *c.* 1. *tit. de feudis March.* Vasalli autem hujusmodi dignitatum sunt Duces, Marchiones, Comites, &c. *c.* 1. *quis sit Dux*, & illi secundum feudalia placita Capitanei regni proprie nominantur.

Ducis originem ab exercitus Romani Ducibus emanasse putamus, quos ab Romani Imperii Principibus territoriis donatos esse verisimile est, & tamen ab eis recognoscant.

Comitum originem Germanorum moribus ortam fuisse scribit Cornelius Tacitus in libello *de Germania*, apud Priscos usu fuisse receptam, ut cuilibet Principi, seu Duci exercitus duodecim Comites assignarentur, ideo dictos, quia comitarentur eos, & à Ducum latere non discederent.

Marchionum nomen est Gothicum à *Marchia* barbara interpretatione, sive (ut aliis placet) Marchionum quasi Margraphiorum origo in limitaneos Præpositos sive Duces referenda: nam Margraphii dicti sunt, qui limitibus, quos vulgo *Marchen* Germani appellant, graphii, id est, Præpositi fuerunt, ut ex *L. in nomine Domini C. de Præfecto Prat. Afric.* Romanos olim limites Imperii statuisse, in quibus adversus Barbaros, hoc est, hostes excubias habebant, quorum milites, qui in limites militarent, limitarios appellabant, & inde & limitanei fundi, & limiteophi, *l.* 1. *l. Agros.* Horum Duces limitaneos, vide Alciatum *C. de feud. limiteo. l.* 11. *in l. viros spectabiles. C. de divers. offic. & ap-pari. l.* 12. Et unico Lampridii loco, in *Alexandro Severo*, etiam edocemur, qui sic habet: *Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitaneis Ducibus & militibus concessit, ita, ut eorum essent, si hæredes eorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens eos attentius militaturos, si etiam sua rura defenderent.*

Aliqua (ut diximus) sunt feuda Regalia, quæ absolutam & prærogatam nobilitatem habent, quorum participes tantummodo sunt regni Capitanei. Alia sunt non Regalia, sive à Principibus Romanis, sive à regni Capitaneis concedantur, quæ non quidem prærogatam, ut illa, sed conspicuam quandam nobilitatem exhibent, veluti Baronum, & aliorum, qui melioris sunt nobilitatis, qui ipsi sub se habent vasallos nobiles. Porro, qui à Valvasoribus majoribus, ut à Baronibus, & conspicuis Nobilibus feuda accipiunt; sunt quidem & ipsi Nobiles, sed mediocris nominis, quos minores Valvasores nominamus, qui & ipsi feuda conferunt, & sub istis sunt privatæ personæ Pagani, & Cives, qui in plebe paulo nominatiores sunt. Hæc Uldericus Zasius in *feudali:* ex quibus quid Dux, quid Marchio, quid Comes, & quid Valvasor sit, & unde id nominis duxerit originem, facillime perspectum habemus.

DE ECCLESIASTICIS DIGNITATIBVS.

ZAR. Et in ecclesiasticis sunt-ne & tibi dignitates?

LIL. Sunt, & utinam qualis patella, tale & operculum foret: est Comitatu Palatino optima cum jurisdictione fulgens Episcopi dignitas, sunt Regularium Abbatiæ, ut infra.

DE ABBATIIS MONACHORVM CIVITATIS PLACENTIAE.

Abbatia sancti Savini Ordinis sancti Benedicti sub se habet Prioratus infra notandos, videlicet sanctæ Victoriæ, sanctæ Trinitatis, sancti Ambrosii, sancti Salvatoris, sancti Bartholomæi de Zegiosa, & ecclesias sancti Savini de Carrio, sancti Savini de Rezanello, sanctæ Mariæ de Tavernago, sancti Stephani de Fabiano, sancti Savini de Fontana Prædosa, sancti Nicolai ultra Trebiam, sancti Petri de Paderna, sancti Columbani de Luxerasco, sancti Columbani de Muricellis, & Hospitalia sancti Savini, sancti Salvatoris, & sanctæ Victoriæ. Hujus Abbatiæ titulus cum proventibus in commendam transiit: ecclesiam cum optime provisa mensa habent, qui Heremitarum Divi Hieronymi titulo gloriantur.

Abbatia sancti Sixti Ordinis Divi Benedicti, ubi habitant Monachi nigri congregationis sanctæ Justinæ, habet sub se ecclesiam sanctæ Mariæ in Bur-

Burgheto, & hospitale ipsius ecclesiæ, & sancti Macharii, villæ de Coditrebia; habetque jurisdictionem in castro novo in faucibus Abduæ Cremonensis agri, & montis Clericuli Parmensis agri.

Abbatia sancti Sepulchri Ordinis sancti Benedicti, ubi habitant Monachi Montis Oliveti, sub se habet hospitale sancti Sepulchri appellatum.

Abbatia sancti Marci, aliàs sancti Benedicti Ordinis Vallis Umbrosæ, erat Canonicorum Regularium, & quia in arce inclusum est monasterium sub titulo Divi Augustini, per ipsos Canonicos solennissimum aliud monasterium erectum est.

DE ABBATIIS IN AGRO PLACENTINO EXSISTENTIBUS.

Abbatia monasterii de Mezano Ordinis sancti Benedicti sub se Vasallos, villasque quamplures habet.

Abbatia monasterii de Tolla Ordinis sancti Benedicti sub se, & castra, & villas habet de Mistriano juxta castrum Arquatum, & sancti Dalmatii in Civitate duos Prioratus habet.

Abbatia monasterii Columbæ Ordinis Cisterciensis, quæ est prope Florentiolam, habet sub se Abbatem Pontis Trebiæ, seu Quarticiollæ, Abbatem Fontanæ frigidæ agri Parmensis, Abbatem sancti Martini de Bocis ejusdem agri, & Abbatem Bronduli in paludibus Venetiarum. Monasteria autem Monialium in diversis locis nunc decem, videlicet Monasterium cælestium Venetiis, Monasterium sanctæ Margaritæ in paludibus Venetiarum, Monasterium sancti Joannis de Papia Cremonæ, Monasterium Pletolarum, sive sanctæ Mariæ ad tres passus agri Placentini, Monasterium de Nazareth, & Monasterium de Galilæa extra Placentiam, Monasterium Monialium castri Arquati, Monasterium Burgi sancti Donini, Monasterium sanctæ Mariæ novæ, extra Mutinam versus montes, Monasterium aliud Misericordiæ extra Mutinam versus Padum, & habet Monasterium ibidem, quod dicitur de Porta.

Abbatia Monasterii Pontis Trebiæ, seu Quarticiollæ Ordinis Cisterciensis, est intra confinia Civitatis Placentiæ, vulgo *la Vallera*, & est sub Abbatia Columbæ.

PRIORATUS, SIVE MONASTERIA EXEMPTA AGRI ET EPISCOPATUS PLACENTINI.

Monasterium de Travazano.
Monasterium de Riciollo.
Monasterium de Carpadasco.
Monasterium de Gravago.
Monasterium de Mistria.

MONASTERIA MONIALIUM INTRA URBEM PLACENTIAE.

Monasterium sancti Siri Ordinis sancti Benedicti.

Monasterium sancti Hieronymi Ordinis sancti Benedicti.

Monasterium sancti Franchæ Ordinis Cisterciensis.

Monasterium sancti Raymundi Ordinis Cisterciensis.

Monasterium sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis.

Monasterium sancti Barnabæ Ordinis sancti Augustini.

Monasterium sancti Bartholomæi Ordinis sancti Augustini, & sub cura Fratrum Prædicatorum.

Monasterium Nivis Ordinis sancti Augustini.

Monasterium Annuntiatæ Ordinis sancti Augustini.

Monasterium sanctæ Claræ Ordinis Minorum.

Monasterium sanctæ Mariæ Magdalenæ Ordinis Minorum.

Monasterium Vallis Viridis Ordinis Minorum Amadeorum.

RELIGIOSORUM MENDICANTIUM CONVENTUS, ET ECCLESIAE.

Conventus sancti Joan. Baptistæ in canalibus, ubi habitant Fratres Dominicani, seu Ordinis Prædicatorum.

Conventus, & ecclesia sancti Francisci, ubi habitant Fratres Franciscani, seu Ordinis Minorum Conventuales.

Conventus, & ecclesia sancti Laurentii, ubi habitant Fratres Augustiniani, dicti Heremitæ.

Conventus, & ecclesia sanctæ Mariæ Carmelitarum, ubi habitant Carmelitæ.

Conventus, & ecclesia sanctæ Annæ, ubi habitant Fratres Servitæ Conventuales.

Conventus, & ecclesia Divæ Mariæ de Campania, ubi habitant Fratres Minores tit. de observantia.

Conventus, & ecclesia S. Mariæ gratiarum de platea, ubi habitant Fratres Servitæ reformati.

Conventus, & ecclesia S. Bernardini, ubi habitant Fratres Minoritæ de Amadeis.

Conventus, & ecclesia sancti Bartholomæi, ubi habitant Fratres Jesuati.

Conventus, & ecclesia Spiritus Sancti, ubi habitant Fratres Humiliati.

EXTRA PLACENTIAM.

In castro Arquato conventus, & ecclesia sancti Francisci, ubi habitant Fratres Minores de observantia.

In Curte Majori conventus, & ecclesia sancti Francisci, ubi habitant Fratres Minores de observantia.

In Florentiola, ecclesia sanctæ Mariæ gratiarum, ubi Fratres Dominicani habitant.

In eodem loco ecclesia sancti Francisci, ubi habitant Fratres Minores de observantia.

In Burgo vallis Tarri ecclesia, & conventus sancti Dominici, ubi habitant Fratres Ordinis Prædicatorum.

In eodem loco ecclesia sancti Augustini, ubi habitant Fratres Augustiniani Heremitæ.

In castro sancto Joanne ecclesia, & conventus sancti Rochi, ubi habitant Fratres Servitæ reformati.

In eodem loco ecclesia sancti Francisci, ubi habitant Fratres Minores de observantia.

In Burgo novo conventus, & ecclesia sancti Francisci, ubi habitant Fratres Minores de observantia.

DE ECCLESIIS SACERDOTUM, SEU CLERICORUM, SECULARIUM, EORUMQUE DIGNITATIBUS.

Ecclesia cathedralis, quæ titulo Assumptionis beatæ Mariæ insignitur, habet corpora sanctorum, Justinæ virginis & martyris, caput sancti Cypriani martyris, corpora sanctorum Arthemii, & Candidæ uxoris, ac Paulinæ filiæ martyrum. Habet cum Episcopo honorabile collegium, videlicet, Archidiaconum, Præpositum, & Vicedominum, Canonicos decem & novem, Præbendarios autem, seu Mansionarios, duodeviginti.

Ecclesia sancti Antonini est secunda post cathedralem, habetque cum collegio Præpositum, Canonicos quattuordecim, Mansionarios, seu Præbendarios decem & septem, corpora sanctorum Antonini, Victoris Episcopi primi Civitatis, Opilii Diaconi, & Casti, ac Desiderii martyrum. Episcoporum etiam numero octo corpora, cum Aliprandi Longobardorum Regis, ac Lotharii Imperatoris corporibus ibi sepulta sunt.

DE

DE PRAEPOSITIS ALIARVM ECCLESIARVM PLACENTIAE.

Ecclesia aliàs sancti Joannis Euangelistæ, nunc cum ecclesia sancti Michaelis unita, habet Præpositum, Canonicos, & Præbendarios.

Ecclesia sanctæ Mariæ Galliverti habet Præpositum, Canonicos, & Præbendarios.

Ecclesia sancti Rodorici habet Præpositum, Canonicos, & Præbendarios.

Ecclesia sanctæ Brigidæ habet Præpositum, Canonicos, & Præbendarios.

Ecclesia sanctæ Euphemiæ habet Præpositum, & Canonicos regulares congregationis S. Salvatoris.

DE PRAEPOSITIS ECCLESIARVM DIOECESIS PLACENTIAE.

Ecclesia sancti Nicolai de castro Arquato habet Præpositum, Canonicos, & Præbendarios, subestque majori ecclesiæ plebis ejus loci. Hanc fundavit Joannes Episcopus Parmensis.

Ecclesia sancti Joannis Baptistæ de Viculo Marchorum habet Præpositum, & Canonicos undecim, ac Præbendarios quindecim, in qua est corpus sancti Hippolyti martyris, quam fundavit Ubertus de Orta Marchio.

Ecclesia di S. Savino de Carrio habet Præpositum, fundataque fuit per Nobiles de Carrio.

Ecclesia S. Michaelis de Rotofredo habet Præpositum.

DE ECCLESIIS, QVAE SVNT IN CIVITATE PLACENTIAE SECVNDVM PORTARVM DIVISIONEM.

Et primo in ea, quæ sancti Lazari dicitur, porta sunt infra scriptæ ecclesiæ.

Ecclesia cathedralis, de qua satis supra diximus.

Ecclesia sancti Antonini.

Ecclesia sancti Salvatoris.

Ecclesia S. Lazari cum hospitali leprosorum extra mœnia.

Ecclesia sanctæ Annæ, quæ est Servorum Conventualium.

Ecclesia sanctæ Mariæ de Turricella.

Ecclesia sanctæ Mariæ Nivis, quæ est Monialium.

Ecclesia sancti Pauli habet Rectorem, & Præbendarios.

Ecclesia sancti Bartholomæi de Zogiosa, quæ est Monialium Ordinis Prædicatorum.

Ecclesia sancti Augustini Canonicorum regularium.

Ecclesia sancti Bernardini Fratrum Minorum de Amadeis.

Ecclesia sancti Stephani habet Rectorem.

Ecclesia sanctæ Mariæ de Carrio.

Ecclesia sancti Vincentii.

Ecclesia sanctæ Mariæ in Cortina.

Ecclesia sancti Siri Monialium.

Ecclesia sancti Martini in Burgo.

Ecclesia sancti Michaelis, de qua supra.

Ecclesia sancti Nazarii supra murum.

Ecclesia sancti Nicolai de Filiagadis.

Ecclesia sancti Savini, de qua supra, est Monachorum.

Ecclesia sancti Ambrosii habet Priorem sub monasterio sancti Savini.

Ecclesia sanctorum Joannis, & Pauli, & sancti Zeni unita.

Ecclesia sancti Laurentii Fratrum Heremitarum.

A Ecclesia sancti Eustachii: hujus Confanonerii & Filiodoni sunt patroni.

Ecclesia sancti Nicolai de Capsis habet Rectorem, & Præbendarios.

Ecclesia sancti Juliani habet Rectorem, & Præbendarium.

Ecclesia sanctæ Crucis portæ novæ.

IN PORTA FVDEXTAE.

Ecclesia sanctæ Crucis de Fudexta habet Rectorem.

Ecclesia sanctæ Agnetis habet Rectorem.

B Ecclesia sanctæ Mariæ Paganorum habet Rectorem.

Ecclesia sanctæ Mariæ in Galliverto habet Præpositum.

Ecclesia sanctæ Mariæ in Suffredo habet Rectorem.

Ecclesia sanctæ Trinitatis habet Rectorem.

Ecclesia sancti Sylvestri est sub Abbate Nonantulæ.

Ecclesia sanctæ Fidis habet duos Rectores.

Ecclesia sancti Martini in foro habet Rectorem, & Præbendarios.

IN PORTA MEDIOLANENSI, SIVE BVRGHETI.

C Ecclesia sanctæ Mariæ Speronorum habet Rectorem, & duos Præbendarios.

Ecclesia sancti Georgii est Prioratus Monachorum de Como.

Ecclesia omnium sanctorum voto à Communi ædificata.

Ecclesia sancti Sixti est Monachorum nigrorum.

Ecclesia sancti Petri in Solarollo subest Monachis, qui supra.

Ecclesia sanctæ Mariæ in Burgheto subest eisdem Monachis, Rectorem habet.

D Ecclesia sancti Thomæ habet sacerdotem electum per illos de Arcellis, Rectorem habet.

Ecclesia sancti Nicolai de Filiodonis, seu de Capitaneis, habet Rectorem electum per Capitaneos de Fontana.

Ecclesia sanctæ Agatæ habet Rectorem, & Præbendarios.

Ecclesia sanctæ Margaritæ habet Rectorem, & Præbendarios.

Ecclesia sanctæ Euphemiæ est Canonicorum regularium.

Ecclesia sanctæ Mariæ de Carmelo est Fratrum Carmelitarum.

E Ecclesia sancti Dalmatii habet Priorem, & Præbendarium, cujus Prior subest Abbatia de Tolla.

Ecclesia sancti Silverii, vel sanctorum Jacobi, & Philippi, Rectorem habet.

Ecclesia sancti Martini in curia sub Abbate sancti Sixti.

IN PORTA STRATAE LEVATAE.

Ecclesia sanctæ Mariæ de Zirovallis, vulgariter *de Zirollis*, habet Rectorem, & Præbendarium.

Ecclesia sancti Georgii habet Rectorem, & duas præbendas.

F Ecclesia sanctorum Simonis, & Judæ habet Rectorem, & Præbendarium.

Ecclesia sancti Ulderici habet Præpositum, & duos Canonicos.

Ecclesia sanctæ Brigidæ habet Præpositum, & Præbendas.

Ecclesia sancti Matthæi habet Priorem regularem sub Abbate Mortariæ.

Ecclesia sancti Jacobi habet Rectorem, & Præbendarios.

Eccle-

Ecclesia sancti Jacobi Minoris est Disciplinatorum. A

Ecclesia sancti Andreæ in Burgo habet Rectorem.

Ecclesia sancti Bartholomæi est Hospitalis ipsius.

Ecclesia sancti Sepulchri est Monachorum Montis Oliveti.

Ecclesia sanctæ Mariæ de Campania est Fratrum Minorum.

Ecclesia sanctæ Victoriæ est unita cum dicta ecclesia.

Ecclesia sancti Nazarii habet Rectorem, & præbendas.

Ecclesia sanctæ Mariæ Vallis Viridis est Monialium Amadeorum. B

Ecclesia sanctæ Mariæ Magdalenæ est Monialium Minorum.

Ecclesia sancti Marci in Arce concluditur.

IN PORTA SANCTI RAYMUNDI.

Ecclesia sancti Donini habet Archipresbyterum, & Præbendarios.

Ecclesia sancti Faustini supra muros.

Ecclesia sancti Prothasii Rectorem habet.

Ecclesia sancti Gervasii habet Rectorem, & Præbendarios.

Ecclesia sanctæ Mariæ gratiarum est Fratrum Servorum. C

Ecclesia sancti Hilarii habet Rectorem.

Ecclesia sancti Alexandri habet Præpositum, & Præbendarios.

Ecclesia Sancti Spiritus est Fratrum Humiliatorum.

Ecclesia sanctorum Apostolorum, nunc sancti Raymundi, est Monialium Cistercensium,

Ecclesia sancti Joannis Baptistæ in canalibus est Fratrum Prædicatorum.

Ecclesia sanctæ Mariæ de Templo habet Rectorem regularem præfati Ordinis.

DE HOSPITALIBVS, QVAE SVNT, VEL FVERVNT, IN CIVITATE, SVBVRBIIS, ET DIOECESI PLACENTIAE. D

Et primo in porta orientali, aliàs sancti Lazari, Hospitale sancti Salvatoris.

Hospitale sancti Stephani.

Hospitale sancti Savini,

Hospitale sancti Bernardi.

Hospitale sancti Antonini,

Hospitale sanctæ Annæ.

Hospitale sancti Lazari pro leprosis extra portam.

Hospitale Sancti Spiritus in confinibus dictæ portæ. E

Hospitale de Montali in dictis confinibus.

IN PORTA MEDIOLANENSI.

Hospitale sancti Mauri ultra Fudestam.

Hospitale sancti Macharii.

Hospitale sanctæ Mariæ in Burgo.

IN PORTA STRATAE LEVATAE.

Hospitale sancti Bartholomæi.

Hospitale sancti Sepulchri.

Hospitale sanctæ Victoriæ.

Hospitale Casolæ.

Hospitale sancti Antonii infra mœnia Civitatis. F

Hospitale sancti Antonii in confinibus portæ stratæ levatæ.

Hospitale misericordiæ in Burgo portæ stratæ levatæ.

Hospitale Peregrini.

Hospitale sancti Maphei.

Hospitale sancti Jacobi.

Hospitale sanctæ Brigidæ.

Hospitale sanctæ Mariæ de Ponte.

IN PORTA S. RAYMVNDI.

Hospitale Dei.

Hospitale sanctæ Elisabeth.

Hospitale sancti Raymundi.

Hospitale sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Hospitale sancti Christophori in Burgo portæ sancti Raymundi.

HOSPITALIA PER DIOECESIM PLACENTINAM POSITA.

ET PRIMO VLTRA TREBIAM.

Hospitale sancti Joannis.

Hospitale sancti Jacobi.

Hospitale sanctæ Mariæ, scilicet Fratrum de Costula.

Hospitale de Bardonezia in confinibus ejus castri.

Hospitale de Caverzago.

Hospitale de ponte Trebiæ.

INTER NVRIAM, ET ARDAM FLVVIOS.

Hospitale sancti Macharii de Roncharollo.

Hospitale sancti Petri de Pontenurio.

Hospitale sancti Petri de Casadei.

Hospitale Spiritus Sancti in castro Arquato, & consortii sanctæ Mariæ subest majori ecclesiæ dictæ terræ.

Hospitale S. Bartholomæi extra dictam portam.

Hospitale sancti Antonii in Burgo saxi dictæ terræ.

Hospitale de Verzalli.

VLTRA ARDAM.

Hospitale Florentiolæ.

Hospitale sanctæ Margaritæ dictæ terræ.

Hospitale Madonariæ.

Hospitale de Dei fiducia.

Hospitale de Polezano.

Hospitale de Obio.

Hospitale de Plono.

Hospitale de Longena, cum ecclesia sanctæ Mariæ Magdalenæ.

CERTAE DOMVS PRO CONSERVATIONE CERTORVM PONTIVM.

Domus de Rocho pro ponte Trebiæ.

Domus de Montali pro ponte Nuriæ.

Domus pontis de Albarolla pro ponte de Albarolla.

Domus Pontis in Rivergario pro ponte de Rivergario.

Zar. Xenodochiorum loca, & si plurima, aut nulla, aut pauca egentibus patent.

Lil. Pietatis amictu operta aviditas eorum deglubervait, deglutinavitque bona ita, ut, quod ad pauperum famem pannositatemque levandam institutum fuerat, in divitum luxum hodie convertatur.

Zar. Sunt-ne per agrum tuum, ut in cæteris, plebani aliqui suis cum collegiis?

Lil. Sunt quidem plurimi, & utinam haud nimis collegiati.

Zar. Quamobrem?

Lil. Omnis herus servo monosyllabus. Est plebs de Olubra, seu de Castro sancto Joanne, (ut ab Occidente incipiam) quæ habet quattuor Canonicos, & sex Præbendarios.

Plebs de Bilegno.

Plebs de Verdeto.

Plebs de Pomario.

Plebs de Campagnolla.

Plebs de Rocha Panciana.

Plebs de Staderia.

Plebs de Travano.

Plebs de Momiliano.

Plebs de Tuna.

INTER NVRIAM, ET TREBIAM.

Plebs de Rungotio, quæ est exempta, subestque Episcopo Papiensi.
Plebs de Centenario.
Plebs de Carminiano.
Plebs de Vigolciono.
Plebs de Potentiano.
Plebs de sancto Paulo.
Plebs de Sparoria.
Plebs de Duliaria.
Plebs de Septinia.

INTER NVRIAM, ET ARDAM.

Plebs de castro Arquato habet Archipresbyterum, qui est etiam Præpositus, & habet Archidiaconum, Canonicos sex, & Præbendarios decem & octo, nobilitata Othoboni Feliciani Placentini Patriarchæ Aquilegiensis sepultura.
Plebs de Maxinacio.
Plebs de Pederio.
Plebs de Cassano.
Plebs de Carano.
Plebs de Cagnano.
Plebs de Travazzano.
Plebs de Carpaneto.
Plebs de Pontenurio.
Plebs de Fontana frigida.
Plebs de sancto Petro in Cerro.
Plebs de sancto Nazario.
Plebs de Pulignano.

VLTRA ARDAM.

Plebs de Florentiola habet Canonicos octo, & Præbendarios.
Plebs de Vigoleno.
Plebs de Campo Cervario.
Plebs de Canzelaxio.
Plebs de Ygio.
Plebs de Varsio.
Plebs de Casa Nova.
Plebs de Sixaligio.
Plebs de Varono.
Plebs de Gravago.
Plebs de Rodogma.
Plebs sancti Georgii de Burgo Vallis Tarri.
Plebs de Bedonia.
Plebs de Plono.
Plebs de Legio sancti Quirici.

SVMMA OMNIVM DIGNITATVM ET DOMORVM ECCLESIASTICARVM CIVITATIS, ET DIOECESIS PLACENTINAE.

Episcopus Placentinus unus,
Archidiaconus unus,
Præpositus unus,
Vicedominus unus,
} ecclesiæ majoris.

Abbates monasteriorum Civitatis Placentiæ quattuor.
Abbates monasteriorum Diœcesis Placentiæ quattuor.
Priores ecclesiarum Civitatis Placentiæ tres.
Priores ecclesiarum per Diœcesim Placentiæ quinque.
Præpositi ecclesiarum Civitatis Placentiæ sex.
Præpositi ecclesiarum per Diœcesim Placentiæ quattuor.
Conventus Fratrum Mendicantium in Civitate Placentiæ decem.
Monasteria Monialium Civitatis Placentiæ duodecim.
Ecclesiæ parochiales Civitatis Placentiæ una & quadraginta.
Ecclesiæ non parochiales Civitatis Placentiæ octo & triginta.

A Plebs Diœcesis Placentinæ sex & quadraginta.
Hospitalia Civitatis & suburbiorum Placentiæ viginti novem.
Hospitalia per Diœcesim Placentiæ tria & viginti.
Domus pro pontibus conservandis quattuor.
Conventus Fratrum Mendicantium in Diœcesi Placent. novem.

DE AGRI PLACENTINI FERTILITATE.

Zar. De agro libet-ne aliquid dicere?

Lil. Hoc unum puto dicendum, agrum meum ea feracitate pinguere, ut semper granum, vinum, B linum, ac caseum omnibus, sed vicinis maxime, subministret.

Zar. Ager ubi feracior?

Lil. In planicie, is circa Æmiliam pinguior, uberiorque vomere lucente.

Zar. Linum ubique ne producitur?

Lil. Præterquam in montibus, sed apud Sarmatum, castrum sanctum Joannem, & Burgum novum potissime.

Zar. Vinum ubi bonum, melius, & optimum?

Lil. Bonum sub Æmilia, nobilius supra usque ad collium radices, nobilissimum in collibus; sed cum omnibus comparandum apud Vianinum, ca- C strum Arquatum, Vigolenum, Vegianum, Villam auream, Coranum, Cantonum, & Zilianum.

Zar. Casei bonitate oblivisci-ne licet?

Lil. Qui carius, suaviusque eo vescuntur Genuenses, Veneti, Romani, & Constantinopolitani, ipsi illum laudare possunt.

Zar. Aeris temperie etiam gaudere videris?

Lil. Inter Italiæ salubriores hic meus Plinio teste sub Vespasiano Imperatore connumeratus est; ipse enim Princeps de aeris temperie certior fieri cupiens ab expertis, ubi plures seniores inveniri contigisset, ibi aeris salubritatem esse audivit; in agro Placentino inter plures senio confectos, qui D centesimum trigesimum jam attigerat annum unus inventus est. Huic salubritati haud modicum confert à Trebia & Nuria fl. nonnullorum rivorum deductio: per Urbem enim fluentes colluviem & cloacarum sordes secum trahunt, Urbemque purgant, atque ad molenda frumenta rotis deserviunt.

Zar. Et quo ungaris, est-ne aliquid olei?

Lil. Est, sed non satis, sunt castaneta, ex quibus montani rustici & nutriuntur, & nonnihil lucrantur: sunt querceta pro suibus impinguandis: sunt & pascua irrigua pro alendis armentis, deliciosi horti, amœnissimæ silvæ, atque ad vena- E tionem aptissimæ, suoque ordine disposita saliceta, & odorifera rosaria.

Zar. Audivi, & sal ex puteis hausta aqua condensari, æsque ex terræ visceribus evelli.

Lil. Apud salsum tantum salis conficitur, quantum & Placentinis meis, & Parmensibus sufficere videtur: æs, quod alias apud ferrerias effodiebatur, inopia, vel forte ignavia eorum, qui locum possident, intactum relinquitur.

DE PRIVILEGIIS CVDENDI MONETAS ET VNIVERSITATIS STVDII PLACENTINI CONCESSIS.

F Zar. At quia de cudendarum pecuniarum, & studii, ac doctoratus insignia conferendi privilegiis superius habitus est sermo, Principum Diploma accurate viderem.

Lil. Cudendi monetas Conradi Diplomatis hic exemplar constabit; studii autem Innocentii, & Vicecomitis duo supersunt, Othonis autem quando direptis Archivis, cum Communis nostri Registrum, ac Divi Antonini Thesaurum abstulit, Arnaldus Barbarara Diploma hinc secum portavit. Cu-

Cudendi Monetas Placentinis per Conradum Romanorum Regem, ejus nominis secundum, concessum Privilegium.

In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis Conradus, Divina clementia favente, Romanorum Rex secundus. Auctoritas exposcit Regiæ dignitatis, ut privilegia ab antecessoribus nostris collata firmare ac roborare intendamus, & à nullo ausu temerario infringi permittamus, unde justis petitionibus fidelium nostrorum acquiescentes monetam ab antecessoribus nostris Henrico quarto, & Henrico quinto Imperatoribus collatam, concessam, & confirmatam; Nos eadem auctoritate concedimus, & confirmamus, & præsentibus scriptis semper eam ibi ad honorem Ecclesiæ, ac Civitatis Placentiæ, cum omni jure, & utilitate, & debita justitia manere decernimus, dantes auctoritatem & potestatem monetariis consilio Communis corruptam reintegrandi, corruptores justo judicio castigandi. Quod si quis hujus nostræ confirmationis & donationis paginam quoquomodo temerario ausu infirmare, aut infringere præsumpserit, centum libras auri purissimi componat, quarum partem dimidiam nostræ Cameræ, reliquam vero partem præfatæ Civitati solvat. Ut autem hæc nostræ confirmationis concessio firma, & inconcussa omni tempore permaneat, hanc inde chartam scribi, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus, manuque nostra, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum D. Conradi Romanorum secundi Regis invictissimi.

Ego Arnoldus Cancell. vice Arnoldi Colonien. Archicancellarii, recognovi.

Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LX. Indictione tertia, regnante Conrado secundo Romanorum Rege, anno vero Regni ejus tertio. Data in Alsatia in loco, qui dicitur Molescum, in Christo feliciter. Amen.

Universitatis literarum docendarum, Doctorumque insignia conferendi Placentinis concessum Innocentii Pont. Max. Privilegium.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri Episcopo, & dilectis filiis clero & populo Placentino salutem, & Apostolicam benedictionem. QUIA *profectum terræ nostræ in visceribus amplectimur charitatis, vellemus libenter, quod ibi scyphus reperiretur argenteus, id est, studium literarum, in quo Joseph subtiliter novit ingenua auguria explicare, quique ibi argentum eloquentiæ venarum suarum obtineat principia, & locus esset, in quo aurum sapientia conflaret. Credimus enim, & pro firmo tenemus, quod ex hoc ipsi Civitati Placentiæ non modicum honoris accederet, & sibi possent exinde spiritualiter & temporaliter grata commoda provenire, propter quod non tam consideratione tui frater Alberte nobis super hoc instanter supplicantis, quam etiam ob ipsius Civitatis augmentum generale ibi fieri studium cupientes, ut ad ipsam Civitatem Placentiæ ad hauriendum aquas, cum gaudio hominum copiosa confluat multitudo, & ibi Turris David, cum suis propugnaculis construatur, ex qua non solum dependeant mille clypei, sed etiam omnis fortium armatura omnibus Doctoribus, & Scholaribus in quacunque facultate in prædicta Civitate studentibus, quod eisdem privilegiis, indulgentiis, libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quibus Parisiis, seu Bononiæ, vel aliis studiis generalibus studentes lætantur, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo hominum liceat omnimodo hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum*

A *ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni* VIII. *Idus Februarii, Pontificatus nostri anno quinto, & anno ab Incarnatione Domini* M. CC. XLIII.

Joannis Galeatii, Mediolani Ducis, pro ea Privilegium.

Joannes Galeaz Dux Mediolani, Papiæ, Angleriæ, ac Virtutum Comes, &c. Inter cætera, quæ cognoscimus ad curam optimi Principis pertinere, hoc est maximum, ut non solum opes & fortunas civium defendendo, & quantum steterit in ipso ampliando reducere studeat potentiorem, opulentioremque Rempublicam, sed ut virtutes atque scientias propagando ornatiorem, meliorem-
B *que conetur efficere, polliceatur, & sane quantum animus immortalis, qui cœlestem habet originem, hoc terrestri & corruptibili corpore melior est, tantum sunt animi bona bonis deservientibus corpori meliora, adeo, ut in illis potissimum hujus, quæ in terris habetur, fundamentum humanæ felicitatis exsistat, ad quam quidem felicitatem non solum hominum singulorum vita, sed etiam perfecta quomodolibet communitatis, ut est Civitas, ordinatur. Princeps igitur, qui suam vult (sicut est debitum) bene instituere, & felicitare Rempublicam, dare operam debet, & omni quo potest studio providere, ut non solum opulenti sint Cives, sed etiam eruditi, quod hoc maxime modo fieri posse comprehendimus, si*
C *pluribus in locis fuerint generalia studia constituta, ad quæ pro virtutibus & scientiis acquirendis habiliter homines transferre se valeant: etenim (ut de antiquissimis memoriam faciamus) si illa quondam accommodata doctrinis opportunitas Athenarum totam celebrem Græciam fecit, & ad eam copiam disciplinæ provexit, ut exinde postea per universum rivuli secularium literarum velut ex fonte manaverint. Deinde Romana Respublica magno Imperio jam erecto non solum armis, sed etiam literarum studiis illustrata, si, quod hodie non vidimus, per Italiam, per Germaniam, per Gallias, & per alias nationes formosa quædam studia Provincias ac Regna nobilitant; Nos, qui Ducalem sane nostram Monarchiam*
D *desideramus scientiis ac virtutibus fecundare, & hujusmodi veris ornamentis fulcire, non immerito, motu proprio de nostræ plenitudine potestatis à Cæsarea dignitate nobis, & nostris successoribus attributa, Deo auctore, & ex certa scientia, & omni modo, quo melius possumus, duximus in Civitate nostra Placentiæ generale studium instaurandum. Volentes igitur ad perpetuam rei memoriam, & ipsius studii utilitatem, gratiis, honoribus, immunitatibus, & privilegiis debitis roborare, & ex auctoritate, atque potentia nobis evectis ad Ducalis fastigii dignitatem concessis per serenissimum Principem, & gloriosissimum Dominum nostrum Dominum Venceslaum, Dei gratia Romanorum & Boemiæ Regem, sicut in Privilegio collationis nostri Ducatus plenius con-*
E *tinetur, specialem in hoc gratiam faciendo Civitati, & Civibus Placentiæ, præsentium tenore concedimus, ut in prædicta Civitate Placentiæ generale studium utriusque Juris, videlicet tam Canonici, quam Civilis, nec non Philosophiæ, Medicinæ, & Artium liberalium, ac quarumcunque scientiarum approbatarum erigant, & ex nunc in antea perpetuis temporibus observetur, quod quidem studium, ejusque studentes, necnon Rectores, Doctores, Bachalarios, Bidellos, tam generales, quam speciales Officiales, atque ministros, famulos, & famulas eorum, & cujuslibet eorundem quocunque nomine censentur, qui fuerint per tempora, cujuscunque etiam*
F *dignitatis, præeminentiæ, status, & ordinis, seu conditionis præditi, & singuli eorum exstiterint omni eo privilegio, libertate, immunitate, indulto, & gratia, quibus Parisiense, Paduanum, Bononiense, Oxoniense, Aurelianense, Monspesulanense, Papiense, Perusinum, & quæcunque alia studia generalia privilegiata & approbata noscuntur, hujus nostræ concessionis gratia perfrui in perpetuum volumus, & gaudere per omnia, ac si privilegium, libertas, immunitas, indulta, & gratiæ hujusmodi singulorum quorumcunque prædictorum præsentibus*

 tibus

tibus de verbo ad verbum essent inserta decernentes, & hac nostra constitutione Ducali Imperiali auctoritate concessa perpetuis valitura temporibus, ex certa scientia sancientes de Ducalis plenitudine potestatis, ut præfata Civitas Placentina præsenti nostra Ducali concessione suffulta generalis studii gratioso Privilegio gaudeat, & utatur, possitque duntaxat Reverendus in Christo Pater Dominus frater Gulielmus de Centueriis Sacræ Paginæ, seu Theologiæ Doctor eximius præsens Episcopus Placentinus per se, vel per alium Vicarium suum, seu Locum-tenentem de consilio, approbatione, consensu Doctorum, & magistrorum studii memorati, secundum diversitatem scientiarum prædictarum, singula singulis congrue & debite referendo, servatis forma, modo & ordine, qui in talibus consueverunt in prædictis generalibus, & aliis studiis laudabiliter observari, illos quos ad hoc idoneos, & dignos noverit studioso examine præmisso licentiare, & ad Doctoratus, seu Magistratus apicem promovere, honorem cathedræ, & cætera Doctoratus, seu Magistratus insignia eis rite conferre, ac de eis solenniter investire, & legendi licentiam indulgere, ea quoscunque actus doctoreos exercere, & expedire. Cæ-

A *terum, ut Scholares & Studentes quilibet Placentini prædicti tanto liberius valeant literarum studiis insudare, quanto à molestiarum & turbationum impetu expeditius liberati, & ampliori fuerint libertate Ducali nostra dignitate fulciti, Rectores, Doctores, Scholares, sive Studentes ejusdem studii, universos quoque & singulos eorum, & cujuslibet ipsorum familiares, famulos, & ministros, nec non scalas, & domos, sive hospitia in nostræ protectionis tutelam ac defensionem recipimus, & mandamus omnibus & singulis Officialibus, & subditis nostris, qui sunt, & in futurum erunt, quatenus hanc concessionem nostram in his, quæ ad eos spectat, vel spectare poterit, quomodolibet in futurum observent, inviolabili-*
B *ter observari faciant, tuendo & defendendo studium ante dictum, sibique, & ejus Rectoribus, Doctoribus, Scholaribus, & Studentibus, Bidellis, & Officialibus favores honestos & licitos exhibendo. In cujus rei testimonium præsentes fieri jussimus, & registrari, nostrique sigilli pendentis munimine roborari. Dat. Belziosi, die prima Januarii* MCCC. LXXXXIIII. *septima Indictione.*

Laus Deo Omnipotenti.

FINIS.



INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Alexan-

Arma-

B.

Be-

C.

Ca-

Con-

Cre-

Cre-

E.

F.

Fran-

Fran-

Ga-

H.

Hen-

Ja-

Lit-

M.

Lau-

Me-

N.

Otho

P.

Pro-

Q.

R.

Ro-

S.

Si-

T.

Ter-

Tur-

V.

CORRIGENDA.


In Indice voluminis Secundi ab initio, Linea 6. *Historiam Mediolanensem*, Lege *Historia Mediolanensi.*



FINIS.









ANTIQ.
ITALIÆ

TOM III.
P. II.

















